THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE,

CAMPANIAE, NEAPOLIS, ET MAGNAE GRAECIAE.

TOMI NONI PARS SECVNDA.

THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE,

Quo continentur

Optimi quique Scriptores,

Qui

CAMPANIAE, NEAPOLIS, MAGNAE GRAECIAE,

Confiniumque Populorum ac Civitatium Res Antiquas, aliasque vario tempore gestas, memoriae prodiderunt:

Digeri olim coeptus Cura & Studio

JOANNIS GEORGII GRAEVII.

Accesserunt

Variae & accuratae Tabulae, tam Geographicae, quam aliae, ut & Indices ad singulos Libros locupletissimi:

CVM PRAEFATIONIBVS

PETRI BVRMANNI,

J. U. D. Historiarum, Graecae Linguae, Eloquentiae & Historiae foederati Belgii, in Academia Lugduno-Batava Professoris.

TOMI NONI PARS SECVNDA.



LVGDVNI BATAVORVM,

Excudit PETRVS VANDER Aa,

Bibliopola, Civitatis atque Academiae Typographus, MDCCXXIII.

Cum speciali Privilegio Illustr. ac Praepotent. Ordinum Hollandiae & West-Frisiae.

CAMILLI PEREGRINII,

Alexandri Filii,

DISSERTATIONES
DE VETERI SIGNIFICATU VOCIS
PORTÆ.

ET

DE ORIGINE
ANTIQUÆ FAMILIÆ
DI COLIMENTA.

Nunc primum ex Italico Latinè vertit

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS.



LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, Academiæ atque Civitatis Typographi.

TYPOGRAPHUS LECTORI S. D.

P*Ræter ea quæ in libelli hujus Titulo continentur, quædam in illo ſunt obſervata, quæ quidem magis apparebunt citra eundem eſſe Titulum illi qui evolverit. Cum præter ea quæ & in eo* Meminit Typographus Italus Primæ & Secundæ & modo Tertiæ Diſſertationis, cum tamen hiſce chartis duæ modo a nobis ſint editæ. Verum ſciat æquus Lector, Secundam illam Diſſertationem, quæ DE ANTIQUO SITU CAPUÆ inſcribebatur, verbotenus ab Auctore CAMPANIÆ FELICI inſitam poſtea eſſe, atque adeo ibidem, una cum iſto libro jam a nobis editam. *Prima & Secunda continentur ad ſcopum Auctoris Diſſertationes, remotum quidem ſane ſed invictum appetatur inter alia argumentum, ad demonſtrandum, quod Nobilis Familia,* Capuana *dicta, quæ ætate proxime lapſa exſtincta eſt* Capuæ, *ſexcentis ante annis edita fuerit Principibus* Longobardorum, *qui in iſta Urbe dominati ſunt, prout accuratius idem noſter docuit Auctor, qui duas has Diſſertationes ſcripſit, in* Hiſtoria *ſua* Longobardorum. *Hæ autem Diſſertationes, a multis cum voluptate perlectæ, ſupprimi non debebant, quum jam liber iſte foras emiſſus ſit, ſed convenienter comitari tertiam Diſſertationem ejusdem Auctoris, quæ Originem antiquæ Familiæ* Di Colimenta *complectitur, Editionesque adeo hæ ipſæ Diſſertationis neceſſitatem nobis impoſuerunt. Vale.*

CAMILLI PEREGRINI
Alexandri Filii
DISSERTATIO
DE VETERI SIGNIFICATU VOCIS
PORTÆ.

Tribus & loci quibus olim distinguebatur Urbs.

Vetustus ille & pervulgatus mos, quo in varias partes Urbs distribui solet, tam respectu ipsius loci ædificiorumque, quam populi, & qui inhabitant, civium, adeo cognitus est, ut supervacuum sit multa de illo in medium afferre. Locus quidem distingui solebat in Regiones atque Vicos seu Vicinias, sæpenumero in Fora etiam atque Parochias: Populus vero in Familias distribui atque Tribus, sive una modo sive plures Gentes atque Familiæ ista comprehenderentur. Quod licet satis constet, sæpius tamen inter se utraque mixta atque permutata fuere, ita ut appellatione Regionum atque Vicorum, Fororum item atque Parochiarum Familiæ venirent atque Tribus, dein etiam sæpenumero singula Familia vel Tribus sola integram occupabat quandoque Regionem. Neque de illo pariter quemquam dubitare existimo.

Illi aliquando PORTÆ *nomine dicti.*

Jam vero Regiones istæ & Tribus, communi isto sensu sumptæ aliquando appellatione PORTÆ venerunt, licet etiam insuper ita nominarentur Urbis aditus atque omnis, per quem patere poterat introitus, locus clausus. Quod ita sese habere, quæve ejus rei occasio exstiterit, ordine jam curiosius persequemur.

Quod constat ex testimonio Falconis Beneventani *plus uno in loco.*

Falco Beneventanus, qui ejus notitiæ primus mihi fuit Auctor, primus mihi & sincerus satis advocabitur testis. Is in *Chronico* suo, ubi egit de inventione Corporis Sancti *Beneventani* Episcopi *Barbati*, quæ facta est per Urbis ejus Archiepiscopum *Roffridum* Anno MCXXIV. subjungit, quod antequam sacer iste Thesaurus in novo Altari ampliatæ de novo Ecclesiæ Cathedralis reponeretur, per octo dies continuos solenniter visitatus & cum veneratione fuerit salutatus a singulis istius Urbis *Portis* successive. Quo in loco per vocem *Portas* nihil aliud intelligit, quam Regiones & Vicos Urbis *Beneventi*, atque una incolas ejusdem. Verba ejus hæc sunt: *Quibus ita peractis, præcepit idem Archiepiscopus, ut primum Presbyteri Portæ summæ, & Clerici simul cum Laicis ad Episcopium descenderent, & coram sacratissimi Barbati corpore vigilias celebrarent.* Postea rursus, *Sicque unaquæque civitatis Porta diebus singulis usque ad octavum diem peregit.*

Neque hoc in loco solum Scriptor iste, sed & alio ad Annum MCXXXIII. clarus Interpres est talis vocis istius significationis, ubi hæc verba profert: *Disposuerunt etiam, ut centum milites ad Ecclesiam S. Angeli ad Crucem, quæ est intra confinia Portæ summæ, latitarent.* Istius autem *Portæ* confinia nullibi quæri possunt, nisi in Regione istius Urbis appellata *Summa*, prout hodieque vocatur; idque respectu situs, qui eo in loco aliis Vicis sublimior est.

Sed & tertium apud eundem locum, qui istam vocis significationem confirmat, observare licet. Ubi enim Auctor ille, occasione venerationis, quæ exhibita est Sanctis multorum Martyrum Corporibus, quæ nobiliori monumento reposita sunt in eadem Cathedrali Ecclesia *Beneventana* Anno MCXIX. accurate singulas Urbis describit Regiones, earumque nomina, multas itidem appellatione *Portæ* ponit. Ita agens de *Landulpho* Archiepiscopo tunc *Beneventano* sic scribit: *Continuo consilio assumpto dedit in mandatis, ut primum Presbyteri Portæ Summæ ad Episcopium jubilando, cereis & lampadibus descenderent. Secundo quidem Presbyteri Portæ Aureæ. Tertio autem Portæ Rufinæ. Quarto Forensis. Quinto Civitatis Novæ. Postremo vero Civitatis totius Presbyteri & viri.* Hæc Falco.

Cujus textus hic & alibi est mutilus.

Verum silentio non est prætereundus notabilis defectus, qui (ut puto) in istius residet verbis, quum & plures annotatis istis Regiones *Beneventum* habeat, quæ sine dubio octo istis diebus pariter in pompæ celebrationem successerint, prout celebritas magna ita peragi solebat, quemadmodum eundem numerum octonum notare licet in translatione Corporis S. *Barbati*, de qua modo vidimus. Credo itaque quod in producto isto loco *Falconis*, qui & alibi pariter mancus & aliquantum corruptus est, duarum Regionum desint nomina, quæ quidem numerum septenum explere debent, quoniam octavo die universus populus *Beneventanus* Ecclesiam Cathedralem adiit. Et forsan illarum una fuit, quæ ad aditum erat civitatis, appellabaturque *la Porta di S. Lorenzo*, cujus & idem mentionem facit Auctor ad Annum MCXXXIII. & quidem binis vicibus, prout ex illis, qui paulo post sequuntur, facile patere potest.

Et sane istis temporibus communis iste populi mos passim vigebat, ut isto modo distinctim irent, Regionibus ejusve Habitatoribus quavis die sibi invicem succedentibus, idque per octo continuos dies, ad venerandas in Ecclesiis, ubi asservabantur, Sanctorum Reliquias, idque tempore specialis solemnitatis, ut & in Festis illorum singulis Annis, quæ post primam illarum laberentur translationem solemnem. Quod & *Capuæ* observari solet in Festo inventionis Protomartyris S. *Stephani*, qui primus post *B. Virginem* Urbis patronus est: ordo autem ejusdem legitur in antiquo *Rituali* Ecclesiæ Cathedralis *Capuanæ*, scripto in *Pergameno*, quod penes me est, de quo alias distinctius agam, quum docebo, quid parvula ista machina denotaverit, quæ *Fac* appellabatur a voce *Longobardica Fara*, id est, *stirpe* vel *prosapia*, & quomodo inter vota offerri soleret S. Protomartyri ab Ministris Ecclesiæ cujuscunque Regionis. Quod tamen &, licet valde imminutum, hodieque observatur.

Confirmatur idem ex Petro *Diacono* Cassinensi.

Verum redeuntes ad vocem *Portam*, adjungimus, quod *Petrus*, Monachus & Diaconus *Cassinensis cap.* XXIV. *libri* IV. in Monasterii sui *Chronico* (vixit autem tempore *Falconis*) eandem

dem nobis vocis *Portæ* edoceat significationem. Scribens enim de Donario, quod exhibitum fuit Monasterio isti per nobilem Urbis *Spoleti* Matronam, hæc fatur: *Nobilis etiam Mulier Berta, filia Ubaldi, dedit & obtulit huic cœnobio Ecclesiam S. Martini, constructam in Spoletina civitate, in loco qui dicitur, Porta S. Laurentii, cum omnibus pertinentiis suis.*

Ut & Joanne Boccacio.

Sed & opinio mea confirmatur a *Joanne Boccacio* plus quam in una *Novella Decameronis* ejus, cujus & nobis auctoritas etiam in proprio Sermonis usu, cujus ille peritissimus fuit, subvenit. Ille itaque in *Novella*, quæ est *di Monna Nonna di Pulci*, & in illa *Joannis Lotharingii*, nomine *Portæ* appellat integram *Florentiæ* Regionem, quæ supernominatur, *Porta San Piero.* Ita enim scribit in hac *Novella: L' ultimo non à Gianni Lotteringhi era avenuto, ma ad uno, che si chiamò Gianni di Nello, che stava in Porta San Piero.* Et in ista his verbis: *La quale essendo all' hora una fresca & bella Giovane, & parlante, & di gran cuore, di poco tempo avanti in Porta San Piero à marito venutane, la mostrò al Maliscalco.* Et in *Novella* duarum *Senensium della Comara*, quandam *Senæ* demonstrans Regionem, isto plane appellat nomine. Verba ejus hæc sunt: *Furono in Siena due Giovani popolarii, de' quali l'uno hebbe nome Tinguccio Mini, & l'altro fù chiamato Menccio di Tura, & habitavano in Porta Salaia.*

Ut & aliis Memoriis antiquis.

Neque aliter vox hæc intelligenda venit in verbis quibusdam, quæ occurrunt in *Privilegio* permutationis, quam fecit Rex *Carolus II.* cum quodam *Frederico Orlandino* Anno MCCCI. quorundam bonorum *Capuæ* ejusque territorii. Invenitur autem *Neapoli* in Registro Regii Archivi, quod vocatur *della Zecca*, notaturque anno MCCC. litera A. folio 35. cujus & descriptionem in pergameno vidi in Monasterio *Montis Virginis Capuæ.* Verba autem ipsa *Privilegii* istius hæc sunt: *Item presa una vacua, sita in Porta S. Angeli, conjuncta ab uno capite Viæ publicæ &c. Item domus una, sita in Porta Capuana, conjuncta a tribus partibus Viæ publicæ* &c.

Eodem denique sensu nonnunquam, corrupte licet vocatur *Porta Sanchana* Regio similiter talis *Capuæ*, & aliquando majori adhuc discrimine *Porto Fluviano*, idque pro *Porta Fauzana*, quod *Latine* nonnullis dicitur *Posticum* vel *Posterula*, quum ista Regio ita sit appellata a tali parva porta, quæ dicebatur *Porta di Arnoaldo* Anno MVIII. per quam exibant ad Ecclesiam *S. Vincentii*, jam extra Urbis mœnia.

Et ex usu jam ab anno usque millesimo.

Res igitur indubia est, Regiones aliquando Urbis nomine *Portarum* venisse. Quæ satis frequens fuit appellatio ab Anno jam Millesimo Servatoris nostri, prout colligi potest ex ætate, qui tunc vixere, Scriptorum. Origo autem nominis longe antiquior esse potuit, quod forte innuere vult *Carolus Sigonius* in Historia *Regni Italiæ* in fine *Libri* VI. ubi describens jussa quæ *Mediolani* pro bono regimine dedit Imperator *Otho* I. hæc verba profert: *Mediolanensium civium alios in Tribubus Urbis, quas illi Portas vocabant, & agri Pagos, quos Plebes nominabant, Capitaneos, alios Valvasores instituit.* Quibus verbis Scriptor ille, recens quidem, sed tamen fide dignissimus, demonstrat, divisionem Urbis in Tribus atque Regiones antiquissimam esse in *Italia* (quod si non aliunde, vel ex Marmoribus & Inscriptionibus notissimum est) atque adeo jam *Othonis* istius tempore ita appellatas fuisse. Verum existimabunt nonnulli, non jam isto tempore atque populi divisione olim *Mediolanensis*, verum posteris temporibus vocis istius hunc significatum esse natum, vel etiam jam antea viguisse, de quo quidem jam digladiari nolo, ut neque definire aliquo modo, an ipse *Otho* novum hunc titulum instituerit, an vero resarciverit una cum melioribus legibus atque institutis, ut & communem magis atque antiquiorem usum talium divisionum. Sed de hisce satis jam.

Nata vox occasione militaris custodiæ Portarum & Turrium, quas viciniores Accolæ excitabant.

Transeamus jam ad investigandum qua occasione *Portæ* nomen hoc primum significatu accipi cœperit. Primo quidem & maxime proprie denotat Urbis aditum aliorumque, quæ clauduntur, locorum, dein vero translata vox fuit, ut & Regiones etiam atque Tribus denotaret. Ut itaque ad majorem evidentiam rei, paulo altius sermonem repetamus, præsupponere decet, quod inter alios novos ritus, quos exteræ Gentes in *Italiam* introduxere, atque etiamnum vigent, unus fuerit colligendi exercitum atque in armis retinendi, non publico dato stipendio, prout olim & nunc, sed vi incolas ad arma cogendi, atque illuc, quo res postularet, adducendi, suis ipsorum sumptibus (prout fiebat & apud *Romanos* usque ad annum CCCI. ab Urbe condita) quod quidem quodam fiebat ordine, variis modis, pro locorum varietate, atque clientelæ ratione, de quo alias commodior scribendi locus erit.

Ut fiebat in nobilioribus Urbibus, e. g. Beneventi.

Sequitur ex hoc eodem ritu, *Portarum* atque Turrium custodiam, ut & Murorum Urbis ad solos pertinuisse Cives. Cujus meæ sententiæ, antequam ulterius pergam, adducam exemplum desumptum ex *Historia* ab aliis quidem spreta, & satis equidem rudi, verum tamen utili in multis, *Principum Longobardorum*, scripta a quodam *Salernitano*, cujus ignoratur nomen: cum autem nondum typis sit descripta, communiter vocari solet *Historia uberior Herimperti.* Ibi in descriptione expugnationis *Beneventi*, a Ducibus *Græci* Imperatoris *Leonis* VI. quæ Urbs postea ab illis infeliciter defensa fuit contra obsidentem *Guidonem* Ducem *Spoleti*, hæc verba leguntur: *Mœnia Civitatis minime Beneventani adscendere audebant quia Græci Turres mœniaque possidebant.* Dein adjungit quomodo *Beneventani Græco* Patricio responderint, *Georgio* appellato, extollentes antiquum in armis robur, quo multa & longa depulissent bella. *Urbem hanc* (inquiunt *Beneventani*) *illo tempore patres nostri possidebant, & Turres & Mœnia, aditumque Civitatis ipsi observabant* &c.

Salerni.

Idem quem dixi usus verus esse demonstratur ex auctoritate *Romualdi* Archiepiscopi *Salernitani*, qui in *Chronico* suo etiamnum *inedito* agens de *Rogerio* Comite *Siciliæ*, qui *Guilelmo* in Ducatu *Apuliæ* successit, postea vero Regium assumpsit nomen, dicit illum ex *Sicilia* venisse ut novum occuparet Dominium. Verba ejus hæc sunt: *Salernum venit; & a Salernitanis civibus honorifice receptus est; quibus tenimenta & possessiones, & antiquas consuetudines confirmavit, & eos in suo recepit dominio; Turrim autem majorem in eorum potestate reliquit.* Cujus quidem Turris præter *Alexandrum Telesinum libro* I. meminit etiam *Anonymus Cassinensis* ad Annum MCCIV. ubi editio ejus (quam & in locis aliis satis multis atque momentosis varie contra fidem MS. ipsius peccasse observo) corrupte habet *Terram Majorem* pro *Turrim*, quod verbum recte retinet *Chronicon Richardi di S. Germano* ad Annum MCCV. ubi de eodem illo negotio, quod tractat Anonymus, agit.

Et Capuæ.

Denique & usum ejus edocet *Leo* Cardinalis *Ostiensis Chronico* suo *Libro* III. *Cap.* XVI. ubi narrat *Campanos* post longam obsidionem fame

ad extremum victos, *Richardo Comiti di Aversa* sese tradidisse, *Portas sibi dumtaxat cum Turrium fortitudine retinentes.*

De hoc itaque ritu nulla jam amplius remanet dubitatio, atque adeo firmiter inde sequitur, in multis Civitatibus *Portas* a Familiis istis desumpsisse nomen, quibus custodia illarum præcipue erat concredita. Ita jam *Capuæ* quædam Urbis *Porta*, cujus superius facta est mentio, quæque non longe abfuit ab Ecclesia S. *Laurentii*, ubi nunc S. *Eligii* est, a quo nomen secundum suum mutuata est, olim quidem & prius appellabatur *Capuana* a Nobili, quæ itidem dicebatur *Capuana*, Familia, prout alio loco demonstratum a nobis est. Ab illa autem Familia occasione istius, ut diximus, talis custodiæ, etiam *Turris* nomen sortita est, quæ ad latus ibidem erat, atque vocabatur *la Torre delli Capuani.* Similiter alia Turris *Capuæ* appellata fuit *di Arepaldo*, ab ejus forsan, qui eam ædificavit, nomine; sæpius enim, si fidem *Anonymo* isti *Salernitano* præbemus in *Historia inedita*, Turres etiam vocatæ sunt nomine Structorum suorum, qui clientelæ suæ ratione propriis sumptibus excitaverant: verum de hisce ratiocinandi hic locus non est.

Ita ut cuicunque ob id Portæ *attributi fuerint cives maxime vicini.*

Quoniam vero *Portæ* Urbis jam a civibus suis custodirentur, inde credo isto nomine etiam Regiones & Viciniæ illorum vocatæ sunt, cum ratio ejus rei satis sit in promptu, tales scilicet custodias ordine quodam fuisse observatas, ita ut unicuique *Portæ* certi Custodes fuerint destinati, qui quum publico stipendio non alerentur, haud conveniebat omni momento arma manu tenere, atque adeo certas fuisse leges, ut pariter res suas domesticas curare potuerint, & simul observare custodias Urbis sibi impositas. Jam adeo natura conveniens erat, ut illa custodia singularum *Portarum* maxime vicinis attribueretur Habitatoribus; & ne quis a communi onere esset immunis, necesse fuit, ut Urbs in Regiones certas & Vicinias discerneretur, & cuique illarum assignaretur certa quædam ex iisdem custodienda *Porta.* Ut ita singula *Porta* maxime vicinam Regionem ejusque incolas in præsidium suum habuerit.

Hunc quidem ipsum usum satis edocent etiam verba ex Veteri quodam *Registro*, quod alio licet respectu legitur in *Libro Memoriarum Vitæ & Mortis S. Januarii*, collecto a *Camillo Tutino*, ubi autem de Urbe *Neapoli* agitur, hæc inveniuntur verba: *Ecclesia S. Januarii. Spolia Mortis in Regione Portæ S. Januarii.* Ibi enim disertis verbis agnoscitur *Regio Portæ S. Januarii*, quoniam, ut jam satis evicimus, cuicunque *Portæ* adjudicatus erat integræ Regionis situs.

Unde dein vicinia eadem fuit cum Porta.

Itaque facile ex hoc instituto persuadeo mihi, tractu temporis Familias quasdam atque viros custodiæ hujus vel illius *Portæ* destinatos, prout huic vel illi magis vicini erant, ab illis denominatos sermone vulgari, & quoniam eorundem erant officiorum atque caritatum publicarum, tam in re civili quam militari, dictos eosdem fuisse a diversarum *Portarum* custodiis, *hos quidem hujus*, *illos vero illius Portæ.* Unde dein contigisse credibile est, ut denique ipsæ Regiones atque Viciniæ *Portæ* dictæ sint in vulgari sermone vocabulo peculiari, licet vel ipsæ nullam prope se *Portam* proprie dictam, qua introitus sit atque exitus, vel etiam complures revera tales haberent.

Atque etiam inde juxta Portas

Cujus quidem meæ affirmationis quamquam in præsentia nulla mihi vel apud veteres Scriptores, vel apud recentes occurrat auctoritas, tamen nullum dubium esse posse existimo. Quod vero me tenaciorem certioremque in opinione mea facit, sunt observationes quædam meæ, quæ mecum concurrunt in eandem sententiam.

Porticus exstructi fuerunt.

Et primo quidem observo, præcedentibus sæculis solitas fuisse exstrui Porticus publicas, quæ appellabantur *Seggi*, proxime Urbis portas magis quidem quam alio in loco. Noto insuper cives juxta pluralitatem istarum Porticum, quæ *Seggi* dicebantur, distinctos fuisse, multis in Urbibus, in tantundem pro illarum numero Tribus, ita ut singulis Porticibus Tribus sui adjudicarentur, qui ibidem in proximo habitabant, qui quidem usus non aliam, ut existimo, originem habuit, nisi quod isto more custodiri *Portæ* solitæ fuerint, atque Regiones distinctæ item fuerint pro numero *Portarum*, quod manifestum est.

Quod autem dixi de Porticibus, quæ *Seggi* appellabantur, non ita obscurum est, ut veritatem non in promptu mihi sit probare. Nam & *Neapoli* & aliis in Urbibus permultis cognoscere easdem adhuc est ex vestigiis vel appellationum, vel ruinarum ædificiorumque, quæ adhucdum juxta *Portas* suas observantur.

Nec minus verum est, pariter in principio nobiles ignobilesque Familias æqualiter, verum distincto ordine, comprehensas fuisse, ejusdem scilicet Regionis sub eadem Porticu seu *Seggio*, cum scilicet æqualiter omni dignitati atque ordini cura & custodia *Portæ* suæ incumberet. Ab ista vero istum in finem congregatione atque quotidiano cœtu deducenda est structura *Porticum*, quæ a voce *sedere* corrupte vulgo *Seggi* Lingua communi, *Latina* autem *Sediliæ* appellatæ fuere. Quæ quidem vox jam longo ante tempore fuit in usu, verum alio, quam nunc sensu, & genere fœminino, prout videre est ex *Libro* XII. *Codicis Theodosiani* ad *Legem* XII. *Titulo* XII. itidem ubi hoc modo ad *Apodemium Illyrico* Prætorio Præfectum scribunt Imperatores *Theodosius*, *Arcadius* & *Honorius*: *Si quod extraordinarium Concilium postulatur, cum vel ad nos est mittenda Legatio, vel Vestræ Sedili aliquid intimandum, id quod inter omnes communi Concilio tractatuque convenerit, minime in examen Cognitoris ordinarii perferatur.*

Quæ postea translata ad oblectamenti loca, denique in Nobilium collegia mutatæ sunt.

Credibile dehinc est, quod ditiores postea, qui exercitiis manuum & diurno (illi autem Nobiles erant) victum quærere necesse non habebant, ista loca elegerint, ut cum graviora non curarent negotia, illuc oblectamenti gratia convenirent, atque ita ibidem collegia sua ab humili vulgo semota stabiliverunt. Qui quidem simili distinctione Regionum atque *Seggiorum*, ad quæcunque oblectamenta animi convenire solebant in similibus talibus locis. Cujus quidem moris accommodatissimum exstat exemplum apud *Boccacium* in *Novella Guidonis Cavalcanti*, qui notat in Urbe sua inter alios usus, ob avaritiam postea abolitos, & hunc fuisse, ut diversis in locis *Florentiæ* convenirent Regionis suæ Nobiles, atque certo quodam ac definito numero constantem cœtum efficerent, talibus electis, qui sumptus sufferre possent: invitabat enim cœtum universum suo quisque die atque ordine per circuitum, exceptis etiam sæpenumero ista lætitia Nobilibus peregrinis, quos fors illuc detulerat, ut & civibus ipsis.

Et sane cœtus isti in communibus atque apertis locis præteritis sæculis adeo fuere frequentes, ut & Matronæ nobiles atque in ipsa Urbe honoratæ, præter viros etiam consueverint in publica via convenire in Ædium suarum *Portis* die-

diebus festis, prout addiscimus ex eodem *Boccacio*, in *Novella* Magistri *Alberti*, ubi agens de re quadam, quæ *Bononiæ* acciderat, ita inquit: *Festo quodam die accidit, ut matrona quædam una cum multis aliis sederet ante Portam suam, quæ quum e longinquo Magistrum Albertum esset conspicata ad se venientem, simul cum cunctis illis ad excipiendum illum sese præparavit.*

Licet in quibusdam Urbibus paria Portis suis & Regionibus vestigia Seggiorum jam non inveniantur.

Verum quoniam in quibusdam civitatibus, quæ multis instructæ sunt *Portis*, tamen pro illarum numero *Seggiorum* non apparent vestigia, id mutationis prioris usus, quem obtinuerunt est tribuendum, qui quidem in initio erat, ut ibidem, prout diximus, de communibus cujuscunque Regionis tractarent negotiis, atque pariter sese ibidem oblectarent Nobiliores otii tempore. Cum vero postea inoleverit ista vetus *Portarum* custodiendi consuetudo, pariter & cura illarum conservandarum in integritate sua abjecta fuit. Cui adjungi potest, quod in restauratione murorum Urbis, quæ variis casibus plus seculi unius cursu evenerunt, primus iste *Portarum* situs commutatus sæpe fuerit, quo pacto *Seggii* isti disjuncti jam, & inveterato usu inutiles sunt redditi. Ita quidem *Capuæ* quatuor exstitere *Portæ*, primo quidem custodiæ Urbis, dein & Nobiliorum Collegiis deputatæ, ubi itidem debuere esse totidem *Seggii*, & tamen non levis illorum jam exstat memoria. Distinctio & numerositas illorum forsitan inutilis visa est in Urbe una tot scilicet conservare, quæ tempore Regis *Ladislai* atque Reginæ *Joannæ II.* ob pestis atque belli calamitates ex tam numerosa civium multitudine exiguam valde turbam habuerit reliquam, ita ut jam unum modo reliquum habeat *Seggium*, quod secundum communem aliarum istius Regni Civitatum usum, Collegium est Familiarum Nobilium. Neque Porticus ejus est apud aliquam ex *Portis*, aut mœniis Urbis, quæ ultimo hoc sæculo bis locum mutarunt, verum quasi in centro suo jacet, de qua, ut & de vetustate nobilis Familiæ *Capuanæ* in unum corpus a cætero populo distinctæ, atque collecta, meliori alias opportunitate acturi sumus, ostendentes Urbem hanc tam hoc quam multis aliis argumentis haud minorem (ut modeste dicam) exstitisse unquam dignitate ulla ejusdem Regni Civitate.

Certum tamen est satis frequenter juxta Portas *fuisse exstructas Porticus, vel* Seggia.

Verum si propter crebras *Capuæ* calamitates atque devastationes, & totidem per consequens murorum restaurationes & *Portarum* permutationes, necessario sequatur quod veritas ista probari non possit, juxta *Portas* fuisse *Seggia* sua, ut nec illorum numerus possit evinci; ostendi tamen res potest in aliis Civitatibus, quæ calamitates tales aut nunquam subiere, aut non tali tempore, quo *Seggia* istarum in Nobilium Collegia transmutatæ fuerunt, quæ istam itaque distinctionem majore cura, atque sollicita ambitione conservarunt. Observare id præsertim *Neapoli* est, quæ jam ab aliquot sæculis, Metropolis Regni hujus, insigniter floruit, isto etiam tempore, quo permutatio ista prioris usus *Seggiorum* accidit, aliaque successit ratio & usus, qui etiam hodieque obtinet. Qua ratione quædam ex Urbis istius *Seggiis* una cum cœtu Nobilium atque ædificiorum structura conservata sunt, & cum magnifico splendore integra visuntur. Licet tamen & ipsa temporis injuriam omnino effugere nequiverint, quandoquidem minor quam olim jam illorum est Numerus.

Sed & insuper ea quæ dixi confirmare possum exemplis aliarum Civitatum, quæ jam & ipsa *Capua* duriorem expertæ sunt conditionem,

A quæque quoquo modo dirutæ, & quasi amissis incolis inhabitatæ, etiamnum per murorum suorum, *Portarum*, *Seggiorum*, quæ cuncta reparata haud sunt, ruinas, neque enim locum mutarunt, clarissima præbent indicia istius vetusti moris, quem persecuti jam sumus. Exemplo sint *Calvi* & *Caserta*, in quibus oppidis *Seggia* earum juxta *Portas* visuntur, neque *Portarum* numerum superant, ita ut cum utrique oppido una tantum fuerit *Porta*, ita modo unum ibidem appareat *Seggium*. *Puteolis* etiam, urbe condita in rupe haud magna, quæque ideo nunquam ambitum murorum suorum amisit seu potius B permutavit, unum etiamnum *Seggium* juxta *Portam* suam observatur, quæ itaque apparet pariter fuisse unica, quod satis bene confirmatur ex usu custodiendi Civitatem jam a me descripto.

Nihil tamen vetat quominus & tria ista modo nominata Oppida in multas Regiones potuerint dividi, neque ego dixi Regiones *Portas* fuisse appellatas pro usu parvarum Civitatum, qui unam modo habebant *Portam*, verum illarum, quibus multæ erant. Ut nec pariter obest mihi, quod in quibusdam minoribus hujus Regni Civitatibus, quæ opportunitate exitus C multis gauderet *Portis*, adeoque ex veteri custodiæ ritu multa *Seggia* habere deberent, nunc modo unum tale ostendant *Seggium* seu Nobilium Familiarum Collegium, quoniam res ipsa satis superque docet multiplicata ejusmodi Collegia in parva Urbe, ubi minutus Nobilium est numerus, plane esse supervacanea.

Consuetudinem hanc ab Hebræis *desumpsisse videntur* Longobardi.

Verum dissimulare nequeo, usum istum, quo custodia *Portarum* istis impendebat civibus, qui in proximo habitabant, unde magis nova ista altera, de qua modo egimus, consuetudo, nata est, introductum mihi videri a *Longobardis*, qui in *Italia* dominati sunt. Qui istam ab *Hebræis* D hauserunt (ut puto) consuetudinem, a quibus & plura in forma judiciorum, pœnarum, aliarumque rerum, mutuati sunt.

Si quis vero fidem hujus rei a me desideret, facile possum satisfacere, atque demonstrare hanc jam consuetudinem antiquissimis temporibus apud *Hebræos* obtinuisse, idque verbis *Ezechielis*, quæ inveniuntur *Capite* ejus Vaticiniorum XLVIII. ubi formam, quam in Visione sua vidit, describit, secundum quam disponi debebant duodecim Tribus, secundum suas singuli *Portas*, post Gentis ex *Babylone* reditum. *Hæc est terra* (quæ ejus sunt verba) *quam mittetis in* E *sortem Tribubus Israël, & hæ partitiones earum, ait Dominus Deus; & hi egressus Civitatis. A plaga Septentrionali quingentos & quatuor millia mensurabis, & Portæ Civitatis omnibus Tribubus Israël. Portæ tres a Septentrione. Porta Ruben una, Porta Juda una, Porta Levi una. Et ad Plagam Orientalem quingentos & quatuor millia, & Portæ tres: Porta Joseph una, Porta Benjamin una, Porta Dan una* &c. Atque eodem modo pergit, assignans tres alteras a Meridie, atque etiam tres ab Occidente, suæ cuique Tribui. Unde apparet *Longobardos* istam *Hierosolymarum* accepisse reædificationem eo F sensu quem *Theodoretus* approbat, qui non de cœlesti civitate cum *S. Hieronymo* aliisque capit, sed de terrena: secundum enim ista *Ezechielis* verba (quæ ita ad literam capit) opinatur universas duodecim Tribus, postquam *Hierosolymas* restaurarunt, in ista habitaturas Metropoli communi.

Ubi ad publica conveniebant negotia.

Quod vero ad reliquos usus pertinet & consuetudines, quas ab *Hebræis* antiqui illi terræ nostræ domini mutuati sunt, apparet & apud eos-

eosdem illos *Hebræos* frequentissime in *Portis* populum fuisse congregatum, atque ibidem consedisse Reges, prout videri potest ex *Libro* II. *Samuelis cap.* XIX. & *Jeremiæ cap.* XXXVIII.

Totum vero id, utpote istius ævi communem consuetudinem & Gentes imitatæ sunt, unde & *Priamum* observo apud *Homerum Iliad. III.* una cum multis ex præstantioribus *Trojanis* sedentem in *Porta Schea*, eadem pariter ratione. Adeoque illis in locis, utpote maxime frequentatis, judicia exercebantur, qua re vix quid magis notum in *Sacris Scriptoribus* occurrit.

Haud equidem nescio quid *S. Hieronymus* ad *Zachariæ Caput* VIII. ut & sæpe alibi, inquirens, qua occasione hæc introducta fuerit, de hac consuetudine sentiat, scribens hoc modo: *Ne cogerentur agricolæ intrare Urbes, & aliquod subire dispendium, Judices in Portis residebant; & ut tam urbanos, quam rusticos, & in exitu, & in introitu Urbis audirent, & finito negotio unusquisque confestim ad sedes proprias reverterentur.* Verum tanti Doctoris auctoritati, ut & multorum, qui illum sunt secuti, nullo modo refragari meam credo sententiam, ut nec aliis quibusdam rationibus, quæ in medium possent produci, atque hic notare jam nihil attinet.

Regiones etiam & Tribus nomine Portarum, *venere.*

Apud *Hebræos* insuper vox *Portæ* indifferenter usurpata fuit in significatu Regionis atque Tribus, cujus quidem haud desunt exempla in eadem *Sacra Scriptura* clarissima. Ita *Esaiæ cap.* III. legitur: *& mœrebunt atque lugebunt Portæ ejus.* Item apud eundem *cap.* XXIV. *Relicta est in Urbe solitudo, & calamitas opprimet Portas.* Quibus in locis sensus vocis non magis huic quam illi convenit, cum etiam non raro in iisdem *Libris*, non Tribum neque Populum, verum Regionem etiam significet, prout in *Genesi cap.* XXII. *Possidebit semen tuum Portas inimicorum suorum.* Ubi LXX. *Interpretes*, qui vertunt per *Urbes*, meis dictis haud repugnant, quoniam id quod de variis Regionibus atque Viciniis una Urbe comprehensis usurpatur, facile applicari & transferri potest ad varias Urbes, quæ simul collectæ, unam Rempublicam seu Regnum aut Principatum efficiunt.

Denique & ipse militaris exercitus ex Tribubus & viciniis collectus, ita dictus est.

Sed & denique hac voce militaris acies atque exercitus peculiariter insignitus fuit, qui scilicet ex Tribubus singulis eligebatur atque collectus in aciem exibat, atque ita proportionatim omnis manus collecta. Atque hinc, ut puto, interpretari illa *Deboræ* verba possunt in *Cantico* ejus, quod exstat *Judicum Libro cap.* V. *Nova bella elegit Dominus, & Portas hostium ipse subvertit.* Ut & paullo post: *Descendit Populus Domini ad Portas, & obtinuit Principatum.* Quo sensu & *Servatoris* nostri dictum ad *Petrum* potest accipi, apud *Matthæum cap.* XVI. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & Portæ Inferi non prævalebunt adversus eam.* Ubi ad literam per *Portas* istas *Inferni* denotari videntur infernales copiæ, atque Dæmonum impetus contra militantem *Ecclesiam Catholicam*, cujus quidem censuræ & hæ animadversiones meæ, & quæcunque alias scripsi, humili atque devoto animo subjecta sint.

CAMILLI PEREGRINII
Alexandri Filii,
DISSERTATIO
DE ORIGINE ANTIQUÆ FAMILIÆ
DI COLIMENTA.

ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO
FRANCISCO BARILE
DUCI CAIVANI, &c. &c.

Rem gratam facturum me puto, si vulgavero typis hanc Dissertationem, quam ante triennium in gratiam V. E. composuit Auctor, quæ ab illo jam tempore communicata cum multis Antiquitatis Neapoli *Professoribus literatis, illis haud displicuit. Unde & EXCELLENTIA VESTRA tanto magis inde rescire potest atque concludere, quid reliqui*

qui de ea Viri Literati senserint, neque eidem E. V. displicere, si & omnes pariter publice rescicant sententiam quæ in eadem defenditur, ab illis prius quam ab aliis sub examen revocatam. Ex qua lectione vir per sese acris sane judicii, tantum addidicit, ut in iisdem diebus illis, in editione pariter ejusdem Urbis, a priori sua recesserit sententia, quamvis verbis tale factum haud expresserit. Cujus quidem veritatis ipsius E. V. advoco testimonium, cui memet reverenter inclino.

Neapoli XI. Aprilis. Anno MDCXLIII.

E. V. Devotus Servus

FRANCISCUS ORIGLIA.

CAMILLI PEREGRINII,

Alexandri Filii,

DISSERTATIO DE ORIGINE ANTIQUÆ FAMILIÆ DI COLIMENTA.

Familia hæc pro varia nominis pronunciatione varie scribebatur.

ANtiquæ Familiæ, *Di Colimenta* dictæ, hæc legitur memoria in *Calendario Mortis*, scripto in Pergameno, quod est in nobili Monasterio Ecclesiæ *S. Mariæ delle Monache* exstructum rursus *Capuæ*, ubi nunc est secundum testimonium *Leonis* Cardinalis *Ostiensis Chronici* sui *Libro* II. *cap.* 2. a tempore jam Abbatis *Cassinensis Aligerni*, Principumque *Longobardorum*, *Pandulfo*, qui *Capodiferro* cognominabatur, atque *Landulfo* filio ejusdem, id est, intra Annum Christi CMLXIX. & CMLXXXI.

III. *Non. Febr. Domina Petrucia de Colimenta.*
VII. *Kal. April. Dominus Todinus Colimentanus.*
V. *Kal. Jun. Dominus Beraldus Colimentanus.*
Nonis. Aug. Domina Gaitelgrima Collemente.
VII. *Id. Aug. Domina Mathia de Colimenta, Venerabilis Abbatissa Caleni.*
II. *Kal. Sept. Lavenia de Colimenta M.*
III. *Kal. Octob. Philippa de Colimenta.*

Memoratur etiam *Rainaldus* quidam *Colimentanus* in Memoriis Antiquis aliis, qui Abbas *Cassinensis* fuit, & Cardinalis tempore Pontificis Summi *Innocentii II.* licet *Petrus Diaconus* in Cœnobii sui *Chronico libro* IV. *cap.* CIV. ubi de illo agit, ipsum vocet *Calamentanum*, non vero *Colimentanum* vel *Colementanum*, prout *Todinus* atque *Beraldus* in *Calendario* isto Familiam eandem efferunt. Verum id vel erratum est Descriptoris istius *Chronici*, vel Editoris, vel potius, ut puto, natum ex varia apud vulgus nominis prolatione, quod inde variis modis in *Calendario* isto scriptum invenitur.

Quæ ab Antiquis Marsorum Comitibus descendit.

Quomodocunque se res ista habeat, satis tamen certum mihi videtur, Familiam istam ab Antiquis *Marsorum* Comitibus habere originem, quod firmiter idem adstruit *Petrus*, verum verbis paullulum obscuris atque involutis. *Capite* enim nominato isto CIV. aliisque sequentibus, narrat, quod quum e vita excessisset Abbas *Cassinensis* nomine *Senioretus*, atque de Successore illi dando inter Monachos ageretur, pars illorum *Rainaldum Colimentanum* voluerit, pars vero alterum quendam *Rainaldum Hetruriensem*, seu *Tuscum*, alterum vero ex illis, quum dignitatem istam atque Monasterium, non sine contradictione alterius, occupasset, recurrisse ad favorem Ministrorum *Rogerii* Regis, cujus ipse partibus ut & *Anacleti* Antipapæ erat addictus, ut pote ejus Subdiaconus, subjungit dein, fautores alterius *Rainaldi*, qui exclusus erat, eodem tempore literas misisse ad Imperatorem *Lotharium II.* significantes illegitimam usurpatoris electionem atque seditiosam, paucis vero dein mensibus schismaticum istum Abbatem a Papa *Innocento II.* depositum honore fuisse, electumque, qui Imperatoris fovebat partes, *Guibaldum*, qui paucis interjectis diebus honori renunciavit voluntarie, post quem unanimiter electus fuit *Rainaldus*, qui ex stirpe erat Comitum *Marsorum*.

Hoc igitur, quum totius rei sit contentum, quod multis *Capitulis* Auctor persequitur nominatus, persuadeo mihi, quod *Rainaldus* ille, qui interveniente schismate Abbatiam non obtinuit, fuerit ille *Colimentanus*, atque idem adeo *Rainaldus*, qui dein post renunciationem *Guibaldi* electus, descendisse dicitur de stirpe istorum Comitum *Marsorum*.

Cui quidem meæ sententiæ adversaturos multos existimo, qui hanc in manus accepturi sunt Dissertationem, prout pariter multi recentes & graves Scriptores diversam a mea protulerint sententiam super illa *Petri* verba, alii quidem

decepti prima Libri istius Editione, quæ non satis ex fide Auctoris expressit verba, alii vero, licet jam emendatior secunda exiisset Editio, a prioribus decepti, iis credentes. Cardinalis enim *Baronius* in *Annalibus suis Ecclesiasticis*, ad Annum MCXXXVI. *Arnaldus Uvionus Libro* II. Partis I. *de Ligno Vitæ*, *Lauretus* in *Postilla Marginali* ad *Caput* illud CIV. *Libri* IV. *Chronici Cassinensis*, atque in *Catalogo Abbatum* Cœnobii istius, & denique *Marcus Antonius Scipio* in eorundem *Abbatum Elogiis*, omnes quidem credidere, istum *Rainaldum*, qui in ipso schismate prævaluit, atque *Anacleti* fuit Subdiaconus atque fautor, postea vero gradu deturbatus a Pontifice *Innocentio*, ipsum illum *Colimentanum* fuisse, non vero *Hetruscum*. Licet autem in eo omnes consentiant, tamen discrepant in cæteris, quum quidam existiment *Hetruscum* illum rursus post *Guibaldum* electum fuisse, ita ut illi stirpem Comitum *Marsorum* vindicent, alii vero de illo ne verbum quidem dicentes, modo notent *Hetruscum* illum Schismaticum non permansisse Abbatem.

Licet verba ejus diversimode a diversis accipiantur.

Verum quod pace cunctorum dixerim, certum esse credo utrumque ab illis *Rainaldum* confundi, atque quosdam deceptos esse falsa lectione, alios autem licet meliori usi sint, tamen hallucinatos fuisse ob obscura & adhucdum male distincta *Petri* verba, qui *Capite* isto CIV. ubi narravit, quod post diversas istas duorum *Rainaldorum* electiones, Cœnobii Priores, id est, qui reliquis præsunt Monachis, proposuerint rem in isto relinquere statu, ut ita neque Regem *Rogerium*, neque Pontificem *Innocentium* offenderent, hæc dein profert verba: *Sed cum ad hoc alteram partem flectere nullo modo possent (contradicentibus & renuentibus aliis, qui supradictum Rainaldum Calamentanum eligere disposuerant) eundem Rainaldum apprehendentes, in Patris Benedicti Cathedram illum locantes, sibi in Abbatem constituunt.* Hisce ita verbis *eundem Rainaldum apprehendentes*, intelligens *Hetruscum* illum. Illum vero *Rainaldum Colimentanum* (de quo paulo ante agebatur in parenthesi ista, quam neglexere prioris Editionis Editores una cum aliis, qui hinc non Auctoris illa, sed pro arbitrio suo hæc posuere verba, *Rainaldum Colimentanum fautores sui raptum in P. Benedicti sede constituunt*) credidere seditiose electum fuisse Abbatem, & per consequens Subdiaconum *Anacleti*, adeoque depositum deinde ab *Innocentio*, per ista verba etiam denotantes *Rainaldum Thuscum*, cujus modo nomen adduxit in continuatione textus *Petrus Cassinensis*.

At vero minus recte.

Et certe si inter eos, qui credidere *Colimentanum* fuisse Abbatem illum schismatice electum, nonnulli ejus sunt opinionis, prout sunt, ut statuant *Rainaldum*, istum exclusum postea Abbatiam obtinuisse denuo post *Guibaldi* renunciationem, illi sese ita opponentes aliis, qui in hac sententia non sunt, ea in parte ostendunt nostræ favere, quum & nos affirmemus illum qui *Guibaldo* successerit *Colimentanum*, fuisse exclusum illum. Neque pro reliquo mirum videtur mihi, recessisse eosdem a priori, jam ab aliis divulgata opinione, neque simul omnes in ista consensisse permutatione, quoniam nullum omnino in istis *Petri* verbis est indicium, quo credi queat exclusum istum *Rainaldum* rursus postea fuisse electum, nisi concedatur *de Colimentano* intelligendum, de quo *Chronici* Auctor dicit, *Qui post Abbas exstitit*.

Quorum nonnulli non plane a sententia nostra discedunt. Qui & rem totam prout est scire potuissent.

Et sane *Petrum* sibi ipsi constare satis constat ex verbis ejus modo adductis, quæ integrè sic leguntur, ubi de Monachorum schismate loquitur: *Una quidem pars elegit Rainaldum Calamentanum, qui post Abbas exstitit.* Hæc enim vera esse nequeunt, nisi *Colimentanus* idem fuerit *Rainaldus*, qui ex stirpe Comitum *Marsorum* fuisse perhibetur, quique *Guibaldo* successit. Neque enim Auctoris istius tempore alius *Rainaldus* exstitit Abbas *Cassinensis*, post schisma illud, nisi *Marsus* ille stirpe, qui sane fuit idem, cui suum *Chronicum* hoc idem, in quo de illo loquitur, dedicavit.

Ex eadem Petri narratione.

Animadverto autem facile, illos, qui alterius sunt opinionis, per ista verba, *Qui post Abbas exstitit*, intellexisse *Colimentanum* ex duobus *Rainaldis* illum fuisse, qui in discordiis Abbas remansit: verum & animadvertere debuerant quantocyus, *Colimentanum* istum non tum quidem in ipso schismate, sed *post* Abbatiam obtinuisse, alia occasione, prout illud *post* interpretari decet. Et sane quo pacto ista ratione illum schismaticum fuisse demonstrare potest, quem (quoties ejus meminit) *electum* semper, ut ab hoc discernatur, appellat, prout sane conveniebat, postquam non amplius erat in ipsa possessione Abbatiæ, neque in ea confirmatus aut consecratus?

Qui in alium sensum torqueri nequit.

Verum ad removendum omne quod de illo remanere possit dubium, jam satis grave & antiquum producam testimonium, seu potius interpretem *Petri*, qui quidem est *Chronici Cassinensis*, qui post illum scripsit, Auctor, qui, quoniam ignoratur nomen, passim *Anonymus* audit. Hic breviter Abbatum istorum describens successiones, claris verbis *Rainaldum Hetruscum* collocat post *Senioretum*, dicitque illum postea depositum fuisse, atque in ejus locum subrogatum *Guibaldum*, post quem alter secutus est *Rainaldus*. Verba ejus sunt ad Annum MCXXXVI. *Obiit Senioretus Abbas. Rainaldus Tuscus fit Abbas.* Est postea: *Rainaldus hujus loci electus deponitur. Guibaldus ordinatur, qui post* XLIV. *dies recedit. Rainaldus fit Abbas.*

Neque aliter fuit intellectus ab Anonymo Cassinensi in Codice edito.

Cognoscimus itaque hinc *Rainaldum Tuscum* Abbatem esse schismaticum, *Senioreti* successorem, atque dein depositum; adeoque *Colimentanum* esse *Rainaldum* illum exclusum, qui, ut diximus, post *Guibaldum* Abbas factus est, adeoque natum ex stirpe Comitum *Marsorum*.

Sed & idem sine ulla ambiguitate & plus evidenter idem *Anonymus Chronici* Scriptor dicit ad illum locum, qui si quæratur, inveniri potest in *Codicibus* MSS. qui sunt in *Bibliotheca Cassinensi Num.* XLVII. *Guibaldus moritur, qui* &c. *Rainaldus Colim. fit Abbas.* Et in altero, signato *Num.* CXCIX. *Guibaldus ordinatur*, &c. *Rainaldus Colemt. fit Abbas.* Quod cognomen *Rainaldo* adjunctum, atque varie, nunc *Colim.* nunc *Colemt.* ibidem scriptum, integre scribitur *Colimentanus*, sine magna interpretationis difficultate, aut alias *Calamentanus*, prout idem *Rainaldus* appellatur in Codicibus editis *Petri Cassinensis*.

Et adhuc clarius in duobus suis Codicibus MSS.

Scio & objici mihi posse ab illis qui tot illorum, qui alias opinantur, sequuntur sententiam, aliterque Scriptoris verba capiunt, *Petrum* in prima *Rainaldi* mentione, si quidem is ex stirpe fuisset Comitum *Marsorum*, jam tum illud, non vero postea declaraturum fuisse.

Objectio prima contra sententiam nostram.

Sed & pariter, quod *Colimentano* isti non omnes in electione assenserint Monachi, post mortem *Senioreti*, prout postea unanimiter fecerunt Abbati novo ex *Marsorum* stirpe post renunciationem *Guibaldi*, adeoque non pro uno eodemque sed duos debere statui *Rainaldos* diversos, pro diversis Monachorum votis.

Objectio secunda.

Verum ego nullius opinioni, cui alia blandiantur argumenta atque persuasiones, vim faciens,

Facile respondetur primæ.

ciens, teneor respondere illorum argumentis secundum morem in Dissertationibus usitatum. Dico itaque *Petrum*, prima occasione mentionis istius *Colimentani*, nobilem ejusdem stirpem non memorasse, quoniam quidem iste non tum, verum, (ut ejus verbis ipsis utar) *post Abbas exstitit*. Quæ quidem ejus, ut & *Leonis Ostiensis* etiam, qui ad sua tempora *Chronicon* perduxit, est consuetudo, tum statum atque conditionem celebrare Abbatum, quando de illorum scribunt electione, cum jam in tali constituti dignitate, non vero alias, ad Cœnobium pertineant, prout facile in eodem *Chronico* observare est.

Ut & secunda.

Quod si prima ista vice paucorum vota obtinuit iste Colimentanus dein vero cunctorum, istud incrementum attribuendum est competitoris, qui depositus est, eversioni, atque rerum permutationi, quæ in Monasterio isto contigit auctoribus Pontifice *Innocentio* & Imperatore *Lothario*, quibus isto magis tempore obediebatur quam aut Regi *Rogerio*, aut Antipapæ *Anacleto*, prout colligi potest ex rebus quæ isto temporis intervallo acciderunt in Monasterio, atque a *Petro* describuntur, qui insuper *cap.* CVII. de *Rainaldi*, in schismate exclusi, agens fautoribus, non alia ratione dixit illos lætatos fuisse ob angustias quibus Electus ille Schismaticus postea premebatur, scribens: *Lætabantur, sperantes, meliora sibi rerum mutatione ventura, quod postea rei probavit eventus*, quum scilicet deposito Electo isto, *Guibaldus*, & dein *Colimentanus*, cui favebant, ad honorem istum pervenere.

Nova movetur difficultas.

Verum simplicioribus gravis adhuc nasci poterit difficultas ex *Chronico* Fratris *Maraldi*, cujus pars quædam edita jam legitur in Libro de *Majestate Panormi*, descripta a *Francisco Baronio* & *Manfredo*, continens enumerationem Illustrium virorum, qui interfuere Coronationi Regis *Rogerii*. Ibi enim inter alios occurrit *Rainaldi Colimentani* nomen corrupte hoc pacto scriptum *Rainaldus Celomontarius*, *Abbas Cassinensis*. Jam vero clara res est, Regem istum fuisse coronatum antequam Abbas *Guibaldus* jam foret electus, atque dein idem renunciasset. Unde forsan quis concludet, *Rainaldum*, cui *Guibaldus* successit, fuisse *Colimentanum*, non vero *Tuscum*, qui itaque & ille fuerit depositus, alterum vero *Rainaldum*, qui e stirpe memoratur fuisse *Marsorum* Comitum.

Quæ & removetur.

Verum facillime, ut opinor, ista removeri potest difficultas. *Rainaldus* enim, iste *Colimentanus* credi debet ob illustre suum stemma atque alia merita in magno fuisse jam tum honore, antequam ad Abbatiam istam adspiraret, vivente etiamnum Abbate, *Senioreto*, qui pariter cum illo enumeratur a Fratre *Maraldo*, nomine quidem non proprio, verum dignitatis, qui in tanta solennitate vice Cœnobii sui illic convenire debuit. Manifesta autem est res Coronationem illam non accidisse post Annum MCXXX. *Senioretum* vero fuisse mortuum Anno MCCXXXVI. seu ut supputo ipse Anno MCXXXVII. Ibi certe inter Prælatos Ecclesiasticos, qualis nondum erat, locum occupat *Rainaldus*. Inter illos autem haud numeraturum illum fuisse *Maraldum* existimo, nisi honoribus ejus atque natalibus hunc honorem exhibitum fuisse nos docere voluisset.

Atque hæc sine dubio mens fuit Scriptoris istius *Chronici* (quæcunque illi in aliis fides sit habenda) cum quo etiam interpunctio ista quam fieri debere docuimus in Codicibus editis, apprime convenit.

Nullo modo sententia nostra Cardinalis Baronii adversantur verba.

Neque mihi objiciat quis tempore isto quo coronatus fuit *Rogerius*, non *Senioretum*, verum *Rainaldum* fuisse Abbatem, idque ex auctoritate scilicet Cardinalis *Baronii*, qui illud expressis verbis confirmet in *Annalibus* suis ad Annum MCXXX. hæc scribens: *Sed & Cassinenses Monachi cum ipsorum Abbate Rainaldo fœdere juncti sunt eidem Rogerio adversus Innocentium legitimum S. E. R. Pontificem, quem exsecrationibus plurimis devoverunt, Anacletumque Pseudopapam sacrilege susceperunt, prout constat ex concertatione cum eis postea habita coram Innocentio Papa, & Lothario Imperatore a Petro Diacono conscripta.*

Verum sane apparet accuratissimumm istum Scriptorem isto in loco enumerare omnes istos qui vel citius vel serius Antipapæ isti adhæserunt, inter quos non isto quidem anno, sed aliquanto tardius & fuit electus iste Abbas Cassinensis *Rainaldus Tuscus*, qui *Baronius* itaque in confirmationem ejus quod scribit, citat concertationem quæ habita fuisse a schismatico isto Abbate scribitur a *Petro Cassinensi*. Nam sane cognitum maxime habuit tempus, quo *Senioretus* obiit, quod scilicet aliquantum post coronationem *Rogerii* atque electionem *Anacleti* fuit, prout comprehendi potest ex illis quæ idem scripsit ad Annum MCXXXVI. ubi agnoscit defuncto isti Abbati in successorem esse datum eodem tempore *Rainaldum*, quem ipse quidem erronee *Colimentanum* esse putat, ut se in sequentibus explicat. Namque, ut verum fateamur, apparet certe errore ipsum plane intellexisse *Rainaldum* schismaticum Anno prædicto MCXXX. fuisse jam Abbatem, cum tamen pro certo sciamus, fuisse tunc adhuc *Senioretum*, de quo quidem, certe in *Chronico Cassinensi* talis error non legitur. Atque adeo de hoc, qui Anno MCXXXVI. mortuus est dicere deberemus, siquidem commutationem numeri a *Baronio* facti admitteremus, illum per sex continuos Annos schismati adhæsisse, prout jam ante fecit *Sigonius Libro* II. *de Reg. Ital.*

Vera denique credi ex aliis indiciis potest sententia nostra.

Sed amabo, quo pacto dicere possumus, *Tuscum Rainaldum* eundem esse cum *Marsico*, quod credidit *Lauretus* & *Scipio*? nimis est enim notum *Tusciam* semper sumptam pro ampla illa regione, quæ extendit sese in longitudinem a *Tibure*, juxta littus Maris *Tyrrheni* usque ad *Liguriam*, hodie *il Genovesato*. Ast vero *Marsiam* ab eodem flumine magis recedere intus ad oram mediterraneam, variis, pro temporum varietate, confiniis. Certe cognosci ad oculum potest hæcce manifeste invicem repugnare.

Sed manifestum adhuc argumentum adduci potest pro *Colimentano*, quod is *Rainaldus* iste fuerit, qui descenderit ex stirpe Comitum *Marsorum*, ex consideratione verborum, quæ de eo scribit idem *Petrus Libro* IV. *Cap.* 3. *Hic itaque* (inquit) *nobilissimo Marsorum Comitum genere, in Valeria scilicet Provincia, sanguinis sui lineam ducens, tertio ætatis suæ lustro* &c. Si igitur hic natus in Provincia *Valeria* de Comitum *Marsorum* fuerit genere, is nullus alius fuit quam *Rainaldus* appellatus *di Colimento*, seu *Colimentanus*, quod Familiæ ejus nomen fuit. *Colimento* enim Castellum quoddam fuit, quod hodie, ut audio, appellatur *Colimezzo*, prope vetus *Furcone*, a quo dominio ramus iste seu linea ex stirpe Comitum *Marsorum* sine ullo dubio nomen est sortitus, debuitque fuisse pars integri illorum Dominatus, & olim comprehensa sub Provincia *Valeria*, qua & *Marsi* fuere comprehensi, prout docet *Paulus Diaconus* in *Historia Longobardorum cap.* 11. seu 20. *Libri* II. ubi scribit *Valeriam* fuisse decimam tertiam regionem *Italiæ*, atque intra fines suos compre-

 hen-

hendiſſe *Tibur*, *Carſeolos*, *Reate*, *Forcone*, *Amiternam*, *Marſos* & Lacum *Fucinum*.

Hujus autem Provinciæ cum non reperiam mentionem inter Antiquiores Scriptores, perſuadeor, cadente Imperio Romano, & confuſis omnino legibus atque uſibus prioribus, & conſimiliter cunctis aliis rebus, nomen illud ſortitam fuiſſe ab antiqua, quæ ſimiliter *Valeria* dicebatur, via, quæ a *Tibure*, nunc *Tivoli*, ducens ad Orientem per iſtam pergebat regionem verſus Mare *Adriaticum*, ſecundum deſcriptionem *Strabonis Libro* V. verbis quæ ex *Græco* verſa ita Latinè ſonant: *Valeria Via a Tibure incipit, ducitque in Marſos, & Corfinium, Pelignorum Metropolim.* Licet alias, ſecundum eundem *Paulum*, occidentalis *Valeriæ* pars olim ſub *Tuſcia* fuerit comprehenſa longe ante illius tempora, quod ſententiæ meæ nullo modo repugnat.

Quâ adhuc diſtinctius propoſita, gratum tamen faciet, qui veriora docebit.

Satis ample, ut puto, de hoc argumento cum diſſeruerim; nihil aliud addam, niſi *Colimentum* illud ad dominium pertinuiſſe Comitum *Marſorum*, atque Familiam Abbatis *Rainaldi Colimentani* ramum fuiſſe quodam tempore refixum a ſtirpe atque aliis ramis, qui deſcenderunt ab iſtis Comitibus, quod *Petrus Diaconus* in ultimis, quæ ex illo adduximus, verbis, mihi indigitaſſe videtur. Neque enim diſertis verbis dicit *Rainaldum* natum fuiſſe in *Marſia* ex ejus Comitibus, atque ideo ex directa illorum fuiſſe linea, ſed quod ex ſtirpe quadam ſeu genere in *Valeria* ſit ortus, ſub qua & *Marſia* comprehendebatur.

Quæ quidem ſtirps quam antiquæ atque Illuſtris fuerit nobilitatis, hoc in loco laudare non fert animus, verum addiſci partim poteſt ex illis, quæ notavit *Leo Oſtienſis Libro* I. *Cap.* 60. ſeu *ultimo*, quæ quidem ego relinquo accuratius ab aliis deſcribenda, ut eodem opere illuſtretur ab iiſdem, quomodo ab eadem Familia *di Colimento* ante CCCCL. circiter Annos orta ſit Familia *Barile*, ita dicta a Caſtello ejus nominis jam olim comprehenſo ſub dominio Caſtelli iſtius *Colimento*, ſeu, ut nunc dicitur, *Collemezzo*, quæ ſane apparet & veteribus & novis honoribus ſplendidiſſima.

Omittendum vero mihi viſum non eſt ſubnotare hic, ſi vel in totum, vel aliquatenus aberraſſe a vero viſus ſim in hac Diſſertatione, memet me ſubmittere cum voluptate illi a quo queam addiſcere.

NEAPOLI

Die Januarii XX Anno MDCXL.

INDEX VERBORUM ET RERUM MEMORABILIUM.

FINIS.

CAMILLI PEREGRINII,
Alexandri Filii, Campani,

DISSERTATIONES
DE
CAMPANIA FELICE.

Quibus continetur exacta singulorum priscæ Campaniæ Locorum ac Populorum descriptio, ac succincta historia, a primis, quibus cœpere temporibus, ad suam usque ætatem.

Opus varia eruditione refertum, in quo plurima veterum Scriptorum loca explicantur, illustrantur, & emendantur.

Nunc primum ex Italico in Latinum sermonem transtulit, & animadversionem adjecit

ALEXANDER DUKERUS.


In majorem, præter omnes emendationes accessionesque, illustrationem Geographicæ Tabulæ additæ sunt, atque Figuræ æneæ, nec non Auctoris Vita & Effigies, multaque alia, quæ Præfatio sequens omittit.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.

POLYBII INTERPRES LIB. III.

Ita natura comparatum eſt, ut ex toto multa præcipiat animus ad rerum particularium notitiam, & viciſſim multa a partibus ad totam ſcientiam.



ILLUSTRISSIMO MARCHIONI
D. BERETTI LANDI,
CATHOLICÆ MAJESTATIS
AD
POTENTISSIMOS CONFOEDERATI BELGII ORDINES
O R A T O R I,
UT ET

In CONVENTU CAMARACENSI, fundandæ PACIS EUROPEÆ gratia, PLENIPOTENTIARIO &c. &c. &c.

S. P. D.

P E T R U S V A N D E R Aa.

Sub tutela *Illustrissimi Nominis* Tui exit liber hic, aditum sibi facilem apud *Excellentiæ Tuæ Magnitudinem*, & benignas

aures, inter tot publicas curas & tanta negotia, pollicitus.

Prodit ab eo, qui longo jam abhinc tempore suspiciens *Magnitudinis Tuæ* decus & veram gloriam, circumspexit pariter omni tempore aptam occasionem, publice profitendi, quanta & qualia, promovendæ Reipublicæ Literariæ gratia, ab *Illustrissima Tua* Benignitate acceperit beneficia.

Sed & illis, magnis sane, & omnibus, qui elegantiorum Studiorum amore tenentur, exosculandis, plenissimus nuperrime accessit cumulus, liberali manu communicato *M. S. Codice* plane singulari & unico, inscripto *Æs Redivivum Canusinum*, Antiqua continente Monumenta Veteris Urbis *Canusii*, prope *Neapolim* effossa, & in dias luminis auras producta.

Hoc *Opus*, tam *Excellens*, cum splendidum *Thesauro Antiquitatum & Historiarum Italiæ* sit allaturum ornamentum, atque merito haud infimum occupaturum locum in ista, cui similem non vidit Orbis eruditus, præclara Librorum longe rarissimorum atque optimorum, nec nisi exquisita multorum annorum cura, & sumtibus haud parcis facta, Collatione, quæque non modo *Italiæ*, sed & *Neapolis*

&

& *Siciliæ* exactiſſimam continet, Novæ ſimul & Veteris, Deſcriptionem, & Antiquitates innumeras, quis non *Tuum Illuſtre Nomen*, ut veri Literarum & Literatorum *Mæcenatis*, meritis ad cœlum laudibus efferet?

Jam ego prolixam hanc *Excellentiæ Tuæ* Benevolentiam, multis, ſi par *Muneri Tuo* inveniri poſſet Oratio, ornarem, jam ego exiguum hoc, quod *Illuſtriſſimo Nomini Tuo* conſecratum volui, quibus poſſem verbis, ut gratitudinis meæ & voluntatis bonæ teſtimonium, commendarem. Verum aurem mihi vellit *Horatius*, atque admonet horum, quibus paullum immutatis *Magnitudinem Tuam* affari licet,

Cum tot ſuſtineas & tanta negotia ſolus,
Res REGIS lingua tuteris, moribus ornes,
Et nova jam ſubeas, in publica commoda peccem,
Si longo ſermone morer tua tempora, LANDI.

Tibi enim, poſt ſatis longam apud *Batavos* noſtros & glorioſam moram, ubi & publice & privatim omnes atque ſingulos demeruiſti, atque ab *Illuſtriſſimis* ſimul *Ordinibus*, atque Populo Univerſo, nactus es convenientem meritis tuis applauſum, invio-

 la-

labile dat testimonium, & publicum virtutis præmium, virtutum ille & ingeniorum verus æstimator *Rex Catholicus*.

Tibi enim inter tot probatæ fidei, sollertis ingenii, clarorum natalium Ministros & Legatos, *Tibi* inquam, Publicam *Europæ* Quietem promovendam *Rex Piissimus* in *Camaracensi* celebratissimo *Conventu* commisit.

Eat itaque *Illustrissima Tua Dignitas* felicibus auspiciis, revertatur peracta re maxima, quæ coronam *Capiti Tuo Sacro*, olivam *Europæ* populis, æternam laurum, & verum *Catholicæ Majestati* præbebit Triumphum.

INTER-

INTERPRES LECTORI
S. D.

En tibi, *Lector benevole, Camilli Peregrinii* Dissertationes de Campania Felice, *Latine redditas. Plurimum commendabat hunc librum, dum viveret, vir omni elogio major,* JOANNES GEORGIUS GRÆVIUS, *cujus vel solius judicio ille satis probari poterat eruditis. Et ne dicam Antonium Caracciolum, Petrum la Senam, Michaëlem Monacum, qui Peregrini nostri doctrinam & ingenii acumen satis magnifice extulerunt in suis libris; audiamus Nicolaum Toppium, qui in sua* Bibliotheca Neapolitana *hoc illi elogium adscripsit, ut diceret fuisse virum multæ solidæque eruditionis, scriptorem apertum verique amantem, & criticum percelebrem. Et est sane ille, si mihi quoque post tantos viros, quid sentiam, dicere licet, scriptor sincerus, nec minus diligentissimus, lectionis diffusæ, & in rebus abstrusis ac perplexis investigandis atque exponendis acutissimus. Multa ille recondita de Græcorum in Italiam migrationibus, & priscis Italiæ populis mare inferum versus colentibus ex obscura antiquitate & nimium sæpe diversis dubiisque veterum monumentis deprompsit: multos itidem priscorum juxta ac recentiorum scriptorum notavit errores & correxit: multa denique veterum loca intricata explicavit, obscura illustravit, corrupta restituit. Sed, ut fit, ubi in rebus abstrusis eruendis, aut ambiguis dijudicandis animus semel occupatus est una opinione, Peregrinus noster nimium aliquando conjecturis indulget, & in transversum agitur acuminis sui intentione. Hinc meo quidem judicio nonnunquam aliena interpretatione quædam veterum loca ad suam accommodare sententiam; aut aliquid ex illis eruere, quo nihil minus ipsi cogitaverant, cum hæc scriberent, est conatus, neque satis attendit semper ad illa, quæ in alteram partem dici poterant. Sed hoc quidem in tanta perplexarum rerum varietate nihil prorsus est mirum, nec reprehensionem meretur, cum potius gratiam debeamus illis, qui priscos auctores novis observationibus illustrare aut explicare student. Illud vero nollem ab auctore factum, ut priscos, juxta ac recentiores scriptores nonnunquam parum justa ratione notaret aut refelleret. Equidem ut vehementer eum laudo, quod posthabitis omnibus libere, quod sentiebat, exposuit, & alios refutavit ex aliis, qui meliora tradiderant, ita vellem cautius in hoc negotio egisset, maxime, quod ad veteres attinet, quos nemo sanus negaverit non minorem certe, ut modeste loquar, in scribendo adhibuisse curam & diligentiam, quam nunc fere fit. Neque vero ego illos ab omni reprehensione ac censura immunes esse debere contendo: homines fuerunt, nihilque ab iis humani fuit alienum: sed illud volo, magna hic circumspectione & judicio opus esse, nec temere eos accusandos, si probabili aliqua ratione defendi queant, maxime ubi de accuratione & judicio eorum res agitur. Satis profecto jacent literæ, & satis est hominum vanissimorum, qui non egere nos priscis scriptoribus blaterant, & suos suæ ætatis homines cum istis committere audent: ut jam non necesse habeamus nugatorum istorum proterviæ dicam, an insaniæ, velificari, & veteres notis importunis insectando apud alios etiam imperitiores in contemptum adducere. Itaque irascor nonnunquam Peregrino nostro, cum video eum hic non semper satis fuisse circumspectum, & sine causa reprehendisse aliquando priscos scriptores, ubi illud insuper habere poterat. Sed ita est:* quisque suos patimur manes. *Studium veri, & mens nimium intenta in opiniones illas, quibus cum maxime addicta erat, abripuit aliquando nostrum: humanum est, & excusationem meretur. Nec propterea ille sua laude fraudandus est illorum nomine, quæ nobis multo majore numero recte atque ingeniose exposuit, aut ex priscis ac recentioribus auctoribus juste notavit vel refutavit.*

Hæc de auctore: superest, ut de mei instituti ratione paucis te moneam, amice Lector. Indignum esse dicebat magnus GRÆVIUS, *hunc librum penes solos Ita-*

los,

los, eosque, qui Italice scirent, delitescere, neque ejus copiam fieri toti orbi literato. Nempe eo ventum est, ut, qui in literis aliquid præstare velit, illi jam non Græca tantum & Latina, sed Italica quoque, & Gallica, & Anglica lingua sit addiscenda, postquam sive vernaculi sermonis extollendi ac propagandi studio, sive ut in scribendo quam minimum sibi laboris ac molestiæ sumerent, sive quod libros suos etiam Latine nescientibus prodesse posse putarent, plurimi eruditorum suo quisque idiomate literas tractare, ac libros conscribere cœperunt. Queruntur hoc exteri, sed frustra: unde eo tandem res esse reditura videtur, ut sublato inter eruditos communis linguæ Latinæ commercio, sicut Græcæ literæ pridem sordere cœperunt, ita Latinæ quoque paulatim in desuetudinem ac contemptum abeant, atque ita ad pristinas denuo inscitiæ atque ignorantiæ tenebras, & ad incultam horridamque barbariem devolvamur. Sed auctor quidem noster hac nota indignus est, quia Dissertationes *hasce non tantum scribere voluit literatis, sed & popularibus suis indoctis, ut hinc ipsi priscam suæ urbis dignitatem ac potentiam intelligere possent. Neque tamen illæ invidendæ etiam erant exteris: ut adeo, cum Typographus, qui ea de re colloquutus fuerat cum doctissimo* GRÆVIO, *me conveniret, ageretque mecum de illis Latine vertendis, haud omnino invitus istum laborem susceperim. Nam cum de meo nihil ad publicum rei literariæ commodum conferre valerem, illa saltem non prorsus inutilis esse opera videbatur, ut aliorum præclara ingenii monumenta orbi erudito exponerem. Quo in negotio ita versatus sum, ut nihil prius aut antiquius habuerim, quam auctoris mentem assequi, eamque, quantum fieri per me potuit, Latine & perspicue exponere. Itaque posthabita auctoris enunciatione ac stylo, sensum duntaxat ejus Latine reddere satis habui: atque adeo longissimas sæpe periodos in tres quatuorve distinxi, ut legentibus, quantum fieri posset, obscuritatis nimiæque intentionis molestiam demerem. Quod si alicubi videbor obscurus, id non tam mihi, quam ipsi auctori, neque tam huic, quam argumento, quod pertractabat, est imputandum: cum & ipse in* Præfatione *ad Campanos suos obscuritatis suæ, quam dissimulare non poterat, istam non ineptam attulerit excusationem. Vernacula porro aut peregrina vocabula vel affinibus verbis Latinis, vel periphrasibus, non nimium, ut arbitror, obscuris aut alienis, efferre studui. Reliqua, ubi id fieri commode posse non videbatur, in textum admittere malui quam longis & ridiculis verborum ambagibus lectori negotium facessere, ut multa divinatione ipsi opus foret, quo me intelligere posset. Quod ad cetera attinet, multa scriptorum loca, quæ sive typothetarum incuria, sive quod auctor fuerit usus libris corruptis, erant vitiosa, inspectis melioribus editionibus in versione nostra correximus. Item illa, quæ auctor ad calcem libri rejecerat addenda aut notanda, suis quæque locis in textum inseruimus. Et de addendis quidem hoc omnimodo opus erat: de notis ita videbatur Typographo, cum & non omnino incongrue in ipsum textum recipi posse viderentur, & numero perpaucæ essent, nec propterea peculiarem ipsis locum assignare attineret. Denique etiam paucas aliquot animadversiunculas subjecimus, tum quæ legentibus ad facilitatem prodesse posse videbantur, tum alias, quæ sub manu nascebantur, & ab argumento auctoris non prorsus videbantur esse alienæ. Multo plurima quidem de rebus non vulgaribus excutienda & addenda supererant, sed ego hoc illis relinquendum esse censui, quibus eam in rem & plus doctrinæ, & plus otii superesset. Habent aliquid eruditi, in quo se exerceant: ego satis habeo illa adjecisse, quæ obiter notanda occurrebant, nec prætermittenda videbantur. Illud jam Te rogo, quisquis es æqui animi lector, ut me excusatum habeas, sicubi lapsus fuero, aut quædam forte repereris, quæ aut clarius, aut elegantius, aut magis Latine reddi poterant. Difficile sane ac molestum est munus interpretis, quantum non facile quis credat, nisi ipse expertus, & qui sciat, quid sit Latine scribere: ut neutiquam sit mirum in tanta rerum obscurarum varietate hominem aliquid humani pati. Neque enim ea vesania mentem meam invasit, ut me errorum expertem, atque omnibus ex*

æquo

æquo placere posse putem, & multo minus etiam, ut laureolam in mustaceo quærere, & inanem ex hac qualicunque opera captare laudem velim. Itaque bene mecum actum putabo, si non omnino displicuero eruditis, atque æquis rerum arbitris. Nam illos quidem delicatos ac fastidiosos, qui nihil, nisi quod ipsi faciunt, rectum putant, & quælibet aliena importuna morositate & censorio plane supercilio notant, vellicant, exagitant modis omnibus; istos inquam inficetos & miseros homines ego omnes unius æstimo assis. Vale, candide Lector, & nostrum hunc laborem æqui bonique consule.

VITA ET SCRIPTA AUCTORIS, ATQUE ELOGIA,

E CAPACII ELOGIIS ILLUSTRIUM VIRORUM.

Civitate, studio, moribus, religione Attendolus CAMILLUM PELLEGRINIUM habuit æqualem. Doctum sanè virum, Latinè, atque Italicè concinnè scribentem, ut sæpenumero in Poëtarum theatris primas habuerit acclamationes. Critico fuit in aliorum scriptis judicio. Novit Florentinorum Academia, cùm pro Torquato Tasso Ludovici Ariosti æmulo stetit in Dialogo de Epica Poësi Hostiliensium Principi dicato. Illum ex Attendoli Bibliotheca prodiisse multi arbitrati sunt, propterea quod ex iis, quæ cum Principe conferre consueverat, dialogum conscriptum non negat. Quid illud profanum pronunciant? An quicquam Camillo deerat, qui ex locuplete promptuario sua promere valeret? Multis respersa salibus in eam rem scripta Florentini edidere, scommatibus ejaculandis non longa verborum periodo peritissimi. Fortiori se Camillus obtexit clypeo, cui hærebant aliquando spicula, aliquando verò fracta victoriam victo condonabant. Ausus, conatusque viriles laudavit, atque sæpe timuit hostis acerrimus. Mors prœlium diremit. Pugnandum fuisset diutius, ut ea exercitatione acuerentur ingenia cùm veluti in trutinam doctissimorum hominum scripta expenderentur; quamobrem non tantum curæ Ludovico, & Torquato expoliendo, purgando, defendendo accesserat, quantum disceptationibus sublatis doctarum rerum gratiæ deperiisse animadvertimus.

PINTI.

PELLEGRINE, *tuus cinis*, *Camille*,
Urna clauditur hac. abi viator.
Auri plura petis dari? vetustæ
Urbis Trojugena Capy vocatæ
Bonus civis erat, *bonus Poëta*;
Vulturni Patrii decus fluenti,
Urbi floridulæ nitens Etruscæ
Arte, *& mirifico ingenî lepore*;
Tassi Pieridum patronus acer;
Docti Attendoli amicus & Camœnis.
Ne hac siccis oculis eas Thalia:
Textam flore, *nigro & dabis corymbo*,
Dignam marmoreo hoc sinu, *corollam.*
Si quos invenies, *malos repelle*
Poëtas, *rudis & sonos Minervæ.*
Si cultos: tumulum ambiant, *decentes*
Ut usque huc numeros ferant, *rogato.*

DA LORENZO CRAZZO.

Camillo Pellegrino Figliuolo d'Alessandro Pellegrino nacque nella Citta di Capoua à 29. di Settembre dell' Anno 1598. così chiamato dal Nome del Fratello di suo Avo Camillo Pellegrino l'antico, quel tanto famoso letterato che nelle contese di Torquato Tasso con l'Accademia della Crusca di Firenze niegando le prime palme di Epico Poëta à Lodovico Ariosto, diedele al

 Tasso.

Taſſo. Seguendo dunque le veſtigia del Zio per rinouellare nell' antico Caſato col nome, e con le Lettere la memoria di quel grand' Huomo, dopo i rudimenti fanciulleſchi, à Poëtici ſtudi impiegoſſi, accompagnandogli con profonda Filoſofia, e con iſcelta varieta d'erudizioni, onde per dare al Mondo un ſaggio del ſaper ſuo nell' anno 1618, e vigeſimo dell' Età ſua diè alle ſtampe una ſpoſizione ſopra la particella 54. della Poëtica di Ariſtotele; Opera che nella picciolezza del volume contenendo grandezza di dottrina, di mille applauſi de' Letterati fu degna. Indi raddoppiando alla giovane fronte gli eruditi ſudori fece le repliche alle riſpoſte di Orazio Arioſto intorno al Dialogo dell' Epica Poëſia del Pellegrino Zio. Compoſe un trattato delle regole del far i titoli a i Poëmi, due d'Impreſe, il Primo delle generali, il ſecondo dell' Impreſe Academiche in riſpoſta alle oppoſizioni fatte all' Impreſa dell' Academia, che in quel tempo ſi radunava nella caſa paterna, tutti parti degniſſimi della luce, mà dalla ſeverità del Genitore relati, nulla giovando à lor favore le continuate perſuaſive di Giovan Camillo Glorioſo, di Luca Olſtenio, di Pietro Laſena cariſſimi amici, e Letterati di grande ſtimazione. Datoſi ad indagare le antichità della Citta di Capoua ſua Patria, con notabile ſpeſa, e fatica raccolſe tutto ciò, che di ſingolare, di memorabile nelle tenebre de' paſſati anni ſepolta giaceva, e da molti ſcrittori di paleſar tralaſciato. Con l'occaſione poſcia delle rouinoſe fiamme del Monte Veſuvio deſtate nel 1631. ſcriſſe un Diſcorſo de' naturali incendi della Campania Felice. Congiunſe in un corpo l'Iſtorie de' Langobardi di Paolo Diacono, del Ducato di Benevento di Erchemperto, dell' Anonimo Salernitano; e con la correzzione di detti Autori e con l'emendazione delle Croniche di Lupo Protoſpata, dell' Anonimo Caſſinenſe, e di Falcone Beneventano, publicò l'Iſtoria de' Principi Langobardi con le loro geſte, e ſerie de' Tempi, fatiche tutte baſtevoli ad iſtancar nelle ſue Glorie la Fama. Per le tante ſue Virtù divenne caro a gli Arciveſcovi della ſua Patria, e ſopra tutti al Cardinal Melzio Fautor de' Letterati; e quantunque acquiſtar potuto haveſſe Benefici, Dignità, veſtendo Abito Eccleſiaſtico, con generoſo rifiuto alle promeſſe, del niente ſi compiacque, mentre il tutto meritar poteva, baſtandogli per recreazion dell' Animo una ſua villa non molto lontana della ſua Citta da lui fabbricata in ſito ameno, adornandola di ſtatue, d'Inſcrizioni antiche, di Marmi, e d' altre erudite Memorie; curioſita, che più fiate han tratto il pie non che de' vicini, ma de' gli ſtranieri per vederle, & ammirarle. Due volte fu Principale Autore di rifarſi nella Citta di Capoua l'Academia de' Rapiti, già fondata dal vecchio Camillo Pellegrino ſuo Zio, imponendoſi il nome d'Impedito, nella quale con la conſueta modeſtia ne ricuſo ſempre i primi Onori, godendo ſolo di veder riſorte le Lettere già quaſi ſpente nella ſua Patria, la quale giuſtamente può gloriarſi d'un novello Camillo Pellegrino Riſtauratore delle ſue memorande rouine, e d'eſſer volata à nuova Vita ſù la ſua Penna. Oppreſſo da lunga ſerie de' invecchiati morbi, e da qualche afflizion d'animo, cagionatagli come egli diceva da Congiunti, laſciò di vivere nel 1664.

Del P. GIO: PIETRO PASCALE
Della Compagnia di Gieſù.

Languir, laſſo rimiro
Tè de l'anima mia parte più cara.
Ne piango, ne ſoſpero.
Vacilla con le piante
La man tremante.
De le tue amate Luci il raggio à gara
Languiſce. Ohimè,
La Forma tua di pria queſta non è.
Oh ſe del ſangue, ond'io
Vivo, che per te vive, arde, e ſfavilla
Per riſanarti un rio
Valeſſe: io verſarei
Gli ſpirti miei.
Ch'in pianto hora dileguo à ſtilla, à ſtilla.
Queſto ſi dè
Al mio Amico, al mio Amor, a la mia fè.

Ma prendi al mal conforto,
E la bell' alma tua, ch'afflitta ſcorgo,
Rileva ſù. Ti porto
Dal Cuor queſti penſieri
Caldi, e ſinceri
E'n tributo fedel li ſacro, e porgo.
Partir non ſà
Da te l'anima mia, che teco ſtà.
Queſt' è l'eterna Legge,
Che moia ſotto 'l Ciel, ciò ch'ei ricopre:
Coſi ch'il tutto regge;
E chi toccò le porte
Di vita, à morte
Corra, e ſchivarne i colpi in van s'adopre.
Quà giù non hà
La ſede ſua, ma in Ciel l'eternita.

Mira, deh mira il Sole,
Come nè passi suoi s'affretta l'hore,
Ne fermezza haver suole.
Nasce, sorge, e poi cade;
E sua beltade
Perde ne l'imbrunir, languisce, e more,
E'l vago di
Appena apparue à noi, che gia spari.
Appena il fior de gli anni
Verdeggio, che seguir gli anni più gravi,
Poi secchi, e de gli affanni
Segue veloce il corso,
Curvasi il dorso,
A la chioma incanutesce, e siam fra gli Avi.
Così sen và
Con fuggitivo pie la bella Eta.
Mà tu del tempo avaro
Non preda, nò: L'eternita ti chiama,
Se del tuo nome, chiaro
C'hor suona in ogni parte,
Orni le Carte,
E dopo il cener tuo vivra tua fama,
Che vuola in su
Ne in lete estinta ella cadra mai più.
L'Historia tua ne dica
De la Patria la gloria e'l crudo scempio
Patria al par grande, e antica,
Che ne' secoli andati
D'Armi, e d'armati
Mille fiate grave, ah, furor empio
Poi la discè
Con doppie fiamme, onde arse e al fin cadè.
Abei tetti Lucenti
Cangiati i muti horror Templi, e Teatri
Insultano gli armenti
Cuopre, e nasconde l'herba
CAPUA superba
Vomer la fonde, e premono gli aratri,
Disfatta gia
In solitario Ciel tacita stà.
L'afflitta Patria, e doma
Riscuoti da l'oblio, ch'alto l'apprime,
L'emula gia di Roma
Ne gl' incendi funesti
Fa che non resti:
Ma l'antica sua gloria ancor sublime
Viva per tè:
A tua penna fatal questo si dè.

OPERE STAMPATE.

Discorso della Poëtica.
Apparato all' Antichita di Capoua.
Historia Principum Langobardorum.

BIBLIOTECA NEAPOLITANA DI NICOLAO TOPPI.

CAMILLO PELLEGRINO gentil' huomo di Capua di molta, e fondata eruditione, scrittor veritiero, e critico famoso, ha dato alla luce:

Historia Principum Langobardorum, quæ continent antiqua aliquot opuscula de rebus Langobardorum Beneventanæ olim Provinciæ, quæ modò Regnum ferè est Neapolitanum. Neap. ex Typ. Francisci Savii 1643. in 4°. Ed anco,

L'Apparato alle antichità di Capua, overo Discorsi della Campania Felice, con tre Racconti di ciò, che in essi si contieni. In Napoli per Francesco Savio 1651. in 4°.



S. PAULINUS,

Episcopus Nolanus, Epist. XII.

AD SEVERUM SULPICIUM.

Cerne CORONATAM Domini super atria CHRISTI
Stare CRUCEM, duro spondentem celsa labori
Præmia. Tolle CRUCEM, si vis auferre CORONAM.

AD ILLUSTRISSIMAM, DEOQUE ET REGIBUS NOSTRIS
SEMPER FIDELISSIMAM

CIVITATEM CAPUAM,

Patriam suam

CAMILLUS PEREGRINIUS.

Generosis filiis tuis, iisdemque fratribus meis plurimum colendis, Tu nobilissima patria, materque mea, in hisce Dissertationibus, *quas immortali tuo nomini consecro, jucundam offero lectionem, unde cognoscere queant variam fortunam, ac multiplicem præstantiam nostræ* CAMPANIÆ FELICIS, *cujus olim Tu fuisti diu caput dignissimum. Itaque eos invito, ut vel hinc ipsi contemplentur atque dijudicent priscam majestatem tuam, si forte in reliquis* Dissertationibus *meis eam exacte ob oculos ponere per adversum casum quendam mihi non licuerit. Varia ac multiplex, quæ præteritis seculis apparuit, rerum tuarum ac fortunæ vicissitudo, quæ & spem Tibi & metum novæ adhuc facere fortunæ potest, simul quoque Tibi fidem facere poterit, Te propter hujusce situs tui solique præstantissimas dotes nunquam prorsus defecturam. Quod si illis non deerit civium tuorum virtus, poteris etiam multo, quam nunc es, evadere pulchrior, atque ita DEI augere gloriam, nostri REGIS CATHOLICI commoda, tuæque claritatem famæ. Atque hoc & ego adeo exopto avide, ut nihil æque in rebus humanis, & Te, nosque omnes, pro virili quisque sua atque conditione, non vanum reddere oportet hoc commune nostrum ac laudabile desiderium. Exurge itaque ad novos consummatosque honores: neque unquam deinde ullum amplius detrimentum patiatur ista, quam ex intimo cordis affectu summis expeto votis, perfecta felicitas tua: cujus Te vellem, non superba quadam, sed magnanima honestaque magnitudinis Tuæ voluptate ductus, aliquanto etiam, atque es, amantiorem avidioremque reddidissem hac, qua pro dignitate tua Tecum uti oportet, brevi, & non humili oratione, qui me cetera omnium ultimum & obsequentissimum civem tuum profiteor.*

CAPUÆ

CAPUÆ URBIS
ELOGIA ALIQUOT,

Collecta ex multis gravissimis Græcis Latinisque Scriptoribus, qui de quibuscunque temporibus ejus sunt loquuti.

De temporibus, quæ ejus Societatem cum Romanis præcesserunt.

STRABONIS interpres lib. V:
Tyrrheni, cum duodecim urbes (in Campania) *habitarent, quæ earum quasi caput esset, ea de causa CAPUAM nuncuparunt.*

L. FLORUS lib. I. cap. XVI:
Urbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeji, & ipsa caput urbium CAPUA.

AUSONIUS in Catalogo urbium illustrium:
„*Nec CAPUAM pelago, cultuque penuque potentem,*
„*Delitiis, opibus, famaque priore silebo.*

VELLEJUS lib. I:
Vix crediderim, tam maturè (*CAPUAM,*) *tantam urbem, crevisse.*

LIVIUS lib. VII:
Samnites Sidicinis injusta arma, quia viribus plus poterant, cum intulissent, coacti inopes ad opulentiorum auxilium confugere, CAMPANIS sese conjungunt.

Iterum: *Samnites, omissis Sidicinis, ipsam arcem finitimorum, CAMPANOS adorti.*

Iterum: *Ea* (cupiditas) *ad oppugnandam CAPUAM* (Samnites) *rapit: aut delere urbem pulcherrimam, aut ipsi possidere volunt.*

Iterum: *CAMPANI, non urbis amplitudine, non agri ubertati, ulli populo præterquam Romanis cedentes.*

Iterum: *Magnæ parti* (Senatus Romani CAPUA,) *urbs maxima, opulentissimaque Italiæ, uberrimus ager, marique propinquus, ad varietates annonæ horreum Populi Romani fore videbatur.*

Iterum: *Ille præpotens opibus* (CAMPANUS) *populus.*

De temporibus, quibus illa in Societate fuit cum Romanis.

POLYBII interpres lib. III:
In mediis autem campis sita CAPUA est, civitas, quæ omnes alias quondam felicitate superabat.

VELLEJUS lib. I.
Vix crediderim, tam maturè (CAPUAM) *tantam urbem, crevisse, floruisse.*

SUIDÆ interpres in voce Καπύη:
CAPUA, nomen urbis maximæ.

CICERO in Agraria II.
Majores vestri tres tantum urbes in terris omnibus, Carthaginem, Corinthum, CAPUAM, statuerunt, imperii gravitatem, ac nomen posse sustinere.

Et mox: *CAMPANI semper superbi bonitate agrorum, & fructuum magnitudine, urbis salubritate, descriptione, pulchritudine.*

L. FLORUS lib. I. cap. XVI:
Ipsa caput urbium CAPUA, quondam inter tres maximas, Romam, Carthaginemque numerata.

Et lib. II. cap. XVIII: *Numantia, quantum Carthaginis, CAPUÆ, Corinthi, opibus inferior, ita virtutis nomine, & honore par omnibus.*

LIVIUS lib. VII.
CAPUA instrumentum omnium voluptatum.
Et mox: *CAMPANI agrum Italiæ uberrimum, dignam agro urbem haberent.*

PAUSANIÆ interpres lib. VI.
CAMPANORUM maximè auxiliis Romani (in bello Tarentino) *nitebantur.*

APPIANI ALEX. interpres in Hannibalicis:
Annibal infecto negotio, cujus causa in Lucanos accitus fuerat, ad CAPUAM reversus, tantæ urbis (*quam ad tot, tantasque res opportunam Romanis fuisse norat*) *defensione omni studio, curaque suscepta, Romanorum munimenta adortus est.*

De tempore, quo subacta est ab Romanis.

POLYBIUS apud interpretem Athenæi lib. XII.
Polybius lib. x. scribit, CAMPANOS, qui in Italiæ Campania sunt, ob agri bonitatem tantum opum congessisse, ut voluptati, sumptuosoque luxui se dederint. Eam scilicet opulentiam, & felicitatem cum temperanter ferre non possent, Annibalem acciverunt.

PLUTARCHI interpres in Fabio:
Ad Annibalem plurimæ, & maximæ gentes ultro defecerunt: tum cujus plurimum secundum Romam pollebant opes, CAPUAM suarum fecit partium.

SUIDÆ interpres in voce Καπύη:
CAPUA, nomen urbis maximæ. Hæc autem cùm ad Carthaginienses defecisset, sua auctoritate alias etiam urbes secum traxit.

HORATIUS Epod. XVI:
„*Suis & ipsa Roma viribus ruit,*
„*Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,*
„*Minacis aut Etrusci Porsenæ manus,*
„*Æmula nec virtus CAPUÆ.*

AUSONIUS in Catalogo urbium illustrium:
„ —— *Quæ freta secundis* (*Romæ,*
„ *Nescivit, servare modum. Nunc subdita*
„ *Æmula nunc* —— ** CI-

CICERO in Agr. II:

Tunc contra hanc Romam, communem patriam omnium nostrum, illa altera Roma quæretur.

LIVIUS lib. XXIII:

Inde CAPUAM (Annibal) *flectit iter, luxuriantem longa felicitate, atque indulgentia fortunæ.* Et mox: *Carthaginem venerat Mago, a fratre* (Annibale) *missus. Is, cum ei Senatus datus esset, res gestas in Italia a fratre exposuit: CAPUAM, quod caput, non Campaniæ modò, sed post afflictam rem Romanam Cannensi pugna Italiæ sit, Annibali se tradidisse.* Et lib. XXV: *Ne Tarenti quidem modò arcem tanti debere esse, ut CAPUAM quam Carthagini* (ipse Annibal) *æquare sit solitus, desertam, indefensamque populo Romano tradat.* Et mox: *Consules a Benevento in Campanum agrum legiones ducunt, ad CAPUAM oppugnandam: nobilem se consulatum, tam opulentæ urbis excidio rati facturos.* Et lib. XXVI. *Ea tum cura* (CAPUÆ expugnandæ) *Maximè intentos habebat Romanos, non tam ob iram, que in nullam unquan civitatem justior fuit: quàm quòd urbs tam nobilis, ac potens, sicut defectione sua traxerat aliquod populos, ita recepta, inclinatura rursus animos videbatur, ad veteris imperii respectum.*

SILIUS ITALICUS lib. XII.

„ —— *quorum tum Virius, altæ*
„ *Immitis ductor CAPUÆ, primordia pandit*

Et lib. XVI:

„ *Siccine te, ut nuper CAPUA est accitus ab alta*
„ *Fulvius, æquoreis Libyæ revocabimus oris?*

Et lib. XVII:

„ *Hinc varia ante oculos facies, natat æquore toto*
„ *Arma inter, galeasque virum, cristasque rubentes*
„ *Florentis CAPUÆ & gaza* ——

Et mox:

„ *Ecce manus, quæ te pulsantem belliger Appi*
„ *Mœnia sublimis CAPUÆ de culmine muri*
„ *Excelsò fusa moribundum protulit hasta.*

SIDONIUS Carm. V.

„ —— *Non sic Barchæus opimam*
„ *Annibal ad CAPUAM periit* ——

CICERO in Agr. I.

Punico bello, quidquid potuit CAPUA, potuit ipsa per sese.

APPIANI ALEX. interpres in Hannibalicis:

CAPUA Romanis restituta, magnam ad res in Italia gerendas momentum Carthaginiensibus ablatum erat.

De sequentibus Temporibus, usque dum facta est Colonia Romanorum.

LIVIUS lib. XXVI:

De Urbe (CAPUA,) *agroque, reliqua consultatio fuit. Quibusdam delendam censentibus urbem, prævalidam, propinquam, inimicam.* Et mox: *Non sævitum incendiis, ruinisque in tecta innoxia, murosque, & cum emolumento quæsita etiam apud socios lenitatis species, incolumitate urbis nobilissimæ, opulentissimæque, cujus ruinis omnis Campania, omnes, qui Campaniam circà accolunt, populi ingemuissent.*

CICERO in Agr. II.

CAPUAM colonia deducetur, urbem amplissimam, atque ornatissimam. Iterum: *Post Q. Fulvium, Q. Fabium Coss. quibus consulibus CAPUA devicta, atque capta est, nihil est in ea urbe contra hanc Rempublicam, non dico factum, sed omnino excogitatum.* Iterum: *Omnibus domesticis, externisque bellis CAPUA, non modò non obfuit, sed opportunissimam se nobis præbuit, & ad bellum instruendum, & ad exercitus ornandos, & tectis, ac sedibus suis recipiendos.* Iterum: *Crudelitatis infamiam* (Romani) *effugerunt; quòd urbem* (*CAPUAM*), *ex Italia pulcherrimam, non sustulerunt.* Iterum: *Romam in montibus positam, & convallibus, cœnaculis sublatam, atque suspensam, non optimis viis, angustissimis semitis, præ sua CAPUA, planissimo in loco explicata, ac præ illis semitis irridebunt, atque contemnent.* Et in Agr. III: *Atqui ei generi hominum, mihi credite, Campanus ager, & præclara illa CAPUA servatur.* Et pro P. Sextio: *Venit cum exercitu CAPUAM, quam urbem propter plurimas belli opportunitates ab illa impia, & scelerata manu attentari, suspicabamur.*

De temporibus, quibus illa fuit Colonia Romanorum.

FRONTINUS in libro De Coloniis:

CAPUA, muro ducta colonia Julia Felix. Jussu Imp. Cæsaris a XX viris est deducta.

CICERO pro P. Sextio:

Qua de causa, & tum conventi illo CAPUÆ, qui propter salutem illius urbis consulatu conservatam meo, me unum patronum adoptavit huic apud me P. Sextio maximas gratias egit; & hoc tempore iidem homines, nomine commutato, coloni, decurionesque fortissimi, atque optimi viri, beneficium P. Sextii testimonio declarant. Et in Pisoniana: *Erant illi* (Gabinio) *compti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ & fluentes, cerussatæque buccæ, dignæ CAPUA, sed illa vetere; nam hæc quidem, quæ nunc est, splendidissimorum hominum, fortissimorum virorum, optimorum civium, mihi amicissimorum multitudine redundat.* Et in Philipp. II: *Casilinum coloniam deduxisti, quò erat paucis annis ànte deducta, ut vexillum videres, & aratrum circumduceres; cujus quidem vomere portam CAPUÆ penè perstrinxisti, ut florentis colonia territorium minueretur.* Et in Philipp. XII. *Quemadmodum vestrum consilium hoc CAPUA probabit, quæ temporibus his Roma altera est? Illa impios cives judicavit, ejecit, exclusit. Illi, illi, inquam, urbi fortissimæ conanti, e manibus est ereptus Antonius.*

VIR-

VIRGILIVS lib. II. Georg.

„ *Talem dives arat CAPVA, & vicina Vesevo*
„ *Nola jugo, & vacuis Clanius non æquus Acerris.*

POMPONIVS MELA lib. II. cap. II:

Quæ (urbes Italiæ) *procul a mari habitantur, opulentissimæ sunt: ad sinistram Pataviam, Mutina, Bononia: ad dextram CAPVA a Tuscis, & Roma, quondam a pastoribus condita.*

STRABONIS interpres lib. V:

At vero in (Campaniæ) *mediterraneis est CAPVA, re vera id, quod nomine ejus significatur; reliquas enim si ei compares, opida sunt, excepto Theano Sidicino, quæ urbs est magni nominis.* Et mox: *Nunc rebus* (CAMPANI) *utuntur prosperis, colentes concordiam cum vicinis, civitatisque suæ vetustam dignitatem, amplitudinemque & virtutem tuentur.*

VELLEJVS lib. I:

Vix crediderim, tam maturè (CAPVAM,) *tantam urbem, crevisse; floruisse, concidisse, resurrexisse.* Et lib. II: *Speciosum per idtempus adjectum supplementum CAMPANÆ coloniæ.*

APPIANI ALEX. interpres lib. IV. De bello civili:

Et quò alacrior redderetur exercitus, post proposita victoriæ præmia, præter alia donativa promisse sunt eis coloniæ XVIII. Italicarum urbium, tam opibus, quàm agri bonitate, ac ædificiorum pulchritudine præcellentium. Inter has eminebant, CAPVA, Rhegium, Venusia, Beneventum, Nuceria, Ariminum, Vibona.

STATIVS lib. III. Sylvarum Carm. V:

„ —— *At hic magnæ tractus imitantia Romæ,*
„ *Quæ CAPYS advectis complevit mœnia Teucris.*

PAVSANIÆ interpres lib. V:

Hæc ego, non auribus, sed ipsis accepta oculis scribo, Elephanti calvam conspicatus in Dianæ, quod templum in Campania nobile, a CAPVA, que regionis totius caput est, abest stadia ferme triginta.

COLVMELLA lib. X:

„ *Pinguis item CAPVA, & Candinis faucibus horti.*

De temporibus ruentis Imperii Romani.

PRVDENTIVS in Passione S. Hippolyti:

„ *Concurrit Samnis atrox, habitator & altæ*
„ *CAMPANVS CAPVÆ, jamque Nolanus adest.*

S. ATHANASIVS in Epistola ad Solitarios:

Missis enim a Sancto Concilio (Sardicensi) *in legationem Episcopis, Vincentio CAPVÆ, quæ Metropolis est Campaniæ, & Euphrate Agrippinæ, quæ est Metropolis superioris Galliæ.*

S. PAVLINVS NOLANVS Nat. III:

„ *Et quà bis ternas Campania læta per urbes*
„ *Ceu propriis gaudet festis. Quos mœnibus amplis*
„ *Dives habet CAPVA, & quos pulchra Neapolis* ——

PAVLVS DIACONVS lib. II. De gestis Langobardorum.

Septima provincia (Italiæ) *ab urbe Roma usque ad Siler, Lucaniæ fluvium, producitur; in qua opulentissimæ urbes, CAPVA, Neapolis & Salernus, constitutæ sunt.* Et lib. V. App. ad Eutropium: *Relicta urbe, per Campaniam sese Vandali, Maurique effundentes, cuncta ferro, fladmisquo consumunt: quidquid superesse potest, diripiunt, CAPVAM que, nobilissimam civitatem ad solum usque adjiciunt, captivant, prædantur.*

CONSTANTINI PORPHYROGENITI interpres cap. XXVII. De adm. Imp.

CAPVA verò erat urbs ingens, captaque est a Vandalis, sive Afris, & vastata.

De temporibus Comitum suorum Langobardorum.

INSCRIPTIO Sepulchri Autharis, Episcopi Campani:

„ *Antistes populi, multa virtute potentis,*
„ *Lucendus cunctis, hac tumulatur humo,* &c.

HERCHEMPERTVS Num. XV:

Eodem quoque tempore Landulphus CAPVÆ præerat Gastaldus, vir quippe ad bella promptissimus. Et Num. XXIV: *Consilio inierunt* (Landulphus Episcopus, & Landonulphus) *ut deserta augusti montis* (Trislisci) *cohabitatione, ad plana, & præclara campestria descenderent ad commanendum. Non sumus, inquiunt, caprearum ovile, ut in saxorum cavernis tueamur. Ad humilia denique descendamus, ut altos nos, & inhumiles circumspicientibus præbeamus.* Et Num. XXV: *Duo prædicti viri cœperunt ædificare murum juxta pontem, qui vulgo Caselinum dicitur. Quorum opera, ut perspexit Lando* (CAPVÆ Comes,) *illico abiit, ac mirificè perfecit ædificandam urbem.*

IGNOTVS MONACHVS CASINENSIS Num. XVI:

Inter hæc tempora intrà CAPVANITES filii Landolphi Gastaldei: hoc est Lando Comes, Landolphus Episcopus, Pando Marepahis, Pandonolphus Gastaldeus, hujus patriæ insignes habebantur. Quodam tandem reperto consilio, ad Casolini pontem construunt civitatem, quam ludo secundam vocitabant Romam. Qua gloria sperabatur erigi, Carmen indicat istud.

Inscriptio, quæ fuit olim in ejus porta, cui tum nomen *Aurea*:

„ *Quæ primùm senio marcebat tempore longo*
„ *Cernitur en amplis consurgere mœnibus urbem,*
„ *Illa Senatorum pollebat fulta catervis:*
„ *Nomine sed CAPVA vocitatur & ista secunda.*

RHEGINO lib. II:

Imperator (Ludovicus Lotharii filius) *in Campaniam, & Lucaniam, ad civitates, quæ defecerant, copias transponit; quas absque dif-*

difficultate in deditionem recepit, excepta CAPVA; quæ, quia quadrato lapide erat constructa, audaciam repugnandi civibus præbuit.

De temporibus Principum Langobardorum.

CONSTANTINI PORPHYROGENITI interpres cap. XXVII. De adm. Imp.

Prima verò urbs antiqua, & magna erat CAPVA, secunda Neapolis, tertia Beneventum, quarta Cajeta, quinta Amalphe.

LEO OSTIENSIS lib. II. cap. LII:

Abbas (Joannes) *cœpit monere fratres, ut relicto Theano, CAPVAM habitaturi secum pariter pergerent: quæ videlicet civitas, & circumpositarum civitatum primaria esset, & in ipsa domini ejusdem patria Principes habitarent.*

ANONYMVS SALERNITANVS, in Carmine ad Pandulphum, cognomine *Capodiferrum*, Principem suum, & Beneventanum Salernitanumque Principem:

„ *Aurea nam CAPVA sine Principe desiit esse:*
„ *Ticinum geminum, eheu, viduata manes.*

LVITPRANDVS TICINENSIS in Legatione ad Imp. Nicephorum:

His expletis, ventum est ad nobilissimos Principes, CAPVANVM, & Beneventanum, quos ipse (Imp. Nicephorus) *servos nominat, & ob quos intestinus ipsum agitat dolor.*

GODOFREDVS MALATERRA lib. I. cap. VI.

Audientes itaque (Nortmanni, qui e Gallia in Italiam advenerant) *inter duos famosissimos Principes, CAPVANVM videlicet, & Salernitanum, quibusdam controversiis insurgentibus, inimicitias efferbuisse, causa militariter aliquid lucrandi, quia viciniorem via, qua veniebant, viam invenerunt, CAPVANO sese obtulerunt.*

GVLIELMVS APVLVS lib. II:

„ —— *Sic se, facto munimine, cuidam,*
„ *Qui Princeps CAPVANVS erat, conjungere gaudent.*
„ *Principibus Latii prior, atque potentior ipse*
„ *Tunc erat* ——

De temporibus Principum suorum Normannorum.

ROBERTVS II. Princeps Capuæ in adversa parte sigillorum pendulorum:

CAPVA speciosa.

ALEXANDER TELESINVS lib. II. Num. LXVI:

Post tertium verò diem summo mane (Rex Rogerius) *secedens, CAPVAM, illustrissimam urbem, civibus ejus, cunctisque Terræ Laboris Magnatibus sese dedentibus, recepit. Quæ vidilicet Metropolis existens; idcirco, ut ab antiquis traditur, tale sortita est vocabulum, vel quia caput Campaniæ est, vel quia campi planicie longa, lataque giratur, seu, ut quibusdam videtur, a Capy conditore suo, CAPVA dicitur. Est quidem ampliori situ capacissima, mœnibus, turribusque in circuitu munitissima: cujus quoque muralem ambitum Volturnum flumen medium præterfluit; intra cujus fluenta plurima in aquis supernatantia molendina, funibus cannabineis innexa, consistunt. Pons quoque miræ magnitudinis, miroque opere constructus in ipso amne extat fundatus, qui intrantibus, & exeuntibus meatum præbens, ab una parte urbe, ab alia verò burgo, valde prolixo, obviatur. Sed & Cerere, & Baccho, carnisque edulio, nec non diversis commerciis civitas uberrima, populoso nihilominus frequentatur accessu, & quod majus est, Principali constat dignitate præcellens.*

HVGO FALCANDVS in Historia de Calamitatibus regni Siculi.

Idem (Rex Guilielmus) *Symoni Principatum Tarenti contra Patris* (Regis Rogerii) *testamentum abstulerat; dicens, patrem in multis errasse, spuriorum amore deceptum: Ducatum enim Apuliæ, Tarentique, & CAPVÆ Principatum legitimis tantùm filiis debere concedi: ad Comitatus autem, aliasque Regni dignitates, non indignum esse, liberos etiam naturales admitti.*

De temporibus regum nostrorum usque ad nostram ætatem.

BENJAMINVS TVDELENSIS in Itinerario, ex Hebraico Latine redditus:

Roma profectus, CAPVAM duorum dierum itinere veni, magnam quondam, a Capy Rege, ut ferunt, conditam: pulchram urbem, improbandis tamen aquis, ideoque insalubrem, pueris maximè.

FREDERICVS II. Imp. lip. I. Tit. LXXX. de Constitutionibus regni:

In locis demanii nostri ubique per Regnum Judices non plures tribus, & Notarios sex volumus ordinari: civitatibus Neapolis, Salerni, & CAPVÆ exceptis, in quibus quinque Judices, & octo Notarios esse volumus statuendos. Et Tit. XCV. *In civitatibus singulis unum tantummodo Bajulum, & Judicem unum, qui causarum cognitionibus præsint, per Magistrum Camerarium, & tres Judices, qui gesta conficiant, per nostram Excellentiam volumus ordinari, civitatibus Neapolis, Messane, & CAPVÆ tantum exceptis; in quibus propter contractuum multitudinem quinque Judices, & octo Notarii creabuntur.*

LVCAS

LUCAS DE PENNA ad l. 4. Tit. XL. lib. XI. Cod. Just.

In porta civitatis CAPUÆ, ubi apposita statua Frederici Imp. sub qua sculpti erant, & sunt hi versus:

„ *Cæsaris imperio Regni custodia fio:*
„ *Quàm miseros facio, quos variare scio.*

Item sub eadem statua, hinc, & inde, imagines erant duorum Judicum. supra unius caput est hoc Carmen:

„ *Intrent securi, qui quærunt vivere puri.*

supra caput alterius est:

„ *Infidus excludi timeat, vel carcere trudi.*

REX CAROLUS II. in Capitulis regni:

Pro littera Capitanei (solvatur) *uncia una: exceptis civitatibus Neapolis, CAPUÆ, Aquilæ, & Barlectæ, unciæ duæ.*

BARTHOLOMÆUS FACIUS lib. II. Hist.

CAPUA, urbs pervetusta, agri fertilitate, & situ nulli Campanarum secunda. Hanc ab Occidente Volturnus amnis, altus, atque prærapidus alluit: duabus egregii operis e saxo quadrato Turribus ponte junctus: ab Oriente, qua ferè parte ad Neapolim spectat, manu, atque opere munitam. Et lib. IV. *Ranaldum Aquinatem Messanam ad Alfonsum* (Regem) *quamprimùm mittunt; qui moneat, uti ad paratam sibi fortunam & exoptati Regni possessionem advolet. CAPUAM, opulentam urbem (permagnum haud dubiè momentum ad totum Regnum vindicandum) in sua manu esse.*

REX ALPHONSUS I. in Privilegio immunitatis suorum totius regni civium.

Nos vero attendentes, ut fama præconia divulgat, sinceræ fidelitatis constantiam Universitatis, & hominum prædictorum, tam erga claræ memoriæ Dominam Reginam JOANNAM II. nostram matrem reverendam, & omnes alios Siciliæ REGES, illustres prædecessores nostros, quàm erga nos, affectu, & opere evidentibus laudabiliter, & meritoriè comprobatam, & ostensam; & signanter tempore, quo propter successum obliquæ fortunæ, & conflictum belli, nobis datum, in quo capti fuimus, noster status prostratus jacebat. Quorum CAPUANORUM inconcussa fidelitas, & firmissima constantia statui nostro, & reipublicæ, ad Regni augmentum, & quietem publicè, & notoriè dignoscitur resultasse. Iterum: *Considerato, quòd ipsa civitas attendens, quòd per mortem quondam Reginæ JOANNÆ, matris nostræ reverendæ, dominium, & corona hujus Regni ad NOS, tanquam ipsius quondam Reginæ filium, qui eam dudum oppressam a sui hostis invasione liberavimus, jure potiori spectabat: ante alias civitates primò nostrum nomen, propter plurimam proditorum, & Tyrannorum Regni pravitatem in hoc Regno tunc velatum, intrepidè invocavit.* Iterum: *Et in nostro delectabiliter revolventes animo sinceram animorum promptitudinem, & constantiam, quam Universitas, & homines prædicti, tam in primo reducendo se ad eundem nostrum dominium, cujus reductionem fatemur causam fuisse nostri adventus ad Regnum, quàm in patienter sustinendo pro nostræ Majestatis, & reipublicæ Regni statu, qui totus jacebat, & jacuit, in ipsorum CAPUANORUM humeris, & laudabilibus operibus, absque vultus mutatione in successibus nostræ sinistræ fortunæ, & tot, & tantas hostium, & inimicorum nostrorum terribiles, & metuendas obsidiones, incensiones, & damna, quodammodo intolerabilia, satis laudabiliter ostenderunt.* Iterum: *Cum verè dicere possimus, quòd ex eorum animositate, & constantia, prostrata fuit omnium nostrorum protervitas æmulorum, eis viriliter resistendo.*

S. ANTONINUS Chron. Part. III. Tit. XXII. cap. VII. §. 5.

Ob quorum remunerationem Regina (Joanna II) *sibi* (Braccio) *CAPUAM concessit, quæ una dicitur esse ex clavibus Regni; qua scilicet facilius intratur in Regnum.*

JOANNES ANTONIUS CAMPANUS lib. V. de Vita Braccii Fortebraccii:

Scire se (Braccius fatebatur) *CAPUAM Regiam quidem esse urbem, & Regiæ stirpi parere solitam: sed eos demum esse Reges, qui & pararent Regna, & parta justè, moderateque regerent.*

JOVIANUS PONTANUS lib. V. de Prudentia:

Cum ab ea (Regina Joanna II. Sir Joannes Caracciolus) *CAPUÆ Principatu donatus esset, amicique, ac cognati cohortarentur ad insignia, ut moris esset, Principatus publicè accipienda: detestatus est illorum omnium cohortationes, atque consilia; cum diceret, Principatum eum a Regum filiis solitum administrari, titulumque Principatus ejus esse illius solum, qui in Regno esset post Regis obitum statim successurus.*

INSCRIPTIO, quæ fuit in porta Capuæ, cui olim nomen *porta castelli:*

„ *Campaniæ caput, insignisque gemma coronæ,*
„ *Urbs CAPUANA vocor, & clavis inclyta Regni.*

JOANNES SAXONIUS in Notis ad Livium lib. XXII:

Ea urbs (CAPUA) hodie plateas habet mirificè pulchras, & rectas. Quondam caput fuit Regni Neapolitani, quod versiculus supra fores Curiæ scriptus significat.

„ *Et Regni CAPUA clavis, Crux horrida pravis.*

REX FRIDERICUS in ima parte Privilegii, quo Capuæ perpetuam concessit immunitatem ab omnibus tributis atque oneribus fisci:

[Italica hujus regis verba ita Latine reddidimus:]

Merito ob fidem vestram ac merita erga nos eximia hanc vobis gratiam gratificamur, ac vobis eum testificamur gratum animum, quem virtus vestra meretur. Itaque eam vobis in perpetuum conservari illibatam volumus. Ac proinde hosce versus nostra manu huic Privilegio adscripsimus in testimonium fidei, quam

*** tan-

tanto cum amore atque animi affectu nobis probavistis ad nostros impertique nostri usus, simul etiam ut ostendamus, sicut opera vestra sunt singularia, atque digna, quorum nomine una cum æterna eorum memoria simus obligati Vobis, posterisque vestris; ita quoque æquum esse, hoc Privilegium ornari atque augeri ista singulari prærogativa, quæ ejusmodi meritis, qualia sunt fueruntque vestra, convenit.

M. ANTONIUS SABELLICUS Enneados XI. lib. I.

Nobilissimæ urbis (CAPUÆ) *excidium* (à Gallis patratum) *tantum civitatibus, populisque terrorem incussit, ut paucis diebus certatim omnia ad Gallos defecerint.*

LAURENTIUS SCRADERUS lib. II. de monumentis Italiæ, ubi agit de *Capua nova:*

Ex veteris CAPUÆ ruinis condita: quo auctore ignoratur. Sita in planicie, & ipsa satis magnifica, commode habitata, sed infrequens. strata silicibus, plateis amplis, & rectis, altis ædificiis.

THOMAS SEGETUS in libro De Principatibus Italiæ, ubi agit de *Terra Laboris*, quæ inter hujus regni provincias est:

Urbes, præter Neapolim, & CAPUAM, quæ facile principes, Nola, Puteoli, Aversa, Surrentum. &c.

INSCRIPTIO, quæ usque a tempore regis PHILIPPI II. in porta Capuæ est, quæ Neapolim fert:

„ *Sub muro quondam tripedali, & penè labanti,*
„ *CAMPANI assueti Regum benè jura tueri:*
„ *Ut melius sit res olim defensa PHILIPPI*
„ *Muniri firmis curarunt arcibus urbem.*

AUCTOR HARUM DISSERTATIONUM:

INter proximas turbas intestinas, quæ totum fere hoc regnum pervaserunt, initio ab Neapoli urbe capto a. d. VII. Id. Jul. MDCXLVII, constantissima erga DEUM, regemque nostrum PHILIPPUM IV. CAPUÆ fides apparuit ex animis operibusque civium hujus urbis. Primum illi sponte in carcerem conjecerunt a. d. IX. Cal. Sept. capita plebis seditiosæ, quæ commoveri cœperat Non. Aug. ita ut quinque eorum manu carnificis vita privarentur. Et ab isto tempore cuncti cujuscunque loci atque ordinis cives ducibus quatuor nobilibus, itidem Campanis, per quatuor menses insequentes nocte dieque custodias egerunt ad portas murosque urbis. Atque adeo tum temporis, velut ad communem portum salutis, eo evaserunt incolumes magna pars nobilium ex Neapoli, aliisque vicinis urbibus: sicut & deinde a. d. VII. Id. Jan. MDCLVIII. eodem se recepit regia *Baronum* manus. Itaque hinc apparet, eam satis bene respondisse magnificis istis majorum nostrorum promissis, licet ab aliis, qui sibi suisque heic studebant, quos tamen spes sua prorsus fefellit, alia fuerit vulgata fama. Atque hæc deinde etiam increbuit, non tantum inde, quod multi CAPUÆ inviderent, eam tantum prodidisse virtutis suæ singularis exemplum, in re tam ardua, tamque periculi communis; sed etiam multo magis, quod alii ambitione, alii necessitate ad hoc ducerentur, ut ad se trahere studerent decus ac gloriam istam, quasi ipsi eam in officio erga regem continuissent. Verum de integerrima ac perpetua fide ejus certe prorsus nihil dubitavit ALOYSIUS PODERICUS, armamentorum bellicorum præfectus, regnique nostri dux vicarius, qui per tres ultimos eosdemque difficillimos horum motuum novorum menses pari vigilantia ac fortitudine, sicut popularium atque exterorum spem sustinuit, ita hostium depressit, cum usque eos in suis ipsorum finibus invaderet, nunquam contra invadere ausos. Nam ille semel iterumque, primum quidem, cum nocte post Cal. Febr. in urbem nostram immisit copias suas, deinde autem, cum a. d. IV. Cal. Mart. omnes ex ea copias eduxit, justa cum fiducia custodiam urbis plenissime commisit iisdem istis civium Campanorum cohortibus, quæ per quatuor menses istos præteritos intrepide adeo & solicite eam custodierant. Denique autem ejusdem illibatæ Campanorum fidei Idib. Mart. ipse suis oculis adeo certum vidit ac manifestum specimen, ut neque certius, neque opportunius isto tempore, quo commune periculum videbatur etiam esse auctum, desiderari potuisset. Unus enim ex Electis CAPUÆ ultro in manus ipsi tradidit, ita ut erat obsignata, istam fraudibus undique & calumniis scatentem epistolam, quam Dux Guisius ad eandem civitatem scripserat. Atque tum illa ex communi sententia postero die per edictum publicum, in majore urbis foro, cui nomen *delli Giudici*, una cum expositione fraudis istius impudentissimæ, omnibus palam facta est.

Itaque GLORIA CAMPANA, quæ per spatium plus duum millium annorum inter varias gravissimasque calamitates semper renata, est vel sic quoque pulchra; & neutiquam ob defectum illustrium ejus monumentorum violentia quadam dissertationem animi affectibus occu-

occupati, aut per audaces conjecturas, quæ sæpenumero fallunt, ex profundo antiquitatis fere prorsus obscuræ eruta; sed inter claritudinem temporum facile demonstrata ex certissimis plurimisque gravissimorum scriptorum encomiis, adhuc refulget splendida adeo & pura, ut per quascunque temerarias calumnias nunquam illi potuerit vel minima labes adspergi. Neque enim ullo pacto celari possunt hæcce clarissima CAMPANORVM opera, gravi cum prudentia, magnaque fortitudine, & intemerata fide conjuncta.

DIONIS CHRYSOSTOMI
interpres in Orat. XLIV. ad patriam:

Neque solum Lacedæmoniis, neque Atheniensibus, atque aliis quibusdam, antiquitus contigit, quum honeste viverent in republica, ut suas civitates ex admodum parvis & infirmis magnas & illustres redderent: verum etiam nunc licet idem volentibus.

VIRO ILLUSTRISSIMO
ac Fautori suo plurimum observando:
VIRO NOBILI
CASSIANO DAL POZZO
CAMILLUS PEREGRINIUS,
ALEXANDRI FILIUS.

DEnuo tibi mitto, Vir illustrissime Dissertationes meas de Campania Felice, jam prorsus absolutas, & aliquot paginarum non inutili, ut arbitror, accessione auctas, ita ut eas hisce diebus ex prælo prodeuntes & consummatas publicavi. Dempserant enim mihi amicæ tuæ justæque & iteratæ exhortationes timorem quendam non levem, qui animum meum occupaverat. Tu in argumento adeo illustri pertractando post accuratam & eruditam diligentiam multorum eximie literatorum plus unius ætatis; & maxime novissimi clarissimique omnium, *Philippi Cluverii*, hanc qualemcunque operam meam neque omnino vilem, neque vanam esse duxisti. Tu mihi non exiguam spem fecisti, me non injuste aliorum opiniones posse nonnunquam aut notavisse, aut refutavisse. Tu denique me certum reddidisti, nec quoscunque etiam alios harum rerum judices æquos hanc meam licentiam aut maligno livori, aut temerariæ audaciæ imputaturos. Equidem hisce criminationibus tantundem ego sum indignus, quantum non aliud studui & curavi sane quam solicite, quam illud investigare, quod proxime ad verum accedere videri posset. Itaque non tantum non reprehendi magis nostrates scriptores, quam extraneos: aut magis notiores, quam ignotiores: aut magis æquales nostros, atque illis proximos, quam veteres, & ab ætate nostra aut magno aut parvo annorum intervallo remotos; ut contra nec hos magis reprehendi, quam illos; sed sæpe etiam sequutus sum & laudavi eosdem illos auctores, quorum dicta non semper pro veris admisi. Et adeo cum hunc pectoris mei candorem vincere non posset vel mei pudor opprobrii, nequaquam mihi molestum fuit aperte me ipsum refutare plus semel: quemadmodum etiam non sivi me in transversum agi singulari isto & sincero affectu, quo dilectissimos & eximios amicos meos, *Antonium Caracciolum*, *Petrum La Senam*, & *Michaëlem Monacum prosequor*, qui pro humanitate sua multa cum laude suis in libris nomen meum commemoraverunt honorifice. Prout enim, dum ipsi viverent, in familiaribus sermonibus nostris maxime frequentes solebant esse jucundæ illæ contentiones de ejusmodi controversiis amicis, ita indies inter nos mutuus inde accrescebat amor atque existimatio. Cum igitur assuevissem adeo laudabili instituto, ut sine animi exacerbatione confusa & recondita rerum nostrarum monumenta vetera perscrutarer ope stricti examinis illorum, quæ de illis sensissent isti literati, quorum in orbe plurima fama est, hasce Dissertationes composui. Atque hæc agendi ratio in hoc argumento & per sese quodammodo utilis esse videbatur, & ceteroquin etiam omnino necessaria ad istud institutum meum exsequendum. Sed & non levem inde spem concepi, fore, ut aliorum, sive nostratium, sive exterorum, qui iisdem antiquitatibus nostris studuerint, hinc forsan acuantur ingenia, ut denuo de illis agant diligentia, eruditione, & acumine accuratiore, copiosiore, & perspicaciore: ita ut nec certior, nec plenior illarum notitia de-

siderari ultra jure queat; quod adeo mihi magnæ voluptati foret, ut prorsus nihil inde molestiæ percepturus essem, si propterea refutari deberent aliquot mearum opinionum. Nam quod ad cetera attinet, non est quod metuam, eosdem istos adversarios meos illa mihi negaturos, quæ de suprema ac diuturna patriæ meæ urbis dignitate in eadem nostra Campania, nec non de aliarum quoque urbium dignitate demonstravi, quod ut facerem, (neque enim arbitror, me hic frustra fuisse) præcipuum fuit propositum meum. Sed illis quidem haud facile assenserim, qui mirari solent me nomen hujusce regionis efferre forma sua Latina, quia existimant nostra lingua vernacula dicendum esse *Campagna*. Verum hi non animadverterunt, hanc vocem esse significationis appellativæ, & in genere denotare quemlibet amplum ac planum campum: ut adeo non possit illa nobis usum præstare nominis proprii, ad demonstrandum locum aliquem singularem, si ille in sermone communi non dicatur eodem modo. Nam veterem nostram *Campaniam* hodie non amplius appellari hoc nomine, sive *Campagnam* dici, nemo est, qui non satis sciat. Contra autem hoc si certum est, non ejicienda esse ex quacunque tandem lingua vocabula peregrina, ubi domestica ejusdem significationis desint: unde sermone nostro neque *Sardiniam*, neque *Britanniam*, sed *Sardignam* & *Brettagnam* dicemus, quæ prisca sunt harum regionum nomina, & etiam apud nos usitata; certe errore non diverso aut minori quis *Campagnam* dixerit nostram *Campaniam*, quam veterem *Lucaniam* diceret *Lucagnam*: cum hæc, si de rebus ejus antiquis agatur, non dicenda sit novo suo nomine *Basilicata*, ut hodie appellatur. Nec absimilem admitteret errorem, si quis de *Octavio Augusto* loquens eum diceret *Agostum* quod scilicet hodie *Agostum* dicamus mensem illum, qui Latine dictus fuit *Augustus* ab eodem cognomine ejus. Omitto plurima alia non minus efficacia argumenta, quia arbitror, hac de re non amplius locum esse dubitationi.

Atque ita ego sum affectus, itaque sentio non tantum de hoc opere, sed & adeo de quocunque alio, quod aut jam publicavi, aut forte adhuc sum publicaturus; non allectus inutili isto desiderio, ut eruditorum inde plausum accipiam undique, sed penitus acquiescens illi quem Tibi, Vir illustrissime, pro insigni benignitate Tua libet mihi dare. Nam Tibi quidem propter excellentissimas animi dotes, morum elegantiam singularem, & laudabilem amorem ac notitiam cujuscunque humanioris disciplinæ, applaudunt cuncti per Europam viri literis excellentes, Teque sive fama, sive visu sibi notum inter prima aulæ Romanæ ornamenta celebrant. Atque illi etiam forte non inviti tuam in gratiam, Vir illustrissime, meos excusabunt defectus, cum intellexerint Te adeo liberaliter tuum mihi largiri amorem, meque in hoc libro edendo magis Tuæ, quam meæ voluntati morem gessisse: neque hoc sine consilio etiam, ut mihi persuasisti, *Lucæ Holstenii*, quem, perinde benevolentissimum meum amicum veterem, harum & omnium adeo literarum elegantiorum certissimum dicere possumus arbitrum. Atque huic virorum pari nobilissimo dum hic pro tanto erga me favore publice gratias, quas possum maximas, agere studeo, majore adhuc ipsis me hinc adstringi obligatione animadverto, quæ tamen, quod voluptatem meam etiam auget, nunquam cessare poterit.

CICERO Lib. II. Tusc. Quæst.

Nos, qui sequimur probabilia, nec ultra id, quod verisimile occurrerit, progredi possumus; & refellere sine pertinacia, & refelli sine iracundia, parati sumus.

AD LECTORES MEOS CAMPANOS.

NOn potest, quin nonnulli Vestrum, chari cives, videamini vobis posse juste mecum queri, quod contra omnium vestrum exspectationem, quam olim de studiis meis concepistis, nimium differam typis vulgare patriæ nostræ Antiquitates, unde vos sperare scio hunc novum honorem vestra cum voluptate nobili ejus nomini accessurum. Proximis enim annis, velut abjecta aut desperata earum cura, publicare cœpi partem Historiæ Principum Langobardorum Regionis Beneventanæ cum aliis opusculis, quæ ad istud argumentum faciebant. Nunc vero, quasi scilicet res patriæ nostræ non sufficerent ad integrum inde volumen concinnandum, aut indignæ essent ex professo tractari, exiguam illarum partem in lucem edo una cum majore aliarum copia, quæ non videntur proprie ad nos pertinere: & interim præ me fero, hasce debere præcedere istas alias, quæ supersunt, quasi quendam illarum utilem APPARATUM. Sane vero, si urbs nostra sicut nunc est, ita olim quoque per tot secula sua semper fuisset eadem conditione, qua reliquæ hujusce regni

regni urbes; aliquanto citius, & pro viribus ingenii aut majore aut minore nonnisi monumentorum suorum, omissis communibus, quæ ad alias quoque urbes spectant, copia collecta, satisfacere justis vestris desideriis potuissem. Verum enimvero prisca dignitas ejus, & majorum nostrorum virtute, & ipsius adeo situs solique nostri beneficio, nec intra unius solummodo ætatis terminos, nec intra unius hujus urbis muros sese continuit. Itaque cum nostra civitas modo inter has, modo inter alias etiam nostrarum circa urbium principatum obtinuerit variis temporibus, variisque modis; atque inde satis copiose pertractanda mihi suppeteret nobilis materia, simul quoque adactus fui, antequam aliud agerem, historias illas illustrare, quæ utique nostræ etiam sunt, licet videri possint esse alienæ, ut tanto facilius prisca illa majestas ejus clare & manifeste perspici possit inter tenebras suorum & aliorum monumentorum veterum, quæ temporum vetustate confusa, & ob scriptorum defectum satis tenuia sunt. Tam igitur longe a vero abest, me unquam deseruisse, aut pro exiguo ac vili habuisse hoc adeo charum, amplum, ac laudabile opus, quam hic labor mihi semper fuit, eritque in posterum pro ista parte sua, quæ adhuc superest, admodum jucundus & gratus, quantumvis mea parum firma valetudo, ut satis novistis, nequaquam mihi suppeditare vires queat, quæ voluntati meæ respondeant. Ceterum eidem nostræ urbis dignitati hoc quoque conveniebat, ut illustria facta ejus ista cum gravitate ac decore exponerentur, quem sine vanis exaggerationibus opera vere magna postulant. Itaque posthabui verborum ampullas, & longos loquutionum gyros, quibus illi utantur, qui ad laudes urbium suarum plus justo extollendas, & molem librorum suorum, plus quam sat erat, augendam, iis habent opus. Et adeo usus sum stylo simplici ac plano, qui si nonnunquam vobis videbitur difficilis ac durus, ut qui forte gratius habuissetis ipsas duntaxat narrationes intelligere sine controversiis & contentionibus; animadvertere poteritis, id non aliter fieri potuisse, partim ob auctorum veterum obscuritatem, partim ob varietatem opinionum tam inter ipsos, quam inter alios etiam recentiores auctores. Et ab hoc incommodo ne quidem potero prorsus esse immunis in aliis Dissertationibus meis, quæ non longe post has erunt publicandæ: Interim vos precor, ne meam culpetis moram, cum & alioqui meam dolere corporis infirmitatem soleatis, & probare illud Quintiliani præceptum: *Cito scribendo non fit, ut bene scribatur: bene scribendo fit, ut cito.* Valete.

VEGETIUS LIB. II. CAP. III. De re militari:

Unius ætatis sunt, quæ fortiter fiunt: quæ vero pro utilitate reipublicæ scribuntur, æterna sunt.

ORDO ET DIVISIO TOTIUS OPERIS.

DISSERTATIO PRIMA.

DISSERTATIO SECUNDA.

XXXVI.


DISSERTATIO TERTIA.

DISSERTATIO QUARTA.

FINIS.

Informatio Bibliopegis necessaria.

PRÆPA-


CAMILLUS PEREGRINUS,
Scriptor Celeberrimus.


CHOROGRAPHIA CAMPANIÆ FELICIS, quam Dissertationibus explicavit CAMILLUS PEREGRINUS
LUGD. BATAV.
Excudit PETRUS VANDER AA
OPPIDA et LOCA incerti Situs
Scala seu Dimensio Milliariorum
LIMITES
HIRPINORUM
ORÆ PICENTINI
FINES LUCANIÆ
MARIS TYRRHENI PARS
CONFINIA SAMNII
CONFINIA LATII NOVI
Beneventum
Abellinum
Salernum
Pæstum aut Posidonia
Nuceria
Nola
Vesuvius Mons
Pompeji
Herculaneum
Surrentum
Capua
Neapolis
Puteoli
Cumæ
Baja
Misenum Oppidum
Liternum
Sinuessa
Minturnæ
Formiæ
Aquinum
Casinum
Venafrum
Allipha
Telesia
Calatia
Atella
Acerræ
Suessula
Ad Septimum
Prochyta Ins.
Pithecusa Ins.
Nesis Ins.
Pausilypum Prom.
Promontorium Surrentinum vel Minervæ
Pars Caprearum Ins.
Sirenusæ Ins.
PARS CAMPI CUMANI, vel PHLEGRÆI.
1 Portus Misenus.
2 Acherusia.
3 Lacus Avernus.
4 Lucrinus Lacus.
5 Herculea Via.
6 Gaurus Mons.
7 Leboriæ vel Campus Phlegræus.
8 Forum Vulcani.
9 Colles Leucogæi.
10 Anianus Lacus.
11 Fornicum dictum Lifirones.
12 Crypta Puteolana seu Neapolitana.

PRÆPARATIO AD ANTIQUITATES CAPUÆ;

SIVE

DISSERTATIONES DE FELICE CAMPANIA:

PER

CAMILLUM PEREGRINUM, ALEX. FIL.

Rerum antiquarum laudabile studium, satis hodieque frequens & commune,

TUM semper alias in magno fuit pretio rerum antiquarum studium, tum hodie ad eam frequentiam celebritatemque processit, ut non solum multæ eruditionis & acris ingenii homines, sed &, qui ab utroque parum sunt instructi, perinde attenderint, & magna cum diligentia cummaxime attendant ad descriptas patriæ suæ antiquitates. Ita scilicet omnes immodica cupiditate flagrant, gloriam istius videri potiorem esse illa, quam animadvertunt penes quamlibet aliam esse terram. Proinde videmus, nullam fere esse urbem, neque magnam aut famosam, neque exiguam aut obscuram, quæ non habuerit, aut suum hodieque non habeat Scriptorem, sive pari, sive impari meritis suis & gloriæ fortuna. Istac igitur publici auctoritate exempli & ego motus, deliberavi experiri illustrationem antiquitatum CAPUÆ, patriæ meæ, easque colligere ex multis Græcis Latinisque scriptoribus, quibus vicissim haud parum forsitan lucis accedet; quorum alterum mihi primum & potissimum, alterum pariter primarium est propositum. Equidem satis sum persuasus, tractantem hoc argumentum, per sese satis amplum, non posse me illud assequi, ut varias ejus & pretiosas opes depromam universas. Veruntamen ab instituto meo, quod non ad encomium hujus urbis, sed ad historiam tendit, non debebat iste me defectus abducere; cum alii cives illius eruditi & patriæ amantes plenissimam per me potestatem habeant, sua supplendi hoc argumentum industria, ubicunque opus fuerit, meque ei defuisse ipsi animadverterint. Poterunt etiam extranei ex eodem defectu certius perspicere animi mei sinceritatem atque integritatem, procul ab omni molesta vanaque gloria & adulatione remotam. Igitur scribere paro de antiquitatibus CAPUÆ urbis, quæ ab ipsis veteribus CARTHAGINI & ROMÆ comparata est; ita dixit *Florus*: *Capua inter tres maximas, Romam, Carthaginemque numerata;* licet illa per casus suos, id est, per vicissitudinem rerum secundarum & calamitatum, potius cum hac, quam cum illa conferri potuerit. Quapropter haud absurde ad Campanos accommodari potest idem illud dictum, quo usus *Tertullianus* in allocutione ad Carthaginienses suos: *Principes* (ita illos appellavit) *semper Africæ*, (*Campaniæ*, ego dicere potero) *vetustate nobiles*, *novitate felices.* Et sane si Capuæ consideremus triplicem conditionem seu fortunam, quam illa per successionem temporum experta est seculis præteritis; id est, primo statum liberæ reipublicæ, antequam subacta esset ab Romanis: tum statnm coloniæ, in quem redacta est ab iisdem victoribus suis: & denique tanquam præcipuam sedem, primum Longobardorum in Italia, deinde Normannorum; in primo apparebit laus antiquæ nobilitatis ejus, in secundo & tertio felix ejusdem novitas, prout in subsequentibus *Dissertationibus* sigillatim demonstrabitur. Verum desideraverint forsitan Campani mei etiam narrationem rerum nostrarum, quæ proximis temporibus gestæ sunt. Ita enim & de sua historia *Livius*: *Legentium plerisque, haud dubito, quin primæ origines proximaque originibus minus præbitura voluptatis sint, festinantibus ad hæc nova.* Et sane fuerunt illæ, & cummaxime sunt æquales aliarum hujus regni primariarum civitatium rebus gestis; certe illis non minores. Veruntamen quonam ego pacto sine reprehensione neglexerim *Aristotelis* præceptum,

Me quoque impulit, ut scriberem de CAPUÆ, inclytæ patriæ meæ, antiquitatibus.

Quæ Romam æquavit, multoque plus Carthaginem.

Sed veniam, rogo, lector det, forsan cupidus cognoscendi res ejus gestas hujus ævi,

ceptum, qui communi lege omnibus imperat, *incipiendum esse* (ita ejus sententia Latine habet) *primum a primis?* Insuper deerunt etiam, quibus hæc vetustorum temporum gesta placebunt præ recentibus; siquidem satis frequenter, ut admonet *Vellejus* [1] noster, *audita visis laudamus libentius, & præsentia invidia, præterita veneratione prosequimur; & his nos obrui, illis instrui credimus.* Igitur hac quidem de causa non poterunt mihi jure succensere mei lectores,

Si primum disseram de antiquioribus;

A

quos etiam spero boni consulturos istud consilium, quo iisdem *Dissertationibus de antiquitatibus nostris* præmitto hanc PRÆPARATIONEM; nisi si ad meam invidiam hoc negare libuerit *Cæcilio Plinio*, quod *nec alia ex causa principia librorum circumferuntur, quam quia existimatur pars aliqua etiam sine ceteris esse perfecta.* Verum jam diximus, quantum satis est, de illo, quod heic monere nostrum erat.

Et non inutiliter præmittam, hanc PRÆPARATIONEM.

1. Ita Vellejum appellat auctor, quoniam & ille Campanus, & ex principe apud Campanos familia prognatus fuit, ut ipse de se testatur.

ELENCHUS
RERUM POTISSIMARUM, QUÆ TRACTANTUR IN DISSERTATIONE PRIMA.

2. *Campaniam Capuæ*, seu *Campaniam Capuanam*, illam appellat auctor, quæ omnium in Italia Campaniarum (aliis enim temporibus Campaniæ nomen latius patuit, atque aliis) angustissima per accisas ab Samnitibus Campanorum opes, proxime circumjacentem Capuæ tractum continuit, & Campanæ civitatis permansit territorium usque ad captam ab Romanis bello Annibalico Capuam. Liceat itaque mihi & heic & in sequentibus nonnunquam vocabulo *Capuanus* uti, quamvis veteres sciam a *Capua* formavisse adjectivum *Campanus*, non *Capuanus*: prout ipse etiam auctor dicit *Dissert.* I cap. III, *Capuanos*, id est Capuæ cives, Latine dici *Campanos*. Sed cum idem in *Dissertationibus* hisce *Capuana* dicere soleat, ad ipsam Capuam urbem; *Campana* vero, in genere ad universam regionem pertinentia; visum fuit perspicuitatis ergo, ubi opus erat, istanc vocem usurpare.

3. Ita hoc & fluminis & urbis cognominis nomen scribit noster, non vero per quintam vocalem *Vulturnus*, quamvis libri editi, quos mihi quidem videre contigit, tam Græci, quam Latini, exhibeant *Vulturnus*, & Ὀυελτῦρν◌: nisi quod apud Varronem legitur *Volturnus*. Sed quis est, qui nescit, Latinos recentiores innumera per quintam vocalem extulisse, in quibus prisci quarta fuerant usi? Veruntamen cum auctor suam scripturam defenderit in *Dissert.* II cap. XII, in versione ab eadem discedere religio fuit.

DE

DE PLURIBUS CAMPANIIS VETERUM DISSERTATIO I.

Arbitrium humanum nomina rebus imponit, neque perpetuo illis utitur ad eundem modum.

SI humanus intellectus, qui cujuslibet linguæ unicus arbiter est atque auctor, non sibi reservasset amplissimam in nomina potestatem aliter atque aliter illa accipiendi, postquam ipsa nomina rebus imposuit, alia quidem firma & stabilia, unde *propria* fuerunt dicta; alia autem vaga & communia, unde appellata fuerunt *appellativa*; profecto non evenisset, ut juxta hæc atque illa sæpissime corrupta fuerint post longi temporis usum, imo frequenter abolita prorsus. Sed cum in aliis exempla potentiæ ejus, nullis circumscriptæ limitibus, satis in promptu sunt & manifesta, tum autem in *nominibus propriis*, ubi minimum debebat, illa multo major apparet. Horum enim non solum corrumpit ille usum & oblivioni tradit, perinde ut aliorum omnium; sed, quod etiam videri possit a ratione alienius, pro lubitu coarctat atque dilatat primitivas illorum significationes. Ita istæc nomina, (ut rem clarius exponam) quæ per aliquot annorum spatium adhibita fuerunt ad denotandos locos aliquos, qui intra stabiles immutabilesque terminos conclusi sunt, deinde vult integrarum esse regionum, alias majorum, alias minorum. Denique neque heic limitem ille suæ potentiæ statuit; & perpetuo integrum sibi servans in linguas primum jus & vetus dominium, itidem pro lubitu commutat vocabulorum naturam. Ita unam vocem, quæ antea loco alicui peculiaris erat, transferre solet ad alios etiam locos denotandos, licet terrarum spatio disjunctos & procul remotos, perinde ut fieri videmus in *nominibus appellativis*; & vicissim eandem deinde accommodat ad unumquemque locorum istorum. Neque hoc adeo audacter asseverare ausim, nisi in nomine *Campaniæ* verissimum illud esse deprehenderetur, prout in hac *Dissertatione* sigillatim sum ostensurus.

Sicut demonstrabitur factum fuisse cum nomine Campaniæ.

I. *Capua Campaniæ urbs, aliæque Capuæ.*

Capua nostra fuit urbs Campaniæ.

SCripturus igitur de antiquitatibus CAPUÆ, patriæ meæ, ut a prima origine hoc argumentum repetam, magna me necessitas adigit, quæ mihi ad eam rem adesse videtur. Fuit enim hæc urbs collocata quondam in regione, quæ ab Latinis dicta fuit *Campania*. Ut multos alios taceam, indicat illud *Livius* lib. XXII, ubi scribit de tribus Campanis, captis ab Hannibale ad Trasimenum: *Hi nunciantes, si in Campaniam exercitum* (Hannibal) *admovisset, Capuæ potiundæ copiam fore.* Iterum lib. XXIII, ubi ita dicit: *Capuam, quod caput non Campaniæ modo, sed post afflictam rem Romanam Cannensi pugna, Italiæ sit.* Idem tertio hisce verbis lib. XXVII: *Ex Campania nunciata erant* (prodigia) *Capuæ duas ædes, Fortunæ, & Martis, & sepulcra aliquot de cœlo tacta.* Igitur jam apprime conveniet, ut, antequam ad reliqua pergam, removere studeam ambiguitatem, quæ oritur ex eo, quod apud veteres plures fuerunt *Campaniæ*, tam intra, quam extra Italiam; quæque in cœpto argumento & mihi, & Lectori meo sæpius facere possit haud sane parum molestiæ. Ceterum licet quondam seculis longe remotis itidem alia quæpiam urbs fuerit appellata eodem *Capuæ* nomine, aut parum differenti; re vera tamen ea non in *Campania*, sed in alia, eaque satis remota regione, collocata fuit a veteribus. Atque adeo haud facile dari poterit occasio hasce urbes confundendi, cum præterea hujus neque illustris adeo, neque frequens occurrat memoria. Veruntamen non prætermittam de ista disserere, quantum satis esse videri potest pro nostri instituti ratione.

Fuerunt plures Campaniæ.

Item plures Capuæ.

Dionysius Halicarnassensis lib. I *Antiq. Rom.* ex sententia aliorum, & maxime *Aristonis*, qui res Arcadiæ memoriæ prodidit, ejusmodi *Capuam* descripsit, conditam in eadem Arcadia ab Ænea, ejusque Trojanis. Verba ejus ita Latine habent: *Quidam eum* (Æneam) *in Thraciam usque deducunt.* Et mox: *Alii vero ex Thracia discedentem faciunt, & in Arcadiam usque deducunt; eumque dicunt habitasse in Orchomeno Arcadico, & in ea, quæ licet sit mediterranea, tamen ob loca cœnosa & flumen Insula vocatur: quin etiam eam, quæ Capua nominatur,* (in contextu Græco hoc nomen urbis, & hic, & paulo infra, occurrit numero plurali) *ab Ænea ceterisque Trojanis conditam, & a Capy Trojano Capuam appellatam tradunt.* Idem refert *Strabo* lib. XIII, cujus verba ita Latine reddita sunt: *Alii eum* (itidem Æneam intelligit) *sedes posuisse ajunt apud Olympum Macedoniæ; alii apud Mantineam Arcadiæ Capuam condidisse,* (Græca habent *Capuas*, numero plurali, ut supra) *nomine oppido a Capy facto.* Hisce auctoribus *Stephanus Byzantinus*, sive, qui illum contraxit, in libro *De Urbibus* non solum adstipulatur, sed eo amplius etiam indicat, istum *Capyn*, a cujus nomine urbs dicta fuit, Patrem fuisse Anchisæ, & Æneæ avum; licet ipsam urbem non *Capuæ*, sed [1] *Caphyiæ* nomine appellet, ut etiam fecit *Suidas* dempta litera *i*. *Caphyia* (ita Latine reddi possunt *Stephani* verba) *urbs Arcadiæ a Capy, patre Anchisis, aut a Cepheo. Civis Caphyeus, & Caphyates; ut Caryates.* *Suidas* in voce *Cydas* Latine redditus ita habet: *Cydas, qui & Aletes, ex urbe fuit Caphya.* * Et in voce *Bacis* ita dicit: *Philetas*

Capua Arcadiæ, & numero plurali Capuæ, urbs ab Ænea condita,

Et ita dicta a Capy, ejusdem avo,

1. Legendum esse apud Stephanum Καφύαι, *Caphyæ*, in *Notis* ad hunc auctorem ostendit Holstenius, eumque sequutus Berkelius. Et ita quoque reliqui veterum fere numero multitudinis & per Φ literam extulerunt hujus urbis nomen. *Alex. Dukerus.*

letas Ephesius tres fuisse scribit Bacidas. De primo horum & secundo postquam locutus est, subjungit: *Tertium Arcadem ex urbe Caphya, qui & Cydas, & Aletes fuerit dictus.* Uterque horum Scriptorum non expressit istud nomen eodem modo, quo *Dionysius* & *Strabo*. Et secuti sunt hac in re præter *Plutarchum* in *Vita Arati*, etiam *Pausaniam*, cui lib. VIII, sive in *Arcadicis*, itidem placuit ejusdem urbis auctorem prodere *Cepheum*, de quo modo habuimus; quique, ut *Apollodoro* placet lib. I, fuit unus ex Argonautis. *Pausanias* autem nomen ejus diverse exprimit, & numero plurali, & singulari. Verba ejus ita Latine habent: *Oppido nomen impositum a Cepheo, Alei filio, satis constat: ut Caphyæ tamen appellentur, Arcadicæ linguæ consuetudo obtinuit.* Atque hinc est, quod ibidem ab eodem auctore, & item ab *Stephano* & *Strabone* ad finem libri, quem diximus, cives ejus sunt appellati *Caphyenses*; quamvis hic ipsam urbem non *Caphyas*, sed *Capuas* dixerit. Sed expediet ejus etiam verba afferre, itidem Latine reddita; quibus insuper indicatur, illam suis temporibus, id est, Augusti & Tiberii ævo, jam pene fuisse exstinctam prorsus. Sunt autem hæc: *De Arcadicis porro urbibus Mantineam Epaminondas nobilitavit.* Et mox: *Verum hæc, & Orchomenus, Heræa, Cletor, Pheneus, Stymphalus, Mænalus, Methydrium, Caphyenses, ac Cynætha, aut omnino interciderunt, aut vix vestigia earum & indicia apparent.* Et adeo non instaurata fuit sequentibus temporibus, ut exiguum cum maxime oppidum esset historiam scribente *Pausania*, qui vixit Antonino Philosopho imperante, atque inde illam dixit, ut ejus interpres habet, *oppidum sane modicum in extremis campis ad imos montes, non valde illos quidem editos.* Præter hosce, quos diximus, apud nullum Scriptorem ex vetustioribus aut hujus, aut nostræ *Capuæ* nomen occurrit; nisi si quis forsan existimaverit, satis cum illo convenire istud coloniæ nomen, quæ dicta fuit *Capis*, cujus tenuem sane mentionem solus *Frontinus* facit in codice Nansii, ubi de coloniis ita scribit: *Colonia Capis pro æstimatione ubertatis est assignata, & pro natura locorum sunt agri assignati.* Ceterum apud omnes alios auctores adeo altum de ea silentium est, ut nullum inde nobis oriri possit impedimentum. Minus etiam molestiæ creare poterit alia illa longe serioris ævi *Capua*, cujus itidem tantum semel mentionem fecit *Bruno*, in fine historiæ suæ de bello Saxonico Henrici IV, Imperatoris; istic ubi refert conventum quempiam multorum hominum illustrium, qui accidit anno MLXXXI. *Convenerunt autem*, (dicit ille) *ultra fluvium, qui Vuisara dicitur, in sylva, quæ inde Capuana vocatur, quod ad urbem, quæ Capua nominatur, pertinere cognoscitur.* Alibi hoc flumen legitur conjungi *Vuagernæ*. Sed de hisce quidem, ut mihi videtur, plura dicere nihil attinet.

Aut secundum alios condita a Cepheo, & dicta Caphya, & Caphyæ;

Exiguum oppidum erat. tempore Strabonis & etiam Pausaniæ.

Hic amplius occurrit memoria coloniæ cujusdam in Italia, quæ dicta fuit Capis.

Et denique cujusdam Capuæ *in Germania.*

Pergam igitur ad primum institutum meum, quod illud est, ut exponam, multas fuisse *Campanias* apud veteres, easque ita appellatas duplici modo. Primum igitur differam de illis, quarum appellatio orta fuit ex nomine quodam proprio; tum de illis, quibus *Campaniæ* vocabulum fuit quasi commune & appellativum. Atque hic ordo, cum per sese satis sit planus, etiam convenit cum ipsorum temporum serie.

Multæ fuerunt Campaniæ, *distinctæ in duas classes.*

II. *Campania antiquissima, dicta deinde* Epirus.

In prima classe *Campaniarum*, quas dixi, collocanda est illa, quæ antiquitate, quod ego quidem sciam, superat quamlibet aliam ejusdem

Primi generis Campania *antiquissima, dicta deinde* Epirus;

A nominis. Habuit enim illud nomen ante ipsa tempora belli Trojani, & paulo post dicta fuit *Chaonia*, & denique *Epirus*. Auctor nobis est *Servius* ad illud *Virgilii* hemistichium, quod est *Æneidos* libro III:

——— ——— *Chaonios cognomine campos.*

Prout habent *Servii* exemplaria minus mutilata, illarum scilicet editionum, quæ concinnatæ sunt ex veteri codice MS. *Petri Danielis*: *Epirum* (dicit ille) *campos non habere, omnibus notum est: sed constat, ibi olim regem, nomine Campum fuisse; ejusque posteros Campilid... dictos, & Epirum Campaniam vocatam*, (ita lego, non *Campaniamque*) B *sicut Alexarchus, historicus Græcus, & Aristonicus referunt. Varro filiam Campi Campaniam dictam, unde provinciæ nomen; post vero, sicut dictum est, Chaoniam ab Heleno appellatam, qui fratrem suum Chaonem, vel ut alii tradunt, comitem, dum venaretur, occiderat.* Verum cum ex *Servii* sententia, Helenus, qui vixit temporibus cladis Trojanæ, aboleverit istud primum *Campaniæ* nomen, & ejus loco induxerit secundum, nulla certe in historiis Romanorum alia reperietur *Campania*, quæ multum isti par sit vetustate; quandoquidem ex communi sententia anno CCCCXXXII post bellum Trojanum condita demum Roma fuit. C

III. *Campania Italiæ, Lucaniæ conjuncta.*

Atque hæc forsan est causa, cur *Strabo*, qui ad finem libri V satis tenuem fecit mentionem ejusmodi *Campaniæ* veteris, in Italia, divisæ ab Lucania per Silarum amnem, qui hodie *Sele*, non habeat, qui sententiæ suæ manifeste suffragetur, alium Scriptorem veterem. Nimirum hausit ille hoc forte fortuna ex singularibus rebus gestis & historiis aliorum populorum Italicorum, qui antiquiores erant remotioribus etiam temporibus, D sive celebrioribus Romanorum gestis, & quorum proinde ad nos historia non pervenit. Neque enim illi curæ fuit latius de istoc argumento disserere, moto, ut videtur, quapiam ex variis istis rationibus, quibus induci nonnunquam solent Scriptores, ut taciti potius id prætereant. Verba ejus, Latine reddita, hæc sunt: *Pertinent Picentes usque ad Silarum amnem, qui ab hac regione veterem Campaniam dividit.* Regio, quæ heic demonstratur pronomine *hac*, in Græcis ταύτης, per relationem, aliquantum sane remotam, non alia est, ut mihi quidem videtur, quam [1] *Lucania*; siquidem antea, licet obiter, dixerat de *Pæsto* urbe, E quæ tum temporis ad *Lucanos* pertinebat. Sed autumat *Philippus Cluverius* in *Italia antiqua*, lib. IV cap. VI (etsi cap. I de eo dubitaverat)

Italiæ Campania *vetus ad Silarum amnem,*

Strabo *illustratus.*

Qui illam dividebat ab Lucania;

1. Locum Strabonis ad suam sententiam accommodare studet auctor nimium aliena, ut videtur, interpretatione, dum Geographum istum per hæc verba ταύτης τὸ χώρας intellexisse Lucaniam autumat, qua de nihil omnino dixerat in proxime præcedentibus. Quod si eum ad Pæstum, Lucaniæ urbem, cujus in superioribus fecerat mentionem, respexisse libeat credere, cur non potius idem pronunciamus aut de Marcina, aut Pompejis, aut Nuceria, quæ extra Lucaniam urbes? Nam de his dixerat ille in proximis, cum de Pæsto jam absolvisset. Verum singulas urbes in integras velle regiones commutare, illud equidem inauditæ metamorphoseos est genus. F Quisquis ipsa Græci scriptoris verba inspexerit, non potest illi non liquere, ea non alio posse sensu accipi, quam illa Cluverius accepit: nimirum de Picentinis, ad mare inferum colentibus. Atque adeo oportet aut Strabonis *veterem Campaniam* fuisse ultra Silarum, & in ejus locum successisse dein Lucaniæ nomen, aut Picentes istos quondam habuisse sedes ultra eundem amnem, aut denique Strabonis locum esse corruptum, aut mutilatum, ut voluit idem Cluverius, cujus sententiam neque noster improbat. Sed isto quidem modo, quo heic ille, depravatos aut obscuros auctorum locos velle explicare, illud vero secare nodum est, non solvere.

rat) istud pronomen referendum ad ipsam regionem *Picentum*, de quibus istic *Strabo* ex professo sermonem instituerat, & nihilominus hanc ejus esse sententiam, Silarum amnem per aliquantum temporis divisisse ab Lucania *Campaniam veterem*, quam dein tenuerunt Picentini; ita ut verba *Strabonis*, quæ attulimus, ab librariis corrupta, nunc minus recte contrarium indicent; quasi scilicet *vetus Campania* illa regio fuerit, quæ deinde appellata fuit Lucania, divisa a Picentinis per flumen, quod diximus. Et sane, sive ob corrupta *Strabonis* verba, sive, quod istud pronomen respicit ad vocem nimis remotam, sententia ejus aliquantum sit obscura, illud ceteroqui satis est probabile, eum nobis indicare voluisse, primitus *Campaniæ* nomine dictam fuisse istanc regionem, quæ Lucaniæ proxima erat cis Silarum. Adstipulatur huic sententiæ *Marcianus Heracleota*, qui in *Descriptione orbis* simul conjunxit Lucanos & Campanos. Græci versus ejus Jambici, in Latinos conversi, ita habent:

Marcianus Heracleota cum Strabone consentiens.

> *Juxta hos incolunt Samnites, contermini*
> *Ausonibus; post quos in mediterraneo*
> *Habitant Lucani, simul & Campani.*

Sententia Quadrigarii ambigua.

Huic conjunctioni congruenter locutus etiam videri possit *Quadrigarius* apud *Nonium Marcellum De contrar. gener. verb.* in istis verbis, quibus eum enumerare autumo deprædationes & damna a Pyrrho, Epiri rege, illata isti Italiæ parti cis Romam: *Ita per sexennium* (dicit ille) *Lucaniam, Apuliam, atque agrum Campanum, quod his per militem licebat, exspoliabantur.* Sed cum sententia quidem *Quadrigarii* non adeo sit liquida, ut potius ad istam, quam diximus, *Campaniam*, quam ad aliam illam, quæ longe diutius istoc nomine fuit appellata, referri debeat, ut in sequentibus videbitur; ita *Pomponius Mela* alio modo intellexit ejusdem & Lucaniæ vicinitatem, de qua modo egimus. Ille enim lib. II. cap. II. non conjunxit utramque regionem ad Silarum; sed, quia forsitan ignoravit hancce *Campaniam veterem*, Lucaniam inde usque a citeriore ripa fluminis hujus ad Minervæ promontorium extendit, ubi Surrentum est, quod alterius angustioris, sed multo notioris *Campaniæ* celebre fuit confinium. Verba ejus sunt: *Pæstanus sinus. Pæstum oppidum, Silarus amnis, Picentia, petræ, quas Sirenes habitavere, Minervæ promontorium: omnia* (alii legunt *opima*) *Lucaniæ loca.* Atque hæc, quam diximus, certo certius origo fuit erroris ejus, adeo manifesti. Sed libuerit fortassis asseverare cuipiam, *Strabonem* data opera nostram *Campaniam veterem* collocasse ultra Silarum in Lucania; & eam in rem argumentum petere ex *Inscriptione*, quæ Capuæ legitur marmori incisa, quod affixum est ad palatium publici regiminis, in vico, qui dicitur *Judicum*, quodque hæc verba exhibet:

Pomponius Mela refutatus.

Cui illam fuisse inclusam aliquis credere possit,

P. PESCENNIO
SECVNDO IIII. VIR. II.
QVOD AGRVM LVCAN.
RECIPERAVIT SINE
INPENSA REIPVBLICAE

SEN. CONS.

Quasi iste ager Lucanus, quem recepit respublica (videtur dicendum esse *Campana*, in qua urbe hoc marmor exstat) fuerit pars antiquissimæ, de qua diximus, *Campaniæ*, quam olim Capuæ cives totam tenuerint, unde illa temporibus adeo antiquis etiam ab ipsorum nomine, qui Latino sermone *Campani* appellantur, fuerit dicta *Campaniæ* nomine. Et hæc quidem interpretatio non inde refellitur, quod hoc marmor multis ex indiciis, quæ consideranda venient alia occasione opportuniore, referendum est ad istud tempus, quo Capua fuit colonia Romanorum; siquidem nihil obstat, quo minus illa etiam tum usa fuerit reipublicæ titulo, sicut alibi indicabimus. Verum, ut concedamus, pertinere hoc marmor ad Capuam, (ne jam de eo multum quæramus) si recuperatio agri Lucani contigit dicto tempore, quomodo potest esse verum, ut jus & rationes ad istum recuperandum, adeo vetusto tempore exortæ, duraverint adhuc & valuerint post tot varias & gravissimas rerum Capuæ mutationes, quæ ex Græcis Latinisque historiis abunde notæ sunt? Non videtur mihi opus esse multa verba hanc in rem perdere; ita ut certo colligi possit, nihil hanc *Inscriptionem* pertinere ad *Campaniam* ultra Silarum, sive de ea locutus fuerit Strabo, nec ne.

Sed falsò

Fuit hæc Campania pars integræ Campaniæ cis Silarum amnem, quam tenuerunt Etrusci Campani;

Verum cum ille utcunque eam dixerit *veterem*, expediet ejus rei causam investigare; quæ videri possit esse hæc, quod illa ante quamlibet aliam Italiæ regionem istud *Campaniæ* nomen habuit, quod deinde qualicunque modo impositum fuit alii regioni. Sed narrationi ejusdem auctoris maxime conveniens videri possit esse hoc, quod ille, cum Etrusci, sive Tyrrheni istam regionem, quæ a *Campanorum*, posterorum suorum nomine, diu fuit appellata *Campania*, obtinuerint conjunctim cum vicina terra, quæ ad Silarum usque pertinebat; ideo voluerit eam dicere *Campaniam veterem*; siquidem postea illi fuerat inditum aliud peculiare nomen, quod tum adhuc durabat. Neque dubium esse potest, quin hoc factum fuerit illo tempore, quo Romani istuc traduxerunt quosdam Piceni incolas, qua de causa tum dicta fuit *regio Picentinorum*, & simpliciter *Picentini*; qua de re ita scribit ejusdem *Strabonis* Interpres Latinus libro citato: *Post Campanos, & Samnitas, usque ad Frentanos* (*Lucanos* rectius legit Cluverius) *ad mare Tyrrhenum Picentina gens habitat, Picenorum avulsa particula quædam eorum, qui ad Adriaticum mare incolunt, a Romanis traducta ad sinum Posidoniatem.* Sed de tali re gesta qui pluribus aut paucioribus tradiderit, non exstat Scriptor alius. Factum illud anno CCCCLXIII. ab urbe condita, idem *Cluverius* autumat, & eam in rem non affert aliud, quam hoc argumentum, quod isto tempore Curius Dentatus ingentem reportavit victoriam de Samnitibus, aliisque populis versus mare Adriaticum; cum ego quidem contradicere nolim. Verum jam illud reliquum foret, ut cognosceremus, quonam modo hæc loca, quæ, ut videtur itidem *Cluverio*, qui in hac re *Strabonem* sequitur, olim obtinuerunt Etrusci, ideoque etiam Campani, deinde venerint in potestatem Romanorum. nam, quod ad cetera attinet, nonnullam habemus notitiam rerum quarundam, quæ mox gestæ sunt circiter prædictum annorum spatium, inter Samnites, qui tenebant quasdam reliquæ adhuc *Campaniæ* urbes, & eosdem Romanos, qui tandem eas ademerunt illis. Sed apud *Livium*, qui hæc gesta memoriæ prodidit, non occurrit, quo pacto primum illas occupaverint Samnites, expulsis inde Etruscis Campanis; neque etiam, quonam modo illi, aliive populi primum occupaverint istæc loca, in quibus deinde collocati fuerunt Picentini. Illud nihilominus satis est probabile, si tamen integra hæc regio, quæ diu *Campania* fuit dicta, sive quædam pars ejus, alio quopiam deinceps ævo fuit in potestate Campanorum, qua de re alibi differemus; debuisse etiam hanc Campaniam portionem fuisse majoris istius regionis eorundem, quæ porrecta fuit

Dicta deinde Picentini, ex Romanorum instituto,

Qui illam ademerunt Samnitibus, cum hi eam na-

[*ea ademissent iisdem Campanis.*] fuit ad Silarum usque, & Lucanos; a qua parte nihil ipsis terrarum mansit reliquum, cum omnia illa subjecissent sibi Samnites, quibus tandem eadem ademerunt Romani, ut in *Dissertatione* de sequentis Campaniæ incolis prolixius ostendendum erit.

IV. *Campania inter Sinuessæ & Surrenti promontoria, qualibet alia longe celebrior.*

[Campania *Italiæ inter Sinuessanum, & Minervæ sive Surrenti promontorium;*]

AD hunc igitur modum adempta veteri & amplæ regioni Etruscorum Campanorum istac parte, in quam deducti fuerunt Piceni, qui suum nomen istic mutaverunt in Picentinorum, unde & ipsa illa pars deinde appellata fuit eodem vocabulo; convenit, ut reliquum regionis, quæ dicta fuit *Campania*, confinium habuerit istic terrarum, quo usque *pertinebant* iidem Picentini, qui a *Ptolemæo* lib. III *Geographiæ*, in VI *Europæ tabula*, & item a *Plinio Secundo* lib. III cap. V, aliisque auctoribus collocati fuerunt inter flumen Silarum, & flumen Sarnum, sive huic vicinum Minervæ, quod hodie *Surrenti* dicitur, promontorium; ut adeo non ultra hunc terminum Campania vulgo legatur fuisse extensa. Ideoque descripta est ab eodem *Strabone* sita esse ad duos sinus maris, medio divisos Miseni promontorio, & utrinque clausos promontorio Surrentino, & Sinuessano, ubi olim fuit Sinuessa, hodie castellum est, quod *Mandragonis castellum* appellatur. Verba ejus ita Latine habent: *A Sinuessa versus reliquam oram maris sinus est usque Misenum justæ magnitudinis: inde alius priore multo major (Craterem nominant) a Miseno usque ad Minervæ, promontoriis duobus in sinus morem conclusus. Super hoc littus universa est sita Campania, omnium planicierum felicissima.* Et fuit eadem regio aliquando etiam ab Latinis appellata *ager Campanus.* Ita illam vocavit *Livius* hisce lib. IX verbis: *Eodem anno in campum Stellatem agri Campani Samnitium incursiones factæ.* Et ita ille etiam alibi. Itidem, *Frontinus* in isto fragmento libri sui *De limitibus*, ubi scripsit, *agrum Campanum* in longitudinem porrigi ab Septentrione versus Meridiem. Denique ita etiam *Plinius* loco citato, ubi dicit: *In agro Campano Stabiæ oppidum fuere*; quod oppidum lib. XXXII cap. II idem auctor Campaniæ adscribit: *In Stabiano* (inquit ibi) *Campaniæ ad Herculis petram Melanuri in mari panem abjectum rapiunt; iidemque ad nullum cibum, in quo hamus sit, accedunt.* Neque *Plinius*, neque *Frontinus*, neque *Livius*, hisce locis, quos adduximus, de alio agro, quam de integra *Campania*, descripta ab *Strabone* intra promontoria, quæ diximus, locuti sunt ut ex progressu harum *Dissertationum* manifeste apparebit. Ex Græcis etiam *Dionysius Halicarnassensis* lib. I unum pro altero nomen usurpavit, cujus verba afferentur aliquantum inferius; & eodem modo locutus est lib. VII, ubi Latinus interpres ejus ita habet: *Cumæ illis temporibus tota Italia celebres erant ob divitias, & potentiam, & alia bona, quod totius agri Campani fertilissimam partem possiderent.* In Græcis est: τ͂ Καμπανῶν πεδιάδος. Neque fuit ulla unquam alia *Campania*, cujus apud antiquos juxta & recentiores Scriptores tanta sit, quanta hujus, celebritas: idque tum propter varias ejus & singulares naturæ dotes, tum propter magnas & memorabiles res gestas, quæ in illa contigere. Hanc *Campaniam* intellexit *Athenæus*, scriptor Græcus, id est, extraneus, lib. XII cap. XI appellans eam *Campaniam Italiæ*; quemadmodum illam quoque cognominavit, quem sæpius allegavimus, *Plinius* lib. XVIII cap. VIII, & lib. XXI cap. IV & IX, & forsan etiam alibi. Sed fecit ille hoc potius more quodam suo peculiari, quam ut distingueret eam ab alia *Campania* extra Italiam, quæ ipsius ævo nulla adhuc erat. Simili modo idem lib. XXXVI cap. XXVI sine ulla necessitate, tantum ideo, ut situm clarius demonstraret, cognominavit adjecta voce *Italiæ* Volturnum mare, cujus nominis aliud mare nullibi fuit: *In Volturno* (inquit) *mari Italiæ arena alba nascens sex millia passuum littore inter Cumas, atque Lucrinum,* (repono *Liternum*, qua de correctione dicam alio loco) *quæ mollissima est:* Idem cognomen addidit Samnio, subjungens: *Xenocrates Obsidianum lapidem in India, & in Samnio Italiæ, & ad Oceanum in Hispania nasci tradit.* Sed forsitan ille hæc ad verbum expressit ex *Xenocrate* suo, quem allegat, quique, perinde ut *Athenæus*, Græcus fuit & extraneus Scriptor.

[*Latine dicta etiam* ager Campanus,] [*Qualibet alia longe celebrior.*] [Plinius Secundus illustratus.]

[*In hacce Campania sita fuit* Capua.]

Jam autem nostra *Capua* fuit urbs hujusce *Campaniæ*; cujus rei nos certos reddit, ut omnes alios taceamus, *Strabo*, gravissimus auctor. Ille enim descriptioni suæ universali, quam supra adduximus, postquam primum subjunxerat nomina maritimarum urbium ejus, & vicinarum insularum; mox de *Capua*, ut interpres ejus habet, ita pergit: *At vero in mediterraneis est Capua, re vera id, quod nomine ejus significatur; reliquas enim si ei compares, oppida sunt, excepto Teano Sidicino, quæ urbs est magni nominis.*

V. *Campania Capuana inter flumen Volturnum & Acerras, & inter Tifata montem atque mare.*

[*Alia Campania minor quæ neque Teanum comprehendit,*]

VErum ex historia *Livii* video, intra confinia ejusdem regionis aliam adhuc fuisse *Campaniam*, ideoque aliquanto minorem, & sensu acceptam arctiore. Ille enim lib. VII legatos Campanos, cum Senatui Romano exponerent preces suæ civitatis, quæ ad ejus auxilium contra Samnites confugiebat, ita loquentes inducit: *Parum fuit, quod semel in Sidicino agro, iterum in Campania ipsa legiones nostras cecidere.* Campani secundo victi erant acie ab Samnitibus in istac planitie campestri, quæ media erat inter ipsorum urbem & Tifata montem. Atque hoc prælium cum dicatur accidisse in *ipsa Campania*, secus ac prius illud, quod commissum erat in *agro Sidicino*, id est, *Teanensi*; certe hæc *Campania* non fuit illa, quam supra descripsimus ex *Strabone*, sed alia minor. quandoquidem idem Geographus, verbis illis, quæ paulo ante adduximus, satis indicavit, *Teanum* in istac *majore Campania* locum habere inter primarias ejus urbes. Et forte non alia quoque fuit istic mens *Livii*, ubi lib. XXIII narrans de legatis Philippi, Macedonum regis, qui missi ad Hannibalem, & intercepti a præsidiis Romanorum, deducti fuerunt ad M. Valerium Lævinum, Prætorem, *circa Nuceriam castra habentem*; dixit, principem hujus legationis, cum simulasset, se missum esse legatum ad populum Romanum, fuisse dimissum; unde ille *per præsidia Romana in Campaniam; inde, qua proximum fuit, in castra Annibalis pervenit.* Sane vero *Nuceria*, sita cis Minervæ promontorium, ad *majorem*, quam diximus, *Campaniam* pertinebat. Sed de quanam alia, quam etiam de hac minore potuit locutus fuisse *Tibullus* in hisce versibus lib. I *Eleg.* IX:

[Livius illustratus.] [*Neque Nuceriam,*] [Livius denuo illustratus.] [*Neque agrum Falernum.*]

Non tibi si pretium Campania terra daretur;
Non tibi si Bacchi cura, Falernus ager.

in quibus, perinde ut Nuceriam *Livius*, *agrum* ab illa separat *Falernum*, qui itidem fuit cis promontorium Sinuessanum? *Dionysius* etiam *Halicarnassensis* lib. I eandem distinctionem adhibens,

[Tibullus, Dionysius Halicarnassensis, & Varro illustrati.]

bens, [1] idem illud demonstrare videtur. Verba ejus ita Latine habent: *Cui frugiferæ regioni cedunt campi, qui vocantur Campani, qui non fluviis, sed aquis cœlestibus irrigantur?* Et mox: *Cui vitiferæ cedunt Etruscus, Albanus, ac Falernus, vitibus mirum in modum amici?* Certe ad aliam *Campaniam*, majorem hac, quam nobis exhibuit *Livius*, Falernus pertinuit; unde *Vibius Sequester*, quem nunc tantum allegare sufficiet, ita dixit: *Massicus mons Campaniæ in Falerno.* Sed si hoc est verum, illud quoque verum erit, *Varronem* similiter intellexisse hanc *angustam Campaniam*, in hisce verbis lib. I cap. II *De Re rustica*: *Quod far conferam Campano? quod triticum Apulo? quod vinum Falerno? quod oleum Venafro?* & in hisce *Rerum humanarum* cap. XI, quæ referuntur a *Macrobio*, *Saturnalium* lib. III cap. XVI: *Ad victum optima fert, ager Campanus frumentum, Falernus vinum*, &c. Et ex hisce duplex nostræ sententiæ petimus argumentum, cum *Varro* præter Falernum separaverit etiam a Campania Venafrum, quod a quibusdam collocatum quoque fuit in ista *Campania majore*. Et sane respectu summæ bonitatis, quæ erat olei Venafrani, *Plinius Secundus*, cum lib. III cap. V dissereret de eadem *ampliore Campania*, dicere potuit: *nusquam generosior oleæ liquor.* Hæc enim non fuit laus *minoris*, quam modo diximus, *Campaniæ*; de qua loquentes apud eundem *Plinium* auctores alii, ipso antiquiores, & e diverso extollentes ejus incomparabilem fœcunditatem segetum atque vini, eam appellaverunt *summum Liberi patris cum Cerere certamen*, & de oleo tacuerunt. Hanc autem distinctionem non videtur cognitam habuisse *Plinius*, unde soli *majori Campaniæ*, quam incipere dixit, ut etiam *Strabo* affirmaverat, ab Sinuessa, utramque istanc laudem concessit. Integra verba ejus hæc sunt: *Oppidum Sinuessa extremum in adjecto Latio.* Et deinde: *Hinc felix illa Campania est. ab hoc sinu incipiunt vitiferi colles, & temulentia nobilis, succo per omnes terras inclyto, atque (ut veteres dixere) summum Liberi patris cum Cerere certamen.* Et deinde: *Hæc littora fontibus calidis rigantur; præterque cetera in toto mari conchylio & pisce nobili annotantur: nusquam generosior oleæ liquor.* Sed veteres, quos ille dicit, non locuti sunt, ut forsitan ille sibi persuasit, neque de vino Falerno, neque de vino Vesuvii, neque de Surrentino, quod etiam in magna fuit æstimatione; (& fuit Surrentum itidem in *majore Campania* situm) verum illi dixerunt de copia vinorum [2] Gauri montis, qui *minoris Campaniæ* mons fuit, peræque celeber vini fœcunditate. Nonnihil miratus fuit *Plinium Joannes Stadius* in commentario ad *Flori* lib. I cap. XVI, eum *non adjecisse*, *& Palladis cum Libero & Cerere certamen*, *cum nihil Venafrano oleo celebrius sit & melius.* Sed ille mirari potius debuerat, ipsum *Plinium* non intellexisse sententiam istorum suorum auctorum veterum; quorum tempore, ut demonstrabo in sequente, & quarta harum *Dissertationum*, neque ad Venafrum, neque ad Falernum, neque ad Teanum, neque ad Nuceriam, neque ad Surrentum pertinebat *Campania*.

Neque Venafrum.

Plinius Secundus notatus.

Joannes Stadius notatus.

Verum utraque hæc *Campania* præter hoc commune *Campaniæ* nomen insuper habuit aliud, itidem commune. Sane enim si *major Campania* aliquoties alio nomine fuit appellata *ager Campanus*, & *campus Campanus*; haud secus *minor* hæc, si quid video, ab *Livio* fuit alicubi eodem nomine dicta. Induxit ille lib. VII legatos Campanos, de quibus supra diximus, querelas deferentes ad Senatum Romanum de Samnitibus, inter alia hisce verbis: *Parum fuit, quod semel in Sidicino agro, iterum in Campania ipsa legiones nostras cecidere.* In hisce, ut diximus, intellexit *minorem Campaniam*; & de eadem quoque loquitur paulo post, ubi hæc eorundem verba subjungit: *Eo ventum est, Patres Conscripti, ut aut amicorum, aut inimicorum Campani*

Campania minor, *itidem ut* major, *dicta etiam fuit* ager Campanus.

Livius pluribus locis illustratus.

1. Nihil video causæ, cur Dionysium heic dicamus Campania exclusisse *Falernum agrum*: nec satis etiam, cur Tibullum, seu quisquis jam composuit hoc distichon, quod in toto Tibullo frustra quæsivi; etsi de hoc facilius concedi potest. At separatim illi de agris Campanis, & *Falerno* sunt loquuti. Verum est. Itane igitur volumus priscos scriptores, & ipsos etiam poëtas, illustrem aliquem & cuilibet ex vulgo notissimum locum memorantes, manifeste semper debuisse indicare, cujusnam ille regionis esset, etiam ubi nihil minus agebant, quam ut Geographiam docerent; alioqui debere istum locum alterius fuisse regionis, quam illius, de qua in proximis dixerant? Sane vero multum falluntur meo quidem judicio, qui hanc sibi a veteribus ἀκρίβειαν spondent, ut adeo semper anxie illos & solicite sua lecturis olim consuluisse arbitrentur. Poëta ille, ut jam non dicam de metri legibus, quibus adstricti poëtæ sæpe aliquid plus minusve faciunt, quam facere historicum convenit, dicere voluit agros, a segetum vinique feracitate maxime commendatos, & utramque laudem adscripsit Campaniæ. *Falernum* vero, & ipsum Campaniæ agrum, sigillatim memorare voluit ob insignem celebritatem ejus, qui vinum ferebat, non in Campania modo, sed tota adeo Italia, omnium nobilissimum. Credibile etiam est, in universum Campaniam respectu reliquarum Italiæ regionum fuisse frugum, quam vinorum, copia atque præstantia affluentiorem, ideoque poëtam in genere universam Campaniam laudare voluisse a segetum, speciatim vero ejus agrum solummodo *Falernum* a vini ubertate. Sane enim & in reliqua Italia nascebantur vina, Campanis, excepto duntaxat Falerno, non deteriora: ut in agro *Etrusco*, & *Albano*, quos proinde Dionysius Halicarnassensis, cujus verba refert auctor, conjunxit cum *Falerno*: item in tractu circa Formias, unde Horatius *Falernas vites & colles Formianos* conjunxit lib. I *Ode* XX:

> *Cæcubum, & prælo domitam Caleno*
> *Tu bibes uvam: mea nec Falernæ*
> *Temperant vites, neque Formiani*
> *Pocula colles.*

Sed ut hoc obiter attingam, cum Formiani vini, quod ego quidem sciam, alii Scriptorum veterum non adeo celebrem fecerint mentionem, Horatium arbitror hic dicere voluisse vinum Fundanum, aut forte, Albanum, Fundano celebrius. Ceterum ita Strabo quoque lib. V una cum *Falerno*, & *Statano*, quod itidem Campaniæ vinum erat, numerat inter nobilia Italiæ vina *Cæcubum*, *Fundanum*, *Setinum*, *Albanum*, omnia extra Campaniam. Sed ut ad Dionysium revertamur, exponere ille voluit Italiæ fertilitatem: & *Campaniæ* quidem frumenti; *Messapiorum*, *Dauniorum*, *Sabinorum* agris olei; vini autem *Etrusco*, *Albano*, ac *Falerno* insignem adscripsit ubertatem. Sejunxit Falernum a Campania, non quod is extra illam regionem contineretur, sed quia seorsum referre volebat Italiæ agros, qui frugum, tum qui olei, tum qui vini maxime erant feraces. Itaque primorum loco in genere memoravit Campaniam, quam in universum non tanta fuisse vinorum, quanta frugum, ubertate diximus esse credibile. Atque adeo istanc laudem non soli adscripsit Campaniæ aut ejus agro *Falerno*, sed quia extra Campaniam Etruscus quoque & Albanus ager vino suo, quod ferebant, satis erant celebres, conjunctim tres istos agros ab ista vini feracitate commendavit, quemadmodum & antea conjunxerat diversarum Italiæ regionum agros, qui olei copia erant insignes. Sed ut rem in pauca conferam, certe Augusti ævo, quo imperante floruit Dionysius, utrumque Latium, ideoque sine controversia *Falernus* etiam, Campaniæ contributum fuit, ut ipse ostendit auctor sequenti cap. VII: ut adeo tanto minus sit probabile, *Falernum* ab eo Campania fuisse exclusum. Denique cum veteres, ut refert Plinius Secundus, cujus verba paulo post adducit auctor, Campaniam dixerint *summum Liberi patris cum Cerere certamen*, certe ad hanc Campaniam, quam illi hoc ornaverunt magnifico titulo, *Falernus* quoque pertinuit, quippe qui vinum ferebat, omnium in Italia præstantissimum. Atque adeo valde miror nostrum, qui in sequentibus autumat, veteres istos apud Plinium loquutos esse de angusta illa, quam ipse *Falerno* multare conatur, Campania. Æque nihil ad sententiam ejus facere videntur loci, quos paulo post ex Varrone affert: quantum quidem ad *agrum Falernum* attinet. nam de Venafro contendere nolim.

2. Ecquis credat, veteres tanto cognomine dignatos fuisse Campaniam, ut eam *summum Liberi patris cum Cerere certamen* dicerent, propter unius hujus montis fœcunditatem vini, quem ipse auctor *Dissert.* II cap. XVII ostendit vix dimidiam partem fuisse consitum vitibus? Fuit quidem Gauro sua quoque laus apud veteres: sed fuisse eum æque celebrem, ac Falernum, ut vult auctor, id vero nemini persuasum iri credo, qui in veterum lectione vel mediocriter versatus fuerit.

pani ſimus. Si defenditis, veſtri; ſi deſeritis, Samnitium erimus. Et mox: *Vobis arabitur ager Campanus: vobis Capua urbs frequentabitur.* Certe hujus *agri Campani*, ſeu *Campaniæ minoris*, non autem *majoris*, quæ ab iſta parte circa Nolam, & etiam ulterius jam inde a longo tempore Samnitibus parebat, ut alibi demonſtrabitur, cum defenſionem in ſeſe populus Romanus Senatuſque recepiſſet, miſit legatos, qui poſt alias amicas petitiones, denique *denunciarent Samnitibus populi Romani Senatuſque verbis, ut Capua urbe, Campanoque agro abſtinerent.* Et cum idem auctor in ſequentibus etiam locis non fuerit locutus de iſtoc *majore agro Campano*, ut quilibet ultro obſervare poterit, neceſſe eſt, ut de alio *minore agro Campano* intelligendum ſit etiam illud, quod lib. VIII ſcripſit, ubi de populo Palæpolitano ita narrat: *Multa hoſtilia adverſus Romanos*, [1] *agrum Campanum Falernumque* (fuit Falernus ultra Volturnum flumen) *incolentes fecit.* Item illud ejuſdem libri, ubi Samnites refert legato Romano reſpondiſſe ad hunc modum: *Noſtra certamina, Romani, non verba legatorum, nec hominum quiſquam diſceptator, ſed campus Campanus, in quo concurrendum eſt, & arma, & communis Mars belli decernet. proinde inter Capuam Sueſſulamque caſtra caſtris conferamus.* Item illud lib. XXIII, ubi de Hannibale, poſt partam contra Romanos victoriam ad Cannas in Apulia, ita ſcribit: *Per agrum Campanum mare inferum petit, oppugnaturus Neapolim, ut urbem maritimam haberet.* Item illud ejuſdem libri, ubi dicit: *Q. Fabius, ut profectum in Apuliam Annibalem audivit, frumento ab Nola Neapolique in ea caſtra convecto, quæ ſuper Sueſſulam erant, munimentiſque firmatis, & præſidio, quod per hyberna ad tutandum locum, ſatis eſſet, relicto; ipſe Capuam propius movit caſtra, agrumque Campanum ferro ignique eſt depopulatus.* Et ubi denuo ſcribit de eodem Fabio, qui prædandi finem fecerat: *Quieta inde ſtativa fuere, ac retro etiam conſul movit caſtra, ut ſementem Campani facerent; nec ante violavit agrum Campanum, quam jam altæ in ſegetibus herbæ pabulum præbere poterant.* Denique illud lib. XXV: *Conſules a Benevento in Campanum agrum legiones ducunt, non ad frumenta modo, quæ jam in hybernis erant, corrumpenda, ſed ad Capuam oppugnandam.* Et, quod mox ſubjungit: *Conſules agrum Campanum ingreſſi cum paſſim popularentur, eruptione oppidanorum & Magonis cum equitatu territi ac trepidi, ad ſigna milites palatos paſſim revocarunt.* Igitur cum in omnibus hiſce locis non potuerit Livius iſtoc nomine agri *Campani* intellexiſſe *majorem Campaniam*; de quonam alio campo, quam de hocce, qui itidem ab illo dictus alio nomine fuit *Campania*, ſed amplitudine minor fuit, illum locutum credimus? Verum etiamne hic ager, qui iſtac, quam diximus, *majore Campania* multo fuit anguſtior, forſitan ille fuerit, cujus nobis certam quoque menſuram prodidit, Cicero, qui de eodem egit pluribus locis? Sed quonam modo hoc eſſe verum poſſit, expediet, ut diligenti obſervatione inveſtigemus.

1. Heic quidem manifeſte Livius agrum Falernum Campaniæ exemit. Nimirum paullo ante hæc tempora, de quibus in his ille narrat, Romani Campanis ademerant Falernum in pœnam defectionis, ut idem teſtatur lib. VIII cap. XI: *Latinus ager Privernati addito agro, & Falernus, qui populi Campani fuerat, uſque ad Vulturnum flumen plebi Romanæ dividitur.* Atque adeo miror noſtrum, quod hunc locum non adduxit in præcedentibus, ubi ex Tibullo, Dionyſio Halicarnaſſenſi, & Varrone probare nitebatur, Falernum quondam extra Campaniæ fuiſſe terminos. Ceterum videtur hæc *minor Campania* minimum duraviſſe uſque ad captam ab Romanis bello Annibalico Capuam, quo tempore penitus immutatus eſt Campaniæ ſtatus: ut adeo ſatis ſit probabile, Livium ſequentibus etiam locis, quos affert auctor, de eadem dixiſſe *minore Campania*.

Ager quidam Campanus, *qui non erat idem cum majore Campania*,

Prolixe hic Orator egit in *Orationibus contra Rullum* de quodam *agro Campano*, & ejus diviſionem diſſuaſit, quam ille, qui tribunus plebis erat, facere parabat inter cives Romanos. Atque illud ſatis expeditum eſt, eum non intellexiſſe *Campaniam majorem*, de qua egimus; ſiquidem aperte eum diſtinxit a *campo Stellate*, qui intra ipſam *majorem Campaniam* ultra Volturnum flumen fuit, ut ſuo loco demonſtraturus ero; neque erit, credo, qui illud neget. *Atque his colonis* (dixit in *Oratione* prima) *agrum Campanum, & Stellatem campum dividi jubet.* Et in ſecunda: *Adjungit Stellatem campum agro Campano.* Deprehendimus etiam eum non fuiſſe locutum de prædicta ampliore *Campania*, quæ multas habebat urbes, inde quod illum deſcripſit ſitum intra eaſdem & concluſum. *At vero* (hæc ſunt ejus verba in eadem ſecunda *Oratione*) *hoc agri Campani vectigal cum ejuſmodi eſt, ut domi ſit, & omnibus præſidiis oppidorum tegatur; tum neque bellis infeſtum, nec fructibus varium, nec cœlo ac loco calamitoſum eſſe ſolet.* Ita ut alludens ad ejuſmodi ſitum ejus iſtam ſuſpicionem prodat, quaſi idem Rullus cum factione ſua ultra diviſionem dicti campi, deducere etiam pararet novas colonias in oppida circumjacentia. *Et multitudo*, (dixit) *Quirites, quæritur, qua illa omnia oppida compleantur. Nam dixi antea, lege permitti, ut, quæ velint municipia, quas velint veteres colonias, colonis ſuis occupent. Calenum municipium complebunt: Teanum opprimênt: Atellam, Cumas, Neapolim, Pompejos, Nuceriam ſuis præſidiis, devincient. Puteolos vero, qui nunc in ſua poteſtate ſunt, ſuo jure libertateque utuntur, totos novo populo, atque adventitiis copiis occupabunt.*

Sed cinctus erat ejuſdem oppidis,

Hic ager quondam fuerat in poteſtate Campanorum, quod affirmat idem auctor hiſce verbis: *Majores noſtri non ſolum id, quod a Campanis ceperant, non imminuerunt, verum etiam, quod & tenebant, quibus adimi jure non poterat, coëmerunt. qua de cauſa nec duo Gracchi, nec L. Sulla agrum Campanum attingere auſus eſt.* Et mox: *Statuerunt homines ſapientes, ſi agrum Campanis ademiſſent, magiſtratus, ſenatum, publicum ex illa urbe concilium ſuſtuliſſent, imaginem reipublicæ nullam reliquiſſent, nihil fore, quod Capuam timeremus.*

Et fuerat quondam Campanorum.

Et idem debuit fuiſſe hic ager, quo Capua cincta erat, ſiquidem ſubjungit: *Itaque hoc perſcriptum in monumentis veteribus reperietis, ut eſſet urbs, quæ res eas, quibus ager Campanus coleretur, ſuppeditare poſſet; ut eſſet locus comparandis condendiſque fructibus, ut aratores, cultu agrorum defeſſi, urbis domiciliis uterentur, idcirco illa ædificia non eſſe delcta. Videte, quantum intervallum ſit interjectum inter majorum noſtrorum conſilia, & iſtorum hominum dementiam. Illi Capuam receptaculum aratorum, nundinas ruſticorum, cellam atque horreum Campani agri eſſe voluerunt: hi expulſis aratoribus, effuſis ac diſſipatis fructibus veſtris, eandem Capuam ſedem novæ reip. conſtituunt, molem contra veterem remp. comparant.* Unde conſequens erat, dividere eundem agrum non fore aliud, quam coloniam deducere *Capuam.* Et ſatis manifeſte hoc indicavit idem *Cicero*, ubi dixit: *At enim ager Campanus hac lege dividetur, orbis terræ pulcherrimus; & Capuam colonia deducetur, urbem ampliſſimam, atque ornatiſſimam.* Quo etiam reſpiciunt ſequentia verba ejus: *De commodo veſtro prius dicam, Quirites, deinde ad amplitudinem & dignitatem revertar; ut, ſi quis agri, aut oppidi bonitate delectatur*, (conjungi cum agro unum tantummodo oppidum; atque hoc eſſe *Capuam*, mox dicet) *ne quid exſpectet: ſi quem rei dignitas commovet, ut huic ſimulatæ largitioni reſiſtat. Ac primum de oppido dicam, ſi quis eſt forte, quem Capua ma-*

In cujus medio Capua ſita fuit.

Idem tantum quinquaginta millium jugerum fuit,

magis, quam Roma delectat. Jam vero cum amplitudo hujus agri, ut verbis sequentibus indicabit idem auctor, [1] non expleret quinquaginta millia jugerum, & idem Rullus vellet in eum deducere quinque millia colonorum: *Quinque millia colonorum Capuam scribi jubet*; & singulis decem jugera dare: *Si non modo dena jugera dari vobis, sed ne constipari quidem tantum numerum hominum posse in agrum Campanum intelligetis*; parabat ille tantum campi Stellatis adjicere, quantum Campano ad istum numerum deesset: *Adjungit Stellatem campum agro Campano, & in eo duodena describit in singulos homines jugera: quasi paulum differat ager Campanus ac Stellatis.* Scripsit ille de eodem *agro Campano* etiam aliquot annos post ad *Atticum* lib. II *epist.* XVI; ibique respondit ad literas ejus, ex quibus intellexerat, denuo parare Cæsarem eundem agrum dividere, & coloniam deducere *Capuam*; quod deinde etiam perfecit, & eo deduxit circiter viginti millia civium Romanorum, qui minimum trinos habebant liberos. Atque hac de re locuti sunt *Vellejus* noster lib. II, *Appianus Alexandrinus* lib. II *De Bello civili*, *Suetonius* lib. II cap. XX, aliique. Ceterum in eadem *epistola Cicero* itidem nobis exposuit, istum agrum non explere mensuram, quam supra diximus, aut ægre eam explere. Verba ejus hæc sunt: *Deinde ut me consoler, omnis exspectatio largitionis agrariæ in agrum Campanum videtur esse derivata; qui ager, ut dena jugera sint, non amplius hominum quinque millia potest sustinere. Joannes Baptista Pius*, in notis ad hanc *epistolam Ciceronis*, existimavit, pro *ut dena jugera sint*, legendum hic esse, [2] *ut dena M. jugera sint.* & eum secuta est editio quædam. Verum ejusmodi sententiæ, quæ publicum *agrum Campanum* in angustum adeo spatium coarctat, eumque multis implicat difficultatibus, non video ab quoquam alio vel minimam fuisse rationem habitam: ut adeo & ego supervacuum esse putem pluribus de ea agere. Verior igitur interpretatio est *Sebastiani Corradi*, & *Pauli Manutii*, qui hunc locum ita explicant: *Ut dena jugera sint*, id est, *quæ singulis dentur*; perinde ut si plenius dixisset *Cicero*: *Si dena singulis jugera dividantur, ut proximis literis significas.* Quinquaginta millia jugerum conficiunt septem & triginta millia jugerum nostrorum, ultra pauca quædam cum passibus aliquot. Si jugerum veterum æstimamus, ut vult *Columella De Re rustica* lib. V cap. I, in longitudinem pedibus veterum CCXL, in latitudinem CXX; jugerum autem nostrum in unumquodque latus passibus XXX, quemlibet passum æstimando spithamis septem, cum parte quinta; & XXI pedes conficiunt spithamas XXIII. Igitur *Livius* quoque, & *Dionysius Halicarnassensis*, & *Varro*, quos supra adduximus, videri possunt locuti esse de hoc *agro Campano*, qui fuit peculiare Capuæ territorium, & ejus amplitudinis, quam diximus. Eundem forsitan etiam intellexerit *Livius*, & itidem *Tibullus Campaniæ* nomine, ut adeo hæc fuerit ista *Campania minor*.

Joannes Baptista Pius refutatus.

Et istæc pars Campaniæ Capuanæ,

Nihilominus ego arbitror, istunc *agrum Campanum*, quem memoravit & descripsit nobis *Cicero*, tantum fuisse partem integræ ditionis, seu territorii Campani, olim iisdem in perfidiæ pœnam adempti bello ab Romanis; de quo locuti fuisse *Livius* aliique auctores, quos supra adduximus, negari nequeunt. Atque hujus rei nos admonet idem *Livius*. Ditionem *Campanam*, sive, quem supra diximus, *agrum Campanum*, qui alio nomine appellatus fuit *Campania*, quam ego *minorem* dico, quæque mihi videtur haud absurde appellari posse *Campania Capuæ*, sive *Capuana*, cum populus Romanus sibi jure belli subjecisset, variis modis & diversis ex partibus illam truncavit satis ampla portione; licet illud neget *Cicero* in citata *Agraria* II, verbis istis, quæ haud multo ante retulimus. *Quia pecunia ad bellum deerat*, (inquit Livius lib. XXVIII) *agri Campani regionem a fossa Græca ad mare versam vendere quæstores jussi; indicio quoque permisso, qui ager civis Campani fuisset, ut is publicus populi Romani esset. indici præmium constitutum, quantæ pecuniæ ager indicatus esset, pars decima.* Et lib. XXXII: *Creati censores, P. Cornelius Scipio Africanus & P. Ælius Pætus. Hi magna inter se concordia portoria Capuæ Puteolisque; item Castrorum portorium, quo in loco nunc oppidum est, fruendum locarunt; colonosque eo trecentos (is enim numerus finitus ab Senatu erat) adscripserunt; & sub Tifatis Capuæ agrum vendiderunt.* Et lib. XXXIV: *Coloniæ civium Romanorum eo anno deductæ sunt Puteolos, Volturnum, Liternum: trecenti homines in singulas. Item Salernum Buxentumque coloniæ civium Romanorum deductæ sunt. deduxere triumviri, Tib. Sempronius Longus, qui tum consul erat, M. Servilius, Q. Minucius Thermus. ager divisus est, qui Campanorum fuerat.* Igitur totus ille ager, quem Romani ademerunt Campanis, id est, *peculiare ipsorum territorium*, a Tifatis monte usque ad mare pertinebat; & ab altera parte, id est, a latere versus Volturnum flumen, conveniens videtur ad Acerras usque porrectum fuisse, quod & ipse loci adspectus haud sine ratione nobis persuadet, & *Festus*, quem paulo infra adducemus, idem cogitandi ansam præbet. Et ad hunc modum dicere etiam conveniet, hanc itidem fuisse *minorem* illam *Campaniam*, cujus *Livius*, & *Tibullus*; & minorem illum *agrum Campanum*, cujus idem *Livius*, & *Dionysius Halicarnassensis*, & *Varro* mentionem fecerunt. Locutus quidem fuit *Cicero* de eodem agro; sed diversis modis, quos mox ex *Livio* retulimus, & forsitan alio quoque, ignoto nobis, id istanc exiguitatem & mensuram imminuto, quæ ab ipso descripta est. Et adeo fuit ille tertius ager, tantundem ab secundo diversus, quantum secundus diversus fuit a primo, qui omnium maximus fuit; unde non injuria mihi visus est appellandus esse *majoris Campaniæ* nomine.

Cicero illustratus.

Quæ publica erat, & populi Romani,

Insuper hoc mihi notandum esse videtur, Oratorem illum locutum fuisse de isto *agro Campano*, qui publicus erat, & populi Romani, neque idem fuit cum integra Campanorum ditione, sive illam appellare libet *Campaniam Capuanam*. Ita *Cicero* in eadem *Oratione* II, *contra Rullum*: *Cum P. Lentulus, princeps Senatus, in ea loca missus es-*

1. Non video, quomodo cohærere possint auctoris verba, qui hic *agrum Campanum*, quem dividere parabat Rullus, non explevisse dicit quinquaginta millia jugerum, ut & Cicero, cujus verba proxime subjiciuntur, manifeste affirmat. At ipse sibi & Ciceroni adversatur noster, ubi in margine notat, eundem agrum *quinquaginta millium jugerum fuisse.* Mox de eodem quoque loquutum fuisse vult Ciceronem ad *Atticum*: quod si verum est, Ciceronem neutiquam sibi constare, cuivis facile est animadvertere, qui verba ejus, quæ ab auctore referuntur, inspexerit. Diserte enim scripsit ad Atticum, agrum istum posse hominum millia quinque sustinere: id est, quinquaginta millia jugerum habere. Atque adeo non satis accurate dixit auctor, *Ciceronem in illa epistola itidem nobis exposuisse agrum istum prædictam mensuram non explere, aut ægre eam explere.* Facile igitur patet, nostrum fluctuavisse animo, & inconstanter pronunciavisse de hujus agri mensura, quia Ciceronem videbat diverse de ea loquutum, quanquam id silentio præteriit. Atque hæc difficultas non satis commode videtur posse explicari, nisi aut numeros apud Ciceronem esse corruptos dicere velimus, aut eum de ampliore agro Campano, quam aliquot annis ante contra Rullum dixerat, ad Atticum scripsisse: quod eruditis investigandum relinquo.

2. Si ita correxit ille Baptista Pius, nescio ubi fuerit mens ejus, cum illud scriberet. Sane enim ex ratione grammatica, ut vel pueri noverunt, debuerat scribere: *ut decem M. jugerum sint.*

ſet, ut & privatos agros, qui in publicum Campanum incurrebant, pecunia publica coëmeret; dicitur renunciaſſe, nulla ſe pecunia fundum cujuſdam emere potuiſſe. Etenim Romani ne quidem aliam publicaverunt, quam iſtam ejus partem, quam ipſi jure belli ademerant Campanis, qui hoſtes ipſorum fuerant; ſicut intelligi potuit ex verbis ejuſdem auctoris, quæ ſupra retulimus. Etiam heic illud obſervetur, quod ſi inter alias Campanorum pœnas, quas commeruerant, etiam illa fuit, ut eorum agri publicarentur, qui tantum fuerunt pars quædam integræ ditionis eorundem, & *Campaniæ Capuanæ*; ad cetera quod attinet, etiam eandem Capuanam regionem, & civitates ejus, quas paulo poſt ordine enumerabimus ex *Feſto*, deinde eadem fuiſſe conditione, qua ipſa erat *Capua*, id eſt, itidem præfecturas Romanorum; licet quædam earum ſecutæ fuiſſent iſtoc bello partes Romanorum, iiſque haud ſpernendam navaſſent operam, ut affirmat *Livius* lib. XXIII, XXIV, & XXV; ex quorum numero fuerunt Caſilinum, Volturnum, Liternum, Cumæ, & Puteoli. Sed illud ea de cauſa factum eſt, ego ſi quid video, ut ne rumperetur vetus eorum conſociatio, per quam conjunctim diu jam pertinuerant ad eandem *Capuanam Campaniam*, cujus metropolis & caput fuerat *Capua*. Ceterum *Hadrianus* quoque *Turnebus*, exponens, quam ſupra diximus, primam *Ciceronis Orationem*, animadvertit, illum per *agrum Campanum* non intellexiſſe totam *majorem Campaniam*, quantumvis de ſumma fœcunditate ejus iſtoc modo locutum, quo potius de eadem *majore Campania* loqui conveniebat; *Verum* (ut ejus verbis utar) *de agro Capuæ, qui ager Campanus dicebatur*, dixiſſe. Idem animadvertens etiam *Paulus Manutius*, in *Commentario* dixit, hunc Oratorem fuiſſe locutum *non de tota Campania, ſed de agro, qui circa Capuam eſt.* Veruntamen neuter obſervavit, hunc publicum agrum Capuæ non fuiſſe integrum territorium Campanum; quod, etiamſi nobis deeſſet argumentum, quod attulimus, habuiſſe tantum quinquaginta millia jugerum, ſeu ſeptem & triginta millia jugerum noſtrorum, ſane incredibile eſt. Verum *Iſaacus Caſaubonus*, qui adhuc minus fuiſſe cognitam ſibi diſtinctionem horum agrorum indicavit, arbitratus eſt, eundem agrum publicum multo majorem fuiſſe menſura iſta, quam diximus. Ait enim in *Commentariis* ad *Suetonii* locum, [1] quem ſupra allegavimus, *parum Ciceroni Campani agri modum fuiſſe cognitum. Quem enim putabat ille* (nempe in *epiſtola ad Atticum*, quam ſupra citavimus) *vix ſuffecturum quinque hominum millibus agrum, ſufficit* (in diviſione ſcilicet, quam fecit Cæſar) *viginti*; quibus ſingulis non minor, quam decem jugerum numerus, ut ille ſubjunxit, aſſignari debuit. *Cum enim* (& hæc quoque ejus verba ſunt) *ille modus ſit parvus, etiamſi quis liberos non haberet; quis putet, breviorem eo aſſignatum liberos habentibus? Prorſus a Cæſaris munificentia aliena hæc μικρολογία eſt.* Et certe Cæſar, ut teſtatur idem *Cicero*, parabat aſſignare ſingulis decem jugera: ut adeo multo major quinquaginta millibus jugerum debuerit iſte ager fuiſſe, qui ad illum modum ſufficere potuit viginti millibus colonorum. Fuit quidem publico agro Campano campus Stellatis adjunctus; *ſed ea exigua appendix fuit* (reſpondet idem *Caſaubonus*) *præ Campani magnitudine, cujus pars erat.* Et adeo concludit ille, *Ciceronem* manifeſtum admiſiſſe errorem in

Hadrianus Turnebus & Paulus Manutius laudati, & alio nomine notati.

Quæque non potuit ſufficere colonis, quos Cæſar Capuam deduxit.

1. Hic Suetonii locus eſt lib. I cap. XX: & allegavit eum auctor, ſed ipſa verba non adduxit, hoc ipſo capite, in principio diſputationis de agro Campano, quem Cæſar diviſit inter cives Romanos.

A iſtac menſura. Sed omnino tamen Caſaubonum erraviſſe oportet niſi illud, quod ibidem ipſe dicit, ſed alia mente, credere libet, *Ciceronem, cui toties, quæ ex negotio, quæ in æſtivo ſeceſſu animi cauſa luſtrata Campania, rem ignoraſſe, in tam facili cognitione poſitam.* Quapropter potius illud dicere conveniet, Cæſarem, ut perficeret deductionem ſuam, publico agro Campano non tantum adjeciſſe Stellatem campum; quem ſi iſtius appendicem fuiſſe volumus, non video, quomodo ſimul poſſit dici pars ejuſdem, cum potius *Campaniæ majoris* pars fuerit; ſed illi addidiſſe alios quoque agros, quos eam in rem emit eodem modo, quo illos emere paraverat etiam Rullus. B *Hac pecunia* (Oratoris de Rullo verba ſunt) *jubet agros emi, quo deducamini.* Et mox: *Libet agros emi. Primum quæro, quos agros, & quibus in locis? Albanus ager eſt, Setinus, Privernas, Fundanus, Veſtinus,* (lege *Veſcinus*) *Falernus, Liternus, Cumanus, Caſinas.* (lege *Caſilinas*) Et ut rem in pauca conferamus, nonne Cæſar eadem ſua lege agraria, qua, ut lib. XXXVIII narrat *Dio*, aliter diviſit publicum agrum Campanum, quam primum deliberaverat; diviſit, ut verbis utar interpretis ejus, *omnem regionem, quæ publica populo Romano erat: reliquam nec invitis dominis ademit, nec pretium arbitrio diviſorum conſtituit: ſed emi* C *eam primum a volentibus juſſit, deinde tantum numerari pretium, quantum in proſcriptionibus judicabatur?* Atque hac certe ratione evenit, ut non colonos Cæſaris ſpes promiſſorum, ſed *Ciceronem* ſuapte opinio fruſtrata ſit, ut intelligi poteſt ex eo, quod ipſe dein *Philippica* II de Capua dixit, ubi illi laudem tribuit *florentis coloniæ*. Idem ſatis teſtatur *Frontinus*, apud quem in libello *de Coloniis* eadem legitur appellata cognomine *Juliæ felicis*; ut taceam, quod de ea lib. V ſcripſit *Strabo*: ſua ſcilicet ætate (& vixit ille temporibus Auguſti & Tiberii) illam retinere dignitatem ſuam antiquam cum aliis privilegiis, & gau- D dere ſatis felici & læto rerum ſtatu. Veruntamen poſſit aliquis credere, ſi præter hunc publicum & Stellatem fuiſſent ab Cæſare diviſi etiam alii agri, *Suetonium* illud non fuiſſe taciturum, qui nonniſi de hiſce duobus narravit. *Campum Stellatem,* (dixit) *majoribus conſecratum, agrum Campanum ad ſubſidia reip. vectigalem relictum, diviſit extra ſortem.* Sed quid obſtat, quo minus dicamus, haud ſane multum curaviſſe illum campos iſtos minores, cum per diviſionem illorum, quos dixerat, quorum unus erat publicus, alter credebatur ſacer, abunde indicaſſet illud, quod iſtic indicare volebat: id eſt, Cæſarem immodi- E ca uſum licentia, qui *ex eo tempore* (ut ipſius verbis utar) *omnia in rep. ad arbitrium adminiſtravit?* Sane *Appiano Alexandrino*, & *Dioni*, qui etiam hanc rem memoriæ prodiderunt, ſufficere viſum fuit locis illis, quos ſupra citavimus, mentionem facere tantum publici agri Campani. Verbum hac de re non addam, quia forſitan ultra quam conveniebat, a cœpto argumento digreſſus ſum.

Igitur ut redeamus ad *Campaniam*, & *agrum Campanum*, de quibus diximus, fuiſſe iſtud geminum nomen unius ejuſdemque regionis; item fuiſſe geminam regionem, unam incluſam alteri, F & utramque ejuſdem gemini nominis; geminum iſtud nomen, ſi recte obſervetur, nonniſi fuit unum idemque nomen, & tantundem valuit *Campania*, quantum *ager Campanus*; & viciſſim. Atque hujus rei *Tibullus* in verſibus, quos haud multo ante attulimus, non leve nobis argumentum ſuppeditat. Ille enim demonſtraturus regionem, quæ perinde utroque nomine appellabatur, neque uno, neque altero voluit uti, ſed compoſuit illa,

Ceterum omnino ejus ſpatium non fuit prædicto amplius.

Cicero defenſus. Caſaubonus refutatus & notatus pluribus de cauſis.

Cicero, Frontinus, & Strabo, teſtes collati.

Suetonius illuſtratus.

Appianus Alexandrinus & Dio conſentiunt cum Suetonio.

Campania & ager Campanus fuit unum idemque nomen:

Tibullus illuſtratus.

Quemadmodum etiam unum idemque nomen fuit Campania, & Campania terra, *per communem loquendi usum apud Latinos & Græcos.*

illa, & dixit *Campania terra*, pro simplici *Campania*, seu *terra Campana*, quod tantundem valebat, quantum *ager Campanus*. Neque vero in hisce verbis usus ille est ulla licentia poëtica, ut neque usus est *Vitruvius*, qui lib. VIII cap. III hæc nobis verba reliquit: *Item sunt nonnullæ acidæ venæ fontium, ut Lyncesto, & in Italia Virena, & in Campania Teano*; neque *Plinius Secundus*, ubi lib. XV. cap. XXIII. laudat castaneas, quæ nascuntur *in Campania Neapoli*. Atque horum uterque prosa oratione scripsit. [1] Nimirum fuit illa forma loquendi satis usitata apud elegantiores Latinos, ut notavit *Janus Laurenbergius* in *Antiquario* suo, ad vocem *Terra Gallia*; & *Hieronymus Columna* Tom. II collectionis suæ *Fragmentorum Ennii*, in expositione libri III *Satyrarum* ejusdem. Imo fuit illa frequens adeo & communis, ut multi monere non neglexerint, ad eundem modum restitui debere plures locos veterum scriptorum, qui hodie in exemplaribus leguntur istoc alio modo, magis vulgari. Ita *Valens Acidalius* in principio *Velleji* nostri *Historiarum* legi vult: *magna vis Græciæ juventutis*, & non amplius *Græcæ*. Ita etiam *Christophorus Riccardus* cap. LXXX *Petronii Arbitri* in hisce verbis: *Cocytia perfusus aqua*, pro *Cocytia* reponit *Cocyta*, ut etiam metri ratio postulabat. Ita denique *Salmasius* ad *Tertulliani* cap. V *De Pallio* observat, quod hic auctor *Venetias Sutrinas dixit*, ἀρχαϊκῶς *pro Venetas*; *ut Galliæ mulieres apud Sallustium: ut terra Italia, & terra Gallia apud Livium.* Atque adeo hoc loquendi genus non solum fuit poëticum & figuratum, sed proprium, & usitatum quoque elegantioribus, qui prosa oratione scripserunt. Igitur *Campania terra* idem valebat, quod simplex *Campania*, & compositum *terra Campana*, sive *ager Campanus*. Et vicissim quælibet harum locutionum idem valebat, quod illa altera; nec minus unaquaque earum *major Campania*, ut *Vitruvii* locus, quem adduximus, indicat, quam *minor* denotabatur. Ceterum hac de re jam videor mihi dixisse, quantum satis est.

Campaniæ *nomen alii a minore ad majorem extensum, alii ab hac ad illam restrictum existimaverunt.*

Verum de hacce duplici, eademque confusa plurium nominum regione, quæ tamen re vera nonnisi unum solummodo nomen sunt, videtur quasi data opera nos admonere voluisse *Livius*, ubi hoc modo locutus est: *In ipsa Campania legiones nostras cecidere*: quasi scilicet altera illa clades, quam Campani in agro Sidicino acceperant, & ipsa quoque acciderit quidem in *Campania*, verum accepta alio sensu, minus proprio. Atque hinc apparet, *Livii* sententiam contrariam fuisse illi, in qua fuisse *Strabo*, ipse indicavit; & *Campaniam veterem* illam fuisse hanc *minorem*, cujus nomen deinde extensum quoque fuerit ad istam alteram. Sed, ut supra diximus, hic Geographus respexit ad tempora, multo antiquiora hisce, de quibus dixit *Livius*; [2] ita ut mutato veteri istius nominis usu propter imminutum priscum Campanorum imperium, existimaverit ille, idem nomen ab angustiore jam & *minore Campania* deinde fuisse translatum ad reliquias conjunctæ regionis; ideoque fuisse proprium illius & peculiare nomen. Ex ista opinione sua locutus est *Strabo* lib. V, ubi de Teano Sidicino, ut interpres ejus habet, ita dixit: *Ipso cognomine ostendit, se ad Sidicinos pertinere, qui sunt Osci, gens Campanorum superstes, ita ut possit Campaniæ dici.* Ut hoc obiter moneamus, est hæc versio *Gulielmi Xylandri*, in qua nihil mutavit *Casaubonus*. Neque aliter eadem verba interpretatus est *Guarinus Veronensis*, qui ita scripsit: *Teanum, quod Sidicinum vocant, ordine deinde situm, ex imposito vocabulo Sidicinorum esse demonstratur; qui ex Oscorum gente Campana restant.* Sed Græca habent ad hunc modum: ἔτοι γὰρ Ὄσκοι, Καμπανῶν ἔθνος ἐκλελοιπός, id est: *sunt hi namque Osci, Campanorum gens desita.* Et consona hisce paulo ante idem Geographus dixerat de iisdem Oscis: τῶν μὲν γὰρ Ὄσκων ἐκλελοιπότων ἡ διάλεκτος μένει παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις, id est: *namque Oscorum desitorum sermo manet apud Romanos*; quod ibidem ipse miratur. Ceterum & hic, & infra quoque alibi usus sum versione illa vulgata, quam dixi; verum in *Dissertatione* quarta, ubi ex professo de hac gente agemus, accuratius attendendum erit ad Auctoris verba Græca. Porro ex hisce *Strabonem* etiam secum conciliamus. Neque enim video, quomodo ille istud ita mirari potuerit, si ex ipsis Oscis adhuc superstites erant Sidicini, quos forte ultimos fuisse omnium Oscorum, non negaverim. Sed ut ad *Teanum* revertamur, cum *Strabo* hanc urbem, quæ erat in confinio Latii novi, adjunxerit Campaniæ, tantum ideo, quia illa fuerat Oscorum, id est, gentis Campanæ; satis patet, eum istoc loco extendisse *Campaniam* ultra ripam Volturni fluminis, & mox ultra Minervæ promontorium, ad Silarum usque amnem, secundum descriptionem ejus antiquissimam. Verum *Livius*, itidem existimans, *Campaniæ* nomine demonstrari regionem, quam tenuerunt *Campani*, credidit, proprie dictam & primitivam *Campaniam* non continere Teanum; quia respexit ad ultima tempora imperii illorum, & tempora belli Punici secundi. Tum autem versus Occidentem non ultra flumen Volturnum, & versus Orientem non ultra Acerras porrigebatur *Campania*, ut ex illis, quæ mox subjungam, manifeste apparebit. De hacce angusta *Campania* locutus est ille lib. XXIII, ubi Terentium Varronem, consulem Romanorum, ad Legatos quosdam Campanorum, qui ad ipsum venerant post prælium, ad Cannas commissum, inter alia hæc dixisse refert: *Triginta millia peditum, quatuor equitum, arbitror ex Campania vos scripsisse*; sive, ut legere *Lipsio* in *Quæstionibus epistolicis*, lib. II *epist.* VIII, & novissime *Gronovio* in *notis* ad eadem verba *Livii*: *ex Campania scribi posse*. Quæ lectio in argumento nostro de *Campania*, quam tum temporis obtinuerunt cives Capuæ, seu Campani, idem plane valet. Et denuo idem auctor, ubi refert, quonam modo Romani

Livius & Strabo conciliati.

Strabo illustratus.

Gulielmus Xylander, & Guarinus Veronensis notati.

Strabo secum conciliatus.

Livius illustratus.

Minor diutius fuit in potestate Campanorum.

1. Dubium non est, quin apud priscos satis frequens sit loquendi genus *terra Campania, terra Italia, terra Gallia*. Et auctor quidem hæc propria regionum nomina fuisse hic adjective usurpata existimavit, ut ex adductis ab ipso similium loquutionum exemplis apparet. Neque illud sane negari potest, Vitruvium & Tertullianum ad istum modum dixisse *Italiam Virenam, Campaniam Teanum, Venetias Sutrinas*, si modo vera hæc locorum, quos auctor ex illis affert, est lectio. nam reliqui quidem, quos ex aliis scriptoribus allegat, nihil omnino ad ejus faciunt sententiam, ut qui commodissime secundum vulgarem loquendi usum possuut exponi. Sed ut dicam, quod res est, veteres *Campaniam terram* & similia non adjective, sed *per appositionem* dixerunt, figuram Græcis juxta ac Latinis frequentissimam: ut jam non opus sit ex Vitruvio aut Tertulliano hujus loquutionis petere probationem. Atque adeo miror accuratissimum Salmasium, qui istius Afri *Venetias Sutrinas* cum *Galliæ mulieribus* apud Sallustium, & *terra Italia* apud Livium conferre voluit, cum nulla sit inter istas loquutiones analogia, & Livius *per appositionem* loquutus fuerit, Sallustius *Galliæ mulieres* dixerit eodem modo, quo *Græciæ juventutem* Vellejus.

2. Satis heic obscurus est auctor: neque sententiam ejus plane percipio: nisi hoc dicere voluerit, *Campaniam veterem* Strabonis, quæ ex auctoris sententia, ut cap. III vidimus, ad Lucaniam usque porrecta fuit, fuisse postea intra angustiores terminos coarctatam, quia Samnites bonam ejus partem occupaverant: atque adeo tum nomen quoque *Campaniæ* ab illa vetere transiisse ad *minorem*, sive *Capuanam Campaniam*: mox idem ab hac angusta rursus fuisse extensum ad proprie dictam *Campaniam*, a Sinuessano usque ad Minervæ promontorium patentem. Quod si hæc non fuit ejus sententia, non video, quomodo tentare potuerit Strabonem conciliare cum Livio.

mani res Campanorum, quos subegerant, ordinaverint, ita dicit lib. XXVI: *Qui nec Capuae, nec in urbe Campana, quae a pop. Rom. defecisset, per bellum fuissent, eos cis Lirim amnem, Romam versus; qui ad Romanos transissent, priusquam Annibal Capuam veniret, cis Volturnum amovendos censuerunt.* In hisce verbis per *urbes Campanas* conveniens est, ut intelligamus illas *Campaniae Capuanae*, ut manifestum est. Sed quaenam illae jam fuerunt? Idem *Livius* non alias prodit, idque saepius, quam Atellam & Calatiam una cum Capua secutas esse partes Annibalis. & hac quidem de re movere illi litem nolim. Verum ego arbitror, Capuanam, seu *Capuae Campaniam* ante illud bellum, & ex antiqua longi temporis observatione habuisse istaec decem oppida, quae deinde Romani in eandem formam redegerunt, ut essent Praefecturae, quemadmodum *Festus* scribit, qui illa enumerat ordine. Sunt autem haec: *Capua*, *Cumae*, *Casilinum*, *Volturnum*, *Liternum*, *Puteoli*, *Acerrae*, *Suessula*, *Atella*, & *Calatia*. Omnia sunt cis Volturnum, & inter Tifata atque mare, item cis Nolam. neque enim excluditur istoc spatio *Calatia*, quae alia est ab hodierna *Cajazzo*. Atque adeo ipsa Nola, ut demonstrabitur alibi, & cum ea Nuceria ab isto latere, & a latere opposito ager Falernus, Teanum, & Venafrum, ut jam diximus, tum temporis ad alias pertinuerunt regiones. *Festi* verba haec sunt: *Praefecturae eae appellabantur in Italia, in quibus & jus dicebatur, & nundinae agebantur; & erat quaedam earum respublica, neque tamen magistratus suos habebant; in quas legibus praefecti mittebantur quotannis, qui jus dicerent. Quarum genera fuerunt duo: alterum in quas solebant ire praefecti quatuor, (sexvirum pro populi suffragio creati erant) in haec oppida: Capuam, Cumas, Casilinum, Vulturnum, Liternum, Puteolos, Acerras, Suessulam, Atellam, Calatiam: alterum in quas ibant, quos praetor urbanus quotannis in quaeque loca miserat legibus; ut Fondos, Formias, Caere, Venafrum, Allifas, Privernum, Anagniam, Frusinonem, Reate, Saturniam, Nursiam, Arpinum, aliaque complura.* Huc usque *Festus*. Quanquam autem tempore Praefecturarum *Campaniae Capuanae*, id est, postquam Capua bello Punico secundo capta fuit ab Romanis, Casilini tantum illa pars incolebatur, quae ultra Volturnum flumen reliqua manserat, ut demonstrabitur in *Dissertatione* secunda; nihilominus attenderunt Romani ad pristinam ejus conditionem: ita ut Antonius, coloniam istuc deducens, descripserit ejus territorium in citeriore ripa hujus fluminis, ut in sequentibus ex *Cicerone* poterit intelligi. Ceterum si spectemus inaequalitatem meritorum erga Romanos harum, quas diximus, Praefecturarum, quarum istoc bello aliae fuerant ipsis amicae, aliae inimicae, non alia profecto ratio videtur impellere potuisse Romanos, ut omnes ad unum eundemque modum & regiminis formam censerent ordinandas, quam illa de qua diximus, vetus earundem conjunctio.

Et continuit decem oppida inter Volturnum & Acerras, & inter Tifata, atque mare.

Festus illustratus.

Festus & Cicero illustrati.

Neque amplior, ut ego opinor, hacce *Campania Capuae* fuit ista regio, quae a multis auctoribus Graecis dicta fuit *Opicia*, & *terra Opicorum*; quod nomen illa accepit ab antiquissimis incolis suis, qui eodem fuerunt appellati. Urbes autem ejus prodiderunt, *Cumas*, *Neapolim*, *Atellam*, & *portum Miseni*. Et ita *Thucydides* lib. VI: *Dionysius Halicarnassensis* lib. I, & VII: *Pausanias* lib. VII, VIII, & X: & *Stephanus Byzantinus* in libro *De Urbibus*; quamvis Opici quondam incoluerint etiam Italiae terras ampliores. Atque illud quidem eo mihi lubentius persuadeo, quandoquidem haec videri possit esse causa, cur nonnulli ejus-

Campania Capuae, ejusque Campani, a *Graecis fuerunt dicti* Opicia, & Opici.

A dem linguae scriptores nomine *Opicorum*, ut bene observavit *Cluverius Italiae* suae lib. IX cap. III, appellaverint illos, qui ab Latinis dicti fuerunt *Campani*; non secus ac iidem nomine *Tyrrhenorum* illos appellaverunt, quos Latini vocarunt *Tuscos*, & *Etruscos*. Ceterum de hisce in *Dissertatione* sequenti, ubi de *Cumis*; & in *Dissertatione* quarta, ubi de iisdem *Opicis* agam, prolixius differendum erit.

Cluverius laudatus.

Atque hinc etiam videtur mihi jam posse illud intelligi, cur *Virgilius Georgicorum* lib. II, postquam descripserat, quaenam sint pinguis agri signa, qui ad vinum, oleum, segetesque gignen- B das, & nutrienda armenta maxime idoneus sit, subjunxerit:

Campania Capuae, *tacite indicatur ab aliis auctoribus.*

> *Talem dives arat Capua, & vicina Vesevo*
> *Nola jugo, & vacuis Clanius non aequus Acerris.*

In hisce demonstravit *Campaniam majorem* neque ipso nomine regionis, neque aliarum, quam harum solummodo ejus urbium nominibus. Vere huic poëtae ab omnibus sine controversia tribuitur admodum accurata rerum antiquarum notitia, & aeque diligens industria, ut in versibus suis istius eruditionis semina celaret, ut affirmavit *Gellius* lib. I cap. XII, ut multos alios taceam, C hisce verbis: *Virgilium quoque ajunt, multae antiquitatis hominem, sine ostentationis odio peritum.* Ut adeo non temere eum selegisse haec nomina oporteat omissis omnibus aliis, cum quoquo modo supprimere vellet *Campaniae* nomen. Verum quaenam poterit alia hujus arcani reddi melior ratio, quam ista, quod *Capuae* mentione voluerit demonstrare *Campaniam* illius; nomine *Nolae* regionem Nolanam, quam per aliquod tempus (ut demonstrabo in *Dissertatione* de priscis incolis *Campaniae*) Samnites tenuerunt, atroces & diuturni Campanorum hostes; & denique Acerrarum nomine confinium utriusque regionis? Enimve- D ro si haec non fuit mens poëtae, non video, quomodo ille prudens potuerit omittere mentionem agri Cumani, qui alio nomine dictus fuit *Leboriae*, & a Graecis *campus Phlegraeus*; de quo *Plinius Secundus* lib. XVIII cap. XI scripsit, eum non tantum quoslibet vicinos, sed totius adeo orbis agros fertilitate superare. Verum tacuit de eo *Virgilius* hac sola de causa, quia, si *Capuae* nomine denotabatur *Campania* illius, quae *Cumas* comprehendebat; eodem nomine necessario etiam demonstrabatur *ager Cumanus*. Et denique *Polybius* lib. II differens de magna potentia, & amplo veterum Etruscorum imperio, qui olim late tenue- E rant agros & terras inter Apenninum montem & mare Adriaticum, videri possit nulla cogente necessitate separatim duobus diversis nominibus memorasse hanc regionem, quae solo *Campaniae* nomine fuit appellata. Nam, ubi de tempore loquitur, quo summa eorum potentia fuit & fortuna, ita de illis dicit, ut interpres ejus habet: *Phlegraeos etiam campos*, (accepit *Polybius* hoc vocabulum aliquanto latius, quam deinde *Plinius*) *qui circa Capuam, & Nolam sunt, tenebant.* Sed ille fecit hoc eodem cum judicio, quo *Virgilium* diximus fuisse usum; & voluit addere hanc di- F stinctionem, quae, ut suo loco plenius ostendemus, non olim, cum Etrusci regnarent, sed deinde ad istum modum fuit usitata. Ad haec non ambigua indicia si eximii nostrorum temporum critici attendissent, forsitan negare fidem cessavissent illis, qui apud eundem *Gellium* lib. VII cap. XX dixerunt, poëtam illum primum quidem scripsisse versus istos eodem modo, quo eos retulimus, sed deinde mutasse vocem *Nola*, & ejus loco reposuisse *ora*, motum indignatione, cum No-

Virgilius illustratus.

Polybius illustratus.

Antiqua lectio restituta Virgilio.

Nolani negaviſſent ipſi aquam, quam per fundum ſuum duceret. Atque hos non ideo jam fore mihi credo iratos, quod ſequi voluerim, & tueri conatus ſim hanc opinionem, per quam ipſi agnoſcentes leve crimen inhumanitatis, quæ, licet illuſtris, tamen exercita fuit contra hominem, qui, dum viveret, haud ſane magnis caruit amicis; obtinent gloriam, neque multum notæ, neque levis prærogativæ. Verum ſi ex *Livio*, aliiſque auctoribus, quos huc uſque citavimus, jam poſſumus eſſe certi de hiſce geminis *Campaniis*, itidem haud abſurde credere licet, eundem *Livium* lib. VII verbis legatorum Campanorum ad Senatum Romanum de *majore* locutum fuiſſe reſpectu *minoris* ad hunc modum: *Capuam ergo, & Campaniam omnem veſtris, an Samnitium viribus accedere malitis, deliberate.* Item lib. IX, ubi ſcribit, Alexandrum Magnum, ſi in Italiam contra Romanos tranſiiſſet, inventurum fuiſſe *Latium omne*, (duplex enim etiam fuit Latium, ut ſatis notum eſt) *cum Sabinis, & Volſcis, & Æquis, ac omni Campania, & parte Umbriæ, Etruriæque, & Picentibus, & Marſis Pelignisque, ac Veſtinis, atque Apulis, adjunctaque omni ora Græcorum inferi maris* (erant itidem hice Græci Italici ad mare in multas reſpublicas diviſi) *a Thuriis Neapolim & Cumas; & inde Antio atque Oſtia tenus Samnites, aut ſocios validos Romanis, aut fractos bello hoſtes.* Item tertio, ubi lib. XXVI rationem affert, cur Romani abſtinuerint a diruendis Capuæ ædificiis, poſtquam illam expugnaverant. Illa autem hæc erat, quod *omnis Campania, omnes, qui Campaniam circa accolunt, ingemuiſſent.* Verum hanc loquendi formam Livii per me quiſque interpretetur pro lubitu. Mihi hoc ſatis eſſe videtur, quod quaſi ex viſceribus notiſſimæ illius *Campaniæ* in lucem produxi hanc alteram, huc uſque non cognitam. Et adeo ſine mora pergam agere de aliis, quæ adhuc ſuperſunt, *Campaniis.*

Livius pluribus locis illuſtratus.

VI. *Campania, ab Silio Italico, aliiſque per* κατάχρησιν, ſeu abuſive *deſcripta.*

Campania a quibuſdam extenſa fuit ultra Sinueſſam ad Cajetam & Fundos uſque.

JAm ab hacce *Campania*, quam modo deſcripſimus, diverſa videtur eſſe illa, quam demonſtravit *Silius Italicus.* Hic ubi libro VIII enumerat urbes, quæ ante prælium Cannenſe in partibus fuerant Romanorum contra Annibalem, recte collocavit ejus limitem ad Minervæ promontorium, &, quæ ab hoc excurrit, plagam mediterraneam; ita ut illi includat & Surrentum, & Nuceriam, prout ſuam quoque deſcripſerat *Strabo:* verum ab oppoſito latere non ſolum ultra Sinueſſam, & vicinum flumen Lirim, terminum ejuſdem *Campaniæ*, prout placuit *Ptolemæo*; ſed etiam ultra Cajetam & Fundos uſque illius fines extendit. Catalogum urbium iſtarum orditur ad hunc modum:

> *Jam vero, quos dives opum, quos dives avorum,*
> *Et toto dabat ad bellum Campania tractu.*

Mox non obſervans ordinem ſitus ſingulas ſubjungit. Sunt autem hæ: *Sinueſſa*, *Amyclæ*, *Fundi*, *Cajeta*, *Formiæ*, (hanc non ſuo vero nomine, ſed per periphraſin demonſtravit) *Liternum*, *Cumæ*, *Nuceria*, *Gaurus*, (per hunc montem intellexit *Puteolos*, quæ ad eundem ſita urbs eſt) *Parthenope*, *Nola*, *Alliſæ*, *Acerræ*, *Sarnus*, (nominans hoc flumen demonſtrat urbem ejuſdem nominis) *Sinus Phlegræi*, *Miſenum*, *Bajæ*, *Procida*, *Inarime*, (id eſt, *Iſchia*) *Calatia*, *Surrentum*, *Avella.* Denique ex more ſuo imitans *Virgilium*, qui *Æneidos* lib. X. recenſens auxilia, miſſa Æneæ ab Etruſcis, *Mantuam* ſuam noviſſime memoravit, cum illi primum dignitatis locum tribuiſſet; ipſe quoque catalogum ſuum *Capuæ* nomine claudit, quæ erat omnium, quas recenſuerat, maxima, hiſce verſibus:

Silius illuſtratus.

> *In primis Capua, heu! rebus ſervare ſerenis*
> *Inconſulta modum, & parvo peritura tumore.*

In hanc commiſerationem prorupit, quia illa deinde ſeſe adjunxit partibus Carthaginienſium, quæ ruinæ ejus fuit cauſa. Cum *Silio* conſentire etiam videtur *L. Florus*, qui reſpiciens ad tempora haud ſane recentiora, inter nobiles *Campaniæ* portus etiam Cajetæ portum; & inter ejuſdem maritimas urbes, amœnitate celebres, *Molam* quoque, quam Latini *Formias* dixerunt, annumeravit, ubi lib. I cap. XVI ita ſcripſit: *Hic illi nobiles portus, Cajeta, Miſenus, & tepentes fontibus Bajæ: Lucrinus & Avernus.* Et mox: *Urbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeji, & ipſa caput urbium Capua, quondam inter tres maximas, Romam, Carthaginemque numerata.* Neque *Tacitus* etiam intellexit forſitan anguſtiorem hacce *Campaniam*, aut a Roma remotiorem, in hiſce verbis *Annalium* lib. VI, ubi de Tiberio dixit: *Tranſmiſſo, quod Capreas & Surrentum interluit, freto, Campaniam prælegebat, ambiguus an urbem intraret.* Sed, ut verum dicam, ejuſmodi *Campaniæ* ſine majoris ponderis argumento non videor opus habere, ut aliquam rationem habeam. *Silius* enim & *Florus* poſſunt locuti eſſe de eadem illa, quæ ſupra nobis demonſtrata eſt ab *Strabone*, cujus ipſi pariter omnes Capuam dixerunt fuiſſe caput; cujuſque prodiderunt, alius quidem prolixius, alius autem tenuius, eaſdem laudes, quæ a multis aliis ſcriptoribus huic alteri, quam diximus, tributæ fuerunt. & affatim in alia *Diſſertatione* ſimiles aliæque laudes ejus ſingulares occurrent. Equidem ſatis eſt manifeſtum, ab Occidente Romam verſus eos extendiſſe fines ejus ulterius, quam iſte fecerat Geographus, aliique; nempe ad Cajetam uſque, & ejus ſinum maritimum, qui promiſcue dictus fuit *Cajetanus*, & *Formianus.* Verum ego, ſi quid video, hoc illi fecerunt, non ſequuti certam aliquam deſcriptionem, ſed vulgarem tantummodo uſum Romanorum in communi ſermone, qui *Campaniæ* nomen etiam ad illa loca transferebant, quæ extra veros ejuſdem fines erant; tantum ideo, quod ingenium eorum & amœnitas ſatis cum iſtac conveniret. Hujus ſententiæ non leve mihi ſuppeditat argumentum *Symmachus* lib. VIII *epiſt.* XXIII, ubi narrans voluptatem, quam ex navigatione perceperat a Roma verſus Cumas, dixit: *Principium voluptatum de Formiano Sinu naſcitur.* Atque heic videat *Pomponius Mela*, quam pulchre ille lib. II cap. II amœna *Campaniæ* littora inter Surrentum & Volturnum flumen concluſerit. Idem *Symmachus*, de iiſdem voluptatibus loquens, mox ſubjungit: *Pluſculos in eo littore dies deliciarum parcus exegi, tantam cœli ſalubritate, & aquarum frigore ſuadentibus moram.* Pergit dicere, ſe eandem oram percurriſſe, *quæ Formias, & Cumanum littus interjacet*, ita tamen, ut ne capi ſeſe aut vinci pateretur hiſce deliciis, *in tanta locorum amœnitate, & rerum copia*; Siquidem, dum navigaret, *nullus* fuerat *in navibus canor*, *nulla in conviviis helluatio, nec frequentatio balnearum, nec ulli juvenum procaces natatus.* Atque hæc ſolebant eſſe frequentia oblectamenta per totum huncce tractum maritimum. Et præter *Symmachum Ammianus* quoque *Marcellinus* multum adjuvat conjecturam meam, qui lib. XXVIII reprehendens corruptam vivendi rationem, quæ ſuis temporibus in uſu erat apud nobiles Romanos, irri-

Silius, Florus, & Tacitus inter ſe conſentiunt.

Sed attenderunt illi ad communem loquendi uſum apud Romanos.

Pomponius Mela refutatus.

Qui oblectantes ſeſe per huncce continuam oram, appellaverunt illam uno eodemque nomine.

irridet eorum mollitiem hisce verbis: *Pars eorum, si agros visuri processerunt longius, aut alienis laboribus venaturi, Alexandri Magni itinera se putant æquiparasse, vel Cæsaris; aut si a lacu Averni lembis invecti sunt pictis Puteolos, vel Cajetam, maxime si id vaporato audeant tempore: ubi si inter aurata flabella laciniis sericis insederint muscæ, vel per foramen umbraculi radiolus irruperit Solis, queruntur, quod non sunt apud Cimmerios nati.* Ita *Ammianus.* Et adeo tuto mihi persuadere possum, cum sermone communi istæc amœna navigatio prorsus adscriberetur *Campaniæ*, hanc regionem ab Silio & Floro per istum communem loquendi usum fuisse prolatam ad sinum usque Formianum, & Cajetam. Neque etiam *Taciti* verba, quæ supra adduximus, difficilius eandem interpretationem admittere videntur; qui *Annalium* lib. III nobis exhibuit *Drusum*, cui senatus Romanus potestatem tribunitiam detulerat, *littora & lacus Campaniæ cummaxime peragrantem.* Et nisi nimiæ esse audaciæ judicarem, multum conjecturas facere de libero atque audaci stylo *Plinii Secundi*, qui lib. III cap. V, postquam littus descripsit, quod ab ostio Tiberis fluminis ad promontorium usque Surrenti extenditur, voluit etiam computare milliariorum numerum; non quidem ab uno ad alterum terminum, sed duntaxat a promontorio Circejo, quod est cis Tiberim, & ultra Fundos, ad Surrentum usque; haud sciam aliam excogitare meliorem rationem, cur ille hoc fecerit, quam ut nobis indicaret universam longitudinem oræ hujus amœnæ, per quam navigando Romani oblectare sese solebant per dies pluscu los. Verba ejus hæc sunt: *Surrentum cum promontorio Minervæ, Sirenum quondam sede. Navigatio a Circejis duodeoctoginta millia passuum patet.* Nihilominus illud non monere non sustineo, eum in describendo hujus spatii intervallo usum fuisse voce *navigationis*, qua non video eum fuisse usum in ceteris ejusdem descriptionis totius Italici littoris. neque forsan ea fuit usus alibi. Verum illud certum est, non alio locutum fuisse modo *S. Paulinum*, episcopum Nolanum, qui videtur descripsisse *Campaniam* a flumine Sarno, celebri & certo ejusdem confinio, usque ad Ufentem fluvium, qui aliquantum ultra Fundos prope Tarracinam currit. Ille enim, ubi in *Natali* III *S. Felicis* enumerat populos, qui maxima cum frequentia convenire Nolam solebant ad solennem memoriæ renovationem hujus *Sancti*, ita singulas eorum regiones descripsit:

Lucani coëunt populi: coit Appula pubes,
Et Calabri, & cuncti, quos alluit æstus uterque,
Qui læva, & dextra Latium circumsonat unda,
Et quà bis ternas Campania læta per urbes,
Ceu propriis gaudet festis: quos mœnibus amplis
Dives habet Capua, & quos pulchra Neapolis, & quos
Gaurus alit: læta exercent qui Massica, quique
Ufentem, Sarnumque bibunt. —— ——

Et reliquas quæ heic quidem nihil ad nos attinent. Verum, ut dixi, videtur etiam ille locutus fuisse istoc populari modo, qui per tot jam annos usque ad ætatem suam debuit prorsus evasisse communis; quo tempore *Campaniæ* nomen & confinium ab opposito latere etiam extensum erat ad Silarum usque amnem, qua de re in sequentibus erit dicendum. Et adeo hic auctor non attendit ad *Campaniam* sui temporis, concludendo illam inter Ufentem & Sarnum; sed ad illam, quæ per κατάχρησιν quondam ita dicta fuerat, ut supra docuimus. Hoc autem an satis recte, non video. Verum *Suetonius* quoque videri possit *Campaniam* accepisse eodem sensu, quo scriptores illi, quos modo diximus; ubi lib. IV cap. XXXVII ita narrat de Imperatore Caligula: *Fabricavit & de cedris Liburnicas, gemmatis puppibus, versicoloribus velis, magna thermarum, & porticuum, & tricliniorum laxitate, magnaque etiam vitium & pomiferarum arborum varietate, quibus discumbens, de die inter choros & symphonias littora Campaniæ peragraret.* [1] Neque enim credendum est, Caligulam isto fuisse contentum, ut oblectaret sese per hujus oræ brevius illo spatium, quod Formias & Cajetam usque voluptatis causa frequentare solebant alii. Ille humanas etiam cogitationes superare conabatur, in explenda voluptate sua novo istoc navium genere, quæ deliciis & magnificentia immane quantum superabant vulgares istas, licet & ipsæ pictæ essent atque ornatæ satis eleganter, prout eas descripsit nobis *Ammianus Marcellinus* verbis istis, quæ supra adduximus. Dictæ hæ fuerunt proprio nomine *phaseli*, quibus utebantur etiam in amœnis navigationibus Nili fluminis; qua de re locutus est *Virgilius Georgicorum* lib. IV. *Nonius Marcellus* propter frequentissimum earum usum per hocce littus Campanum appellavit illas *navigia Campana.* Atque his multam afferent lucem, & hinc vicissim recipient hice versus *Martialis* lib. X *epigr.* XXX, quibus amœnissimi sinus Formiani inter alias etiam hasce laudes celebrat:

Hic summa leni stringitur Thetis vento;
Nec languet æquor, viva sed quies ponti
Pictam phaselon adjuvante fert aura.

Itidem a Formiis, sed alio modo, incipiebant amœnitates terrestres, id est, per viam Appiam; quo fortasse respiciunt verba *Ciceronis* lib. I *epist.* I ad Quintum fratrem, quæ referentur in *Dissertatione* secunda, ubi de frequentia publicarum tabernarum, quæ per eandem viam erant, agemus. Et adeo idem Caligula in isto ponte, quem navibus fecit a Puteolis usque Bajas, videtur voluisse quasi novam formare viam Appiam, ut ita perinde terræ atque maris conjunctim frui posset amœnitatibus, mirabili sane modo; qua de re ita *Suetonius: Bajarum medium intervallum Puteolanas ad moles trium millium & sexcentorum fere passuum ponte conjunxit, contractis undique onerariis navibus, & ordine duplici ad ancoras collocatis, *superjectoque aggere terreno, ac directo in viæ Appiæ formam.*

Cete-

[Marginal notes, left: Plinius Secundus ambigue illustratus. — S. Paulinus Nolanus illustratus. — S. Paulinus Nolanus notatus.]

[Marginal notes, right: Suetonius illustratus. — Ammianus Marcellinus, Nonius Marcellus, Virgilius, & Martialis inter se collati, & illustrati. — Cicero illustratus. — Suetonius illustratus.]

[Section letters: A, B, C, D, E, F]

1. Licet non temere negaverim, Suetonium hic eodem sensu, quo Silius aliique acceperunt, accepisse Campaniam, nullum tamen idoneum video argumentum, quo id probet auctor. Sane enim nihil omnino Suetonius addidit urbium, ut illi fecerunt, unde demonstrari queat, eum de eadem fuisse loquutum Campania. Et adeo contentus ille fuit a potiori parte describere amœnam istanc navigationem, quæ potissimum per *Campaniæ littora* instituebatur, utcunque nonnulli ultra Campaniæ proprie dictæ littora aliquando excurrerent. Sed quid obstat, quo minus eum dicamus loquutum fuisse de illa Campania, cujus descriptio & suis & Caligulæ temporibus observabatur? Nimirum & Augusti & Hadriani Campania etiam utrumque Latium continebat, & ad Silarum usque pertinebat amnem, ut ipse ostendit auctor sequenti cap. VII & VIII. Atque adeo Silium quoque, ut & Florum ac Tacitum (ut jam concedamus hunc de eadem loquutum Campania, quam illi dixerunt. quod tamen ex ejus verbis ab auctore allatis, non satis liquet) credibile est latius extendisse *Campaniæ* nomen, respectu ejusdem novæ descriptionis. Utcunque enim Augustus illi ex regionibus diversis conjunctæ regioni *non imposuerit Campaniæ nomen*, atque hoc pristinam significationem retinuerit, ut noster dicit eodem cap. VII, admodum tamen est probabile, eos (& idem dicimus de Suetonio) usum vulgi sequutos, penes quem est arbitrium & norma loquendi, a potiori parte simpliciter *Campaniam* appellavisse per κατάχρησιν, quam & noster vulgo imputat, sed ex alia deducit origine, integram illam regionem, quam Augustus primam esse Italiæ voluit. Sed Florus quidem & Silius, minus recte istud nomen usurpaverunt per κατάχρησιν prædictam. quandoquidem temporibus istis, de quibus cummaxime scribebant, Campania longe angustioribus fuerat inclusa terminis.

Videtur nihilominus Campania *ante Augusti ævum ultra Sinuessam perrexisse Tarracinan usque.*

Ceterum ex eo, quod legitur in *Actis Apostolorum*, quæ *S. Lucas* conscripsit, circa finem, firmius peti potest argumentum, *Campaniam* quondam ante Augusti ævum, qui illam, ut paulo post demonstraturus ero, ad Romam usque & Tiberim extendit, diversis loquendi modis pertinuisse ad Cajetam, & etiam ulterius, Tarracinam

A

sacrorum verborum, quæ re vera qualibet alia probabilior est, illud duntaxat, si quid video, colligi potest, sanctum Euangelistam demonstrasse confinium territorii Romani ad ejus modum satis antiquum, quando Latium ab ostio Tiberis fluminis non excurrebat ultra montem Circejum, qui est ultra Tarracinam; & citeriores terras ad

Sed re vera iste tractus Latium novum fuit.


ITALIA ANTIQUA,
Cum Insulis
SICILIA, SARDINIA
et CORSICA,
Authore N. Sanson Abbavillæo.
Christianiss. Galliarum Regis
Geographo.
LUGDUNI BATAVORUM,
Excudit PETRUS VANDER AA.
Cum Privilegio.
MARE LIGUSTICUM
MARE MEDI-
TERRANEUM
TUSCUM QUOD ET
HETRUSCUM ET
TYRRHENUM ET
INFERUM.
SINUS
ADRIATICUS ALIAS
ADRIATICUM
MARE QUOD ET SU-
PERUM
MARE SARDOUM
SINUS IONIUM
MARE SICULUM
ÆOLIÆ ALS VULCANIÆ ET
INSULÆ GRÆCIS
HEPHÆSTIADES
SICILIA INS.
SARDINIA INS.
CORSICA INS.
ILLIRICUM
DALMATIA
PANNONIA
GALLIA
HETRURIA
TOSCANE
Milliaria
Stadia

Videtur nihilominus Campania ante Augusti ævum ultra Sinuessam perrexisse Tarracinam usque.

Ceterum ex eo, quod legitur in *Actis Apostolorum*, quæ *S. Lucas* conscripsit, circa finem, firmius peti potest argumentum, *Campaniam* quondam ante Augusti ævum, qui illam, ut paulo post demonstraturus ero, ad Romam usque & Tiberim extendit, diversis loquendi modis pertinuisse ad Cajetam, & etiam ulterius, Tarracinam usque, aut circiter. Narratur ibi ultimum iter S. Pauli ab Oriente Romam versus, ut vulgata versio Latina habet, ad hunc modum: *Inde circumlegentes devenimus Rhegium: & post unum diem, flante Austro, secunda die venimus Puteolos; ubi inventis fratribus, rogati sumus, manere apud eos dies septem: & sic venimus Romam. Et inde cum audissent fratres, occurrerunt nobis usque ad Appii forum, at Tres Tabernas. Quos cum vidisset Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciam. Cum autem venissemus Romam, permissum est Paulo permanere sibimet cum custodiente se milite.* Huc usque *S. Lucas*, scriptor simul & comes, hujus itineris. Jam manifesta res est, sanctum Apostolum, mari Rhegio Puteolos advectum, Romam itinere pedestri pervenisse; siquidem multi amicorum suorum illi obviam processerunt ad Forum usque Appii, & Tres Tabernas, qui uterque locus Appiæ viæ fuit. Et ille quidem, ut notavit in *Itinerario* suo *Antoninus*, uno & quinquaginta; hic autem tribus & triginta millibus passuum ab urbe Roma distabat. Tarracina autem citra Forum Appii sita erat, intervallo milliariorum octodecim; & insuper aliorum sedecim Fundi, & aliorum tredecim Formiæ, sive *Mola*, & aliorum denique novem Minturnæ, ad ostium Liris amnis. Et hæc quoque Appiæ viæ loca fuerunt, per quæ transeundum fuit S. Paulo; sed tacuit de illis sanctus Euangelista, quia occasionem non habuit illorum faciendi mentionem. Et hac quidem de re inter interpretes ejus nulla est controversia. Verum de expositione horum verborum: *& sic venimus Romam*, isti inter sese dissident. *Cajetanus* illa interpretatus est hisce verbis aliis: *ad portum Romanum*; *Liranus* hisce: *prope Romam*. Hunc sequutus est *Lorinus*, qui credit, istud κατὰ πρόληψιν, *id est, per anticipationem sic dictum*. Illud autem satis liquet, iterata voce *Romam* utroque loco non perinde denotari urbem Romanam, quo perveniebatur demum post Forum Appii & Tres Tabernas superatas. Et adeo neque *Lorinus* per istanc figuram suam, quæ nihil facit hanc ad rem; & minus adhuc *Liranus*, ut ne dicam *Cajetanum*, nobis verba *S. Lucæ* satis exposuit. Jam si dixerimus, hunc Scriptorem Sacrum prima vice locutum fuisse de territorio Romano, prout notum est, nomine hujus aut illius urbis denotari solere ejusdem territorium; quem morem alibi notavimus lib. II *Historiæ Principum Longobardorum*; narratio hujus itineris hac quidem ex parte satis erit plana. Atque inde videri possit etiam illud esse dicendum, Campaniam porrectam fuisse quondam ad territorium usque Romanum, quod cis Forum Appii excurrebat versus Tarracinam. [1] Sed ex hac interpretatione sacrorum verborum, quæ re vera qualibet alia probabilior est, illud duntaxat, si quid video, colligi potest, sanctum Euangelistam demonstrasse confinium territorii Romani ad ejus modum satis antiquum, quando Latium ab ostio Tiberis fluminis non excurrebat ultra montem Circejum, qui est ultra Tarracinam; & citeriores terras ad *Lirim* usque & Sinuessam Volsci tenebant atque Ausones. Hæce autem postquam venerunt in potestatem Romanorum, *Latii novi* nomen acceperunt, ut satis notum est, & paulo post ex vetustis scriptoribus ero demonstraturus. Igitur verba quidem *S. Lucæ* nihil ad nostrum faciunt argumentum, quod tractamus; & si neque *Silius*, neque *Florus*, neque *Tacitus*, neque *S. Paulinus* [2] *Campaniam* ultra Sinuessæ usque promontorium extenderunt amplius, quam vulgaris loquendi suadebat usus, adhuc minus eam amplificavit iste scriptor sacer, qui ne quidem ejus nomen ullo modo prodidit.

Lorinus, Liranus, & Cajetanus refutati.

S. Lucas in Actis Apostolorum illustratus.

Sed re vera iste tractus Latium novum fuit.

VI. *Augustus Imperator in unam regionem conjunxit celebrem Campaniam, Latium vetus & novum, Picentinos, & partem Samnii.*

Augustus, Italiam describens in regiones undecim, Campaniam collocavit in earum prima.

JAm *Campaniæ* nova fuit descriptio, quam fecit Augustus, cum Italiam in undecim regiones descripsit, & in primam illarum simul conjunxit integram illam regionem, quæ Tiberim interjacet, & Silarum amnem, de quo alibi egimus,

1. Quæ ex hoc S. Lucæ loco eruere conatur auctor, valde dubito, an satis procedant. Et sententia quidem ejus pro fundamento habet hæc verba: *& sic venimus Romam*, ubi per *Romam* intelligit Romanum territorium. Jam quia sacer scriptor proxime subjungit de Foro Appii & Tribus Tabernis, quæ prope montem Circejum erant loca, inde colligi posse noster autumat, eum demonstravisse prisci territorii Romani terminum, quod ab ista parte solummodo ad Circejos usque protendebatur. Verum si maxime concedamus, S. Apostolum *Romam* dixisse pro territorio Romano, qua de re mox agemus, ingenue fateor, me tamen ex ejus verbis nihil aliud colligere posse, quam illum Forum Appii & Tres Tabernas collocavisse in eodem territorio Romano. Sed non propterea ille hoc ita coarctavit, ut non possit ultra eadem loca & Circejos etiam longissime patuisse: ut taceam, multo esse verisimilius, eum territorium Romanum, quale suis temporibus erat, demonstrare voluisse, quam priscos Romanorum fines, quos parum forsan aut nihil omnino cognitos habebat. Jam vero, quod auctor vult, eum priore loco per *Romam* significavisse Romanum territorium, illa interpretatio vereor ut multis placuerit. Nam utcunque tandem aliquis forte scriptorum veterum ad istum modum sit loquutus, neutiquam tamen hoc est credendum de homine, qui iter suum describebat: neutiquam de S. Luca, cum ille cetera istius itineris adeo nobis exposuerit liquido & accurate. Præterea cum proxime subjungat: *Et inde cum audivissent fratres, occurrerunt nobis usque ad Forum Appii, ac Tres Tabernas*, ex auctoris sententia dixit sacer scriptor, fratres S. Paulo ejusque comitibus ex territorio Romano processisse obviam usque ad Forum Appii, ac Tres Tabernas: quod manifesta absurditate laborat, cum hæc loca fuerint in ipso territorio Romano. Itaque eum utroque loco perinde ipsam arbitror Romanam urbem demonstravisse: & priore quidem *per anticipationem*, ut voluit Lorinus. Nimirum ille, quod a Puteolis usque Romam reliquum erat itineris, satis habuit exponere verbis istis: *Et sic venimus Romam.* Jam vero an adeo res nova, scriptorem in simili argumento referre primum, se pervenisse quo tendebat, tum subjicere aliquid, quod sibi in itinere isto acciderat memorabile: quale illud erat, quod Romani, qui Christo se addixerant, tanto amore & pietate S. Paulum ejusque socios prosequebantur; ut ex urbe Roma usque ad quinquagesimum lapidem illis currerent obviam. In sequentibus autem verbo repetiit S. Lucas suum comitumque in eandem urbem adventum propter continuam narrationis seriem interruptam, ut adeo legentibus difficultatem non relinqueret ex illo fratrum occursu ad Forum Appii ac Tres Tabernas interjecto. Sed Bezam video aliam iniisse viam in hujus loci explicatione. Verba hæc: καὶ οὕτως ἤλθομεν εἰς τὴν Ῥώμην, ita ille interpretatus est: *Et sic contendimus Romam*, & in notis ita dixit: *Id est; dedimus nos in viam. Τὸ ἔρχεσθαι hoc loco nihil aliud declarat, quam τὸ ἰέναι καὶ πορεύεσθαι, ut in illo Homeri ἔρχεσθαι κλισίην, Iliados A: quomodo etiam accipitur Joh.* VI *v.* XVII. Et apparet eum fuisse sequutum versionem Syriacam, quæ habet: *Et profecti sumus Romam.* Sed ut ille verbi ἔρχεσθαι usus concedi possit in allegato Homeri loco, certe S. Joannes proprio sensu illud verbum usurpavit loco citato, ubi ita scripsit: Σκοτία ἤδη ἐγεγόνει, καὶ οὐκ ἐληλύθει πρὸς αὐτοὺς ὁ Ἰησοῦς. *Tenebræ jam erant, & non venerat ad illos* (discipulos suos) *Iesus.* Igitur cum S. Lucas paulo post prorsus eadem loquutione fuerit usus: Ὅτε δὲ ἤλθομεν εἰς Ῥώμην. *Cum autem venissemus Romam*, non video, quomodo eum istud verbum alio sensu usurpavisse priore loco, alio autem posteriore, possimus dicere.

2. Hisce scriptoribus addimus etiam Suetonium, quem heic non memorat auctor, quia de eo postea demum in *Addendis* dixit.

mus, & diximus, eum quondam communem fuiſſe terminum Lucaniæ, & antiquiſſimæ *Campaniæ*, quam ſolus nobis demonſtravit *Strabo*. Præterea autem iſti regioni partem Samnii adjicere viſum fuit Auguſto. Ceterum hujus narrationis itidem unicus tantum, ſed graviſſimus auctor nobis ſupereſt, nimirum *Plinius Secundus*; qui poſtquam lib. III cap. V ſatis breviter diſſeruerat de ora maritima, quæ a Tiberi ad promontorium uſque Minervæ prætenditur, ſubjunxit: *Regio ea a Tiberi prima Italiæ ſervatur ex deſcriptione Auguſti.* Hujus autem deſcriptionem jam dixerat ſeſe ſequuturum in tractatione de integra Italia hiſce verbis: *Nunc ambitum ejus urbeſque enumerabimus. Qua in re præfari neceſſarium eſt, auctorem nos Divum Auguſtum ſecuturos, deſcriptionemque ab eo factam in regiones undecim.* Verum, ut dixi, extenſa fuit hæcce prima regio ultra Minervæ promontorium ad Silarum uſque amnem, & continuit etiam partem Samnii. Ipſe enim Plinius ubi mox enumerat populos ejuſdem regionis, Allifanos etiam recenſet, qui fuerunt ex Samnitibus; & idem dicit, a Silaro regionem incipere tertiam. In ſecundam autem regionem conjuncti fuerunt, ut affirmat eodem lib. III cap. XI, Hirpini, quorum urbs fuit Caudium, quæ hodie *Arpaja* eſt; Calabria, ad antiquum modum accepta, Apulia, & Salentini. Ita autem ille de Silaro: lib. III cap. V: [1] *A Sarno ad Silarum amnem triginta millia paſſuum ager Picentinus fuit, Tuſcorum templo Junonis Argivæ, ab Jaſone condito, inſignis. Intus oppidum Salerni, Picentia. A Silaro regio tertia, & ager Lucanus, Bruttiuſque incipit.* Alia verba ejus, quibus deſcripſit regionem ſecundam, referentur aliquanto poſt. Ad hunc igitur modum Auguſtus denuo conjunxit illam *Strabonis Campaniam veterem*, quæ deinde dicta fuerat *Picentini*, cum hacce altera, cujus nomen cummaxime celebre ſupererat; & eo amplius illi adjunxit regionem, quæ ultra Sinueſſam ad Tiberim uſque patebat. Atque hic tractus dicebatur *Latium*, verum in duas dividebatur partes,

In eandem conjecit quoque partem Samnii;

Item Picentinos, & utrumque Latium.

1. Non poſſum divinare, quamobrem ita hunc locum deſcripſerit auctor, cum libri editi, quos mihi quidem videre contigit, conſtanter exhibeant: *A Surrento*, quemadmodum & ipſe alibi expreſſit, ut *Diſſert.* II cap. XXIV, ubi de Stabiis agit; & item cap. IV non longe a principio. Atque hæc quidem etſi non adeo magni momenti eſt differentia, veriorem tamen eſſe receptam lectionem arbitror, quoniam in præcedentibus primam Italiæ regionem a Tiberi uſque ad Minervæ promontorium & Surrentum patentem, deſcripſerat Plinius. Atque adeo conveniens erat, eum non a Sarno flumine, ſed ab eodem termino, ad quem ſubſtiterat, id eſt, a Minervæ promontorio, ſive Surrento, novam incipere proximæ Picentinorum regionis deſcriptionem. Præterea manifeſte patet auctoris error ex eo, quod hic Salernum tantummodo & Picentiam oppida Picentinorum memoravit Plinius, poſtquam aliquanto ante Nuceriam & Surrentum ad Campaniam retulerat. Atque hæc oppida itidem Picentinis adſcribere debuerat, ſi eos ad Sarnum uſque producere voluiſſet. Sed majoris eſt momenti difficultas illa, quæ heic ſeſe de iiſdem Picentinis objicit: nimirum utrum illi primæ regioni Italiæ, an vero ſecundæ aut tertiæ fuerint contributi ab Auguſto; Nam Plinius quidem hoc nobis reliquit incertum, & agri Picentini prorſus peculiarem prodidit deſcriptionem. Sed auctor illos primæ regioni accenſet, non alio uſus argumento, quam Samnii etiam partem fuiſſe eidem regioni adjectam: quod quam infirmum ſit, vel inde patet, quod inter Samnites & Picentinos Sarnus amnis currebat medius, & horum ſedes ad mare Tyrrhenum, illorum vero in mediterraneis erant ad Apenninum montem. Itaque cum Plinius ſatis aperte dixerit, primam regionem ab Auguſto a Tiberi ad promontorium uſque Minervæ fuiſſe deſcriptam, a Silaro autem incipere regionem tertiam, & agrum Lucanum, Brutiumque, adeoque harum regionum, ſecus ac ſecundæ, certos demonſtraverit terminos; multo probabilius arbitror Picentinos, qui a Minervæ promontorio, ad Silarum uſque amnem colebant, adeoque medii erant inter primam regionem & tertiam, accenſeri poſſe ſecundæ regioni, quam primæ aut tertiæ: id eo magis, quoniam illi Hirpinis, in eadem ſecunda regione deſcriptis, contigui, & iiſdem, quibus illi, Sarno & Silaro amnibus incluſi erant.

id eſt, in Latium vetus & novum. *Latium antiquum*, dixit idem *Plinius*, *a Tiberi Circejos ſervatum eſt M. paſſuum L. longitudine. Nomen modo Latii proceſſit ad Lirim amnem.* Et mox: *Oppidum Sinueſſa extremum in adjecto Latio.* Et ut omnes alios taceam, non diverſa ab hiſce ſcripſit etiam *Strabo* hiſce verbis lib. V, quæ ita Latine habent: *Nunc quidem ora omnis ab Oſtia ad Sinueſſam uſque appellatur Latium: antea vero non ultra Circejum montem id protendebatur.*

Verum ſi Latii nomen, *Strabone* ſcribente, id eſt, Tiberii temporibus, adhuc durabat; & poſt ejuſdem ætatem *Campaniæ* nomen, ut dixi, per κατάχρησιν ab *Silio*, *Floro*, & *Tacito* extenſum fuit ultra Sinueſſam ad ſinum uſque Formianum, illud etiam certum eſt, Auguſtum, cum primam regionem ordinavit, neutrum illi horum nominum impoſuiſſe. Equidem quod ad nomen *Campaniæ* attinet, ex hoc certius eſt, quo frequentius illud priſtino modo uſurpatum deinde legimus: videlicet ab Seneca lib. VI *Quæſtionum naturalium*, a *Plinio Cæcilio* lib. VI *epiſt.* IV & X, & ſæpiſſime a *Tacito*. Atque hi omnes vixerunt poſt Auguſtum. Sed *Taciti* quidem ſingula proferre loca etiam alia de cauſa expediet. Ita ille *Annalium* lib. III dixit de Tiberio, poſtquam ille Roma exceſſerat: *Quaſi firmandæ valetudini, in Campaniam conceſſit.* Et poſtquam lib. IV narraverat ſeceſſum ejuſdem Tiberii & Sejani in Capreas inſulam, ſubjunxit: *Crebris precibus efflagitabant*, (Senatores Romani) *viſendi ſui copiam facerent: non illi tamen in urbem, aut propinqua urbi digreſſi ſunt: ſatis viſum, omittere inſulam, & in proximo Campaniæ aſpici.* Etiam lib. XV manifeſte Sinum Formianum ejuſque portum a *Campania* diſtinxit hiſce verbis: *Sed certum ad diem in Campaniam redire claſſem Nero juſſerat, non exceptis maris caſibus. Ergo gubernatores, quamvis ſæviente pelago, a Formiis movere; & gravi Africo, dum promontorium Miſeni ſuperare contendunt, Cumanis littoribus impacti, triremium pleraſque & minora navigia paſſim amiſerunt.* Et mox eodem libro non attendens ad novam Auguſti, ſed ad veterem deſcriptionem *Campaniæ*, ita de Seneca dixit: *Ex Campania remeaverat, quartumque apud lapidem ſuburbano rure ſubſtiterat.* Et ita locutus etiam eſt lib. XVI hiſce verbis: [2] *Vaſtata Campania turbine ventorum, qui villas, arbuſta, fruges paſſim disjecit, pertulitque violentiam ad vicina urbi.* Et denuo, cum paulo poſt ita ſcribit: *Campaniam petiverat Cæſar, & Cumas uſque progreſſus Petronius illic attinebatur.* Etiam *Hiſtoriarum* lib. III eadem hæc loca ter *Campaniæ* nomine dixit, haud amplo admodum verborum intervallo; iſtic ubi refert, claſſem, quæ in portu Miſeni morabatur, & municipia aliquot atque colonias ejuſdem tractus, adjunxiſſe ſeſe Veſpaſiani partibus, & rebellaſſe contra Vitellium; qui eo Lucium Vitellium fratrem miſit: *L. Vitellium fratrem*, inquit, *cum ſex cohortibus, & quingentis equitibus ingruenti per Campaniam bello oppoſuit.* Et mox: *Erectus Samnis, Pelignuſque, & Marſi, æmulatione quod Campania prævceniſſet.* Et tertio: *Jam Miſenatem claſſem, & pulcherrimam Campaniæ oram deſciviſſe; nec plus e toto terrarum orbe reliquum Vitellio, quam quod inter Tarracinam Narniamque jaceat.* Hoc amplius ita narrationem pergit: *Non omiſere per eos dies Primus ac Varus crebris nunciis ſalutem,*

Prima Auguſti regio non habuit ſingulare aliquod nomen.

Et ita Campaniæ *nomen primam ſignificationem retinuit.*

Tacitus pluribus locis illuſtratus.

2. Si ipſa duntaxat & hujus & ſequentis loci verba ſpectemus, non ſatis illa manifeſte indicant, Tacitum in illis de proprie dicta Campania fuiſſe loquutum. Ceterum in præcedentibus quidem, ex illis, quos porro affert auctor, ſatis patet, eundem hiſtoricum non de Auguſti, ſed, quod hinc conſequitur, de proprie dicta Campania dixiſſe.

tem, *& pecuniam*, *& secreta Campaniæ offerre* (Vitellio;) *Si positis armis*, *seque ac liberos suos Vespasiano permisisset*. Mox amicos quoque ejus ad hunc modum eum admonuisse scribit: *Nunc pecuniam*, *& familiam*, *& beatos Campaniæ sinus promitti: sed ubi Imperium Vespasianus invaserit*, *non ipsi*, *non amicis ejus*, *non denique exercitibus securitatem*, *nisi exstincto æmulatu*, *redituram*. Manifeste indicat, se per *Campaniam* non intellexisse ampliorem illa regionem, quæ cis Lirim amnem & Sinuessæ promontorium consistebat, amœna undique & abundans deliciis: licet non adeo res magni momenti foret, si ad exemplum *Silii*, & *Flori*, & suum etiam ipsius, & per illam jam tum vulgarem καλάχρησιν, de qua supra egimus, eam heic quoque extendisset aliquantum ulterius; eoque respectu, postquam *Campania* sese partibus adjunxerat Vespasiani, dixisset: *nec plus e toto terrarum orbe reliquum Vitellio*, *quam quod inter Tarracinam Narniamque jaceat*: quasi scilicet *Campania* ad Tarracinam usque porrecta fuerit. Sed denique ille eodem lib. III, & sequenti IV non aliter usus est hoc nomine, quam illo toties jam antea fuerat usus. Priore loco de L. Vitellio, postquam ille Tarracinam receperat, ita dicit: *Lauream prospere gestæ rei ad fratrem misit*, *percontatus*, *statim regredi se*, *an perdomandæ Campaniæ insistere juberet*. Posteriore autem, cum jam Romam ab Ducibus Vespasiani occupatam, Vitelliosque occisos narrasset, ita inquit: *Iisdem diebus Lucilius Bassus cum expedito equite ad componendam Campaniam mittitur: discordibus municipiorum animis*, *magis inter semet*, *quam contumacia adversus Principem*. Intelligit discordias, quæ ortæ erant inter Puteolanos & Campanos; quorum hice Vitellio, illi Vespasiano adhæserant. Atque de istis quidem jam cœperat agere libro præcedenti; verum heic, sive istud oblitus, sive nimium studens brevitati, sive in gratiam Campanorum celare studens eorundem peccatum, non plene nobis exposuit, quænam isthanc civilem contentionem subsequuta fuerint; & illud duntaxat paulo post dicere satis habuit: *legio tertia hyemandi causa Capuæ locatur*; *& domus illustres afflictæ*. Atque hoc quidem satis est manifestum in pœnam præteritæ eorum contumaciæ fuisse factum. Verum si ille de *Campania* semper ad huncce, quem diximus, modum locutus fuit, quid jam de eo cogitandum est, quod idem scriptor *Annalium* lib. XIII refert? Senatores quosdam Romanos narrat de nimis levi pœna libertorum, qui ingrati erant adversus patronos, fuisse questos hisce verbis: *Quid enim aliud læso patrono concessum*, *quam ut vicesimum ultra lapidem in oram Campaniæ libertum releget?* Sane vero *Campania*, quam ipse toties demonstraverat, multo ampliori spatio distabat a Roma, quam viginti millibus passuum. Igitur veram dicemus esse conjecturam, quam odoratus fuit *Lipsius*, & acrius asseruit *Salmasius*; quibus legere placuit: *centesimum ultra Lapidem*. Atque ad hunc modum Tacitus jam demonstraverit ipsissimam *Campaniam* cis Lirim amnem & Minturnas. Ad hanc enim urbem a Roma usque *Antoninus* in *Itinerario* suo numerat millia passuum centum & septem. Neque huic emendationi possit contradicere *Sirmondus*, qui cum eodem *Salmasio* multum habuit controversiæ de regionibus & templis *Suburbicariis* apud veteres, cum & ipse *Propemptici* lib. I cap. IX de prima regione Augusti ita crediderit, ut ipsiusmet verba referam: *Tunc quidem nec Latii*, *nec Campaniæ nomen tulit. postea vero*, *cum Italia in provincias sub Constantino distributa est*, *tota in Campaniæ nomen concessit*, *& a Campaniæ rectore administrata est*. Et adeo *Tacitus* non potuit hoc nomen illis dare locis, quæ non ultra vicesimum lapidem ab urbe Roma aberant. Et hactenus quidem, id est, quantum ad Taciti & Augusti tempora attinet, ego neutiquam ab illo dissentio.

Taciti sententia ambigua.

Tacitus notatus.

Tacitus emendatus.

Itidem Latii *nomen in pristino mansit usu.*

Etiam ad eundem duntaxat modum assentiri *Sirmondo* possum in eo, quod subjungit: nimirum *Campaniæ* nomen non ante Constantini ætatem fuisse translatum ad alias vicinas regiones. Sane enim *Antoninus*, quem supra diximus, semel iterumque istud nomen extendit ad loca satis remota ab antiquis ejusdem *Campaniæ* terminis, istic ubi viam descripsit, quæ a Milano per Picenum & Campaniam ducebat Columnam usque, sitam in extremo Italiæ angulo, apud Rhegium; qua de via fusius acturus ero paulo post. Et *Trebellius* quoque *Pollio* in *Vita Tetrici Tyranni* non videtur idem hoc nomen angustius accepisse in istis verbis, quæ ceteroquin ab ipso *Sirmondo* satis accurate examinata sunt *Adventoriæ* lib. I cap. II. Narrat *Pollio* de Aureliano Imperatore, qui de Tetrico victo triumphaverat, hisce verbis: *Pudore tamen victus vir nimium severus eum*, *quem triumphaverat*, *Correctorem totius Italiæ fecit*; *id est*, *Campaniæ*, *Samnii*, *Lucaniæ*, *Bruttiorum*, *Apuliæ*, *Calabriæ*, *Etruriæ*, *atque Umbriæ*, *Piceni*, *& Flaminiæ*, *omnisque annonariæ regionis*. Hoc factum multo antecessit ætatem Constantini, & eadem quoque fuit antiquior ipse *Trebellius*, qui *Vitam Claudii* conscripsit, eamque dedicavit ipsius Constantini patri, ut novissime notavit *Gerardus Joannes Vossius* lib. II cap. VI *De Historicis Latinis*. Igitur propagatio hujus nominis referenda potius est, ut & retulit *Salmasius*, ad Hadrianum, qui denuo post Augustum descripsit Italiam. Quod si utcunque lubet asseverare, Trebellium locutum fuisse de Constantini temporibus, qua de re ceteroqui litem movere nolim, *Antoninus* olim nos hujus ambiguitatis incommodo liberavit.

Campaniæ *nomen ultra terminos ejusdem processit jam ante tempora Constantini Magni.*

Sirmondus refutatus.

Augustus igitur, ut immensæ Romani imperii conveniens erat amplitudini, plures & varias, neque illas tamen admodum amplas regiones in unam conjungens, nihil quicquam illarum mutavit pristinas appellationes, neque etiam re ipsa *Campaniam* ad novum modum descripsit. Veruntamen me forsitan necessitas adegerit istac uti nonnunquam licentia, ut hanc primam regionem ejus appellem *Campaniam Augusti*, quo eam distinguam a præcedentibus, atque aliis, quæ deinde exstiterunt. Atque eadem licentia usum crederem *Jovianum Pontanum*, cum lib. VI *De Bello Neapolitano* ita dixit: *Vetus Campania per Augusti tempora ab meridie mari Tyrrheno*, *ab occasu Tiberi*, *Sarno flumine ab ortu*, *Samnitium montibus ab septentrione claudebatur*; nisi illum pariter viderem existimavisse errore satis manifesto, eandem *Campaniam* fuisse clausam Sarno flumine. Et adeo ille forte non observavit aliquantum attentius integræ Italiæ descriptionem, a *Plinio* relictam nobis lib. III, quem supra allegavimus; aut quanam in regione collocati fuerint Picentini. Possem illum etiam eo nomine accusare, quod minus recte illam appellaverit *Campaniam veterem*, sive *antiquam*, nisi deprehenderem, eum istis verbis voluisse illam distinguere ab illa recentiore, quæ olim fuit Latium, & hodie vulgo appellatur *Campania Romana*. Et eodem modo aliquanto prius cognominata quoque fuerat a *Flavio Blondo Historiarum* Dec. III lib. VII; & ita deinde quoque appellata fuit a quibusdam aliis, qui eum sequuti sunt. Nimirum illi sibi persuaserunt, cum Augustus nomen *Campaniæ* primæ regioni suæ indidisset, inde illud penes eam remansisse;

Potest hæc prima regio dici Campania Augusti, *ad confusionem tollendam.*

Jovianus Pontanus refutatus pluribus de causis.

Flavius Blondus refutatus.

mansisse: cujus origo tamen neque ejusmodi est, neque adeo alta est, ut suo loco ostendendum erit. Ceterum non cautius hisce, quos diximus,

Alexander ab Alexandro notatus.

loquutus fuit *Alexander ab Alexandro*, qui *Dierum genialium* lib. I cap. XVII scripsit: *Scaptia in agro Campano fuit.* Hoc autem oppidum in Latio situm fuit, & in prima regione Augusti; quam si maxime concedamus fuisse appellatam *Campaniam*, ut videtur hisce temporibus consensu fuisse creditum; sane tamen non potest illi

Julius Cæsar Capacius notatus.

convenire nomen *agri Campani.* Atque huic errori satis est consimilis, sed multo adhuc gravior, quem *Julius Cæsar Capacius* erravit, qui lib. I cap. I *Historiæ Neapolitanæ* suæ Latinæ scribere orsus de celebri *Campania*, clausa duobus promontoriis, quæ sæpius memoravimus, urbes ejus nobis promiscue descripsit easdem illas, quas *Plinius Secundus* recensuerat in prima regione; neque hasce quidem omnes, sed illas duntaxat; quarum nomina secundum ejusdem *Plinii* ordinem incipiebant ab litera *A.* Harum autem multæ sitæ erant in Latio, & nihil ad *Campaniam* attinebant. Hisce igitur variis modis eximios hosce & literatos homines, quorum nomina apud nos magno sunt in pretio, videmus minus recte percepisse descriptionem Augusti: de quo si heic admonendos esse Lectores existimavi, haud inutile consilium cepisse mihi videor. Id adeo eam ob causam, ne forte veritati officere possit, quæ eorum magna est auctoritas. Quod si illam non esse expetendam censemus, neglectis aliis omnibus, quid est, quæso, quod multum molestiæ suscipimus in congerendis novis libris, si negligimus admonere orbem literatum de erroribus suis, sive illi recentiores sint, sive vetustiores? Ad veritatem igitur serio esse attendendum arbitror; verum non minore cum modestia, quam diligentia; ut, si maxime apud homines pravis affectibus impeditos laudem non inveniamus, justam tamen eorum effugiamus reprehensionem. Atque hoc dictum volo in honestam excusationem, quotiescunque evenerit, ut meam proferam sententiam, contrariam opinionibus, quæ antea assertæ sunt & divulgatæ a quibusdam amicorum meorum haud vulgarium, quos, ad cetera quidem quod attinet, observo atque colo, prout eorum virtus postulat. Inter illos mihi quoque fuit,

Antonius Caracciolus notatus.

dum vixit, *Antonius Caracciolus*, lumen familiæ *Clericorum Regularium*, qui dicuntur *Theatini*, clarissimum. Et etiam ille, ut heic me notare convenit, non debuerat Sect. V. cap. II *De Sacris Monumentis Neapolitanis*; nisi tamen hoc adscribendum forte est *Francisco Boluito* ex eadem familia, perinde mihi amico & egregio viro, qui istum librum publicavit post mortem *Caraccioli*; non debuerat, inquam, ille asseverare, quod antea negaverat in *notis* ad *Acta Vitæ B. Antonini*, qui dicitur *Surrentinus*, *Num.* IV. Casinum nempe fuisse urbem celeberrimæ istius *Campaniæ*; cum illud olim fuerit oppidum Latii novi, & longo post tempore alterius cujusdam *Campaniæ*, quæ multo ista amplior, & recentioris fuit descriptionis. Atque de illa heic jam agere incipiam.

VIII. *Campania Hadriani Imperatoris continet utrumque Latium, Picentinos, & Hirpinos.*

Hadrianus Imperator Italiæ administrationem commisit consularibus, ex more antiquo, sed intermisso;

Denuo post Augustum descripsit Italiam Hadrianus Imperator, atque eam ad regionum minorem redegit numerum, tunc cum *quatuor consulares*, ut scripsit *Spartianus* in ejus *Vita*, *per omnem Italiam judices constituit.* Et inter hosce *Julius Capitolinus* affirmavit fuisse etiam Antoninum Pium, ubi ita de eo dixit: *Ab Adriano inter quatuor consulares, quibus Italia committebatur, electus est; ad eam partem Italiæ regendam, ubi plurimum possidebat: ut Adrianus viri talis & honori consuleret, & quieti.* De eadem nova Hadriani descriptione locutus est *Appianus Alexandrinus* lib. I *De Bello civili*; ubi nobis exposuit, morem illum, quo Italiæ administratio pluribus committebatur judicibus, ab Hadriano introductum, quo imperante ipse etiam scripsit, jam alias & antiquitus in usu fuisse, id est, inde usque a temporibus belli Italici, quod etiam *Marsicum* dicitur, & *Sociale.* Verba ejus ita Latine expressit ejus interpres: *Apparet enim, tunc quoque regiones Italiæ distributas fuisse proconsulibus; quem morem imitatus Adrianus Imperator renovavit post ætates aliquot, non diu duraturum post ejus obitum.* Verum ad hoc quidem præsagium quod attinet, falsus ille vates fuit. Neque enim sequentibus ævis ille mos cessavit; & hactenus tantum immutatus est; ut pro diversa regionum Italicarum conditione aliæ quidem committerentur correctoribus, aliæ autem præsidibus, quæ inæqualis dignitatis magistratuum fuerunt nomina. Jam si Italia ad similitudinem, ut credere debemus, quatuor novorum judicum consularium descripta fuit in tantundem regionum, cui sententiæ nullus scriptor ex recentioribus, quos mihi quidem videre contigit, non est adstipulatus; illud dicendum est, uni earum fuisse inclusam Augusti regionem, quæ omnino debuit hac fuisse minor, utcunque Augustus in eam conjunxisset partem Samnii, utrumque Latium, Campaniam, & Picentinos. Itaque arbitror, Hadrianum illi addidisse Hirpinos, quos Augustus in secundam regionem conjecerat, & forsan etiam aliam majorem partem conjuncti Samnii, id quod situs & conditio horum locorum haud absurde nobis persuadere potest. Hirpinos Augustus ad secundam regionem retulerat, ut supra monuimus. In hisce autem, ut dicit *Plinius Secundus*, præter Beneventum, unicam & solam inter eorundem oppida coloniam, erant Æculani, Aquiloni, Abellinates, aliique. Verba ejus hæc sunt: *Intus in secunda regione Hirpinorum colonia una Beneventum, auspicatius mutato nomine, quæ quondam appellata Maleventum.* (*Cluverius* legere volebat *nunc Beneventum*, parum memor ordinis, quem sibi auctor sequendum proposuerat) *Ausculani*, (hic quidem reponendum est, ut ille etiam credebat, *Æculani*, qua de re deinceps) *Aquiloni*, *Abellinates*, & quæ sequuntur. Verum hosce Hirpinos constans est opinio Apuliæ fuisse contiguos. Jam autem haud sane mihi difficile erit demonstrare, *Campaniam* porrectam fuisse ad Apuliam usque post Hadriani tempora, & itidem Hirpinorum oppida ab eodem usque tempore adscripta fuisse *Campaniæ.* Et adeo istud erit verissimum, ab eodem Imperatore per novam Italiæ descriptionem Augusti regionem primam fuisse auctam ad istum, quem diximus modum, & eandem quoque tum accepisse *Campaniæ* nomen, ut supra indicavi. Et quod ad rationem nominis attinet, non ego istud affevero persuasus illis, quæ idem *Julius Capitolinus* notavit in eadem *Vita Antonini Pii*, de quo, cum ad imperium evectus esset, ita dixit: *Nullas expeditiones obiit, nisi quod ad agros suos profectus est ad Campaniam.* Habuit enim Antoninus quidem agros suos in una novarum quatuor Italiæ regionum, quæ commissa ipsi erat ab Hadriano, sed quisnam certos nos reddet, etiam hunc auctorem non usurpavisse hoc nomen, ut videmus alios fecisse, significatione sua antiquiore? Igitur convenientius erit, ejusmodi nos uti argumentis, quæ ni-

Appianus Alexandrinus notatus.

Et primæ regioni ejus, quam olim descripserat Augustus, Hirpinos adjecit,

Cluverius refutatus.

Qui contigui erant Apuliæ.

Atque tum Campaniæ nomen fuit translatum ad eandem integram regionem, ut sigillatim demonstrabitur.

nihil quicquam in se habeant istius ambiguitatis, & quibus pariter etiam reliqua demonstrentur, quæ nobis demonstranda proposuimus.

Iter a Milano ad Columnam, quod per Campaniam ferebat.

Hadrianum igitur *Campaniæ* suæ adjunxisse Hirpinos, satis idoneus testis est nobis ejusdem successor *Antoninus*, quem sæpius diximus. Hic enim in *Itinerario* suo describens singula loca & mansiones itineris, quod, ut ipsius verbis utar, *a Mediolano per Picenum, & Campaniam ad Columnam* ducebat, id est, a Mediolano per sinistrum latus Italiæ, non adeundo Romam, Columnam usque, ad fretum Siculum, juxta Rhegium; ordine memorat ejus urbes & loca ad hunc modum:

Iter, quod a Mediolano per Picenum, & Campaniam ad Columnam, id est, trajectum Siciliæ, ducit. M. P. DCCCCLVI *sic:*

A Mediolano.
Laude civitas. M. P. XVI.
Placentiacum. (scribe: *Placentia civitas.*) *M. P.* XXIIII.
Fidentiola vicus. M. P. XXIIII.
Parmæ civitas. M. P. XV.
Regio civitas. M. P. XVIII.
Mutina civitas. M. P. XVII.
Bononia civitas. M. P. XXV.
Foro Corneli civitas. M. P. XXIIII.
Faventia civitas. M. P. X.
Cæsena civitas. M. P. XXIIII.
Ariminum civitas, M. P. XX.
Pisauro civitas. M. P. XXIIII.
Senogallia civitas. M. P. XXIII.
Ultra Anconam millia plus minus quatuor. XXVI.
Potentia civitas. M. P. XVI.
Castello Firmano. M. P. XX.
Troënto civitas. M. P. XXVI.
Castro novo. M. P. XII.
Aterno civitas. M. P. XXIIII.
Iter promium (verum nomen est *Interbromium*) *vicus. M. P.* XXV.
Sulmone civitas. M. P. XXVIIII.
Aufidena civitas. M. P. XXIIII.
Sernicium. (dicere voluit *Æsernia*) *M. P.* XXVIII.
Bononia civitas. (scribendum est *Bovianum*) *M. P.* XVIII.
Super Tamari fluvium. M. P. XVI.
Ad Equum Tuticum. M. P. XXII.
Ad Matrem Magnam. M. P. XVI.
In Honoratianum. M. P. XX.
Venusium civitas. M. P. XXVIII.
Opino. M. P. XV.
Ad fluvium Bradam (hic est *Bradanus*) *M. P.* XXVIIII.
Potentia. M. P. XXIIII.
Acidios. M. P. XXIIII.
Grumento. M. P. XXVIIII.
Semuncla. M P. XXVII.
Nerulo. M. P. XVI.
Summurano. M. P. XVI.
Caprasis. M. P. XXI.
Consentia. M. P. XXVIII.
Ad fluvium Sabbatum. M. P. XVIII.
Ad Turres. M. P. XVIII.
Ad fluvium Angitulam. M. P. XIII.
Nicotera. M. P. XXV.
Ad Mallias. M. P. XXIIII.
Ad Columnam. M. P. XIIII.

Ita *Antoninus*. Jam in hoc itinere, quod per superius Italiæ latus instituebatur, ut manifestum est, cum variæ transirentur regiones variorum nominum priscorum, non attingebatur tamen per tantum spatium neque locus, neque urbs cujusdam *Campaniæ*, ex illis quas huc usque descripsimus. Et adeo dicendum est Antonini jam tempore fuisse factam aliam novam descriptionem, per quam illa multo amplius occupabat terrarum spatium, & ad aliquem istorum locorum, quos recensuimus, perveniebat. Idem auctor non multo post narratum hoc iter describit alterum, quod ita est:

Demonstrat, fuisse novam & ampliorem ejus descriptionem factam ab Hadriano Imperatore.

Iter a Capua Equo Tutico M. P. LIII. *sic: ubi Campania limitem habet.*
Caudis. M. P. XXI.
Benevento. M. P. XI.
Equo Tutico. M. P. XXI.

Si igitur in loco, qui appellabatur *Ad equum Tuticum*, tum limes erat *Campaniæ*, qui a Caudio, urbe secundæ regionis Augusti, in qua Hirpinorum fines continebantur, distabat triginta millibus passuum, & amplius; ecce jam extensionem situs & nominis ejus, quam ab Hadriano profectam dicebamus; & ecce illud iter, quod per Campaniam a Mediolano ad Columnam institui demonstravit *Antoninus*, qui itidem in illo recensuit *Ad Equum Tuticum*, ut modo vidimus. Verum licet sciam, satis ejus solius hac in re nos stare posse fide, tamen insuper testem advocabo illam *Itinerarii Hierosolymitani* partem, ubi describitur via ab Hydrunto Romam usque per Brundusium, cujus illa loca omittam, quæ heic notare nihil attinet. Quæ autem ad nostrum faciunt institutum, in illo leguntur ad hunc modum:

Atque eadem nova descriptio manifestatur ex aliis itineribus.

Antoninus in Itinerario illustratus.

Mutatio Botontones.
Civitas Rubos. M. XI.
Mutatio ad Quintumdecimum. M. XV.
Civitas Canusio. M. XV.
Mutatio Undecimum. M. XI.
Civitas Serdonis. M. XV.
Civitas Æcas. M. XVIII.
Mutatio Aquilonis. M. X.
Finis Apuliæ, & Campaniæ.
Mansio ad Equum Magnum. M. VIII.
Mutatio Vico Fornonovo. M. XII.
Civitas Benevento. M. X.
Civitas & mansio Claudiis. (intelligit *Caudium*) *M.* XII.
Mutatio Novas. M. VIIII.
Civitas Capua. M. XII.

Deprehenditur igitur & in descriptione hujus itineris idem incrementum Campaniæ, quæ cum Apulia conjungebatur ultra Equum Tuticum, qui locus alio nomine fuit appellatus *ad Equum Magnum*, ut bene notavit *Cluverius Italiæ* suæ lib. IV cap. VIII, collatis inter sese hisce iisdem duobus *Itinerariis*. Ibidem demonstravit, in ejus locum successisse, quod hodie dicimus *Arianum*; quanquam ille, verba eorundem afferens, omisit ista, quæ declarabant, iis temporibus Campaniam ulterius, quam olim excurrisse. Id forsan ideo, ne obligaret sese ad ejus rei reddendam rationem. Atque heic non videtur mihi illud esse omittendum, vocem *Tuticus* alterius fuisse linguæ, quam Latinæ, & valuisse idem, quod *Magnus*. Fuit illa forsitan Oscæ linguæ vox, cujus itidem fuit *Medix*, quæ Festo teste in genere denotavit quemlibet magistratum. Et adeo conjunctis istis duabus vocibus formatum fuit vocabulum *Medixtuticus*, fuit nomen summi magistratus apud Campanos, ut affirmat *Livius* lib. XXVI hisce verbis: *Medixtuticus*, (ita jam scribo, & non *Mediastuticus*) *qui summus magistratus apud Campanos est, eo anno Seppius Lesius erat.* Forsan etiam quendam civem Campanum, qui eundem magistratum gerebat, intellexit *Ennius* in isto versu, quam idem *Festus* adduxit, ubi de significatione simplicis vocabuli *Medix* nos edocet verbis sequentibus: *Medix apud Oscos nomen magistratus est. Ennius:*

Per quam illa excurrebat ad Apuliam usque & Arianum. Cluverius laudatus pluribus de causis. Cluverius notatus.

Livius & Ennius illustrati.

Summus ibi capitur Medix, occiditur alter.

Et *Livius* & *Ennius* Latinis nominibus exposuerunt illa, quæ Osca erant. Neque illud negari potest, eadem quoque lingua fuisse locutos Apulos, quos *Josephus Scaliger* agnoscit ea fuisse usos in veteri quadam *Inscriptione*, quam adducit in *Annotationibus* ad *Chronicon Eusebii*, pag. 109; ut taceam, *Ennium* poëtam, patria Rudium, quæ prope Tarentum urbs erat, gloriatum fuisse, ut affirmat Gellius lib. XVII cap. XVII, se eam callere pariter cum Græca & Latina. Neque illud etiam omittendum arbitror, *Flavium Blondum*, ubi de *Abellino* agit in *illustrata Italia* sua, & item alios, qui eum secuti sunt, persuasisse sibi, quod sane absurdum est, locum illum, seu templum in via ad Columnam, quem locum *Antoninus* dixit *Ad Matrem Magnam*, fuisse in monte, qui vulgo appellatur *mons Virgo*; in quo hodie est templum monachorum *Gulielmitarum*, dedicatum Virgini sanctæ, Dei genitrici. Et adeo ille ad hunc modum multis millibus passuum aberravit ab hacce via, quæ ducebat per Bovianum, per fontes Tamaris fluminis, & Venusiam, omnia ultra Beneventum loca: cum idem iste mons citra Beneventum sit haud exiguo spatio. Verba *Blondi* hæc sunt: *Superius* (loquitur de *Abellino*) *est Mercuriale castellum, & longe supra Virginis monasterium, quod ex Magnæ Matris Deûm fano in gloriosæ Virginis Mariæ, Dei genitricis, ecclesiam Christianis temporibus, est mutatum. Nam Antoninus Pius in Itinerario viam describens a Benevento*, (*a Mediolano* dicere debuerat) *ad Columnam, ad Mercuriale primum, post ad Magnam Matrem posuit.* Ita ille, *Antoninum* testem advocans de illis, quæ nunquam ille testatus est, & corrumpens nomen *Honoratiani* in *Mercuriale*; insuper etiam, quod adhuc indecentius est, contradicens illi ipsi, quem citaverat, auctori, quem vidimus primo loco posuisse *Ad Matrem Magnam*, & deinde *In Honoratianum.* Atque hanc opinionem ejus novissime satis constanter sequutus est etiam Antonius Caracciolus, in libro, cujus supra mentionem fecimus, *De sacris monumentis Neapolitanis*, Sect. XIV cap. XX. Tantum valet etiam apud eruditos error inveteratus. Hadrianus igitur per istam descriptionem suam *Campaniam* produxit ad Apuliam usque, &, ut vidimus, usque *Ad Equum Tuticum*, sive *Ad Equum Magnum*, quod hodie *Arianum* esse *Cluverio* assentimur. Et debuit ampla hæcce *Campania* per plures duravisse ætates, quoniam ad istum modum, quem diximus, de ea loquuntur adhuc multo serioris ævi Scriptores. Atque hinc nobis manifestum esse potest, quam ob causam *Servius*, *Virgilii* celeber interpres, qui, ut *Franciscus Juretus* autumat, idem ille fuit, ad quem *Symmachus* scripsit epistolam VI lib. VIII; exponens illa poëtæ verba, *Æneidos* lib. VII:

Flavius Blondus refutatus.

Antonius Caracciolus refutatus.

Est locus Italiæ in medio —— ——

quibus describitur situs vallis, sive lacus, qui dictus fuit *Amsanctus*; dixerit: *Hunc locum umbilicum Italiæ cosmographi dicunt. est autem in latere Campaniæ, & Apuliæ, ubi Hirpini sunt.* Hoc amplius jam intelligimus, quamobrem *Porphyrio*, vetus, & perinde notus *Horatii* Scholiastes, exponens versus illos. *Satyræ* V lib. I:

Et ad lacum, qui dictus fuit Amsanctus, *hodie* Mofetes; *item ad Trivicum usque.* Servius & Porphyrio illustrati.

—— *nisi nos vicina Trivici*
Villa recepisset. —— ——

Trivicum, quod est oppidum ejusdem tractus circa *Arianum*, dixerit *oppidum in fine Campaniæ.*

Jam autem si loca Hirpinorum ad Apuliam usque & *Arianum*, *Campaniæ* adjecta, hoc modo evaserunt *Campana*, necessario etiam *Campana* nomen Benevento competit, quæ sita fuit in iisdem Hirpinis, cis *Arianum*, sive Equum Tuticum, ut notum est, & *Itinerarium Hierosolymitanum* demonstrat. Et adeo ab hoc usque tempore simul ejus & reliquæ *Campaniæ* totius administratio commissa fuit uni solummodo consulari. Atque hoc esse verum sigillatim deprehenditur ex diversis monumentis de rebus Beneventanorum. Ita enim *Beneventanus* ille episcopus & martyr, S. Januarius, una cum aliis sanctis martyribus *antiquioris Campaniæ*, imperante Constantio ad mortem fuerunt damnati ab uno eodemque judice, sive præside Timotheo. Atque istud non intelligens *Caracciolus* multum negotii habuit, ut investigaret aliam hujus rei causam. Item alius, *Beneventanus* & ipse episcopus, & eodem *Januarii* nomine appellatus, cum inter reliquos etiam interfuisset concilio Sardicensi, quod convocatum fuit anno a Christo nato CCCXLVII, nomen illi suum ad hunc modum subscripsit: *Januarius a Campania de Benevento.* Atque hinc jam illud confirmatur, quod supra notavi, Constantinum Magnum, cum denuo administrationem Romani ordinaret imperii, non angustioribus inclusisse limitibus hancce Hadriani Campaniam. Et adeo ad hanc pertinebat Beneventum adhuc deinceps, id est, temporibus *Ausonii*; qui, ubi de illis agit, qui sexum mutaverant, appellavit eam *urbem Campanam* in hisce versibus:

Beneventum urbs Campana hujusce Campaniæ.

Vita S. Januarii, & subscriptio alterius cujusdam Januarii, episcopi Beneventani, illustrata.

Ausonius illustratus.

Nec satis antiquum, quod Campana in Benevento
Unus epheborum virgo repente fuit.

Non animadvertit *Stephanus Byzantinus*, sive qui illum contraxit, per regionum mutatas descriptiones unum idemque Beneventum diversis temporibus pertinuisse ad diversas regiones: ideoque ex una duas fecit urbes, distinguens illam, quæ ab Diomede condita fuit, ab hac, quæ Campaniæ legebatur adscripta; & per Campaniam intelligens illam antiquiorem, quæ nunquam habuit istius nominis urbem.

Stephanus Byzantinus notatus.

Atque hæc varietas hujusce regionis, non satis adhuc cognita, majoris etiam confusionis occasionem dedit illis, quotquot usque adhuc scripserunt de hæresi Pelagii ejusque sectatorum. Crediderunt illi Julianum, episcopum Pelagianum, fuisse Capuæ episcopum. Hic a *Gennadio* in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. XLV, ut in melioribus codicibus ejus, &, qui illum contraxit, Honorio Augustodunensi legitur, dictus fuit *episcopus Campanus.* Sed re vera fuit ille istius oppidi episcopus, quod a *Ptolemæo*, & *Appiano Alexandrino* *Æculanum*; & in *Itinerario Antonini* semel iterumque *Eclanum* dicitur. Hoc autem ex communi sententia eorundem auctorum, & insuper *Plinii Secundi*, pertinuit ad Hirpinos, qui deinde inter Campanos relati sunt. Verba *Ptolemæi*, *Geographiæ* lib. III, Europæ *Tab.* VI, Latine ita habent: *Hirpinorum urbes sunt, Aquilonia, Abellinum, Æculanum, Fratuolum. Appianus* lib. I *De Bello civili*, Latine redditus, ita dicit: *Imperator Sulla in Hirpinos exercitum ducit, & Æculanum oppugnare cœpit.* Verba *Plinii*, lib. III cap. XI, supra attulimus. Horum autem loco illud mihi videtur non esse tacendum, Minutium Magium, atavum *Velleji Paterculi* nostri, qui ab eodem lib. II appellatur *Asculanensis*, forsitan rectius dici *Æculanensem*, sumpto cognomine ab *Æculano* oppido. Dicitur enim ille bello Italico ex regione Hirpinorum integram conscripsisse militum legionem. Atque hujus oppidi, quod aliquot annis post dictum fuit *Eclanum*, hunc Julianum ego arbitror episcopum fuisse, & ab nomine regionis appellatum *Campanum.* Gravis hanc in rem mihi testis est *Prosper Aquitanicus*, qui cum in *Chronico*, Theodosio septimumdecimum, & Festo Consulibus, appellat, ut exemplaria ejus minus corrupta habent,

Julianus, episcopus Pelagianus, hujusce Campaniæ *fuit episcopus; nempe istius oppidi, quod olim dictum fuit* Æculanum, *hodie* Fricentum *est.*

Vellejus Paterculus emendatus.

bent, *episcopum Eclanensem*, & *Heclanensem*; quanquam alia exemplaria ejus corrupte eum dicunt *Athelanensem*, & alia *Atellanensem*. Atque hac falsa lectione persuasus Cardinalis, & Archiepiscopus noster, *Robertus Bellarminus*, disponens atque augens nonnihil antecessorum suorum in ecclesia nostra Campana catalogum, colligi cœptum ab avi mei fratre, *Camillo Peregrino*; existimavit, potuisse illum simul *Campanum* & *Atellanum* fuisse dictum, quoniam detecta ejus hæresi profugit Capua, & ad vicinam Atellam sese recepit, ubi diu commoratus fuit. Atque hanc conjecturam approbavit *Michaël Monacus* noster, eamque divulgavit in tertia parte *Sanctuarii* sui *Campani*, ubi multum operæ posuit in defendenda communi opinione, quæ usque adhuc obtinuit de sede hujus episcopi, contra Heribertum Rosweidum, qui in *notis* ad *S. Paulinum Nolanum* de ea dubitaverat. Successit in locum *Æculani*, ut demonstravit *Cluverius Italiæ* suæ lib. IV cap. VIII, vrbs, quæ appellatur *Fricentum*, & ultra Beneventum sita est millibus passuum circiter viginti, (*Antoninus* semel atque iterum numerat viginti quinque) & proxima est Amsancto valli, quæ hodie appellatur *Mofetes*. Et adeo tuto credere licet, Hadrianum illam una cum reliquis Hirpinis adjunxisse Campaniæ suæ, atque inde episcopum illius fuisse appellatum *Campanum*. Sunt etiam prope *Fricentum* agri, qui olim ab antiqua Taurasia dicti fuerunt *Taurasini*, & ab auctore libelli *De limitibus* appellantur nomine *agri Eclanensis*, ab eodemque referuntur ad vicinam Apuliam; quia forsitan ille vixit isto tempore, quo adhuc observabatur Augusti descriptio, qui Hirpinos, Apuliam, aliasque regiones veteres, quas supra notavimus, in secundam regionem conjecerat. Et ratione horum agrorum, quos *Livius* lib. XL tacite demonstravit esse spatiosos & planos, unde eosdem credere licet satis fuisse fertiles & segetibus abundantes, haud aliena mihi videtur sententia, *Prosperum Aquitanicum* in versibus istis, quos composuit *in detrectatorem Augustini*, id est in eundem illum perversum Julianum, ad notandam ejus insolentiam usum fuisse hac metaphorica sententia:

Aut huic Campano gramine corda tument.

Sed præplacet assentiri potius ejusdem Michaëlis Monaci nostri, quem supra diximus, interpretationi, qui defendens suam & communem opinionem, quod ad cetera attinet, satis sagaciter judicavit, *Prosperum* voluisse alludere ad celebre illud *Ciceronis* dictum in *Orat.* II *contra Rullum*: *Campani semper superbi bonitate agrorum.* Igitur ille debuit tantum habuisse cognitam suorum temporum Campaniam, errore illi contrario, quo Stephanus Byzantinus solummodo noverat antiquiorem illam. Et adeo Prosper existimavit, de eadem loquutum fuisse *Ciceronem*, non autem de alia, aut de aliis *Campanis*. Ceterum Juliani hujus insuper honorifica mentio occurrit in *Epithalamio*, quo S. *Paulinus*, episcopus Nolanus, nuptias ejus celebravit, cum adhuc adolescens, & satis adjungens animum ad literas, magnam suis de eruditione sua spem faceret. Sed ibi quidem nihil ego invenio, quo aut ipsum, aut patrem ejus Memorium, qui itidem fuit episcopus, Capuam habuisse patriam demonstretur. Et sane illud, quod istic dicitur de patre ejus, respectu episcopi cujusdam Æmilii, quem idem *Michaël Monacus* haud absurde credit fuisse Beneventanum, potius pertinere potest ad episcopum Eclanensem, sive *Fricentinum*. Memorius enim ibi appellatur frater & filius Æmilii, quibus verborum figuris denotatur episcopalis ejus dignitas inferior Æmilii dignitate, qui ejus erat Metropolita, prout hodieque Beneventana ecclesia metropolitana est Fricentinæ. Verum eandem Campanæ quoque ecclesiæ fuisse unquam metropolitanam, illud equidem ignoramus; & multo minus ita fuit hisce seculis, quibus ipsa etiam Capua dignitate metropolitana insignis erat, cujus rei nos certos reddit S. Athanasius in fine epistolæ *Ad Solitarios*, cujus habuisse notitiam dissimulavit Antonius Caracciolus Sect. x cap. I *De sacris monumentis Neapolitanis*; & item *Bartholomæus Chioccarellus* in *Catalogo Antistitum Ecclesiæ Neapolitanæ*. Verba autem S. Athanasii, ubi de concilio Sardicensi agit, quod convocatum fuit anno CCCXLVII, Latine reddita, ita habent: *Missis a sancto concilio in legationem episcopis, Vincentio Capuæ, quæ metropolis est Campaniæ, & Euphrate Agrippinæ, quæ est metropolis superioris Galliæ, ut pro Synodi decretis Imperator Constantius episcopos, quos ipse ejecerat, in suas sedes reverti pateretur.* Et adeo videtur mihi admodum inscite *Michaël Monacus* noster, cui ista epistola satis fuit cognita, ut ex libro ejus apparet, quem diximus supra, credidisse, Beneventanum Æmilium germanum fuisse Memorii fratrem, & mystico sensu ejusdem patrem: atque hoc non ratione superioris dignitatis, sed quod ante ipsum ad episcopatum evectus fuerit. Sed ille hoc non cogitavit, posse illos etiam mystico sensu fuisse fratres; & ex ista temporis prærogativa non posse nasci justam proportionem, per quam ille fuerit pater hujus appellandus. Equidem nescio, quomodo horum non facile meminisse potuerit homo in sacris canonibus & literis satis versatus, cum abunde sit manifestum, nomen ecclesiæ metropolitanæ idem valere, quod ecclesia mater; unde earum Archiepiscopi dici possunt patres *suffraganeorum* suorum, qui per eandem metaphoram ipsorum sunt filii: eodem modo, quo minores urbes dictæ fuerunt filiæ majorum, *Machabæorum* lib. I cap. V semel atque iterum. *Cepit* (hæc sunt verba sacri libri ex versione vulgata) *Gazer civitatem, & filias ejus, & reversus est in Judæam.* Et mox: *Et percussit Chebron, & filias ejus, & muros ejus, & terras succendit igni in circuitu.* Et intelligo hæc de urbibus, non autem de minoribus populis, ut minus proprie *Gaspar Sanctius* hæc loca interpretatus est. Verum quanam de causa neglexerim ego ipsos versus epithalamii istius, quod dixi, afferre, in quibus auctor loquitur de benedictione, qua Æmilius episcopus prosecuturus erat novum sponsum, Memorio patre ejus, & itidem episcopo, coram, cum circa illos nostra versetur disputatio? Sunt igitur hi:

Surge, Memor, venerare patrem, complectere fratrem:
Uno utrumque tibi nomen in Æmilio est.
Junior & senior Memor est, mirabile magni
Munus, opusque Dei: qui minor, hic pater est.
Posterius natus senior; quia sede sacerdos
Gestat Apostolicam pectore canitiem.
Filius est, fraterque Memor: lætatur adesse
Communem sibimet, pignoribusque patrem.
Justitia, & Pax se gemina vice complectuntur,
Cum Memor Æmilio jungitur unanimo.
Infula Pontifices divino jungit honore,
Humano pietas jungit amore pares.
Hinc Memor, officii non immemor, ordine recto
Tradit ad Æmilii pignora cara manus.
Ille jugans capita amborum sub pace jugali,
Velat eos dextra, quos prece sanctificat.

Hucusque isti versus epithalamii; quos si quis singulos accurate examinaverit, facile animadvertet, nullo pacto in istis locum esse alteri interpretationi. Jam

Robertus Bellarminus refutatus.

Michaël Monacus refutatus.

Cluverius laudatus.

Michaël Monacus laudatus.

Prosper Aquitanicus notatus.

S. Paulini integrum carmen illustratum.

Idem ad diœcesin pertinuit, sive Suffraganeus fuit Archiepiscopalis ecclesiæ Beneventanæ.

Michaël Monacus refutatus pluribus modis.

Liber Machabæorum illustratus duobus locis.

Gaspar Sanctius notatus.

Hacce Hadriani Campania *pertinuit etiam usque ad Tiberim ab uno latere;* Symmachus illustratus.

Jam ut redeamus ad Campaniam, ab Hadriano promotam ad Apuliam usque, eam, quod ad cetera attinet, neutiquam credere debemus fuisse contractam a latere versus Tiberim, & Romam, quousque Augustus primam regionem suam protulerat. Atque hujus rei nos certos reddit *Symmachus*, qui lib. x *epist.* LIII indicat, imperante Juliano Consularem Campaniæ, qui inter alias urbes ejus etiam præfectus erat Puteolis, habuisse quoque Tarracinæ administrationem. Ita *Symmachus: Divo Juliano moderante rempublicam, cum Lupus consulari jure Campaniæ præsidens Tarracinensium contemplaretur angustias*; & quæ sequuntur. Et in principio ejusdem epistolæ jam indicaverat, Puteolanos & Tarracinenses unum eundemque habuisse præsidem, qui in hanc provinciam Lupo successerat. Et istic eum appellat *Consularem*, qui proprio nomine dictus fuit *Campanus*. Ceterum haud dubie de hoc Lupo *Inscriptio* illa marmoris loquitur, quod Capuæ suspensum est ad templum monachorum Carmelitanorum, atque hæc verba, licet nonnihil mutilata, exhibet:

Vetus inscriptio exposita.

. . RIVS LVPVS
. . . . . . V. C.
. . ONS. CAMP.
. VRAVIT.

Verum etiam ultra Tarracinam versus Tiberim sine dubio Campania excurrebat, quando *Servius* ad *Virgilii* Æneidos lib. VII *Gabios* oppidum ejus dixit, quod veteris Latii fuit; item quando ad lib. III, & VIII ejusdem *Æneidos* illi adscripsit Laurolavinium, & Laurentem agrum, loca satis propinqua Tiberi. Neque etiam ab latere versus Lucaniam angustioribus eam limitibus inclusit Hadrianus, quod ex ejusdem auctoris verbis colligitur, si recte attendimus. Exponens enim illa poëtæ, quibus eodem lib. VII recenset populos, qui Turno tulerunt auxilium contra Æneam, & ipse paucis recensuit verbis, Campaniam suo tempore continuisse Latium, Hirpinos, & Picentinos. Sunt autem hæc: *Sciendum Turno dari auxilium a tractu* [1] *Piceni, Samnii, Campaniæ, & pro parte Apuliæ.* Ex mox sigillatim exponens eandem descriptionem Virgilianam, *Campaniæ* adscripsit loca circa promontorium Circejum, quæ olim Latii erant: mox Cales, urbem *Campaniæ* etiam ante Augustum: & non multo post Rufas, (has *Cluverius* credit esse hodie *Ruvum*, confundens eas cum episcopali urbe Muro ultra Compsam: *Ruvum* autem Apuliæ urbs est) & Batulum, quod utrumque Hirpinorum oppidum est: & denique campos Celennos, qui fuerunt in Picentinis, & Junoni, atque ejus templo consecrati, de quo locutus est Plinius, cujus verba alibi supra adduximus. Verum illud non possum non monere, eundem Scholiasten alibi ad lib. III *Æneidos* loquutum fuisse de *Campania* ad modum istum antiquiorem, ubi ita dixit: *Sunt terræ desudantes sulphur, ut pene totus tractus Campaniæ, ubi est Vesuvius, & Gaurus montes, quod indicat odor aquarum calentium.* Neque enim aut experientia nos, aut alii auctores docent, terram sponte producere sulphur in quadam alia *Campania*, quæ amplior sit hac eadem, quam *Servius* Vesuvio & Gauro montibus terminavit. Hæc autem multo fuit angustior Hadriani *Campania*.

Servius illustratus. *Et ab altero ad Lucaniam usque.* Servius illustratus. Cluverius notatus. Servius a se ipso dissentit.

1. Alii sunt Piceni, seu Picentes, alii Picentini, ne quis forte putet Servium heic Picentinos exemisse Campaniæ. Vide Casaubonum ad Strabonis lib. v circa finem. Fuerunt Picentini, ut ex eodem Geographo supra observavit auctor cap. III, orti a Picenis, cum pars horum, a mari Adriatico ab Romanis ad mare Tyrrhenum traducta, *Picentinorum* nomen accepisset.

Per splendorem nominis Campaniæ *obscurata sunt vicinarum regionum nomina, per quas illud sparsum est.*

Atque hoc quidem licuit *Servio* ratione temporis, quo ille vixit, ut *Campaniæ* nomen ita usurparet diversa significatione. Verum quid dicemus tandem de *Tacito*, qui contra istoc nomine sæpissime usus ad modum veterem, videtur *Annalium* lib. III idem istud usurpavisse isthac altera significatione recentiore? Narrans enim cineres Germanici ex Asia Brundisium delatos, ut Romam deducerentur, ita dicit: *Miserat duas prætorias cohortes Cæsar, addito, ut magistratus Calabriæ, Apulique, & Campani suprema erga memoriam filii sui munera fungerentur.* In hoc itinere post Apulos non aliorum facit mentionem, quam Campanorum, cum tamen inter utrosque medii essent Hirpini, quorum satis nobilis erat urbs Beneventum, quam non debuisse eum tacere, ratio postulare videtur. Certe si assentiri volumus *Lipsio*, (& ego quidem argumenta non invenio, quæ ejus opponam sententiæ) qui existimavit, *Tacitum Annales* suos intra Trajani ætatem absolvisse, istud credere necesse erit, eum istic non locutum fuisse de Hadriani, qui Trajano successit, Campania, quæ Hirpinos etiam continebat: atque adeo eum sponte & ad arbitrium suum supersedisse horum facere mentionem. Et ita multo ante videmus eodem prorsus exemplo fecisse etiam *Vellejum* nostrum, qui de Sulla, itidem ex Asia Brundisium advecto, ita scripsit lib. II: *Exercitum per Calabriam, Apuliamque cum singulari cura frugum, agrorum, hominum, urbium perduxit in Campaniam.* Nec forsan *Quadrigarius*, ipso multum antiquior, in verbis, quæ aliquanto ante attulimus, alia de causa dixit, Pyrrhum per se annos continuos cum exercitu populatum fuisse & vastavisse Apuliam, Lucaniam, & agrum Campanum. Et etiam ille tacuit Hirpinos, & Picentinos, quorum hi inter Campaniam, & Lucaniam; illi inter eandem Campaniam & Apuliam medii erant. Ad eundem quoque modum *Cicero* in oratione [2] *pro C. Rabirio* scripsit vicinas invicem esse Campaniam, & Apuliam, hisce verbis: *Cum tanto studio C. Rabirius totius Apuliæ, singulari voluntate Campaniæ vicinitatis ornetur? cumque ad ejus propulsandum periculum non modo homines, sed prope regiones ipsæ convenerint, aliquanto etiam latius excitatæ, quam ipsius vicinitatis nomen, ac termini postulabant?* Et igitur jam intelligere possumus, quonam modo *Campaniæ* nomen, cujus respectu aliarum vicinarum, quas diximus, regionum nomina in obscuritatem jam & minorem venerant æstimationem, usque a temporibus Hadriani, sive per edictum ejus, sive tacito consensu, & per populorum usum communem longe ultra pristinos fines ejus propagatum fuerit; cum illud jam olim cœpisset efferre sese & extendere versus Latium novum, ut suo loco ostendimus.

Lipsius laudatus. Tacitus illustratus. Vellejus illustratus. Quadrigarius ambigue illustratus. Cicero illustratus.

Verum hoc, quod de Augusti & Hadriani descriptionibus tot tantorumque auctorum testimoniis & consensu hucusque asseruimus, diverso jam modo turbatur a *Tacito*, cujus *Historiarum* lib. IV hæc sunt verba: *Helvidius Priscus regione Italiæ septima, Tarracinæ municipio.* Adeone igitur nobis imposuit *Plinius Secundus*, qui in primam regionem conjunctas dixit omnes istas terras, quæ a Tiberi ad Silarum usque protenduntur? Et an perinde falsus *Spartianus*, qui Italiam ab Hadriano descriptam narrat tantum in quatuor præfecturas judicum consularium? Verum istud equidem de hisce auctoribus mihi persuadere nunquam sustinebo. Quia potius derogabo fidem *Tacito*, si tamen ille ita scripsit, neque correctoribus

Tarracina credita ad septimam Italiæ regionem pertinere, cum illa ad primam Augusti, & ad unam quatuor Hadriani regionum pertineret.

2. Nescio undenam hæc Ciceronis desumpserit noster. Nam certe in Oratione pro C. Rabirio, quantum quidem ejus ad nos pervenit, nullibi comparent.

bus ejus ista lectio imputanda est. Sane enim hi constanter affirmant, in exemplaribus ejus manu exaratis, numerum deesse regionis. Et inde *Marcus Vertrannius*, quem secutus est *Lipsius*, eum addidit illo modo, quo auctoris verba retulimus. *Æmilius* autem *Ferrettus*, & *Vincentius Lupanus* legendum censuerunt: *regione Italiæ secunda*. Et igitur hice Critici non advocaverunt in consilium auctoritatem *Plinii*, quam nescio utrum ipsi ignoraverint, an ad eam non satis attenderint. Certe illis cautior fuit *Josias Mercerus*, qui itidem negavit vocem *septima* in manuscriptis exstare, & Tarracinam septimæ regionis oppidum fuisse; eoque amplius monuit, ut ipsius verbis utar, *insuetum Tacito regionem adjicere, nec necessarium, noto municipio Tarracinæ. quin & libri variant, & aliud quærendum*. Variatio hæc notata fuit a *Lipsio*: *nam Vaticano est*: (ita ille dicit) *Tarentium municipio. Farnesiano: Tarentinæ. priscis editionibus: Tarentino*. Igitur aut Tacitus non loquutus fuit de Tarracina, aut si de ea locutus fuit, omnino ejicienda sunt, quæ de septima regione apud eum leguntur; aut denique, si hæc retinenda esse videntur, supplenda sunt, non ut alii suppleverunt, sed adjecta voce *prima*. Sed hanc non defuerint fortasse, qui supervacuam judicent, ex more illo, quo videmus nonnunquam sileri numerum, ubi de primo anno imperii aut principatus facienda mentio est. Verum ego subvereor, ne quoquo modo alii crediderint lectionem Vertrannianam & Lipsianam refutandam non esse, quoniam apud alios auctores, quos paulo post afferemus, *Campania*, inter cujus urbes etiam Tarracina numeranda est, septimo loco refertur inter Italiæ regiones. Atque hanc ego quæstionem heic jam proponere & diligentius exsequi constitui, ut appareat, istos alioqui sagacissimos Criticos descriptionem Augusti, & quod de ea scripsit *Plinius*, confudisse cum alia descriptione multo recentiore, quam nobis demonstraverunt Scriptores longe temporum seriorum. De hac igitur, siquidem hucusque satis dictum est de Hadriani *Campania*, jam disputare pergam.

Vertrannius, Lipsius, Ferrettus, Lupanus refutati.

Josias Mercerus laudatus.

Tacitus ambigue emendatus.

Longe demum post fuit illud septimæ regionis oppidum.

IX. *Campania, descripta a Procopio, aliisque, continet Latium novum, & Picentinos.*

Hæc Campania a Silaro usque non ultra Tarracinam porrecta fuit;

Itaque alia nova *Campania* deinde fuit illa, quæ sequentibus temporibus, & ab ejusdem Hadriani ætate longo annorum intervallo remotis, descripta nobis est ab seriorum temporum auctoribus, inter quos primum locum tenet *Procopius*. Hic apertis verbis indicavit, illam suo tempore fuisse clausam Silaro amne & Tarracina; & verbis paulo obscurioribus, Beneventum (& idem intelligendum est de omnibus Hirpinis) fuisse alterius regionis urbem. Igitur postquam lib. I *Gothicorum* descripserat regionem Lucanorum; de Campanorum terra, quæ ex usu aliorum etiam Græcorum auctorum, & ipso antiquiorum, eadem est, quæ Latinis *Campania*, ita loqui pergit, ut interpres ejus habet: *Post hos* (Lucanos) *Campani Tarracinam usque pertingunt, quos statim Romanorum termini subeunt*. Et ubi lib. II de Antonina, Belisarii conjuge narrat, quam ille Roma Neapolim ablegaverat cum præsidio duorum ex ducibus suis, ita de hisce loquitur: *Postquam Tarracinam venerunt, dimissa in Campaniam cum paucis Antonina, ad ejus regionis præsidia cum denique pervenissent, inde moventes, Gothos, qui ea divagabantur, irruptione facta de improviso adoriuntur*. Igitur Antonina nondum attigerat *Campaniam*, cum jam Tarracinam venisset. De utroque hoc termino *Campaniæ* cum *Procopio* consentit *Jornandes*, ejusdem æqualis, qui *Rerum Gothicarum* cap. XXX de Gothis, qui anno CCCCX, Amalarico rege, Romam diripuerant: ita dicit: [1] *Exinde egressi, per Campaniam, & Lucaniam simili clade peracta, Bruttios accesserunt*. Et ubi in historia *De successione regnorum ac temporum* circa finem refert Vitigem ad regiam dignitatem evectum contra regem Theodahatum, a quo cum copiis missus fuerat contra Belisarium, qui Neapolim expugnaverat, hæc verba habet: *Qui Campaniam ingressus, mox ubi ad campos venisset Barbaricos, illico exercitus favorem, quem contra Theodahatum suspectum habebat, excepit*. Atque hi campi fuerunt in illo tractu Tarracinæ, ubi *Procopius* eodem lib. I *Gothicorum* eandem rem narrat accidisse, qui eorum situm ad hunc modum describit: *Campi circumquaque patentiores & equitabiles erant; juxta vero defluens amnis in mare ad Tarracinam immittit. Huic proximus mons Circejus*. Verum hic non debere illud celari lectorem arbitror, hac *Procopii* versione, quam *Christophorus Persona* concinnavit, non integre expressam esse auctoris sententiam, quam Græca continent. Nihilominus ista libuit uti, quoniam sufficit, quantum ad nostrum institutum attinet. Neque illud etiam dissimulabo, posse mihi objici, & *Procopium*, & *Jornandem* posse omisisse mentionem Picentinorum eadem ratione, qua non multo ante diximus *Quadrigarium* eosdem tacuisse; & *Vellejum* atque *Tacitum* non memorasse Hirpinos, cum ad illud satis opportunam haberent occasionem. Verum ad hæc mihi satis esse videtur si illud respondeam, hoc argumentum neutiquam simile esse nostro illi; cum certi simus, temporibus istis antiquioribus nomen *Campaniæ* nondum alias istas occupavisse vicinas regiones. Ceterum *Procopius* & *Jornandes*, qui invicem illustraverunt, & pariter conjuncti nobis detexerunt hancce aliam *Campaniam*, jam etiam lucem dabunt *Paulo Diacono*, apud quem *De gestis Longobardorum* cap. X, aut secundum alias editiones lib. II cap. XIV legitur ita de regionibus Italiæ: *Sexta provincia Tuscia est*. Et mox: *In hac provincia Roma, quæ olim totius mundi caput exstitit, est constituta*. Et post hæc: *Septima provincia Campania, ab urbe Roma usque ad Siler, Lucaniæ fluvium, perducitur, in qua opulentissimæ urbes, Capua, Neapolis, & Salernus constitutæ sunt*. Roma igitur una cum finibus suis, sive territorio, per aliam novam descriptionem adjuncta fuit Etruriæ, prout *Procopius* dixit terminos Romanorum subire post *Campanos*, sive *Campaniam*, ultra Tarracinam; ubi vidimus, campos Barbaricos fuisse in istarum regionum confinio. Et adeo hac ratione regiones utriusque Latii denuo fuerunt divisæ ad antiquissimam earum distinctionem. Et ad hanc quidem *Pauli Diaconi* narrationem recte intelligendam opus habuimus aliena illustratione: quod autem ad cetera attinet, ille per sese satis demonstrat, eandem novam *Campaniam* multum fuisse imminutam ab ista parte, ubi eam versus Apuliam produxerat Hadrianus. Beneventum enim alii regioni accessit, ut idem declarat hisce verbis: *Quartadecima Samnium intra Campaniam, & mare Hadriaticum*, *Apu-*

Jornandes illustratus.

Christophorus Persona notatus.

Atque tum Latium vetus Etruriæ adjectum est.

Paulus Diaconus illustratus.

Item Beneventum & Hirpini Samnitibus restituti.

1. Prorsus nulla ratione possum assequi, quid sibi auctor velit cum hisce duobus ex Jornande locis. Utique enim hic prior, quem allegavit, ut Jornandem probaret Campaniam produxisse ad Lucanos usque, si hanc admittimus probationem, pari plane consequentia indicat, eandem ab illo fuisse ab opposito latere productam ad urbem usque Romam, cui proxime subjecit Campaniam, perinde ut huic Lucaniam. Jam quod ad sequentia ejusdem scriptoris attinet verba, neque in illis aliquid inesse video, quo campos illos *Barbaricos*, qui ad Tarracinam erant, aut ad Campaniam, aut ad aliam regionem pertinuisse, aut non pertinuisse probari queat.

Apuliamque a Piscaria incipiens, habetur. In hac sunt urbes Theathe, Aufidena, Hisernia, & antiquitate consumpta Samnium, a qua tota provincia nominatur, & ipsa harum provinciarum caput ditissima Beneventus. Ita *Diaconus*, qui istis verbis nobis indicat, auctorem hujus descriptionis Hirpinos restituisse Samnitibus progenitoribus eorundem; quos Augustus injuste adjunxerat Apulis, Hadrianus Campanis. Et igitur ille pariter corrigere voluit utriusque descriptionem, priscum renovans modum, qui per multa jam secula non amplius fuerat in usu, & regiones hasce ad antiquam earum formam iterum conjungens. Atque hinc illud etiam haud obscure colligi potest, eum nihil imminuisse *Campaniam* a latere ad Silarum amnem, ad quem usque etiam antiquitus eam fuisse porrectam sane verum erat, & olim affirmaverat *Strabo*. Idem nobis videri possit de termino ejusdem *Campaniæ* ad Tarracinam, quæ promontorio Circejo admodum vicina est; quandoquidem *Plinius Secundus* lib. III cap. V. littus describens, quod ab ostio Tiberis fluminis ad promontorium usque Surrenti protenditur, in duas illud partes distinxit, separatim adjiciens utriusque longitudinis spatium, quarum in alteram conjunxit numerum milliariorum inter Surrenti promontorium, & Circejum. Ut adeo videatur nobis voluisse significare veterem aliquam descriptionem, per quam iste quondam tractus non fuerit in plures regiones divisus; & idem tamen distinctus ab eadem illa vicina regione, quam ille jam dixerat fuisse Latium vetus hisce verbis: *Latium antiquum a Tiberi Circejos servatum est, millia passuum L. longitudine. tam tenues primordio imperii fuere radices.* Et mox subjiciens descriptionem alterius partis, quæ proxime sequitur, ejusque longitudinis, ita ait: *Surrentum cum promontorio Minervæ, Sirenum quondam sede. Navigatio a Circejis duodeoctoginta millia passuum patet.* Veruntamen istam, quam dixi, conjecturam hisce verbis *Plinii* haud sane audacter tueri ausim, cum non posse videamur satis esse certi, istum auctorem adeo semper accurate & proprie fuisse loquutum; quam eandem ob causam etiam aliquanto ante non majore cum fiducia aliam eorundem horum verborum ejus expositionem adduxi. Et adeo hæcce *Plinii* missa facientes, jam illud intelligere possumus, quamobrem *Procopius* lib. III *Gothicorum* de rege Totila narrans, non tantum *Campaniam* distinxerit a toto Samnio, verum etiam a Benevento, verbis istis, quæ Latine ita habent: *Paulo post se in Tusciam contulit; locisque in ea jam pertentatis, cum ad se nemo concederet, amne Tiberino transmisso, non tamen urbis ingressus confinia, ad Campanos, & Samnites divertit. Beneventum inde, munitissimum oppidum, nullo in potestatem labore redegit; ejusque muros ad solum mox diruit.* Consona hisce scripserat lib. I: *In Campania præter Cumas, & Neapolim oppidum, munitus alius erat nuspiam locus.* Beneventum enim, urbs munitissima jam non amplius ad Campaniam pertinebat. Quod vero lib. III dixit de eodem rege, qui Benevento excesserat, ut Neapolim obsideret: *Parte exercitus ad Cumas dimisso, cum his simul, & aliis munitissimis locis potitur;* quasi præter Neapolim & Cumas, secus ac antea dixerat, *Campania* etiam alia loca munita & cincta mœnibus habuerit; illud intelligendum est de exiguis quibusdam oræ maritimæ castellis, quæ cum in illarum finibus urbium essent, etiam comprehendebantur earundem nominibus. Porro autem nonnullos fore video, qui istud forsitan crediderint, *Paulum Diaconum* Beneventum appellavisse caput & metropolim provinciarum circumjacentium, respicientem ad ista tempora, quibus illa fuit nobilis Beneventanorum Ducum, & Principum Longobardorum sedes, quorum temporum idem auctor fuit æqualis: atque adeo Samnii descriptionem, quam idem auctor demonstravit, nihil attinere ad istud argumentum, cui illam accommodavimus. Verum quicunque notaverit, *provinciarum* nomine etiam fuisse dictos proprios cujusque urbis fines, ut *Historiæ* eorundem *principum Longobardorum* lib. II demonstravi, non negabit mihi etiam illud, *Paulum Diaconum* per idem istud vocabulum intellexisse fines earundem Samnii urbium, quas proxime memoraverat. Quod si ego hoc non animadvertens olim, in eodem libro meo aliam protuli verborum ejus expositionem, ex eo verum esse deprehenditur, quod dixit *Quintilianus* lib. III cap. VIII: *Supervacuus foret in studiis longior labor, si nihil liceret melius invenire præteritis.* Possumus igitur satis esse certi, *Procopii* tempore limites *Campaniæ* istos fuisse, quos diximus. Et perinde certum est, descriptionem eorum non tantum Hadriani descriptione non antiquiorem, sed multo etiam temporum recentiorum fuisse. Atque heic notare subit, quantum ad rectam rerum antiquarum cognitionem faciat accurata temporum notitia. Nam absque ea fuisset, facile nobis persuadere potuissemus, & *Silium* & *Florum*, quos supra adduximus, qui *Campaniam* extenderunt ultra Sinuessam, & Lirim flumen ad Cajetam usque, & Fundos; etiam de hocce ejus termino ad Tarracinam loquutos fuisse ex mente *Procopii*. Ceterum hujus distinctionis temporum tanto major est utilitas, quanto rerum certior & plenior percipi notitia solet, si earum initia sciamus atque origines. Ideoque non abs re erit auctorem novæ istius *Campaniæ* investigare, quam *Procopius*, *Jornandes*, & *Paulus Diaconus* nobis demonstraverunt.

Et adeo tum renovata fuit antiquissima ejus descriptio.

Plinius Secundus ambigue illustratus.

Procopius pluribus locis illustratus.

Paulus Diaconus illustratus.

Auctor illud refutat, quod in aliis libris dixerat.

Et de eo quidem jam non potest esse dubium, quin Hadriani *Campania* in eodem permanserit statu ad ætatem usque *Servii* & *Ausonii*, qui vixerunt *Symmachi* temporibus, imperantibus Valentiniano, ejusque successore ad seniorem usque Theodosium. Quod ad *Servium* attinet, [1] certe ille vixit ante Gratianum; quandoquidem ex eo, quod ad lib. III *Æneidos* scripsit, colligitur, etiam dum suo tempore Romanos Imperatores fuisse usos titulo Pontificis Maximi, quem primus omnium Imperatorum Christianorum repudiavit Gratianus, ut *Zosimus* refert *Historiarum* lib. IV. Porro in Sect. IV *Itinerarii Peutingeriani*, quod *Cluverius*

Incertum est tempus hujus descriptionis & item ejus auctor.

Servii ætas illustrata.

1. Non satis accurate loquitur auctor, qui hic Servium asserit jam decessisse ante Gratianum Imperatorem, quod & repetit in sequentibus, cum idem paulo ante dixisset, Servium & Ausonium vixisse Symmachi temporibus. Jam extra controversiam est, Symmachum floruisse Theodosio seniore, Ausonium Gratiano imperante. Atque hoc cum minime fugeret auctorem, dixit, eos vixisse Valentiniano, ejusque successore, quem non satis assequor cur non suo nomine Gratianum appellaverit, ac Theodosio seniore imperantibus. Veruntamen quod ad rem ipsam attinet, neutiquam ab illo dissentio: quandoquidem Ausonii certe temporibus Campania Hadriani adhuc durabat, ut ostensum est capite præcedenti. Atque adeo recte mox concludit auctor, hujus novæ & angustioris Campaniæ descriptionem ad illorum Imperatorum aliquem esse referendam, qui inter Gratianum & Theodosium juniorem fuerunt interjecti: licet illud neutiquam pateat ex Symmacho, & minus etiam ex Servio. Nam ille quidem, quem de Hadriani Campania testem citavit noster eodem capite, non aliud quam Tarracinam Campaniæ adscripsit, atque adeo potest æque de nova hac & angustiore, quam de Hadriani Campania fuisse loquutus. Sed non parum turbat Servius, quem Macrobii & Symmachi fuisse æqualem, adeoque sub Theodosio seniore floruisse, nemini potest esse ignotum, qui Macrobium unquam inspexit. Verum auctor cum Symmachi censuit æqualem fuisse, sequutus, ut videtur, Franciscum Juretum, qui, ut ipse citato capite retulit, illum, ad quem Symmachus scripsit *epist.* VI lib. VIII, fuisse Servium Virgilii Scholiasten credidit.


LATIUM
CAMPANIA ET SAMNIUM
CUM EORUM CIRCUM-ADJACENTIBUS
REGIONIBUS.
LUGDUNI Apud BATAVOS,
Sumptibus PETRI VANDER AA.
SCALA
Milliaria
Stadia
NOTÆ
Colonia.
Municipium.
Prefectura.
Dubia positio.
fl. fluvius
M. Mons.
MARIS ADRIATICI
Sive
SUPERI
PARS
MARE INFERUM seu ETRUSCUM ats TYRRHENUM
UMBRIÆ PARS
SABINORUM
MARSI
VESTINI
MARRUCINI
PELIGNI
FRENTANI
LATIUM
LATIUM NOVUM
HERNICI
APULIÆ PARS
SAMNITES
HIRPINI
CAMPANIA
PICENTINI
LUCANI
AUSONES
PONTIA INSULA
PANDATARIA INSULA
PITHECUSÆ INSULÆ
PROCHYTA IN.
CAPREÆ IN.
SYRENUSÆ INSULÆ
Fucinus Lacus
Lucaria

verius Italiæ ſuæ lib. IV cap. VI ad ætatem Juliani Imperatoris; *Beatus* autem *Rhenanus*, & *Marcus Velſerus* ad tempora ejuſdem Theodoſii, ejuſque filiorum retulerunt, legitur in deſcriptione hujuſce partis Italiæ *Campaniæ* nomen extenſum per loca, quæ Tiberim inter & Silarum Apuliamque jacent. Atque iſte terrarum tractus Hadriani fuit *Campania*. Jam autem cum non liceat nobis exacte cognoſcere, per quantum temporis ſpatium poſt ætatem iſtorum ſcriptorum, quos diximus, illa eorundem, id eſt, *Hadriani* Campania duraverit adhuc, contentos eſſe nos oportet, ſi aliquod ſaltem ejus rei prodere haud leve indicium poſſimus. Atque iſtud mihi peti poſſe videtur ex eadem deſcriptione Italiæ, quam reliquit nobis idem ille *Paulus Diaconus*, ſi illam examinaverimus integram. Eſt illa ſimilis omnino iſti alteri, quæ legitur in libro *De notitia utriuſque Imperii*, excepto, quod ad ordinem provinciarum attinet. Verbi cauſa, *Diaconus* Liguriam ſecundo loco refert, & Æmiliam decimo, quarum in *Notitia* hæc ſecundo loco refertur, illa tertio. Sed in utraque deſcriptione *Campania* tamen ſeptimum locum tenet. Hoc amplius alia inter illos eſt varietas. *Diaconus* enim unam Alpium provinciam diſtinguens in duas diverſas, & alteram earum *Alpium Apenninarum* nomine appellans, integrum numerum provinciarum, quæ in *Notitia* ſunt deſcriptæ, in qua tantum occurrit *Alpium Cottiarum* nomen, una provincia auxit. Verum ille hoc videtur feciſſe ad arbitrium, dum pro ſententia ſua contra illos, qui illas negabant eſſe duas, loquendi formam *Aurelii Victoris* allegat; & non potius edictum aliquod Imperatorium, cujus in hoc argumento genuinam atque certam auctoritatem ſequi debuerat. Et adeo pro lubitu quoque ſuo videtur mutaviſſe ordinem provinciarum, quod multo minoris erat momenti. Neque tamen levis iſta varietas impedimento eſſe poteſt, quo minus utramque credamus eandem eſſe deſcriptionem:

Paulus Diaconus notatus.

In *Notitiæ* libro Italiæ provinciæ hæc ſunt.			Italiæ provinciæ a *Paulo Diacono* memoratæ hæc ſunt.		

Varietas numerorum denotat varietatem ordinis apud hoſce auctores.

1	*Venetia.*	1	1	*Venetia.*	1
2	*Æmilia.*	10	2	*Liguria.*	3
3	*Liguria.*	2	3	*Rhætia prima.*	12
4	*Flaminia, & Picenum Annondrium.*	11	4	*Rhætia ſecunda.*	13
5	*Tuſcia, & Umbria.*	6	5	*Alpes Cotiæ.*	11
6	*Picenum Suburbicarium.*	12	6	*Tuſcia.*	5
7	*Campania.*	7	7	*Campania.*	7
8	*Sicilia.*	16	8	*Lucania.*	10
9	*Apulia, & Calabria.*	15	9	*Alpes Apenninæ.*	
10	*Lucania, & Bruttii.*	8	10	*Æmilia.*	2
11	*Alpes Cotiæ.*	5	11	*Flaminia.*	4
12	*Rhætia prima.*	3	12	*Picenum.*	6
13	*Rhætia ſecunda.*	4	13	*Valeria.*	15
14	*Samnium.*	14	14	*Samnium.*	14
15	*Valeria.*	13	15	*Apulia, & Calabria.*	9
16	*Sardinia.*	18	16	*Sicilia.*	8
17	*Corſica.*	17	17	*Corſica.*	17
			18	*Sardinia.*	16

Referenda autem eſt ad aliquem illorum Imperatorum, qui inter Gratianum, & Theodoſium juniorem fuerunt interjecti.

Jam iſte liber *Notitiæ* ex communi ſententia refertur ad tempora Theodoſii junioris. Igitur ad iſtum modum, quem indicavit nobis *Paulus Diaconus*, qui nihil diverſus eſt ab illo, quem *Procopius*, adeoque etiam *Jornandes*, nobis indicaverunt, *Campaniæ* fines coarctati ſunt iſto temporis intervallo, quod inter Gratiani ætatem, qua *Servius*, quem de eadem Hadriani *Campania* teſtem citavimus, jam obierat, & Imperatorem Theodoſium II, atque *Notitiam* compoſitam eſt medium. Imperaverunt in Occidente hoc temporis ſpatio ab anno CCCLXXXIII ad annum uſque CCCCL continua ſerie Valentinianus II, Honorius, & ex parte Valentinianus III. *Procopius* autem & *Jornandes* vixerunt imperante Juſtiniano I, qui ad Imperium pervenit duobus & ſeptuaginta annis poſt mortem ultimi Valentiniani; & ducentis & quinquaginta annis ante conſcriptam illam Longobardorum hiſtoriam a *Paulo Diacono*, cum vitam ageret monaſticam. Et adeo Græcus ille hiſtoricus omnino in ſuis libris debuit fuiſſe ſequutus ultimam illam deſcriptionem, quæ uſque a temporibus Theodoſii junioris obſervabatur: & idem quoque facere *Paulum Diaconum* rationi conſentaneum fuit. Tribus enim annis poſt mortem ejuſdem Juſtiniani, imperante Juſtino Italia fuit occupata ab Longobardis, qui eam ad novum modum diviſerunt in Regnum, & Ducatus; ut adeo poſt illud tempus non amplius alteri novæ deſcriptioni Imperatoriæ locus fuerit.

X. *Campania, ab Jornande aliiſque deſcripta, ad Farum uſque ſive fretum Siculum.*

VErum ſi *Campania* utriuſque hujus Scriptoris, adeoque etiam Imperatoris Juſtiniani tempore non adeo patuit late, ut quidem ſeculis antiquioribus patuerat; neque ulterius illa exporrecta fuit, quam ad Lucaniam uſque, ubi a tempore deſcriptionis Auguſteæ ſemper fuerat certus illius terminus per annos quingentos, quomodo poterit non ab ſeſe ipſo, aliiſque auctoribus, quos adduximus, diſſentire idem *Jornandes?* Quomodo poterit verum eſſe ejus dictum, quo *De rebus Gothicis* circa finem *Campaniæ* nomen ultimo Italiæ angulo indidit, ubi illam ab Sicilia dividit fretum interjacens? Verba ejus, de Beliſario narrantis, hæc ſunt: *Cumque ergo Romanus ductor Siciliam pervaſiſſet, Theodatus comperiens Evermor generum ſuum cum exercitu ad fretum, quod inter Campaniam Siciliamque interjacet, & de Tyrrheni maris ſinu vaſtiſſimus Adriaticus æſtus evolvitur, cuſtodiendum dirigit.* Neque vero hanc deſcriptionem ſuſpicari poſſumus eſſe mutilatam aut truncatam, ſiquidem eandem denuo ab eo repetitam legimus in alio libro *De ſucceſſione regnorum ac temporum*, ubi itidem de Beliſario ita dixit: *Hortatus exercitum regreditur in Siciliam, quatenus & Romæ faceret copiam annonæ, & vicinus ad fretum Totilam turbaret, in Campania commorantem.* Atque de eadem mihi videtur quaſi preſſis dentibus balbutiviſſe ante annos circiter quingentos *Otho Friſingenſis* lib. II cap. XIII *De geſtis Friderici Barbaroſſæ Imperatoris.* Ille enim ſecundum ea forſitan, quæ ipſi obſervanda occurrerant in aliis auctoribus ipſo antiquioribus, dixit, Italiam quondam diviſam fuiſſe in tres partes; quarum prima, ut ipſius verbis utar, *ulterior Italia olim dicebatur, tribus diſtincta provinciis, Venetia, Æmilia, Liguria.* De ſecunda dixit ad hunc modum: *At in ipſo Apennino, ubi & urbs Roma ſita eſſe noſcitur, quæ modo Tuſcia vocatur, eo quod Apennino incluſa, Urbem quoque ipſam in ſinu ſuo contineat, interior Italia jure dicta eſt.* De tertia autem ſubjunxit hæc verba: *Illa vero, quæ poſt emenſionem montium Campania excipitur, unde & a re nomen trahens Campania adhuc dici ſolet,* (intelligit illam partem Romani territorii, quæ olim veteris Latii pars fuit,

Contradicere videtur ſibi ipſi, & veritati Jornandes, qui Campaniam extendit ad fretum uſque Siculum.

Otho Friſingenſis illuſtratus.

& hodieque *Campania* appellatur, qua de agemus ſuo loco) *ac uſque ad Farum, brachium maris, navibus ob Syrtes importunum, Siciliam a ſolido ſejungens, producitur.* Ita *Otho.* Atque eadem repetiit *Ligurini* lib. II *Guntherus*, qui integram illam *Othonis* hiſtoriam in verſus hexametros tranſtulit. Hæc igitur tertia Italia, quæ a finibus Romanorum ad *Farum* uſque producebatur, quondam debuit ad hunc modum fuiſſe appellata *Campania.*

Titulus epiſtolæ cujusdam Pelagii II, Pontificis, illuſtratus.

Atque hoc ſenſu interpretari jam poterimus titulum *epiſt.* III *Pelagii* II, Pontificis, datæ *Dilectiſſimis atque cariſſimis fratribus, univerſis Epiſcopis, & cunctis ſpecialiter, per Campaniæ, & Italiæ provincias militantibus.* Hic Papa vixit circa finem ejuſdem ſeculi, quo vixit *Jornandes.* Neque vero potuit ille dixiſſe aliam *Campaniam*, minorem hacce, quæ a finibus Romanis ad Farum uſque pertingebat. Et contra *Italiæ* nomine ſine dubio demonſtravit illam Italiæ partem, quæ ab *Othone* deſcripta fuit loco primo, & ab eodem, multiſque aliis auctoribus antiquioribus, remota fuit ultra Tuſciam. Speciatim autem hæc regio obtinuit commune *Italiæ* nomen per eam cauſam, quod magiſtratus Imperatorius, qui illi præerat, inſtitutus a Conſtantino Magno, dicebatur *Vicarius Italiæ*, ejuſque regiones appellabantur *provinciæ Italiæ*; ad differentiam ſcilicet, ut bene obſervavit *Sirmondus*, alterius iſtius, qui alias regiones Italicas regebat, & dicebatur *Vicarius Urbis.*

Sirmondus laudatus.

Atque adeo *Pelagius* credi poteſt ſcripſiſſe hanc epiſtolam ad univerſos epiſcopos primæ, & tertiæ Italiæ, quas demonſtravit nobis *Otho.* Niſi forte verius eſſe illud videatur, eum *Italiæ* nomine conjunctim intellexiſſe primam & ſecundam illius partem, ſecundum iſtam ſcilicet aliam diviſionem illorum, qui duas iſtas contraxerunt in unam ſolam regionem; ut adeo iſtic per *Campaniam* & *Italiam* intelligenda ſit univerſa Italia ad modum veterem, & omne illud, quod clauſum eſt Alpibus, atque mari. Neque tamen ego velim quenquam heic arbitrari, omnes alias epiſtolas, inter ejuſdem Conſtantini, & *Pelagii* ætatem ſcriptas ab aliis Pontificibus Romanis ad *Campaniæ* epiſcopos, referendas eſſe ad epiſcopos hujuſce adeo amplæ *Campaniæ.* Multo minus etiam velim quenquam exiſtimare, quamlibet aliam regionem cis Romam hoc eodem tempore non habuiſſe aliud ſuum, & peculiare nomen. Contrarium enim nobis demonſtratur ex epiſtola tertia *Euſebii*, ſcripta ad *Epiſcopos per Campaniam, & Tuſciam conſtitutos:* ex ſecunda *Cœleſtini* I, ad *Epiſcopos per Apuliam, & Calabriam:* ex prima *Leonis* I, ad *Epiſcopos per Campaniam, Picenum, Tuſciam, & per univerſas Italiæ provincias:* ex ſexta & octogeſima ejuſdem Pontificis, ad *Epiſcopos per Campaniam, Samnium & Picenum:* & denique ex ſexta *Gelaſii*, ad *Epiſcopos per Lucaniam, Bruttios, & Siciliam.* In hiſce inſcriptionibus videmus ſervata eſſe nomina particularium quarumlibet regionum, neque opus eſſe, ut *Campaniæ* nomen accipiamus iſto ſenſu latiore. Ita igitur cum deprehendamus verba *Jornandis* congruere cum aliis auctoribus vetuſtis, non poſſunt illa jure haberi pro corruptis, aut mutilatis. Sed cum viciſſim & ex ipſius, & ex aliorum verbis ſatis ſimus certi de altera illa, quam proxime expoſuimus, deſcriptione *Campaniæ*, quonam modo varias adeo, imo contrarias narrationes in concordiam redigere poſſe videmur?

Sed ille Campaniæ *nomen uſurpavit nunc arctiore, nunc latiore ſenſu.*

Verum quicquid hujus ſit, ego arbitror hunc nodum explicari poſſe per obſervationem illam, quæ ſatis in proclivi eſt: nempe ſi in memoriam nobis redigamus, quædam vocabula nonnunquam per loquendi modum quaſi figuratum, ſive per κατάχρησιν haud ſane multum accurate tranſlata eſſe a vulgo ad res denotandas, a primitivis illorum & propriis ſignificationibus ſatis diverſas, utcunque communis eorundem uſus adhuc duraret. Atque hoc ſicut in illis nominibus, quæ *appellativa* dicuntur, ſatis manifeſte apparet, ita in illis, quæ dicuntur *propria*, &, quæ noſtri argumenti res eſt, loca denotant, ſeu res ad loca ſpectantes, ejuſdem certa indicia ſatis ſunt in promptu. Inter hæcce a *Francia* derivatum nomen eſt *Francus*, quod cum proprie conveniat incolis iſtius regni, quod omnes novimus, nihilominus populi Orientales, & potiſſimum Græci [1] indiderunt illud omnibus gentibus, & omnibus adeo hominibus Occidentalibus. Et ne vanam ducamus multorum auctorum & teſtimoniorum pompam, docet nos illud idem *Otho Friſingenſis*, quem ad manum habemus hiſce verbis *Chronici* lib. VII cap. IV: *Lectiſſimi proceres Francorum (ſic enim omnes Occidentales populos ob antiquam gentis illius dignitatem, ut puto, & virtutem Orientales appellare ſolent) Babyloniam deſtinantur.* Atque ſi ejuſmodi κατάχρησιος deſideramus aliud magis ſimile, magiſque domeſticum exemplum, ecce ſimillimum profecto in *Apuliæ* nomine, quo ſemper denotata fuit iſta Italiæ regio cis Romam, quæ mari Adriatico alluitur. Nihilo ſecius, cum Normanni illam occupaſſent, & fama ejus per totum Occidentem ſparſa nomen *Apuliæ* per ora reſonaret omnium, ideoque aliarum regionum vicinarum nomina quaſi in obſcuritatem eſſent adducta penitus, harum loco idem nomen unice fuit uſurpatum ſatis frequenter, & maxime ab extraneis. Et adeo ſunt exempla copioſa hujuſce rei apud plures ſcriptores ejuſdem temporis, & ſequentium, ut illa proferre ſupervacuum ſit. Id quidem eo magis, quoniam idem jam eſt animadverſum, licet non ſatis exacte, ab aliis, inter quos eſt *Antonius Caracciolus* in *Nomenclatore quatuor chronologorum veterum*, quos ille typis vulgavit.

Antonius Caracciolus laudatus.

Atque hic inſuper indicat, ſe etiam animadvertiſſe tempus, quo primum cœperit iſtiuſmodi uſus, ubi de Ducatu Apuliæ (hic inſtitutus fuit ab iiſdem Normannis) ita dicit: *Regiones quaſdam etiam extra Apuliam olim complectebatur*; qua de re cum illo plane conſentio, quod ad nomen, non quod ad Ducatum Apuliæ attinet. Quapropter non poſſum ſatis mirari, eum deinde in libro *De ſacris monumentis Neapolitanis* Sect. II cap XXVI potuiſſe ſibi perſuadere, niſi forſitan ejus editor *Boluitus* ille fuit, jam ante hoc ævum, & inde uſque a temporibus Genſerici, Vandalorum regis, quæ primorum Normannorum temporibus antiquiora fuerunt ſeculis integris ſex, iſtud nomen adeo late fuiſſe productum ad illum modum, quem diximus.

Antonius Caracciolus notatus.

Jam vero mihi videtur, non ſecus ac *Franciæ* & *Apuliæ*, etiam *Campaniæ* nomen, cum illud proprie quidem denotaret unam iſtarum regionum, quæ ſunt in extrema Italia cis Tiberim, modo latioribus, modo anguſtioribus terminis incluſam, ut ſupra oſtenſum eſt; nihilominus uſurpatum fuiſſe nonnunquam ad denotandum in genere unum illud quaſi corpus omnium iſtarum regionum. Atque ille loquendi uſus forſitan cœpit a temporibus uſque Hadriani, qui totius Italiæ regimen diviſit inter quatuor Conſulares. Potuit enim nomen *Campaniæ* in hacce nova Hadriani

1. Longe hic alia ratio eſt, quod ad nomen *Francorum* attinet. Nam illud ad hunc modum invaluit in Oriente per potentiam illam & late patens imperium Francorum ſub Carolo Magno: unde & apud Græcos ortum illud proverbium: Τὸν Φράγκον φίλον μὲν ἔχῃς, γείτονα δ᾽ οὐκ ἔχῃς. *Francum amicum quidem, ſed vicinum non habeas.* Imo hinc in Aſia Minore & Africa hodieque *lingua Franca* appellatur mixtum quoddam ſermonis genus ex variis Europæ populorum dialectis, quod in iſtis partibus familiare eſt Chriſtianis & mercatoribus.

ni denominatione prævaluisse omnibus omnium aliarum regionum nominibus per causam celebritatis suæ, per quam etiam prælatum fuit Latii, tum per sese, tum propter majestatem Romæ urbis, quæ in eo sita erat, nomini nobilissimo; & per quam inter nomina aliarum Italiæ regionum primum semper locum tenuit, ut ex scriptoribus, quos hucusque allegavimus, observare licuit. Arbitror igitur, itidem quoque *Jornandem Campaniæ* vocabulum modo hoc, modo illo sensu accepisse. Et ad eundem modum mihi videtur illo fuisse usus etiam *S. Athanasius*, qui ad Jovinianum Imperatorem scribit, catholicam religionem Christianam, stabilitam in concilio Nicæno, exerceri jam & approbatam esse ab ecclesiis, (utar verbis ejus, in Latinum sermonem translatis) *quæ passim sunt in Hispania, & Britannia, & Gallia, & Germania, & Italia omni, & Campania, & Dalmatia, Mysia, Macedonia, & cuncta Græcia*, & quæ sequuntur. In hisce verbis certe vocabulo *Campaniæ* denotatur integra illa pars Italiæ cis Romam ad *Farum* usque. Jam autem in *Apologia* II, ubi dixit, ad concilium Sardicense præter multos alios convenisse Episcopos *ex provinciis Italiæ, Piceni, Tusciæ, Campaniæ, Calabriæ, Apuliæ, Bruttiorum, Siciliæ*, manifeste eandem vocem accepit isto alio sensu arctiore. Atque adeo *Jornandes*, aliique, quorum mentionem fecimus, ad eundem modum & ipsi usurpaverunt nomen *Campaniæ* modo latiore ista, modo arctiore significatione: & per κατάχρησιν illud accommodaverunt ad integrum hunc Italiæ tractum, qui *Farum* usque excurrit, cui aliis atque aliis locis magis proprie conveniebant alia nomina. Verum hic illud non silebo, si credere libuerit, scriptores istos, qui ad Hadriani *Campaniam* a nobis allegati vixerunt ante Constantinum; id est, Antoninum, & Spartianum loquutos fuisse sensu hocce latiori non abusive, sed proprie, me nihil pugnare. Neque enim mihi videtur a ratione alienum unam quatuor istarum partium, in quas Italiam distinxit ille Imperator, non debuisse isto terrarum spatio esse minorem; & deinde *Campaniam* Silaro amni & Tarracinæ fuisse inclusam per novam descriptionem, quæ fortasse fuerit Constantini Magni, quem certum est & ipsum admovisse manum denuo ordinandis imperii Romani rebus. Nec etiam videmus, quænam ad illum referri possit alia descriptio, quam illa, quæ in libro *Notitiæ*, & in *Paulo Diacono* legitur, omnium ultima. Et per hanc regiones Italiæ excreverunt numero usque ad septendecim, nomine *Campaniæ* interim propter diuturnum usum in ista sua significatione latiore adhuc perdurante.

S. Athanasius illustratus.

Nisi forte major Campania referenda est ad Hadrianum minor ad Constantinum Magnum.

XI. *Campania Neapolitana continet urbes ejusdem oræ Neapolitanæ.*

NOn longe post ætatem Justiniani majoris, ad quam jam pervenimus, experta est *Campania* aliam imminutionem, satis majorem illa, quam supra descripsimus. Atque hæc non contigit hominum observatione quadam seu judicio, neque consilio istius, qui eam in potestate habebat, quemadmodum præcedentes evenerant, sed causam illi dederunt hostiles impetus & violentia Longobardorum. Hi Italiam ingressi post Christum natum anno DLXVIII & late deprædati, diu majorem ejus partem obtinuerunt, ademptam Imperatoribus Græcis. Et, ut rem in pauca conferam, occupaverunt hæc loca eo facilius, quo a mari remotiora erant, & pro conditione rerum, quæ hisce temporibus erat, pariter omnibus munimentis bellicisque apparatibus nudata. Ita accidit, ut tantum Neapolis, & Cumæ, cum paucis aliis minoris momenti oppidis, ut intelligimus ex *Procopio*, quod muris cincta essent, contra tantam invasionem salva persisterent. Neque Longobardi, qui classem non habebant, unquam illa sibi penitus subjicere potuerunt. Igitur cum ad hunc modum *Campaniæ* pars mediterranea in eorum potestatem concessisset, illa simul cum nova regiminis forma experta etiam est novam formam descriptionis, qua de re alibi diximus, quantum satis est. Pars autem ejus versus mare, quæ per aliquod temporis spatium penes Græcum imperium mansit, sola etiam retinuit aliquandiu *Campaniæ* nomen. Et ad isthæc loca, utpote tutiora, multi aliorum Campanorum etiam sese receperant. Hujus angustissimæ *Campaniæ* Judex fuit nobilis ille vir, nomine *Scholasticus*, cujus mentionem fecit *S. Gregorius Magnus, epist.* I, II, & XV lib, II, *Indict.* XI; & ejusdem Dux fuit Godescalcus ille, ab eodem Pontifice memoratus lib. VIII *epist.* XII, *Indict.* III. *Subdiaconi* autem, seu collectores, sive procuratores Romani patrimonii Apostolici, quod Pontifex possidebat in urbibus ejusdem hujus tractus, fuerunt unus post alium Petrus ille, & Anthemius, qui itidem ab *S. Gregorio* appellantur *Subdiaconi Campaniæ*: nempe primus multis *epistolis* lib. II, *Indict.* XI, cui etiam commissa fuit cura rerum Capuæ urbis, quæ hoc tempore forte fortuna ab Longobardis nondum occupata erat; secundus autem sæpissime, a principio libri quarti ad finem usque undecimi. Atque huic etiam commissa fuerunt negotia quædam urbis Amalphis, Atellæ, Minturnarum, Miseni, sive, ut istis temporibus pronunciabant, Messenæ, Volturni, & Neapolis. Atque hoc de industria monere visum fuit, ut ne fallat nos error iste, quem erravit *Joannes Diaconus*, auctor annis circiter trecentis serior illa, quam conscripsit, ejusdem *S. Gregorii* vita. Hujus enim lib. I cap. LIII composuit ille catalogum Rectorum, quos ille Pontifex summus præfecerat patrimoniis Apostolicis; & Anthemium Neapolitani, Petrum autem Campani patrimonii rectorem dixit. Quasi vero Neapolis illo tempore non fuerit urbs adeo jam angustæ *Campaniæ*, cujus illa tum etiam caput erat, ut mox ostendemus. Et de hacce angusta *Campania* itidem intelligi debet loquutus fuisse *Paulus Diaconus* lib. V cap. VI, sive XII *Historiæ* suæ, quam sæpius allegavimus, ubi describit celerem concursum copiarum Imperatoriarum, quæ ex Italia, aliisque regionibus in Siciliam transierant contra Mecetium, usurpantem imperium, quod tum penes Græcos erat: *Alii per Histriam*, inquit, *alii per partes Campaniæ, alii vero a partibus Africæ, & Sardiniæ venientes, vehementer in Syracusas irruerunt, eumque vita privarunt.* Accidit hoc post Christum natum anno DCLXVIII, cum Longobardi Capuam tenerent, aliaque Campaniæ loca mediterranea. Neque illo tempore, quod ego quidem sciam, præter hanc maritimam oram ab utroque latere ad Neapolim, [1] alia regio paruit imperio Græcorum. Hujus autem Neapolim fuisse caput autumo, quam ob causam mihi videtur idem ille summus Pontifex lib. XI *epist.* LIII, *Indict.* IV *Episcopos Neapolitanos* dixisse illos, qui in provincia Neapolitani Ducis variarum urbium erant Episcopi. Hanc autem prærogativam (dictum hoc esto, ne hac laude sua, non cognita usque adhuc, urbs illa fraudetur,

Postquam Longobardi inter alia Italiæ occuparerunt etiam Campaniam, penes solam oram Neapolitanam mansit Campaniæ nomen.

S. Gregorius Magnus illustratus pluribus locis.

Joannes Diaconus refutatus.

Paulus Diaconus illustratus.

Gregorius Magnus denuo illustratus.

1. Cum auctor simpliciter dicat, nullam aliam regionem tunc temporis imperio Græcorum paruisse, apparet eum de Campania solummodo fuisse loquutum. Certe enim constat, Aistulphum, Longobardorum regem, seculo demum octavo Ravennam occupavisse, & Exarchatum Græcorum in Italia sustulisse.

Quæ urbs usque a temporibus Gothorum evaserat reliquis potentior.

detur, tum semper alias inclyta, tum hodie dignissima integri regni metropolis) videtur illa obtinuisse inde usque a temporibus regni Gothici. Etenim Gothi multa gesserunt bella cum Græcis in Italia, & maxime omnium in *Campania*, inter quæ grande rerum momentum fuit Neapolis, utpote præter ceteras nobilis urbs. Potest hoc observari ex *Procopii Gothicis*, locis pluribus, & speciatim lib. II, ubi introducit Belisarium, legatis Gothorum, qui ad ipsum venerant acturi de pace, ut Italia excederet, & *Neapolim*, *Campaniamque* in ipsorum restitueret potestatem, respondentem, ut Latinus ejus interpres habet ad hunc modum: *Non enim si de Campania vobis, sive de Neapoli aliquid a me pollicerer, adhibituri mihi fidem essetis; quia Imperatoris bona haudquaquam dispensare pro nostro arbitrio possumus.* Obtinuerat igitur Neapolis, ego si quid video, hunc primatum ex eo tempore, quo Italia pluries afflicta incursionibus variarum gentium barbararum, & vi expugnatis ceteris *Campaniæ* oppidis, quæ nunquam deinde ad pristinam formam fuerunt idonee instaurata; ipsa tum naturali situ, tum arte, validisque mœnibus munita communis ruinæ expers mansit, & per eam causam frequenter fuit vicinorum populorum in istis calamitatibus perfugium. Atque ita etiam, cum Longobardi invaderent Italiam, recepit sese eo Clerus, sive collegium Cathedrale ecclesiæ Campanæ, ut jam lucem afferamus epistolæ cuidam S. Gregorii Magni, quæ varie & absone a quibusdam scriptoribus recentioribus est exposita. Neque enim alio modo ego accipere possum titulum & verba Sancti Pontificis hujus in *epist.* XIV lib. IV, *Indict.* XIII, quæ est anni DXCIV, & legitur scripta *Clero Ecclesiæ Capuanæ, degenti Neapoli.* Sed *Michaeli Monaco* nostro in Parte III *Sanctuarii* placet ad istam ecclesiam alium accommodare sensum. Dicit enim: *Capuanus Episcopus habebat Ecclesiam sibi subditam in urbe Neapoli.* Et istum jam fuisse morem antiquum autumans, subjunxit: *Non est novum, in una civitate, vel Diœcesi esse Ecclesias, alterius loci Episcopo subditas, & a jurisdictione Episcopi loci, in quo consistunt, exemptas.* Contra autem *Bartholomæus Chioccarellus* in *Catalogo Antistitum Neapolitanæ Ecclesiæ* aliter credidit, & de hisce clericis Campanis ita dixit: *Neapolitanæ etiam Ecclesiæ ministrabant.* Adeo scilicet scriptores sæpe varias proferre solent sententias, a vero alienas, nimio ducti studio augendi modis omnibus patriæ suæ dignitatem. Verum pro mea expositione, quam ut indicarem non aliunde, quam amore veri, sum impulsus, illud primum notari debet, in hoc titulo simul conjungi clerum, & ecclesiam Campanam, eodem modo, quo deinde in ipsa epistola Festus dicitur fuisse itidem ecclesiæ Campanæ episcopus: *Quoniam Festus* (hæc sunt verba Sancti) *Capuanæ Ecclesiæ Episcopus hic* (Romæ) *positus de hac luce migravit*, &c. Deinde illud observetur, eundem summum Pontificem Gaudentio, Episcopo Nolano, cui curam vacantis Campanæ sedis commiserat, ejusdem lib. IV *epist.* XXVI hæc conjunctim mandasse, ut *Clericis Capuanæ Ecclesiæ, qui in civitate Neapolitana consistunt quartam in presbyterio eorum* (bene hic notavit idem *Monacus*: *Presbyterium*, præter alias significationes, *dicitur ipsa quoque congregatio sacerdotum*) *de hoc, quod ante Ecclesiæ* (fortasse legendum *antedictæ*) *singulis annis accesserit, juxta antiquam consuetudinem distribuere secundum personarum studeat qualitatem.* Hæ quartæ partes annuorum redituum, ut itidem bene interpretatus est idem auctor, hodie appellantur *Distributiones quotidianæ.* Igitur cum non alius collegii sacerdotum Campanorum, quam illius, quod Neapoli degebat, singularem adeo curam susceperit S. Gregorius, certe per illud intelligi debet Clerus, seu Collegium Campanum, cui apprime conveniebat ut mandaret præstare obedientiam eidem episcopo Gaudentio, quemadmodum mandavit *epist.* XIV, quam alleg vimus. Sane enim recta ratio dictabat, non opus esse, ut istam in rem scriberet ad collegium ecclesiæ minoris, in alia urbe aut institutum, aut in eam translatum, relicto ad illos scribendi officio, quibus magis conveniebat & opus erat, ut scriberet; quemadmodum ex sententia utriusque istius novi auctoris perinde factum fuisset. Jam igitur quod ad reliqua attinet, Campanorum clericorum quos hodie diceremus *Canonicos*, totum corpus sese Neapolim recepit, non secus ac per eosdem annos Clerici Mediolanenses, eundem Longobardum hostem fugientes, Genuam concesserunt, & multi sacerdotes, ex diversis Italiæ regionibus, imo integrum etiam fœminarum monasterium, e Lucania fuga evaserunt in Siciliam. Sigillatim hæc leguntur in *epist.* XXX lib. II, *Indict.* XI: lib. III *epist.* VI, & XV, *Indict.* XII ejusdem summi Pontificis. Et insuper hic in tanta calamitate communi ad Episcopos Illyrici lib. I *epist.* XLIII, *Indict.* IX scripsit: *Episcopos, quos e propriis locis hostilitatis furor expulerat, ad eos Episcopos, qui nunc usque in locis propriis degunt, pro sustentatione & stipendiis præsentis vitæ esse jungendos.* Et ex *epist.* II lib. XII, *Indict.* VII patet, clericos Isauriæ per eosdem annos eadem de causa transiisse cum corpore S. Donati ex ipsorum urbe Cassiopen quæ ad Corcyræ diœcesin pertinebat; ibique commoratos esse aliquandiu, & sacra celebrasse in templo quodam, quod ad eum usum illis concessum fuerat. Et cum deinde contentio fuisset orta inter Isauriæ, & Corcyræ Episcopos, ita illam diremit idem *S. Gregorius*, ut illi cum suo clero, quandoquidem jam tuti esse possent, ad sua redire mandaret: *Post pacem Deo propitio redditam, ablato S. Donati corpore, ad propria modis omnibus reversuros.* Neque hujusmodi fugarum desunt etiam alia exempla in ceteris epistolis ejusdem Pontificis. Atque his commode addi potest, quod refert *Paulus Diaconus De gestis Longobardorum* lib. VI cap. XVIII, sive LI, ubi de Episcopo Fori Julii narrat; qui *intra Foro-Juliani castri muros habitavit, ibique sui Episcopatus sedem statuit.* Item de Patriarchis Aquilejæ, qui, *quia in Aquileja propter Romanorum incursionem habitare minime poterant, sedem non in Foro Julii, sed in Cormones habebant.*

Proco-pius illustratus.

S. Gregorius Magnus tertium illustratus.

Michaël Monacus, & Bartholomæus Chioccarellus refutati.

Michaël Monacus laudatus pluries.

Alia loca S. Gregorii Magni illustrata.

Paulus Diaconus illustratus.

Ita igitur jam vidimus, nomen *Campaniæ* Italicæ, natum intra terminos territorii Capuæ urbis, aliorumque oppidorum, quæ in ejus erant ditione, excrevisse deinde in nomen regionis multo amplioris, imo deinde productum fuisse per integram illam Italiam, quæ a Roma urbe ad *Farum* usque, seu fretum Siculum protenditur, quæ regio hodie appellatur *regni Neapolitani* nomine. Vidimus etiam, illud expertum fuisse, ut ita dicam, per vitæ suæ cursum, quæ in multa secula extensa fuit, incrementa & decrementa, adæquata varietati conditionis, quam ipsa regio obtinebat. Vidimus denique, illud ad sua rediisse principia, & fuisse coarctatum intra terminos atque dominium unius urbis, quæ inter paucas alias principatum obtinebat. Jam vero quid inde aliud exspectari poterat, quam ut istud interiret denique funditus? Sane vero istud debebatur decrepitæ ejus ætati. Atque id eo magis, quoniam natum erat in spatioso & fœcundo agro urbis, ab Tuscis, ut in alia *Dissertatione* demonstrabitur, conditæ, cum res eorum florerent majorem in mo-

Nomen Campaniæ, natum in plano & fertili agro Capuæ.

modum: in extrema autem senectute eo redactum erat, ut, quod reliquum erat, pauculum annorum exigere deberet in istis, quæ diximus, angustis, & amoenis potius, quam foecundis littoribus, quorum per longissimæ successionis seriem possessio fuerat penes originis Græcæ gentem, quæ quoquo modo pristinam asserebat fortunam atque incolumitatem, eademque Campanis, Tuscorum posteris, fere infesta semper & inimica fuerat. Neapolis igitur, quæ cum ejusdem nativitate nihil quicquam habuit commune, quia non pertinuit ad primitivam, seu proprie dictam *Campaniam*, deinde illud jam labascens & moribundum quasi sinu suo excepit. Imo illa quoque si hoc, quod subsequutum fuit coarctationem ejus ultimam, considerare libuerit, sola fuit causa, cur nomen *Campaniæ* fuerit exstinctum. Urbes enim ejus atque loca non amplius jam appellabantur suo atque usitato modo, sed nomine *Ducatus Neapolitani*, qui & ipse magis magisque in minorem regionem contractus fuit, ablato illi Ducatu Amalphitano, & Surrentino; ac multo jam ante Cajetano, omnibusque terris aliis remotioribus. Fuit deinde quidem nonnunquam hujus Italicæ *Campaniæ* nomen a quibusdam mediæ ætatis scriptoribus ad vivos revocatum, sed isto modo, quo idem fieri videmus de multis aliis vocabulis exstinctis. Atque ita mihi videtur illo fuisse usus *Petrus*, *Diaconus Casinensis* in *Additamentis ad Chronicon Leonis Ostiensis* lib. IV cap. C, & CI, de quo satis prolixe egimus alibi. Etiam *Otho Frisingensis*, ut taceamus tam alios ejus æquales, quam nonnullos, qui ipso seriores fuerunt; pluries in suis libris idem illud obliteratum nomen usurpavit, & speciatim *Chronici* lib. VII cap. XXIII; & *De Gestis Friderici Barbarossæ Imperatoris* lib. II cap. XXIV: neque id significatione sua antiqua, sed alia prorsus nova. Denotat enim isto nomine Principatum Capuæ, conditum ab Longobardis, & deinde subjectum Normannis. Atque istud equidem ego laudare haudquaquam possum, cum hujus regionis fines satis fuerint diversi a finibus cujuscunque istarum *Campaniarum*, de quibus huc usque diximus. Laudo tamen illum, quod ea appellatione simul indicavit, non fuisse se ignarum, nomen *Campaniæ* quaqua tandem ratione primitus fuisse natum ex nomine *Capuæ*, ejusque civium. Et ita etiam credidit *Paulus Diaconus*, qui in Italiæ descriptione, cujus supra mentionem fecimus, diserte ita dixit: *Campania appellata est propter uberrimam Capuæ planitiem: ceterum ex maxima parte montuosa est.* Hic autem non dixit *propter uberrimam Capuæ Campaniam*, quod recte dixisset. [1] Credidit enim ex communi hujus ævi opinione, *Campaniam* a *campis*, non autem a *Campanis*, aut a proprie dicta *Campania Capuæ* fuisse denominatam. Laudo etiam *Othonem*, quod sæpe nomen *Campaniæ* cum *Apuliæ* nomine conjunxit, intelligens *Principatum Capuanum*; quod neque *Hugo Falcandus* fecit neque *Romoaldus Guarna*, Archiepiscopus Salernitanus, neque *Auctor Chronici Ceccani*, neque ullus alius scriptorum nostratium: qui sequentes vulgarem usum, introductum ab istis, quos diximus, Nortmannis nostris, istius nominis loco dixerunt illam *Terram laboris*, cui nomini jam eadem erat indita significatio; qua de re alibi in libris *Historiæ Principum Longobardorum*, qui componendi supersunt, prolixius, novisque observationibus additis, acturus ero. Sane vero multa prudentia & judicio instructum esse oportet, quicunque percurrens rerum præteritarum successionem, ex lectione librorum atque historiarum veterum menti suæ volet imprimere claram atque distinctam imaginem variarum mutationum, quæ per tot annorum spatium rebus intervenerunt humanis. Quis enim, cognito Apuliam quondam conjunctam fuisse *Campaniæ*, prima fronte non persuaderet sibi, eundem *Othonem*, aliosque scriptores, quos diximus, & conjunctim memorasse & ipsos hasce duas regiones vidimus; hoc fecisse ad eundem illum morem antiquum? Quis etiam in epistola quadam alterius *Othonis*, *Episcopi Bambergensis*, quæ refertur a *Baronio* in *Annalibus ecclesiasticis*, ad annum MCIII, legens hæc verba: *In Anagnia, civitate Campaniæ, quæ ditionem Romanam dividit & Apuliam, Episcopalis benedictionis munus, quamvis indignus, Domino largiente suscepi*; non existimaret, *Campaniam* fuisse quidem contiguam Apuliæ, [2] verum non alia ratione, quam per incrementum ejusdem Apuliæ, ad vetus usque Latium productæ, quod deinde Latine dictum fuit *Campania*, & vulgo, atque ut hodie appellatur, *Campagna*; ubi olim fuit, & etiamnum est Anagnia? plane scilicet errore consimili isti, quem erravit *Pomponius Mela*, qui non intelligens, *Campaniam* veterem ad Lucaniam usque & Silarum amnem pertinuisse, cum tamen apud priscum quendam auctorem legisset, Lucaniam & *Campaniam* fuisse regiones contermininas, Lucaniam produxit ad promontorium usque Surrenti, Picentinorum terminum. Nihilominus, quisquis est lector prudens, ultro animadvertet per tot seculorum spatium multas potuisse accidere rerum humanarum mutationes: & adeo non facile inter se confundet istas, quæ variis temporibus fuerunt variæ Apuliæ, & variæ *Campaniæ*, sive per earundem descriptiones varias, sive per ipsorum nominum varium usum. Sed de vario quidem usu nominis Apuliæ, jam dixi, quantum opportunitas postulabat; & ad institutum nostrum sufficere potest. Itidem, nisi fallor, de

D 3 variis

Desiit in veram Neapolitanam;

Nec amplius in usu fuit, quam apud scriptores, idque modis diversis.

Petrus Diaconus illustratus.

Otho Frisingensis notatus, & alio nomine laudatus pluribus modis.

Paulus Diaconus notatus.

Hugo Falcandus, aliique notati.

Et inde nonnulla confusio nasci potest.

Otho Bambergensis in epistola quadam illustratus.

Pomponius Mela notatus.

1. Aliquantum obscura hæc sunt auctoris verba, quæ illud, si quid video, sibi volunt, a *Capua* cives ejusdem urbis dictos fuisse *Campanos*, & regionem proxime illi circumjacentem, *Campaniam*, atque hoc nomen sparsum deinde ulterius, & multo ampliorem, quam illa erat primitiva seu *Capuana Campania*, regionem demonstravisse. Nam certe de *Campaniæ* nomine hanc ille fovit opinionem, ut ex *Indice* ad vocem *Campaniæ*, ubi hanc ipsam quoque periodum citavit, & ex illis, quæ in sequentibus *Dissertationibus* de eodem argumento scripsit, abunde patet. Quod nisi ille æque etymon, ac latiorem, qui fuit temporibus insequentibus, hujus nominis usum significare voluit, sane prorsus injuste notavit Paulum Diaconum, qui *Campaniam* crediderit ita dictam a planis & fertilibus circa Capuam *campis*, cum dicere debuisset, eam *a Campanis aut Campania Capuæ* ita fuisse denominatam. Quodnam enim hoc est, quæso, genus etymologiæ, nisi ex prioribus subintelligimus, *Campaniam* non aliunde, quam ab ipso *Capuæ* nomine fuisse dictam? Nam ceteroqui satis aperte indicat Longobardus iste, se illud, duntaxat credere, Campaniam, etsi *maxima ex parte montuosam*, nomen tamen accepisse a *campis*: & primitus ita dictam solummodo fuisse circumjectam *Capuæ planitiem*, id est, auctoris *Campaniam Capuanam*, neutiquam vero ampliorem illam Campaniam, ut quæ *maxima ex parte montuosa erat*. Igitur tacite significat, nomen illud principio tantum planis illis circa Capuam campis fuisse inditum, mox ulterius processisse & ampliorem illam demonstravisse Campaniam. Atque hanc etiam diximus auctoris fuisse sententiam: ut adeo ille hoc quidem nomine jure notare Paulum prorsus non possit. Jam vero quod ad etymologiam *Campaniæ* & *Capuæ* attinet, ex professo hoc argumentum pertractabitur in sequentibus: quare ulterius de eo disputare non est hujus loci.

2. Non video, quomodo quisquam paulo attentior, hæc Othonis verba legens, cogitare queat ejusmodi Campaniæ & Apuliæ confinium, quod auctor noster proponit. Sane enim in ipsa *dictione Romana* continebatur Latium vetus, quod proinde dictum fuit *Campaniæ Romanæ* nomine, qua de pergit exponere auctor cap. sequenti. Jam vero quis adeo rationis expers, ut in mentem illi venire possit, idem Latium, seu Campaniam illam, divisisse ditionem Romanam & Apuliam? Præterea Apuliæ nomen, nisi insigniter ego fallor, nunquam ad vetus usque Latium patuit, nec unquam usque eo principes Nortmannorum protulerunt imperii sui fines. Atque hoc, etsi leve, notare tamen visum fuit, ne quis hic forte difficultate quadam turbaretur.

variis descriptionibus veteris Italicæ *Campaniæ* huc usque dixi, quantum satis est. Et adeo, ut hanc *Dissertationem* absolvam, non aliud restat, quam ut agam de vario usu ejusdem nominis, modo appellativo. Atque hoc jam sine mora pergam exsequi.

XII. *Campania Romana.*

Nomen Campaniæ, quod creditum est esse appellativum,

IGitur persuadere mihi non possum, planam istam regionem, quæ cis Romam sita, Tiberim, & Tarracinam interjacet, & olim Latium vetus erat, hodie proprio suo nomine vulgo *Campagnam*, & Latine *Campaniam* appellari alia de causa, quam ista, quod vulgo creditum fuit, *Campaniam Capuæ* non aliunde istam accepisse appellationem, quam respectu plani atque fertilis agri sui: & adeo quemlibet alium agrum consimilem forma loquendi appellativa potuisse dici eodem nomine. Equidem haudquaquam me fugit, posse mihi hic illud objici, hanc *Campaniam Romanam*, sive Latium vetus retinuisse hanc novam appellationem suam ab illo tempore, quo primum eam accepit per Hadriani descriptionem. Verum quonam ego modo meam relinquere possim sententiam, ita ut non simul rejicienda etiam mihi sint, quæ hanc in rem nobis indicaverunt *Procopius*, *Jornandes*, & præter cæteros *Paulus Diaconus*; ex quorum verbis ostendimus, eandem hanc regionem deinde *Campaniæ* ademptam, & adjunctam fuisse Tusciæ? Sane igitur non est existimandum, in isto tantum exiguo terrarum spatio Hadriani *Campaniam* suum semper retinuisse nomen, quod commode poterat, & debebat mansisse penes istud, quod reliquum erat istius regionis. Verum hoc jam certum est, *Campaniæ* proprium nomen a multis scriptoribus posterioris ævi fuisse acceptum forma loquendi appellativa. Et hujus quidem rei, ut argumentum hoc repetamus altius, satis manifestum est argumentum in *Glossario* quodam veteri, quod edidit *Henricus Stephanus*; ubi Latinum *Campaniæ* nomen exponitur, per Græcum πεδιὰς, quod notat *locum*, seu *regionem planam & campestrem.* Certe igitur hoc nomen ex proprio evasit appellativum. Sed idem hoc apertius confirmatur ex istis *Servii* verbis, quæ alibi adduximus in principio hujus *Dissertationis*, ubi de illa *Campania*, quæ deinde fuit *Epirus*, ita dixit: *Epirum campos non habere*, *omnibus notum est*; *sed constat*, *ibi olim regem*, *nomine Campum*, *fuisse*, *ejusque posteros Campilid. . . dictos*, *& Epirum Campaniam vocatam.* Nam & ille existimavit, *Campaniæ* nomine, ut popularis erat opinio, denotari planitiem campestrem, adeoque rationem reddere voluit, cur ita potuerit appellari ista regio montana. Itidem *Cassiodorus* lib. XII *epist.* XXII nomen *Campaniæ*, tanquam magnæ laudis loco, dedit cuipiam admodum fertili regioni Istriæ, & illud quasi mutuum sumpsit ab nostra Campania, dum & illam suas habere Bajas, & plures Averni lacus dixit. Et igitur ille, si nomen istud non fecit appellativum, certe satis indicavit, istud jam haberi pro appellativo, ubi subjunxit: Illa *non immerito Ravennæ Campania dicitur*; quod idem est, ac si uberius dixisset: *Merito dicitur esse ager fertilissimus*, *cui Ravenna* (hæc temporibus hisce regia sedes erat Gothorum in Italia) *omnem copiam istorum*, *quæ ad victum necessaria sunt*, *acceptam refert:* nisi forte illud potius voluit dicere: *Illa justa comparatione propter fertilitatem atque amœnitatem Campania Ravennæ dicitur*, *quasi alia quædam Capuæ Campania ad commodum novæ Romæ comparata.* Quicquid tandem hujus sit, illud omnino certum est, vocabulum istud ad exemplum *Campaniæ Capuanæ*, quæ inter multas alias summam quoque & singularem fœcunditatis prærogativam habebat naturæ beneficio, deinde paulatim fuisse accommodatum etiam ad alias, a fertilitate commendatas, regiones. Atque hoc mihi videtur apertis verbis indicare voluisse idem *Paulus Diaconus*, quem allegavimus paulo ante. Hic enim, [1] sequens eandem jam communem opinionem, credidit, *Campaniam*, quam dixerat a finibus Romanorum ad Silarum usque amnem protendi, accepisse istud nomen *propter uberrimam Capuæ planitiem.* Nimirum hisce temporibus per *Campaniam* non aliud intelligebatur, quam planus & fertilis campus, quasi scilicet nomen istud non fuisset ortum ex proprio *Capuæ*, ejusque *Campanorum* nomine. Sed neque heic ingeniorum licentia finem habuit, aut limitem; siquidem omni memoria utriusque hujus originis oblivioni mandata, *Otho Frisingensis* lib. II. cap. XIII *De gestis Friderici Barbarossæ Imperatoris*, non aliam nominis *Campaniæ Romanæ* afferre scivit etymologiam, quam a campestri ejus planitie, desumptam a significatione ejusdem nominis, quod jam mutatum erat in appellativum. Nam, ut [2] supra etiam retulimus, ita dicit: *Post emensionem montium Campania excipitur*; *unde & a re nomen trahens Campania adhuc dici solet.* Atque illud est, quod nobis demonstrandum proposueramus.

Translatum fuit ad quamlibet planitiem campestrem denotandam.

Servius illustratus.

Cassiodorus illustratus.

Paulus Diaconus illustratus.

Verum *Otho* videtur per vocem *adhuc* significare voluisse, jam a temporibus usque antiquis *Campaniam Romanam* fuisse ad hunc modum dictam; & originem ejus derivare voluisse inde usque ab Hadriani *Campania*, quæ Latium vetus, & novum continuit. Sed id quidem satis ostensum est non posse esse verum. Neque vero occurrit ejus ulla memoria, quæ antiquior sit ætate Agathonis, summi Pontificis, qui vixit circiter annum a Christo nato DCLXXX. In hujus enim concilio Romano, ut notabitur aliquanto post, ejus mentio legitur. Quod ad cetera attinet, nonnihil ego dubito, utrum hanc *Romanam Campaniam*, appellative dictam, an vero antiquiorem illam, demonstratam nobis a *Procopio*, & omnium ultimam, quæ Latium novum continuerunt intellexerit *S. Gregorius Magnus Dialogorum* lib. III cap. XVIII, ubi ita dicit: *Fuit quidam in Campaniæ partibus*, *intra quadragesimum Romanæ urbis milliarium*, *nomine Benedictus*, *quem Totilæ regis tempore cum Gothi reperissent*, *hunc incendere cum sua cella moliti sunt.* Tarracina enim, ad quod oppidum *Campania Procopii* limitem habuit, ex computatione *Antonini* in *Itinerario*, ab urbe Roma abfuit millia passuum novem & sexaginta. Contra autem dici possit, mediterraneum tractum ejusdem *Campaniæ* multo pertinuisse ulterius. Forsan etiam apud *S. Gregorium milliarium sexagesimum*, olim scriptum numerorum notis LX, a librariis mutatum fuit in *milliarium* XL. Igitur apud me ignotum est usque adhuc certum tempus nativitatis hujusce *Campaniæ Romanæ.* Ceterum opinor illud quasi ad ætatem ejusdem Pontificis accedere, & in primum incidere seculum, quo in Italia Longobardi regnaverunt. Satis autem manifeste hancce *Campaniam* voluit dicere *Anastasius Bibliothecarius* in *Vitis summorum Pontificum*, Stephani III, & Hadriani I; idque sæpius. Et eandem quoque intellexit in Vita Gregorii II, hisce verbis: *Exhilaratus Dux Neapolis*, *deceptus diabolica instigatione*, *cum filio suo Adriano Campania*

Campania Romana dicta est primo Longobardorum seculo.

Otho Frisingensis refutatus.

Verba S. Gregorii Magni ambigua.

Anastasius Bibliothecarius pluribus locis illustratus.

1. Nihil video causæ, cur ita pronunciemus de Paulo Diacono. Neque enim credibile est, eum hanc satis amplam regionem existimasse ab adeo exigua sui parte fuisse denominatam. Plura addere nihil attinet, cum ad eundem hunc locum dixerimus cap. præcedenti, quantum satis est.

2. Nempe haud admodum longe a principio capitis X.

niæ partes tenuit, seducens populum, ut obediret Imperatori, ut occideret Pontificem; quod accidit circiter annum a Christo nato DCCXXX, imperante Leone Isaurico. Ceterum hic auctor, ubi alibi loquitur de rebus antiquioribus, nonnunquam adhibet idem nomen antiquiore sua, & magis propria significatione; sequens, ut videtur, illorum formam loquendi, ex quibus sua scripta concinnabat. Ita in *Sylverii Vita* Neapolim adscripsit *Campaniæ*, ubi de Belisario dixit: *Venit in partes Campaniæ, juxta civitatem Neapolim.* Denuo in *Vita Joannis* III ita narravit de Narsete: *Egressus de Roma venit in Campaniam*; & mox de eodem Pontifice, qui illum insequebatur, hæc verba subjunxit: *Festinus venit Neapolim.* Eodem etiam sensu Soter Pontifex ab eo dictus est *natione Campanus, de civitate Fundis.* Nempe Soter vixit circiter annum a Christo nato CLXXV, imperante Marco Aurelio, Antonini Pii successore; cum adhuc observaretur descriptio *Campaniæ* Hadriani. Atque adeo non video, quomodo *Antonius Caracciolus* in libro, quem sæpius allegavimus, *De sacris monumentis Neapolitanis*, cap. XI Sect. II, ubi agit de epistola istius Pontificis, *scripta ab Campanos omnes Episcopos*, dixerit illum popularem nostrum: siquidem ille non fuit oriundus ex *Campania* nostra, proprie dicta, sed ex alia, non solum recentiore, sed etiam ampliore, & usus frequentioris. Sed ille usurpans, quod non sui juris erat, etiam cap. II sect. V injuste questus est, *Philippum Ferrarium* in *Catalogo Sanctorum Italiæ* ad XXV diem Martii eidem nostræ *Campaniæ* abstulisse sanctum istum monachum, nomine *Benedictum*, de quo loquutus fuit *S. Gregorius*, citatus paulo ante; & adscripsisse illum *Campaniæ*, quæ Latium continuit, hisce verbis: *Locus, ubi Sanctus Monachus habitabat, non exprimitur a S. Gregorio: in Latio tamen, cujus magna pars olim Campania dicebatur, fuisse oportet.* Vellem tamen, contra eundem *Ferrarium* non rejecisse *Campaniæ* nomen ad partem solummodo Latii, dum existimavit, istum summum Pontificem omnino loquutum fuisse de *Campania*, cujus nomen deinde in desuetudinem abiit. Hoc amplius vellem, eum non commisisse errorem, [1] non multum absimilem isti, quem admisit *Caracciolus*, dum a se ipso dissentiens reprehendit *Baronium*, quod Silvianum *Episcopum Campaniæ* dixisset, qui, Velitrarum fuit Episcopus, Volscorum urbis, etsi ille sententiæ suæ satis justam rationem reddiderat hisce verbis: *Licet ea civitas in Volscis ponatur ab antiquis, obtinuit tamen loquendi usus, ut eadem provincia & Campania diceretur.* Et insuper ille pro sua sententia citaverat *Acta concilii Romani*, quod habitum fuit tempore Agathonis Pontificis; quibus nomen suum subscripsit Placentinus, Velitrarum Episcopus, *ex provincia Campaniæ*. Per hanc autem *Campaniam* non alia potest intelligi, quam *Romana*, qua de nobis est sermo; ut non ita multo ante notavimus. Atque hanc satis recte idem *Baronius* dixit per communem loquendi usum hoc nomen accepisse; & illam neque ad Imperatoriam aliquam, neque ad ullam aliam descriptionem retulit. Denique eandem *Campaniam* intellexit *Guntherus*, *Ligurini* lib. IX, ubi de Friderico Barbarossa Imperatore, qui in Italia erat, (accidit autem hoc post Christum natum anno MCLVIII) & Albam redierat, ut istic hyemem ageret, ita narrat:

Antonius Caracciolus refutatus pluribus modis

Philippus Ferrarius refutatus pluribus modis.

Baronius defensus, & laudatus.

Guntherus illustratus.

1. Si vel maxime concedamus, erravisse hic Ferrarium, & Silviani jam tempore Campaniam Romanam in usu fuisse, prorsus tamen assequi nequeo, qua ratione auctor ejus errorem dicat non multum absimilem isti, quem commisvit Caracciolus. Manifeste enim hic Campaniam plus justo producere, Ferrarius autem corripere voluit.

A

Inde per Etruscas legatos destinat urbes,
Campanasque domus, & quas in littore curvo
Æquorei lavat unda salis, qui debita fisco
Jura vetusta petant. —— —— ——

Verum interpres ejus *Jacobus Spigelius* credidit, ab ipso dici *Campaniam*, tantopere ab antiquis celebratam, quæ clausa fuit Sinuessæ, & Surrenti promontoriis; cum errorem suum cognoscere potuisset ex verbis *Radevici*, lib. II cap. X, quem cummaxime ante oculos habebat, quibus idem factum aliquanto plenius exponitur ad hunc modum: *His gestis, Fridericus pro recreando milite in opimis, & nondum bello tactis Italiæ locis hyemare statuit; proximumque Natalem Domini apud Albam civitatem celebrans, nuncios pro colligendo fodro per totam Tusciam, & Maritimam, & Campaniam direxit.* Ut hoc obiter moneam, quod *Radevicus fodrum*, id vetus auctor vitæ Ludovici Pii, quam vulgavit *Pithœus*, dixit *annonas militares*, quam appellationem adjuvant etiam verba aliorum auctorum veterum: licet *Bulengerus* in Tractatu *De Officiis regni Franciæ* credat, isto vocabulo *avenam, & paleam* significari, ab eoque derivatum Italicum *Foriere*, quod *curatorem annonæ*, & *Foraggio*, quod *annonam* notat. Sed ut revertamur, unde digressi sumus, quomodo poterat iste Imperator a nostris civitatibus petere *fodrum*, ipsi debitum, sive commeatus, aut ejus loco certam pecuniæ summam ad stipendia militum, cum nihil in illas potestatis haberet, aut imperii? Hisce enim temporibus comprehendebantur hæcce loca particularibus nominibus *Terræ laboris*, *Ducatus Apuliæ*, & *Siciliæ*, quæ conjunctim uno dicebantur *regni Siculi* nomine. Hoc autem jure successionis tenebat Rex Gulielmus primus. Sane potuit Fridericus istud tributi genus exigere a civitatibus *Campaniæ Romanæ* ex legibus fœderis, quo mutua auxilia inter Imperium, & Ecclesiam erant promissa. Insuper, cum nostris urbibus nulla omnino vicinitas erat urbibus Tusciæ, & illius regionis, quæ hodieque appellatur *Maritima*, sive *Maremma*, ut quidem his erat cum urbibus istius *Campaniæ*, quam diximus. Verum de hac jam satis. Et ex istis, quæ jam diximus, etiam errores, quos multi alii scriptorum recentiorum admiserunt in eodem hoc argumento, facile cognosci poterunt & refutari.

Jacobus Spigelius refutatus.

Radevicus illustratus pluribus modis.

B C D

XIII. *Aliæ novæ Campaniæ variarum regionum.*

Jam igitur, postquam Latinum *Campaniæ* nomen ex *proprio*, ut quondam erat, evasit *appellativum* & commune, dubium non est, prout illud semper magis magisque recessit a prima sua significatione & natura, ita idem etiam evagatum esse adhuc latius, id est, per omnes campos planos, qui inde vulgo dicti fuerunt *campaniæ*; licet alii fertilitate aliquantum minore, quam primitiva erat *Campania* Italica, alii autem nulla omnino essent insignes. Et adeo hoc nomen expertum est conditionem plane contrariam illi, qua tum erat, cum imponebatur istud regionibus ad modum nominis proprii. Tum enim *Campaniæ* nomine dicta fuit Epirus, quæ undique montana erat atque aspera. Hac igitur lata adeo & nova significatione usus est hoc nomine sæpius *Otho Frisingensis*. Ita lib. I cap. XXXI *De gestis Friderici Imperatoris* describens Hungariæ limites, dixit: *Attingitur inter Austrum, & Orientem Roma.* (lege *Romania*, quæ olim Thracia fuit) *Inter Aquilonem, & Orientem Pecenatorum, & Falonum*, (de hisce populis, eorumque regionibus videri potest *Ortelius* in *Thesauro geographico*) *maximam vena-*

Quilibet campus planus fertilis juxta ac infœcundus, campaniæ nomine dictus.

Otho Frisingensis pluribus locis illustratus.

Inter illas est campania Pecenatorum:

E F

venationum copiam habente, sed vomere & rastro pene experte campania. Et denuo lib. II cap. XI, ubi de eodem Friderico ita narrat: *Posthæc Princeps de Saxonia in Bojoariam se recipiens, ac inde per Alemaniam transiens, anno sui regni tertio, in campaniam Lici fluminis, termino Bojoariæ, contra civitatem Augustensem, circa principium mensis Octobris, militem in Italiam iturus collegit.* Et tertium ejusdem lib. cap. XVI, ubi situm Tortonæ describit hisce verbis: *Est autem Tortona pene in pede Apennini montis ex ea, qua Apenninus, & Pyrenæus junguntur, parte sita, campaniam Papiæ, seu Mediolani tanquam e specula prospiciens.* Et mox eundem latum campum Papiæ, & Mediolani eodem nomine appellavit in hisce verbis: *Papiensibus in campania, quæ contra Papiam, seu Mediolanum ad Orientem, vel Aquilonem extenditur, residentibus.*

Campania Lici fluminis:

Campania Papiæ, & Mediolani.

Etiam multo ante ætatem ejus idem nomen usurpatum fuerat ad eundem modum ab *Eulogio*, in *Actis Sanctorum*, Gumesindi, & Servodidii, quæ leguntur apud *Surium* ad Januarii diem XIII; in quibus memoratur *campania*, sive *campagna* Cordubæ in Hispania, quæ hodie vulgo dicitur *Campiña.*

Hispaniæ campania Cordubensis.

Sed antiquiori adhuc ævo ad eundem modum hoc nomine usus fuit *Auctor Appendicis historiæ Gregorii Turonensis*; apud quem cap. XIX legitur *campania Arciacensis*, & cap. XXXVIII *campania Tullensis.* Etiam ipse *Gregorius* lib. IV cap. XVII, & lib. V cap. XVIII, aliisque locis mentionem facit *campaniæ Rhemensis*; cujus etiam memoria occurrit a temporibus adhuc antiquioribus, nempe apud *Auctorem Appendicis Chronici Marcellini Comitis*, anno XV post consulatum Basilii, qui fuit a Christo nato DLVI. Et adeo verissimum est, Latinum *campania*, & vulgare *campagna* ad extremum commune evasisse nomen territorii plani & campestris, cujuscunque tandem illud esset civitatis. Ita idem *Gregorius* lib. VII cap. XXXV non aliter locutus est hisce verbis: *Convenitur ad Convenas, sic enim diximus nomen urbis; omnisque phalanga in suburbana urbis campania castrametata est.* Ceterum deinde hoc commune evasit proprium nomen cujusdam planæ regionis. Tantum valet usus atque arbitrium humanum; ut jam vidimus ex *Campania*, sive *Campagna Romana*, & mox videbimus ex ista, quam diximus, *Campania Rhemensi.*

In Francia plures campaniæ: Arciacensis, Tullensis, Rhemensis.

Gregorius Turonensis illustratus.

Verum quod jam de appellativo *Campaniæ* nomine diximus, referri etiam posse videtur ad aliam quandam *campaniam*, quæ olim quidem fuit nota, hodie autem penitus obscura est, & ab usu remota. Et ad hanc nobis aperire viam videtur interpretatio, quam *Josephus Scaliger* accommodavit ad verba veteris *Scholiastæ Juvenalis* ad *Sat.* II, ubi ille loquens de Othone, victo a Vitellio, dixit, hoc accidisse *apud Bebriacum Campaniæ.* Atque hoc *Scaliger* judicavit esse verum, in *Animadversionibus ad Chronicon Eusebii* dicens: *Ita vocat campestria Cremonæ, Mantuæ, & Veronæ: ut in Gallia est campania Rhemensis, campania Laudunensis.* Non animadvertit hoc *Cluverius*, unde lib. I cap. XXVI *Italiæ* suæ credidit, ista *Scholiastæ* verba esse corrupta, & legendum: *Apud Bebriacum, vicum Galliæ.*

Campania Italiæ, juxta Cremonam, Mantuam, & Veronam.

Cluverius refutatus.

XIV. *Galliæ Campania Rhemensis.*

Verum de *Campania Rhemensi*, sive de territorio urbis, quæ apud Francos appellatur *Rheims*, patente in agrum planissimum & fertilissimum, cum quo territoria atque campi vicinarum urbium, æque fertiles & plani, in unam latissimam planitiem campestrem conjunguntur, factum est fere idem illud, quod alia ratione de *Campania Capuæ* factum fuisse diximus. Huic enim primum & proprie tantum inclusæ fuerunt suorum Campanorum urbes; deinde autem (sequar nunc quidem opinionem illam, quam Livio adscripsi) eadem satis congruenter producta fuit in fines ampliores: ita ut nomen ejus duplicem habuerit significationem, perinde demonstrans minorem regionem, & majorem. Atque ita etiam *Rhemorum* nomine eodem modo videmus appellatum tum proprium ejus urbis territorium, tum reliquam regionem circumjacentem; & territoria atque campos multarum urbium conjuncta fuisse in unum vocabulum commune, quod hodieque vulgo apud Gallos in usu est, & dicitur *Champagne*, neque id jam appellativo, sed, ut in Italia factum etiam fuit de *Campania Romana*, proprio modo. Atque ita istoc nomine fuerunt usi multi variorum temporum scriptores. Inter illos omnibus aliis antiquior est *Gregorius Turonensis*, cujus alibi mentionem fecimus. Atque hic lib. VI cap. IV, & lib. IX cap. XIV, & cum eo *Sigebertus* in *Chronico* ad annum DCXCIX, principem, qui hanc *Campaniam* tenebat, *Ducis*; & eundem principatum *Ducatus* titulo appellat: licet ille ejusdem lib. IX cap. IX principatum illum appellet etiam *Regni* nomine. Verum alii, qui multo post tempore vixerunt, ex quibus sufficiet nominare *Auctorem Genealogiæ B. Arnulphi*, & *Gulielmi de Nangis*, in Gestis Ludovici, Franciæ regis, sæpius hujus regionis principem dixerunt *Comitem.* Ceterum, ut dixi, hujusce *Campaniæ* non occurrit alia mentio, quæ antiquior sit ista, quam *Gregorius* ille *Turonensis* de ea fecit. Atque hac in re suam quoque diligentiam exercuit *Petrus Pithœus*, & *Adversariorum* lib. II cap. I dixit, se in scriptoribus idem de ea reperisse silentium. Verba ejus hæc sunt: *Unum tamen illud addam, Campaniæ appellationem, ejus quidem, cujus hodie urbium nostra mater est,* (*Rhemos* intelligit, patriam suam) *nondum me apud vetustiorem paullo scriptorem legere potuisse.* Atque adeo irritus erit labor, si quis altiorem ejus memoriam investigare conatus fuerit. Et proinde nihil ego ultra addam, quam ejus descriptionem, nobis a *Gerardo Mercatore* in *Atlante* suo proditam, quæ hæc est: *Campania, quæ sequitur, dicta est a camporum latitudine longitudineque, ut notat Gregorius Turonensis.* (nondum potui reperire locum, ubi Gregorius, istud diserte affirmet) *est enim campestris admodum & plana. Circumdant eam undique Briensium, Burgundionum, Carolesiorum, & Lotharingorum ditiones atque territoria. Agri passim frumento, vino, omnique pecorum genere abundant; nec desunt sylvæ, opimas quæ præbent venationes, jucundaque aucupia.* Hunc usque *Mercator.* Jamque ego, primum digressus ex montana & antiquissima Epiri *Campania*, usque adhuc alias *Campanias* recentiores & planiores percucurri verbis itidem, quibus potui, planissimis; & post longissimum multorum seculorum iter emensum sine ullo impedimento perveni denique ad nostrorum temporum *Campanias.* Et adeo per multos variosque flexus, quasi ita convenisset propter Græcam hujus nominis etymologiam a καμπεῖος, *flexuosus*, haud frustra, nisi fallor, varias istas *Campanias* perlustravi. Et igitur heic jam pedem sisterem, nisi *Sosipater Charisius*, & *Lucius Florus* de aliis quibusdam *Campaniis* suis, non adeo planis aut proclivibus, adhuc paucis agere me impellerent.

Campania Rhemensis, quo nomine primum fuit dictum territorium Rhemense;

Evasit deinde proprium integræ regionis nomen.

Quam variæ fuerunt dignitatis principes.

Ceterum hujus non exstat memoria multum antiqua.

Aliquot hodie ejus naturales dotes sunt celebres.

XV. *Campania, a Sosipatro Charisio memorata.*

Equidem *Sosipater* me cogit disputare de quadam *Campania* sua, qua de loquutus est *Grammat.*

Sosipatri Campania.

nia, ætas, patria non satis sunt notæ.

mat. lib. II, ad vocem *primo pedatu* hisce verbis: *Hodieque nostri per Campaniam sic loquuntur.* Sane enim hæc non admodum aperte indicant, fueritne illa quædam istarum *Campaniarum*, quas descripsi usque adhuc, an vero alia, non cognita mihi. Præterea ne quidem satis certo scimus, quo tempore ille vixerit, & multo adhuc minus, ubi natus fuerit. Ad ætatem quidem ejus quod attinet, illud solummodo certum est, eum *Prisciano* fuisse antiquiorem. Hic enim citavit eum lib. X, & Justiniani majoris temporibus floruit. Sed idem non potest ante *Porphyrionis* ætatem collocari, perinde noti Grammatici; quandoquidem hujus vicissim ille mentionem fecit eodem lib. II. Igitur de eo non potest loquutus fuisse *Quintilianus*, qui de *Charisio* quodam narrat lib. X cap. I. Proinde *Campaniam* ejus, unde vulgo creditur fuisse oriundus, & appellatur *Campanus*, non fuisse aliquam istarum *Campaniarum* oportet, quæ Hadriani *Campania* fuerunt antiquiores. Vixit enim *Porphyrio*, cum hæc descriptio *Campaniæ* observaretur, ut intelligitur ex istis, quæ de situ Trivici dixit, nosque supra notavimus. Oportet igitur fuisse illum *Campanum*, sive ex eadem Hadriani *Campania*, sive ex alia quapiam seriore oriundum. Equidem, quod ad me attinet, sane inclinaret animus, ut in *Campania* Galliæ natum crederem; videlicet istis persuasus verbis, quæ in procemio istius operis sui filium alloquens dixit: *Erit jam tuæ diligentiæ, frequenti lectione studium meum ex variis artibus irrigare memoriæ, tuisque sensibus mandare; ut, quod originalis patriæ natura denegavit* (alii legunt *originali*) *virtute animi affectasse videaris.* Ejus enim ævo, [1] quod nihil differt ab ævo *Sidonii*, sermone Latino Galli loquebantur, ut observavit *Sirmondus* ad ejusdem *Sidonii* lib. IV *epist.* X, agresti prorsus & inculto. Et adeo rude istud loquendi genus, *primo pedatu*, satis recte ad horum temporum Gallos referri poterit, quibus linguam Latinam natura non concesserat propriam. Verum in hac interpretatione acquiescere non possum, quoniam *Campaniæ Gallicæ* non occurrit mentio apud ullum auctorem, qui *Prisciani* ætatem antecedat.

Videri possit patriam habuisse Campaniam Rhemensem, & de ea fuisse loquutus.

Sirmondus laudatus.

Sed campaniæ nomine intellexit ille territorium atque agros patriæ suæ.

Igitur cogitationes alio vertendæ. Sane vero Sosipater haud absurde credi possit hisce verbis *per campaniam* non intellexisse regionem aliquam, ita dictam nomine suo proprio, sed campos atque fines patriæ suæ, quæcunque tandem illa fuerit. Et ad hanc expositionem apprime facit tempus novæ usurpationis vocabuli hujusce, quæ jam ante *Servii* ætatem cœpit, ut supra demonstravimus. Igitur istud loquendi genus, si quid video, in usu fuit apud patriæ suæ rudes rusticos & homines agrestes. Et voluit istud notare, ut alibi lib. I notaverat aliud istud barbarum verbum, itidem per Italiam rusticis usitatum: *Diminutione panis pastillus dicitur; hodieque in Italia rusticos dicere animadvertimus.* Et lib. IV: *salamentum* (alii legunt *salmentum*) *imperiti dicunt pro salsamento.* Ut videri possit, fuisse Italus, atque patriam habuisse haud longe a Marrucinis, de quibus lib. II satis curiose observavit usum istum, qui apud illos obtinebat, adverbia terminandi litera *O*, relegata *E* litera; qua de re dixit, si de corruptis ejus verbis recte conjicio, fuisse iisdem multum quæstionis & contentionis cum Osteatinis. Verba ejus ex editione Neapolitana anni MDXXXIII, & ex Basileensi anni MDLI, parva inter se varietate ita habent: *Non quia negem ultra sasinum* (*sarsinum* habet ista recentior, sed perinde sine ullo commodo sensu) *inter quæstionem Osteatinis* (*Osceatinis* habet eadem editio) *ut Marucinis est moris E literam relegare, O videlicet pro eadem litera claudentibus dictionem.* Per *Osteatinos* enim videri possit intelligere cives *Ostiæ*, quæ cognomento dicta fuit *Ostia Aterni*. Illi vero dicti fuerunt *Osteatini*, non autem *Ostienses*, ad differentiam illorum, qui *Ostiam Tiberinam* incolebant. Eodem modo cives duarum Albarum, alii *Albani* eadem de causa fuerunt dicti, alii Albenses; cujus rei fidem facit *Varro* lib. VII *De lingua Latina*, *Appianus De bello Annibalico*, & *Quintilianus* lib. I cap. X. Atque de hac *Aterni Ostia*, haud sane admodum celebri, utcunque mentionem fecerunt nonnulli scriptorum veterum, quos *Italiæ* suæ lib. II. cap. XII citavit *Cluverius*. Et idem sequenti cap. XIII satis dextre correxit duo *Itineraria*, quæ Latinum nomen in iisdem Marrucinis oppidi *Teate*, (*Chieti*) vicini huic Aterni Ostiæ, corrupte exhibent ad hunc modum: *Thee marracino*, & *Tea Nomarrucinoceios* pro *Teate Marrucinorum*, quod verum erat. Ceterum ego arbitror, Marrucinos istos, quos *Charisius* Osteatinis opposuit, proprie esse cives Teate urbis, sive *Chieti*, quæ Marrucinorum caput fuit. Post enim inclinatum Romanum imperium iste mos in usum abiit, ut communia regionibus integris nomina speciatim etiam tr buerentur majoribus earundem urbibus, cujus moris multa attulimus exempla in nostra *Historia Principum Longobardorum*. Atque hæc jam dicta sunto veluti per digressionem, non autem quasi aliquid certi velim de patria hujus auctoris asseverare.

Et videtur fuisse Italus, & ex Marrucinis.

Cluverius laudatus.

Charisius illustratus

XVI. *Campaniæ perperam credita mentio facta a Lucio Floro.*

JAm vero hacce *Charisii Campania* nihil videtur mihi esse expeditior *Campania Flori*, qui itidem eam dixit *suam*. Hunc auctorem *Lipsius Electorum* lib. II cap. V, *Vossius De Historicis Latinis* lib. I cap. XXX, aliique ex Hispana gente *Annæa*, & patria Cordubensem fuisse crediderunt; unde videri possit loquutus fuisse de *Campania Cordubensi*, quam supra indicavimus. Verba ejus, ubi de Mithridate narrat lib. III. cap. V, victo in Cappadocia, sive Asia Minore a Pompejo, & elapso fuga hæc sunt: *Quippe cum effugisset hostem, Colchos, Ciliciæ* (aliæ editiones habent *Siciliæ*) *quoque littora, & Campaniam nostram subito adventu terrere voluit.* Sed cum ille ex communi sententia vixerit Trajani temporibus, aut certe antequam ditio Cordubensis potuit ad modum appellativum dici *campania*, videmur tuto posse credere, eum intellexisse aliam regionem ejusdem nominis, alibi sitam. Ut adeo forsitan ejus verba referri possint ad *Campaniam Gallicam*: non quidem propter ætatem hujus regionis atque nominis, quæ in sese eandem habet difficultatem, quam illius Cordubensis ætas, & de cujus antiquitate nihil novimus, quod nobis persuadere possit, ut ejus nominis ætatem *Flori* temporibus æqualem fuisse credamus; [2] sed propter illud, quod

Florus, patria Cordubensis, qui vixit temporibus Trajani Imperatoris;

Non videtur loquutus fuisse de sua, id est, Hispaniæ, sed de Galliæ Campania;

E

1. Per ævum Charisii & Sidonii hoc loco Latinitatem intelligit auctor, quæ illorum temporibus erat in usu. Alioqui enim ætatem Charisii incertam esse noster aperte dixit, cum Sidonium floruisse Arcadio & Honorio imperantibus constet.

2. Non perspicio, cur Florum potius de Galliæ, quam de Hispaniæ Campania loquutum credere possimus. Nam aliena sunt, quæ de ejus Patre affert auctor, cum Gallicæ Campaniæ ætas, ut ipsius verbis utar, *eandem in sese difficultatem habeat*, quam Hispanicæ. Sed præterea ex verbis Quintiliani, ut jam concedamus, Julium illum Florum fuisse nostri epitomatoris Patrem, neutiquam colligi potest, filium aut natum fuisse, aut educatum in Gallia. Certe enim in hac regione Patri neque natale solum assignavit Quintilianus, neque perpetuum aut fixum adeo domicilium, quando-

Eamque dixiſſe ſuam, ſive quod natus fuit, ſive quod vixit inter Gallos.

quod de hujus auctoris conditione credidit idem *Voſſius*, & jam ante hunc dixit *Joannes Stadius*, ducem ſequutus *Raphaëlem Volaterranum*, primum hujus opinionis auctorem: nempe Patrem ejus fuiſſe illum *Julium Florum*, qui a *Quintiliano* lib. x cap. III. dictus fuit *in eloquentia Galliarum* (*quoniam ibi demum exercuit eam*) *princeps*; ut adeo ille, ſive quod natus, ſive quod educatus eſſet in Gallia, Patre ejus ibidem degente, *Campaniam Gallicam* appellaverit *ſuam*. Et ad hancce patriam ejus, quæ per iſtam genealogiam ex una jam facta gemina eſt, videri poſſit viciſſim facere nonnihil eadem narratio ejus de improviſo terrore, quem iſte rex fugitivus itinere non minus longo, quam inuſitato inferre meditabatur huic *Campaniæ Gallicæ*. Atque ita etiam dicit de eo *Appianus* in *Mithridaticis*, cum fugiens percurriſſet regiones ad Mæotidem paludem, & principes iſtorum locorum ſibi conciliaſſet, ut interpres ejus habet: *Miram expeditionem cogitans, per Thraciam, & inde per Macedoniam, poſtremoque per Pannoniam ſuperatis Alpibus Italiam petere.* Igitur in hoc itinere potuiſſet deflectere in *Campaniam Gallicam*, & præter omnem humanam exſpectationem ex improviſo eam invadere. Sed re vera alieniſſimæ ſunt hæce, quæ videri poſſint tam pulchre cohærere, conjecturæ. Et argumento eſt ipſe *Florus*, qui de rebus Romanorum ſemper loquutus fuit, tanquam de rebus ſuis: idque etiam Hiſpanorum ſuorum, & Gallorum reſpectu. Igitur neque alio modo *ſuam* potuit dixiſſe *Campaniam* iſtam, quæ ad ipſum, perinde ut reliqua Hiſpania, nihil omnino, verum ad Romanos ſuos pertinebat. Ita autem dixit lib. II cap. XVII: *Hiſpaniæ nunquam animus fuit adverſus nos univerſæ conſurgere.* Et lib. III cap. X non alio animo aut loquendi modo notavit cladem Romanæ cujuſdam legionis, quæ in Gallia acciderat, hiſce verbis: *Cottam cum Titurio Sabino ibi amiſimus.*

Et cum hac ſententia videri poſſit conſentire ipſa narratio ejus.

Poteſt etiam loquutus fuiſſe de celebris Italiæ Campania;

Igitur potius credere nos oportebit, ab illo demonſtratam celebrem illam *Italiæ Campaniam*, quæ omnium aliarum *Campaniarum* ſola ſupereſt ad narrationem ejus aptiſſima. Et poteſt hæc ſententia eo videri probabilior, quod Mithridates deliberaverat de Italia invadenda viribus omnibus, & ſubita incurſione per regiones iſtas, quas *Appianus* narravit, qui ita de eo dixit, *Ad Gallos*, (Græca habent Κέλτυς, id eſt, *Celtas*, quo nomine plures auctores Græci appellaverunt populos ultra Alpes, qui ab utraque ripa Rheni fluminis incolebant) *quorum jam ante hac de cauſa paraverat amicitias, iter deſtinabat, ut cum eis per Alpes Italiam invaderet.* Verum ego video, vel ſic quoque ipſam *Flori* narrationem cum hac interpretatione pugnare, nulla relicta ſpe conciliationis. Per quam enim cauſam dicemus hunc regem, in Italiam per Alpes tranſiturum potuiſſe inire conſilium primum invadendæ *Campaniæ*, tanto intervallo ab Alpibus remotæ; relictis, ſive tranſitis aliis Italiæ regionibus, ipſaque Roma, quæ in hoc itinere ſuperandæ ipſi fuiſſent non ſine multis atque gravibus armorum pugnis?

Sed modo nimium alieno.

Alio modo potuit intellexiſſe eandem Italiæ Campaniam;

Tertio igitur mihi reſpondebit forſan aliquis, non hanc, ſed aliam, eamque ſatis diverſam cogitationem animo ſuo verſaviſſe hunc regem; quo

doquidem eum dixit in Galliis *demum* exercuiſſe eloquentiam. Ceterum quod ad hunc Flori locum attinet, ſi non valde corruptum, at certe obſcuriſſimum, miror neminem interpretum illum attigiſſe, niſi quod Grævius ὁ μακαρίτης in *Notis* laudavit noſtrum, ejuſque correctionem attulit, quæ mox ſequitur in fine hujus capitis.

de loquutus fuit idem *Florus* aliquantum apertius, ſubjungens iſtis quæ jam retulimus, hæcce alia verba: *Mox ſubruto Piræei portu, Colchos tenus jungere Boſphoron; inde per Thraciam, Macedoniam, & Græciam tranſilire; ſic Italiam nec opinato invadere tantum cogitavit.* Quaſi ſcilicet horum verborum argumento Mithridates non pedeſtri & longo itinere ſuperare Alpes, ſed expedita & brevi navigatione per Græciam cogitaverit in Italiam trajicere, & protinus adventu ſuo *Italiæ Campaniam* ſubito terrore adimplere. Atque hæc ſententia ſatis congruit cum iſta lectione, quæ ſupereſt in multis priſcarum *Flori* editionum, quæ non habent, ut aliæ quædam: *Ciliciæ quoque littora*, ſed *Siciliæ*; cujus inſulæ littora nolens volens legere Mithridates debuerat, e Græcia in *Campaniam* tranſiens. Nihilominus ego, quicquid denique veri aut falſi ſit de ejuſmodi navigatione regis hujus, quam tacuit *Appianus*, & *Florus* ne quidem ſomniavit unquam; haud facile in illud conſentire poſſum, eum Colchos, & littora Ciliciæ, ſive Siciliæ potuiſſe uno eodemque itinere inopinato invadere, ut verba, de quibus quæſtionem habemus, dicere videntur. Et heic ſane nemo mihi contradicere poterit, qui modice tantum cognitum habuerit immenſum iſtud intervallum, quo hæc loca ab invicem remota fuerunt.

Sed modo, qui ceteris etiam eſt alienior.

Neceſſaria & facilis emendatio verborum ejus oſtendit, eum de nulla omnino Campania fuiſſe loquutum.

Sed ut prætereamus multa alia, quæ hanc in rem conſideranda venire poſſent, nonne verum illud eſt Mithridatem victum a Pompejo, *præteritis Euphratis fontibus* (verba ſunt interpretis *Plutarchi* in *Vita ejuſdem Pompeji*, quibuſcum conſentit *Dio* lib. XXXVI, & auctor *epitomes Livianæ* lib. CI) *intendiſſe per Colchos fugam?* Anne etiam verum eſt, *Appianum* eodem loco, quem ſupra allegavimus, dixiſſe, ut itidem habet interpres ejus: *Ad fontes Euphratis properavit, Colchos petiturus*; & cogitavit, *perluſtrata in circuitu ora Pontica, Scythiſque maris ejus accolis, & paludis Mæotidis, pervadere in Boſphorum, pulſoque Machare, ingrato filio, rurſus apertum cum Romanis bellum gerere, & ex Europa impugnare Aſiam, diremptam freto modico?* Item filium ejus, cum intellexiſſet, *eum tot feras gentes, & quæ vocantur clauſtra Scythiæ, nulli antea penetrata, tranſiiſſe*; nec mitigare ejus iram potuiſſet, profugum reliquiſſe ipſi vacuum iſtud regnum, quo tempore *Pompejus fugientem* (Mithridatem) *Colchos uſque perſequutus eſt, de ulteriore fuga per Ponticas, Mæoticaſque gentes nihil ſuſpicans; ratuſque profugum nil magnum auſurum poſtea, Colchos obibat?* Igitur verum etiam illud erit, *Florum*, cum hiſce narrationibus conſentientem, ſcripſiſſe ad hunc modum: *Quippe cum effugiſſet hoſtem, per Colchos, Scythiæ quoque littora, & clauſtra noſtra ſubito adventu terrere voluit*; & more ſuo *noſtra* dixiſſe illa, quæ Romanorum erant. Neque enim arbitror, confuſionem, atque turbationem ordinis, quam hujus loci vulgatæ lectioni ineſſe demonſtravimus, poſſe ipſi auctori, & vitio, eidem familiariſſimo, imputari; quo ſtudioſe nimium affectavit ille ſuccinctam argutamque brevitatem; & inde ſæpius una conjunxit, & interdum disjunxit locos, tempora, caſus, quæ conjungi aut disjungi non debuerant. Attulimus enim documenta, & indicia, ſatis idonea ad demonſtrandum vulgatæ lectionis errorem, eundemque emendandum commode. Jamque de pluribus *Campaniis*, quarum veteribus facta mentio, aliud quod dicamus, non ſupereſt nobis.

Florus notatur.

ELEN-

ELENCHUS

RERUM POTISSIMARUM, QUÆ TRACTANTUR IN SECUNDA DISSERTATIONE.

I. *Romani hanc Campaniam descripserunt ad istum modum, quem ipsa natura, & ingenium hujus regionis dictabat; eamque laudis, non vero cognominis loco dixerunt* Felicem.

II. *Campaniam Felicem quidam veterum confuderunt cum illa, quæ ad Silarum usque flumen pertinuit, & cum Campania Capuæ.*

III. *Limites Campaniæ Felicis versus Occidentem.*

IV. *Limites Campaniæ Felicis versus Meridiem.*

V. *Limites Campaniæ Felicis versus Orientem, & Septentrionem.*

VI. *Forma Campaniæ Felicis, & ad eam aditus.*

VII. *Liris fluvius. Varia ejusdem nomina, prisca & recentia. Minturnæ urbs. Trajectum.*

VIII. *Ager Vescinus. Campus Cæditius. Vescia oppidum.*

IX. *Sinuessa urbs. Petrinum.* Mondrago. *Hujus etymologia. Aquæ Sinuessanæ. Thermæ earum. S. Chromatius ejusque sodales martyrio affecti Sinuessæ. Plotinus forsan ibidem cogitavit rempublicam condere Platonicam.*

X. *Tabernæ Cæditiæ. Cædiæ, Papia; oppida.*

XI. *Via Domitiani a Sinuessa ad Puteolos. Iter S. Pauli Apostoli a Puteolis usque Romam. Savo amnis.*

XII. *Volturnus fluvius. Non habuit aliud nomen antiquitus. Divinitas ejusdem. Capua nunquam dicta* Volturnum. *Qualitates Volturni fluminis. Pontes ejusdem.*

XIII. *Volturnum oppidum. Ejus incrementa. Imminutio ejusdem. Pertinuit quondam ad episcopum Sinuessanum.*

XIV. *Liternum oppidum. Vicus ad lacum Literni. Liternum flumen.*

XV. *Cumæ urbs.* Opicia *&* Opici *idem, quod* Campania *&* Campani. *Campus Cumanus, Græcis poëtis dictus* Phlegræus. *Chalcidenses post bellum Trojanum ante omnes alias suas Italiæ & Siciliæ urbes condiderunt urbem Cumanam, quæ etiam dicta fuit* Misena. *Habitaverunt eam Thespoti, sive Thespiadæ. Subacta fuit a Campanis. Ejusdem ultima fortuna.*

XVI. *Miseni urbs, portus, & promontorium. Commune istud vicinis locis nomen fuit: deinde idem corruptum, & oppidum penitus exstinctum. Bajarum portus, & urbs amœna. Via Herculea. Portus Julius.*

XVII. *Gaurus mons, vini ferax. Non fuit Campaniæ Felicis mons alius ejusdem nominis. Idem eructavit quondam flammas.*

XVIII. *Puteoli urbs. Ejus initia. Incrementa ejusdem. Forum Vulcani.*

XIX. *Campus Phlegræus, Latinis dictus* Leboriæ. *Situs ejus. Ejusdem mensura, & fœcunditas. Antiquissimis temporibus eructavit flammas. Idem fecit locus ille, qui dicitur* Gli Struni; *& item ille, ubi hodie lacus* Anianus *est.*

XX. *Montes Leucogæi. Sepulcrum Virgilii. Crypta Puteolana, in quam obscurum lumen descendebat.*

XXI. *Palæpolis & Neapolis, duæ quidem urbes, at unus populus. Palæpolis primitus dicta* Parthenope, *quod nomen deinde etiam Neapolis cum illa habuit commune. Conditores earum, & situs. Neapolis amœnum Romanorum otium, & honoraria eorundem colonia.*

XXII. *Sebethus amnis. Mons Vesuvius. Antiquissima ejus incendia ignota. Forma ejus mutata pluries. Idem ab ignibus subterraneis, qui olim illum ex terræ visceribus ejecerunt, imminutus. Jovi Vesuvio consecratus.*

XXIII. *Veseris oppidum & flumen, non diversum a Sebetho. Herculaneum urbs, portus, & promontorium. Taurania oppidum. Cosa oppidum. Pompeji oppidum, & portus: hic obstructus ejectionibus Vesuvii; illud obrutum terræmotu.*

XXIV. *Sarnus amnis, dictus etiam* Draco. *Nuceria urbs. Sarrastes populi. Stabiæ oppidum.* Vicus, *olim pagus, nunc oppidum. Surrentum urbs in promontorio Minervæ.*

XXV. *Nola urbs, Samnitibus habitata, & varie collocata modo in Samnio, modo in Campania. Habitata Chalcidensibus. Condita ab Etruscis. Dicta etiam*

urbs *Ausonum. Avella oppidum. Suessula oppidum.*

XXVI. *Furcæ Caudinæ. Pars Appiæ viæ a Capua Beneventum usque. Caudium, urbs Samnitium. Taburnus, mons eorundem.*

XXVII. *Calatia, sive* Galatia *oppidum, hodie exstinctum. Acerræ oppidum. Atella oppidum.*

XXVIII. *Tifata mons, sic dictus ab ilicibus. Plures montes istud unum solummodo nomen tenuerunt. In illis castra sua habuerunt Samnites, & item deinde variis locis Annibal, & post eum Sulla. Saticula, sive* Austicula *oppidum.*

XXIX. *CAPUA, urbs metropolitana, argumentum alterius operis mei integri. Hic solummodo agitur de prisco ejusdem situ.*

XXX. *Casilinum oppidum, ubi hodie Capua nova est. Territorium ejus videtur porrigi creditum usque ad mare. Ejusdem urbis immunutio. Frustra laboratum fuit de illa instauranda. Pons ejus in Volturno flumine, quod dictum quondam* Casilini *nomine.*

XXXI. *Via Appia, nobilissima. Ultra Capuam Brundisium usque extensa ab incerto auctore. Maxime frequentata per itinera e Græcia & Oriente.*

XXXII. *Calatia urbs, hodie* Cajazzo. *Combulteria urbs. Trebula urbs, in eodem tractu, quo priores. Situs Calliculæ montis, per quem Annibal primo transiit in Campaniam.*

XXXIII. *Campus Stellatis, cujus nomen diversis modis fuit acceptum. Non fuit ab illo denominata Romana tribus* Stellatina. *Cales urbs, alias dicta* Calenum, *diversa a* Calinulo, *urbe nova. Hæc condita ab Longobardis: illa ab Ausonibus.*

XXXIV. *Ager Falernus, primitus Ausonum, dein ex parte Campanorum. In illo situs fuit mons Falernus, dictus etiam* Massicus. *Amplitudo agri Falerni diversorum modorum. Ab uno latere conjunctus fuit campo Stellati, quem vulgus credidit esse sacrum. Tribus* Falerina *denominata ab agro Falerno. Populi Aminei.*

XXXV. *Larissa oppidum. Forum Popilii oppidum. Forum Claudii oppidum. Urbana oppidum. Pons Campanus in flumine Savone. Loci, quorum unus* Ad octavum, *alter* Ad nonum *dictus.*

XXXVI. *Montes Auruncorum. Montes Oscorum. Montes Samnitium.*

XXXVII. *Aurunca oppidum. Suessa oppidum. Teanum oppidum. Venafrum oppidum.*

DE

DE CAMPANIA FELICE DISSERTATIO II.

Mos fuit veteribus, regiones distinguere tribus modis.

TRibus modis, si recte ego discerno, veteres aliis atque aliis temporibus distinguere soliti fuerunt terras atque regiones. Illorum primus, qui dicendus est *proprius*, ex varietate incolarum ortus est, a quorum variis nominibus & ipsæ regiones varie fuerunt denominatæ. Secundo, qui vocari potest *rationalis*, opportunam dederunt occasionem naturales varietates earundem situs. Tertii, quem appellare licet *voluntarium*, humani arbitrii varietas unica fuit & idonea causa. Ad hunc ultimum modum Italia, cum Romanum jam inclinaret imperium, in exiguum terrarum tractum circa Padum flumen est contracta, cum olim ad secundum modum contineret integram illam regionem, quæ forma similis aliquantum folio quercus arboris, & multo magis cruri humano, clauditur naturalibus Alpium atque maris limitibus. Temporibus autem antiquissimis ad primum modum amplitudo ejusdem istum solummodo tractum occupavit, quem tenuerat *Italus* rex, a quo hæc regio, ut gravissimi affirmant auctores, primum *Italiæ* nomen accepit. Verum satis etiam manifeste hoc esse verum deprehenditur ex variis descriptionibus istius *Campaniæ*, cujus CAPUA fuit urbs. Etenim, ut ex *Livio* ostendimus in *Dissertatione* præcedenti, hoc vocabulo proprie fuit dicta ista regio, quæ plenius dici debuisset *regio Campanorum*. Et idem nomen dein haud sane absurde translatum fuit ad integram illam & conjunctam planitiem, quæ cincta montibus fere continuis terminabatur promontoriis duobus, Sinuessano, & Surrentino, seu Minervæ promontorio: sive, quæ exigua differentia est ab hisce terminis, quos diximus, fuit ita dictus tractus iste, qui ab ostio Liris amnis ad ostium usque Sarni fluminis porrigebatur. Novissime autem Augustus, & ad ejus exemplum alii post eum Imperatores, aliter atque aliter eandem *Campaniam* ulterius usque protulerunt pro lubitu, qua de re in eadem *Dissertatione* diximus, quantum satis est.

Atque hunc illi observaverunt in quibusdam Italiæ descriptionibus:

Item in descriptionibus istius Campaniæ, cujus CAPUA fuit urbs.

I. *Romani hanc Campaniam descripserunt ad istum modum, quem ipsa natura, & ingenium hujus regionis dictabat; eamque laudis, non vero cognominis loco dixerunt* Felicem.

Agere aggredior de ista Campania, quæ qualibet alia longe fuit celebrior.

JAm vero si particularem ego *Campaniæ* descriptionem secundum huncce terminorum ejus modum tertium ordiar, procul dubio me nimium absurde, quem mihi finem atque limitem hujusce statui PRÆPARATIONIS, transgressurum videο. Quod si contra ad terminos primi modi disputationem restringam, institutum operis mei itidem deprehendo haudquaquam me assequuturum. Igitur de ea scribere constitui secundum terminos modi, qui superest, secundi. Atque ita ex æquo satisfacere mihi posse videor & instituto meo, & justæ Lectorum curiositati; quibus A aut parum, aut nihil omnino foret gratius, si de qualibet alia dissererem, quam de hac *Campania*, quæ nobilissimis scriptoribus semper fuit illustris scribendi materia.

Natura huic Campaniæ montes dedit terminos, in eamque multas dotes suas conjunxit. Atque ad hæc attenderunt Romani in ejusdem descriptione,

Equidem jure merito Romani, postquam occupaverant omnes hasce terras, quæ naturali situ cinctæ perpetuis fere montibus, & variis propriisque dotibus ornatæ, inter sese quidem erant indivisæ, verum sejunctæ a circumjacentibus terris; illas etiam in unam solummodo unius nominis regionem conjunxerunt. Illos enim, ut jamjam ostendetur, & item prolixius in alia *Dissertatione*, ejusmodi descriptionis fuisse auctores arbitror. B Verum cum de naturalibus ejus dotibus itidem in alia peculiari *Dissertatione* fusius, & de propriis ejusdem limitibus opportunius in proximis agere constituerim; jam illud dicam solummodo, *Plinium Secundum* mihi auctorem esse, ut credam, Romanos in ea describenda attendisse ad naturales ejusdem conditiones, quas diximus. Ille enim, postquam lib. III cap. V de veteri & novo Latio narraverat, producto a citeriore ripa Liris amnis ad Sinuessam usque, de situ hujusce *Campaniæ* ita dixit: *Oppidum Sinuessa extremum in adjecto Latio. Hinc felix illa Campania est. Ab hoc sinu incipiunt vitiferi colles, &* [1] *temulentia nobilis, succo per omnes* C *terras inclyto, atque ut veteres dixere, summum Liberi patris cum Cerere certamen. Hinc Setini, & Cæcubi obtenduntur agri.* (Lego: *Vescini, & Caditii*, ut deinde ostensurus ero) *His junguntur Falerni, & Caleni dein consurgunt Massici, Gaurani, Surrentinique montes*; & quæ sequuntur, itidem in laudem scripta mediterranearum ejusdem regionum, & littorum, atque maris. Et aliquanto ante magna cum admiratione extulerat eandem oram ejus hisce verbis: *Qualiter Campaniæ ora per se, felixque illa, ac beata amœnitas?* Et ut penitus me confirmaret in hac sententia, narrationem suam hisce verbis clausit: *Ut palam sit, uno in loco gaudentis opus esse naturæ.* D Et adeo procul dubio Romani hæc loca in unam regionem conjunxerunt, in quam videbant naturam conjunxisse præstantissimas dotes suas; eamque appellaverunt *Campaniam*, sive servantes antiquum nomen ejus, sive illud quo antea tantum pars ejus quædam appellabatur, producenres. Atque hoc multis etiam scriptorum recentiorum in proclivi fuisset observare, qui existimaverunt, illam cognominis loco a veteribus fuisse dictam *Felicem*; cum ista felicitas, quoquoversus per fines ejus sparsa, ipsis videretur justus esse modus descriptionis ejus. Verum hi neque observaverunt istud, nec satis justa E de causa judicaverunt, peculiaris cognominis loco fuisse usurpatum, quod frequens ejus regionis fuit encomium. Atque ad hunc justum titulum videmus eundem *Plinium* in laudem littorum ejus adjunxisse etiam titulum *felicis ac beatæ amœnitatis*; perinde ac *Tacitus Historiarum* lib. III maritimos ejusdem sinus *beatos* dixit hisce verbis: *Nunc pecuniam*,

Plinius Secundus illustratus.

Qui non cognominis, sed laudis loco eam dixerunt Felicem.

1. Aliæ editiones habent, & fortasse rectius *temeto nobiles*.

niam, *& familiam*, *& beatos Campaniæ sinus promitti.* Atque hoc dextre nos admonuit *Cluverius* *Italiæ* suæ lib. IV cap. I, cujus verbis quod addam aliud, non habeo. Nihilominus propter multitudinem *Campaniarum* apud veteres, quam ostendimus in *Dissertatione* præcedenti, coactum me video istorum sequi opinionem, popularem jam & communem; quanquam hæc in excusationem præfari libuit. Et igitur in posterum eodem cognomine demonstrabitur a nobis hæcce celebris adeo *Campania*, quo facilius illa distinguatur ab aliis ejusdem nominis.

Cluverius laudatus.

II. *Campaniam Felicem quidam veterum confuderunt cum illa, quæ ad Silarum usque flumen pertinuit, & cum Campania Capuæ.*

Veteribus illud confusionis occasionem dedit, quod Campaniæ Felici non addiderunt aliquod cognomen.

CEterum, quod ad priscos scriptores attinet, nescio sane, quam ob causam & ipsi non inierint aut hanc eandem, aut aliam consimilem rationem; sed simplici nomine *Campaniæ* perinde denotaverint hancce ampliorem, quam *Felicem* dicimus, ac illam arctiorem, cui in præcedenti *Dissertatione Capuanæ* cognomen indidimus. Atque harum ipsarum cum satis facilis esset inter se confusio, veteres multo adhuc proclivius limites unius confuderunt cum alterius limitibus; & crediderunt, majoris, quæ celebrior erat & notior, illos esse terminos, qui minoris erant, quæ fere penitus in desuetudinem jam abierat. Etiam non hunc tantum errorem admiserunt, sed quidam de *Felice* dixerunt, quod de *Capuana* dictum oportebat; & simul de eadem ita loquuti fuerunt, ut loqui convenisset de ista *Campania*, quam ad Lucaniam usque, & Silarum amnem pertinuisse, *Strabo* nobis indicavit. De *Felice Campania* dicere voluit *Polybius* lib. III verbis istis, quæ ita Latine habent: *Campus circa Capuam omnium totius Italiæ est nobilissimus, cum ob fertilitatem, tum propter pulchritudinem, amœnitatemque.* Et mox: *Urbes præterea celeberrimas pulcherrimasque Italiæ continet: oram enim maritimam Sinuessani*, (ita habent Græca, non *Suessani*, ut *Perrottus* vertit, cujus hæc integra versio est) *Cumani*, *Puteolani colunt*, *item Neapolitani*, *ad extremum gens Nucerina. In mediterraneis ad Septentrionem sunt Caleni*, *& qui Teanum habent.* (omnino contra fidem Græci contextus idem interpres heic posuit; *Calatini*, *& Caleni*) *Ad Orientem*, *& Meridiem Caudini*, *& Nolani.* (ita lego pro *Daunii*, quæ vox per errorem in textum Græcum inserta est ab librariis. ratio in sequentibus erit reddenda) *In mediis autem campis sita est Capua*, *quæ omnes alias felicitate quondam superabat.* In hac descriptione cum non obscure quasi comparationem instituat inter Capuam & alias urbes hujus *Campaniæ*, videtur credidisse, eam inter illas obtinuisse principatum. Sane vero hoc verum fuit isto tempore, quo illa pariter etiam vicinæ regionis ad Lucaniam usque caput erat, cum deinde tantum obtinuerit principatum in illa *Campania*, quam ego *Capuanam* appellavi, atque inter hujus urbes. Atque hinc ipse etiam *Polybius* propter rationem, quam [1] ibidem exposuimus, æquam principatus partem Nolæ urbi tribuit. Etiam *Varro*, doctissimus ille in quolibet humanæ scientiæ genere, qui, dum omnes origines vocabulorum assequi posse credidit nimia ingenii licentia, sæpius inde longe ab-

Polybius notatus.

Varro notatus.

[1] Intelligit auctor cap. V. *Dissert.* I. non longe a fine, ubi de *Campania Capuana* egit, & de Etruscorum potentia Polybii locum *lib.* II exposuit: *Phlegræos etiam campos, qui circa Capuam & Nolam sunt, tenebant.*

A fuit; ubi apud *Servium* ad *Æneidos* lib. III nominis *Capuæ* reddere rationem molitur, talem prodidit, qualem ipse non potuisset credere veram esse, nisi pariter credidisset hujus urbis in *Campania Felice* eundem principatum. Verba *Servii* hæc sunt: *Varro dicit*, *propter cœli temperiem & cespitis fœcunditatem campum eundem Capuanum*, *sive Campanum dictum: quasi sinum salutis & fructuum.* Dicere voluit acutissimus *Varro*, a *Servio* non satis bene intellectus, *Capuam*, nomen habere creditam a voce *campus*, quæ Græce notat *curvum* aliquid & *inflexum*, ut sinus est, nomen istud inde accepisse, quod ejus *Campania* salutis omnisque copiæ B quasi sinus esset. Verum ad Capuam non pertinebat integer hicce sinus, præterquam isto tempore, quod modo diximus. Ceterum inter hosce scriptores mihi referendus etiam esse videtur *Frontinus*, qui in fragmento quodam libri sui *De limitibus* notavit, agrum Campanum, sive *Campaniam Felicem* (hanc enim intelligit) in longitudinem a Septentrione protendi versus Meridiem. Atque hoc ex terminis ejus, quos e *Polybio* intelleximus, nosque mox in hac eadem *Dissertatione* indicabimus exactius, collatis cum ipso locorum adspectu, satis apparet esse verum. Sed ille agrum Campanum solo *Capuæ* nomine notavit, & satis aperte illum universum ad eandem urbem retulit, C ubi varios modos, variaque nomina, quibus prisci fuerant usi in limitibus agrorum, ita exponit: *Primum duos limites duxerunt: unum ab Oriente in Occasum*, *quem vocaverunt Decumanum*, *alterum a Meridie ad Septentrionem*, *quem Cardinem appellaverunt.* Et mox: *Postea hoc ignorantes majores nostri*, *nonnulli ita sequuti sunt*, *ut quidam agri magnitudinem*, *quia longior erat*, *fecerint Decumanum.* Et deinde: *Ut in agro Campano*, *qui est circa Capuam*, *ubi est Cardo in Oriente*, *& Decumanus ad Meridiem:* Quamvis ille defendi possit, si dicamus, eum non ad istum finem memorasse hanc D urbem solam, sed ut hanc regionem ejus nomine insigniret, quod celebrius erat cujuslibet alterius urbis nomine. Insuper *Florus*, qui ejusmodi accurationis haud fere multum habuit rationem, manifestius adhuc, quam superiores, *Capuanam Campaniam* cum *Felice* confudit. *Livius* enim lib. VII dixerat, Romanos a Campanis in auxilium sollicitatos contra Samnites, a quibus in ipsa sua *Campania*, id est, in *Capuana*, novissime victi erant acie, ita ut nihil reliquum ipsis esset virium, quod iis ultra opponerent. Ille autem lib. I cap. XVI de populo Romano ita scripsit: *Precibus Campaniæ motus*, *non pro se*, *sed quod est speciosius*, *pro* E *sociis Samnitas invadit.* Atque hoc quidem nomine neutiquam ego illum reprehendo. Verum accuso illum de eo, quod mox subjunxit, postquam memoraverat portus, Cajetæ, Miseni, & Bajarum: Lucrinum, & Avernum, lacus: montes, Gaurum, Falernum, Massicum, Vesuvium: urbes, Formias, Cumas, Puteolos, Neapolim, Herculaneum, Pompejos, & caput harum, Capuam. Nimirum his subjunxit: *Pro hac urbe*, *iis regionibus populus Romanus Samnitas invasit.* Sane enim fuerunt illi Campani Capuæ, qui ad Romanorum confugerunt auxilium, iisque dediderunt suam ipsorum, quam diximus, non autem F aliam majorem *Campaniam*, in quam hoc tempore, & multo jam ante, ut suo loco demonstrabimus, nihil amplius habebant potestatis aut imperii. Neque vero ille per hæc verba: *iis regionibus* intellexit utramque *Campaniam*, sed territoria istarum urbium, quas proxime retulerat. Verum quid jam dicemus de *Pomponio Mela*, qui ex tribus *Campaniis*, quarum ad suam usque ætatem descriptiones fuerant observatæ in Italia, (vixit

Servius notatus.

Frontinus ambigue notatus.

Florus notatus.

Pomponius Mela notatus pluribus modis.

(vixit autem ille sub Augusto) videtur data opera voluisse unam facere solam? Dixit, post Lucaniam incipere *Campaniam*. Atque hoc verum erat de [1] illa *Campania*, quam *Strabo veterem* dixit. Alterum illi terminum ad promontorium Minervæ posuit. Et etiam hoc verissimum erat; sed de *Campania Felice* tantum. Denique coërcuit illam intra flumen Volturnum; ultra quod itidem verum erat non excurrisse illam *Campaniam*, cui *Capuanæ* cognomen indidimus. Verba ejus lib. II cap. II hæc sunt: *Pæstanus sinus. Pæstum oppidum, Silarus amnis, Picentia, Petræ, quas Sirenes habitavere, Minervæ promontorium: omnia* (alii: *opima*) *Lucaniæ loca. Sinus Puteolanus: Surrentum, Herculaneum, Vesuvii montis aspectus, Pompeji, Neapolis, Puteoli, lacus Lucrinus, & Avernus, Bajæ, Misenum, id nunc loci, aliquando Phrygii militis nomen: Cumæ, Liternum, Volturnus amnis, Volturnum oppidum: amœna Campaniæ loca.* Videturne legi posse uspiam in tanta locorum distinctione major hacce confusio? Verum heic forsan aliquis dixerit, *Melam* geographi, non vero arbitri regionum limitibus designandis fuisse functum officio, & recensuisse *Campaniæ Felicis* maritimas urbes, sive, ut ipse dixit, amœna ejusdem littora a promontorio Minervæ ad Sinuessam usque, terminum Latii novi, proxime adjacentis; eumque ultimo loco retulisse Volturnum, urbem in ostio Volturni fluminis, non quod crediderit, istud flumen terminum esse *Campaniæ*, sed quod ulterius ad Sinuessam usque neque oppidum, neque locus erat ullus, mentione dignus. Quod si quis ita ejus exponi posse sententiam existimaverit, ego sic arbitror, geographis præcipue istud incumbere, ut describant regiones, earundemque situs atque limites demonstrent; (neque enim aliud in suis libris voluit *Mela*) adeoque eum convinci erroris ab *Strabone*, qui etiam fuit geographus, ut alios taceam, qui citabuntur, ubi de limite *Campaniæ* ad Sinuessam acturus ero. Et *Ptolemæus* quoque, peræque geographus, præter ceteros eum erroris arguit; qui Liris fluminis ostium *Campaniæ* terminum assignavit, propter rationem, quam ibidem, & ubi acturus ero de Sarno flumine, exponam. Atque hæc ratio potuit etiam ab ipso *Mela* esse observata, verum cum ista, quam notavimus, confusione. Sane vero amœna *Felicis Campaniæ* littora, quæ incipiebant a Formiis, ut vidimus in *Dissertatione* præcedenti, alios induxerunt scriptores, qui geographi non erant, ut producerent illam ultra Sinuessam, & Lirim flumen. Quod si geographi sua nos accuratione non edocuerint de hujuscemodi rebus, incassum sane viri literatissimi laboraverunt in istis addiscendis etiam e scriptis poëtarum, ut alios auctores taceam, qui nihil minus, quam geographiam tractaverunt. *Melæ* igitur, si quid video, ingens est confusio. Nam, ut in prima *Dissertatione* ostendimus, & extra omnem dubitationis aleam est, terminus Lucaniæ fuit Silarus amnis: Ille vero Minervæ promontorium Lucaniæ limitem assignavit. Ibidem ex *Strabone* ostendimus, istam quæ [2] Lucaniæ contigua erat, fuisse *veterem Campaniam*: Ille vero hanc confudit & conjunxit cum *Felice*. Denique in eadem *Dissertatione* demonstravimus, istam, quæ intra Volturnum flumen conclusa fuit, fuisse *Capuanam*, non autem *Felicem Campaniam*: atque ille ad istum flu-

Pomponius Mela dissentiens ab Strabone, Ptolemæo, aliisque; & refutatus pluribus modis.

vium limitem posuisse *Campaniæ Felicis* credi potest: idque *Servii* indicio, qui ad eundem usque Volturnum Latium novum produxit, ut paulo post videbitur. Sed videamus jam, an fortasse verum sit, Volturnum flumen fuisse unquam *Campaniæ Felicis* terminum versus hocce latus.

III. *Limites Campaniæ Felicis versus Occidentem.*

PTolemæus igitur, *Geographiæ* lib. III, *Europæ Tab.* VI recensens nomina maritimorum *Campaniæ* locorum, & ordinem sequens, quem & ipse observavit, & omnes adeo geographi habent communem; nempe ut primum referant loca Occasum versus, & inde Orientem versus pergant; primo loco Liris fluminis posuit ostium. Sed in omnia alia eunt *Strabo*, *Plinius Secundus*, & antiquior hisce *Polybius*, quos supra variis occasionibus retulimus; & hancce *Campaniam* incipere volunt a Sinuessa, ubi hodie castellum est, quod appellatur *Mondragonis*. (*la Rocca di Mondragone*) Et adeo hi scriptores aliquantum corripuerunt huncce terminum ejus, eumque tantum aliquot millibus passuum ultra Volturnum flumen produxerunt. Atque hoc spatium deinceps in mediterraneis extenditur in majus, per obliquitatem ejusdem fluminis & montium, qui circa sunt. Verum si *Servii* verbis stare volumus, ultra Volturnum fuit Latium novum. Ille enim ad *Æneidos* lib. I ita commentatus est: *Latium duplex est: unum a Tiberi usque Fundos; aliud inde usque Volturnum.* Et adeo hoc flumen æque minoris, ac majoris *Campaniæ* fuit terminus; & *Mela*, quantum ad hoc quidem attinet, nihil dixit, quod non itidem dixerint & alii. Inter recentiores etiam *Cluverius*, licet de neutro horum auctorum mentionem fecerit, idem dixit *Italiæ* suæ lib. IV cap. I; & in testimonium advocavit tantum, hæc verba Livii lib. XXII: *Fabius Casilinum occupat modicis præsidiis; quæ urbs Volturno flumine dirempta, Falernum a Campano agro dividit.* Atque hæc verba ejusdem libri cap. V tali modo exposuit: *Certe non tam urbs, quam ipsum flumen ad hoc muneris commoda erat. Sed interim tamen urbs in medio Falerni Campanique agri posita erat, quod voluit indicare Livius.* Et insuper ille credidit, hanc descriptionem fuisse antiquiorem illa, per quam eadem *Campania* producta fuit ad flumen usque Lirim. Verum contra *Servium*, ut bene notavit *Beroaldus*, non tantum stat *Plinius Secundus*, qui Sinuessam dixit *oppidum extremum in adjecto Latio*; & addidit: *Hinc felix illa Campania est*, sed etiam *Strabo*, qui nihil diversus est a *Plinio* hisce verbis lib. V, quæ ita vertit Latinus interpres: *Nunc quidem ora maritima ab Ostia Sinuessam usque Latium appellatur.* Et paulo post: *Deinceps post Latium Campania est, juxta mare porrecta.* Horum autem auctoritas *Servii* auctoritate multo est potior. Atque ego ad hujus defensionem haud sciam excogitare aliud, quam ut dicamus, Romanos, qui olim hasce terras superaverant; cum *Campaniam Felicem* necdum exacte descripsissent, & cummaxime tamen obtinerent istud terrarum spatium, quod inter Volturnum atque Lirim est; Latio adjecisse hunc eundem tractum inter duo ista flumina; atque hujus deinde partem Orientalem a Volturno Sinuessam usque adjunxisse *Campaniæ Felici*, quod ex iis, quæ mox dicam, satis est probabile. Nisi tamen forte illud dicere libet, eum loco Liris posuisse Volturnum flumen memoriæ, non intellectus vitio. Ceterum iste locus *Livii* haud sane multum juvare potest *Cluverii* opinionem; qui insuper de Romanis etiam istud credidit:

Hunc terminum Campaniæ Felicis alii Lirim flumen, alii Sinuessam dixerunt;

Alii vero Volturnum flumen, quousque produxerunt Latium novum.

Hoc sive per errorem, sive per accuratam observationem.

Servius illustratus, & defensus.

[1]. Merito sane dubitari potest, an hæc fuerit Strabonis sententia, *veterem*, ut ipse eam appellat atque describit, *Campaniam* Lucaniæ fuisse contiguam. Vide, quæ notavimus ad *Dissert.* I cap. III in principio.

[2]. Iterum hic inculcat auctor suam de Strabonis *Campania vetere* sententiam, quam parum esse probabilem diximus.

dit: *Postquam huc arma sua imperiumque intulerunt, limitem ab hac parte constituerunt Lirim amnem; qua ratione omnis Falernus ager, & quidquid inter Lirim, & Volturnum situm est, Campaniæ titulo accessit.* Atque hoc ex parte verum est; sed *Mela* ejusmodi incrementum *Campaniæ* aut non admisit pro vero, aut cognitum non habuit. Neque aliud de *Servio* credi potest, nisi ejus sententiam exponamus ad istum modum, quem diximus; licet propterea *Cluverii* verba non satis bene cum illa conveniant. Et adeo non abs re erit, de ista *Cluverii* opinione sigillatim disputare.

Ager Campanus, divisus a Falerno fuit & citra, & ultra Volturnum.

Equidem quod ad *Livii* verba attinet, quis poterit *Cluverium* reddere certum, istum auctorem per *agrum Campanum* intellexisse istam *Campaniam*, de qua nobis est sermo, non vero istum agrum, quem ille alias itidem *Campanum* dixit; quique hac eadem *Campania Felice* multo fuit angustior, & ut in præcedenti *Dissertatione* notavimus, proprie fuit territorium Capuæ? Verum insuper, unde argumentum desumet, istum *Livii* agrum Campanum non esse eundem cum illo, quem idem auctor alias eodem nomine dixit, & ultra Volturnum collocavit; ut adeo non potius credere debeamus, eum fuisse divisum a Falerno ad angulum, ubi Casilinum erat, quam per hujus fluminis undas? Verba ejus lib. x hæc sunt: *In Samnio novi exercitus exorti ad depopulandos Romani imperii fines, per Vescinos in Campanum, Falernumque agrum transcendunt, ingentesque prædas faciunt.* Et mox: *Volumnium fama de Samnitium exercitu, populationibusque Campani agri, ad tuendos socios convertit.* Et tertium: *Magnum ea populatio Campani agri tumultum Romæ præbuerat.* Neque heic solummodo *Livius*, verum etiam lib. XXII indicavit, eundem agrum Campanum fuisse conjunctum Falerno, & insuper Caleno, quorum uterque situs fuit ultra Volturnum. Inducit istic M. Metellum, tribunum plebis, dicentem, *Campanum, Calenumque, & Falernum agrum pervastatos esse, sedente Casilini Dictatore.* Intelligebat autem ille damna ista, quæ Annibal per istos tractus dederat, cum primum transierat istuc; quando eodem *Livio* teste, & item *Polybio* lib. III idem Dictator, Fabius Maximus, eum transitu Volturni in citeriorem ripam prohibuit, unde ille adactus fuit retrocedere per eandem viam, per quam advenerat.

Livius pluribus locis illustratus. Cluverius refutatus.

Campania Felix credi potest a Volturno Sinuessam usque producta alterutro tempore ex duobus.

Sed transeamus ad alteram partem opinionis *Cluverianæ*, qua ille asseverat, illam *Campaniæ Felicis* ampliationem accidisse, postquam Romani huc arma sua imperiumque intulerunt. Romani bis arma sua intulerunt in hosce tractus: primum quidem, cum pro Campanis arma ceperunt contra Samnites, quod accidit ab Urbe condita anno CCCCX; iterum, cum CXXXII annis post eosdem Campanos subegerunt tempore belli Punici secundi. Jam vero hoc ex *Cluverio* scire voluissem, quonam tempore ille existimaverit *Campaniam* ab Romanis fuisse prolatam a Volturno ad Lirim usque: ut ne dicam, proprie eos non ad hunc fluvium, sed ad Sinuessam collocavisse ejus terminum, prout *Strabo* & *Plinius Secundus* aperte & omnibus aliis accuratius indicaverunt. Atque ille forsitan dixisset, accidisse istud posteriori illo tempore. Etenim ipse *Italiæ* suæ lib. III cap. I ampliati Latii novi non potuit indicium aliquod afferre aut monumentum, quod ultra Tiberii Gracchi ætatem assurgat. Atque hoc ille observavit ex verbis quibusdam *Ciceronis* in *Bruto*. Ille autem Gracchus occisus est anno LXXVII post captam Capuam, id est, ab Urbe condita anno DCXX. Et adeo hoc eodem tempore ille opinari potuisset etiam hanc ampliationem *Campaniæ* accidisse, non cognitam *Pomponio Melæ* & *Servio*, si maxime cognitam, certe neglectam. Hic enim pro instituti uterque ratione sui scripserunt, Volturnum flumen perinde Campaniæ, quam Latii novi commune fuisse confinium. Sed primum ego *Cluverio* non concesserim adeo seram ætatem Latii novi, cujus nativitatem mox ostendam fuisse annis circiter CLXX antiquiorem. Præterea possum illi opponere *Festum*, qui Præfecturas ejusdem conditionis fuisse notavit Capuam, Cumas, Casilinum, Volturnum, Liternum, Puteolos, Acerras, Suessulam, Atellam, & Calatiam, quæ urbes sitæ fuerunt cis Volturnum omnes, ne quidem excepta Calatia, ut monuimus in præcedenti, & in hac ipsa *Dissertatione* uberius ostendemus. Atque has Romani in istam communem regiminis formam conjunxerunt, si recte attendimus, tum cum Campani in istam, quam diximus, captivitatem & calamitatem inciderunt: ut adeo isto tempore Campania non fuerit ampliata.

Hoc autem non fuit tempus recentius,

Cluverius refutatus.

Festus illustratus.

Atque hoc sane videtur mihi satis esse certum. Illud enim nobis observandum est, non alio fere vinculo conjungi solere diversa loca in unam provinciam, seu regionem, quam illo, ut detur illis unus tantum magistratus, sive ut ad unam eandemque regiminis formam ordinentur. Ita, cum Imperator Hadrianus, ut familiare afferamus exemplum, *quatuor Consulares*, teste *Spartiano* in ejus *Vita*, *per omnem Italiam judices constituit*; idem quoque *Campaniam* produxit ulterius, quam Augustus primam regionem suam descripserat. Quod si *Cluverius* in alium detorquere sensum *Festi* verba voluisset, quid jam respondisset eidem *Livio*, qui, ubi lib. XXVI varia Senatus Romani decreta refert de iisdem victis Campanis, narrat, qui levissime peccaverant omnium, illis concessum habitare inter Volturnum atque Lirim; aliis autem alibi, ita ut pro magnitudine delictorum ulterius usque submoverentur ab urbe sua? Certe in hac varietate pœnarum videtur mihi haud ambigue agnosci quædam etiam regionum varietas. Verba *Livii* hæc sunt: *Campanos omnes, Atellanos, Calatinos, Sabatinos,* (hi ad *Campaniam* nihil pertinebant: fuerunt enim ex Hirpinis) *extra quam qui eorum, aut ipsi, aut Parentes eorum apud hostes essent, liberos esse jusserunt; ita ut nemo eorum civis Romanus, aut Latini nominis esset; neve quis eorum, qui Capuæ fuissent, dum portæ clausæ essent, in urbe, agrove Campano intra diem certum maneret. Locus, ubi habitarent, trans Tiberim, qui non contingeret Tiberim, daretur. Qui nec Capuæ, nec in urbe Campana, quæ a populo Romano defecisset, per bellum fuissent, eos cis Lirim amnem Romam versus; qui ad Romanos transissent, priusquam Annibal Capuam veniret, cis Volturnum amovendos censuerunt.* Hucusque *Livius*. Et igitur *Cluverius* illud duntaxat habuisset, quod diceret, Latium novum ab ulteriore parte, & *Campaniam Felicem* a citeriore, ad Lirim usque, sive Sinuessam, productam fuisse ab Romanis isto intervallo annorum CXXXII, qui inter liberam deditionem, & servitutem Campanorum effluxerant. Atque ab hac sententia ego quidem neutiquam sum alienus; verum ejus opinio immane quantum remota est ab eadem. Et per hanc ille omnino foret adactus in istud consentire, tempore Fabii Maximi, quo *Livius* dixit, Casilinum, medio Volturno flumine diremptam, Falernum a Campano agro divisisse; neque Casilinum, neque Volturnum terminos fuisse *Campaniæ*, qua de nobis est sermo, si illa jam aliquanto ante hoc bellum producta erat ad Lirim usque amnem. Et adeo verborum *Livii*, quæ antea retulimus, *Cluveriana* exposi-

Livius illustratus.

Sed aliud antiquius.

Cluverius denuo refutatus.

tio

tio nullo pacto potest admitti. Neque etiam illa satis est certa aut liquida, licet *Campaniæ* extensio subsequuta fuisset istam Campanorum calamitatem, qua illud Fabii factum paucis aliquot annis prius exstitit.

Campania Felix ultra Volturnum usque producta fuit jam ante bellum Punicum secundum.

Missa igitur jam faciamus hæc, quæ dicta sunt hanc in rem, aut dici potuissent, & ex istis, quæ proxime ad verum accedere videri possunt, per nosmet ipsi investigemus, quid credendum sit de tempore, quo Romani limitem *Campaniæ Felicis* ad Sinuessam, sive ad Lirim amnem constituerunt. Equidem heic ego video, *Livium*, de quibusdam rebus gestis, quæ multorum annorum spatio bellum Punicum secundum præcesserunt, narrantem, plus semel illi regioni adscripsisse haud obscure loca quædam, quæ erant ultra Volturnum. Ita ille scripsit lib. IX: *Eodem anno in campum Stellatem agri Campani Samnitium incursiones factæ.* Loquitur autem de anno, quo L. Postumius & T. Minucius, Coss. fuerunt, qui fuit ab Urbe condita annus CCCCXLVIII, ante Annibalis adventum in Italiam LXXXVII. Jam extra omnem dubitationis aleam positum est, campum Stellatem fuisse ultra Volturnum flumen. Et alibi lib. X eundem tractum apertius adhuc adscripsit *Campaniæ*, proprio nomine ejus adhibito. Ubi enim exponit damna, quæ post novem alios annos in eodem campo Stellati Samnites dederant, ita loquitur: *In Samnio novi exercitus, exorti ad depopulandos imperii Romani fines, per Vescinos in Campanum, Falernumque agrum transcendunt, ingentesque prædas faciunt.* Et mox: *Parte curæ exonerarunt Senatum L. Volumnii, Consulis literæ, quibus cæsos fusosque populatores Campaniæ cognitum est.* Et denuo, ubi sequentis anni res exponit: *Tres scriptos hostium exercitus; uno Etruriam, altero populationem Campaniæ repeti; tertium tuendis parari finibus, fama est.* Ad hosce locos videtur mihi posse etiam adjungi alius ille, qui est lib. XXII, & ad tempora belli Annibalici pertinet, antequam cum Pœnorum imperatore amicitiam junxerant Campani: *Quando per Allifanum, Calatinumque, & Calenum agrum in campum Stellatem descendit*; atque hunc pariter cum vicino agro Falerno deprædatus, & celebri isto stratagemate repressus fuit ab Dictatore Fabio Maximo, qui celeriter ipsi in occursum advenerat, cum interim fremerent milites ejus, qui *festinari ad prohibendam populationibus Campaniam crediderant.*

Livius pluribus locis illustratus.

Novi Latii descriptio, Campaniæ novæ descriptioni coætanea,

Jam vero ad quodnam certum & exactum tempus referendam censemus hancce Campaniæ ampliationem? *Sigonius*, qui lib. I cap. VII *De ant. jur. Italiæ* existimavit, Latio veteri novum adjunxisse Romanos medio inter bellum Tarentinum tempore, & primum Punicum, id est, inter annum CCCCLXXII & CCCCXC ab Urbe condita; idem quoque de nova *Campania* credere facile potuit. Alioquin enim, ut supra etiam notavimus, Latium novum pertinere debuisset usque ad *Campaniam* antiquiorem & Volturnum; & vera foret *Servii* sententia, quam a *Strabone* & *Plinio* aperte refutatam vidimus; nec minus vera foret sententia *Pomponii Melæ*, quæ a vero tantundem aliena est.

Non fuit facta post bellum Tarentinum, sed aliquot annis ante; Sigonius refutatus.

Sed ego non video, quodnam opinionis suæ argumentum idoneum potuerit habere *Sigonius*, si Romani jam usque a Coss. L. Volumnio secundum, Appio Claudio secundum, qui fuit ab Urbe condita annus CCCCLVII, miserant duas colonias, unam Minturnas, ad ostium Liris amnis, alteram Sinuessam, ut notavit *Livius* lib. X. Præterea si non convenit novi Latii descriptioni aliud assignare tempus, quam descriptioni *Campaniæ* novæ, necesse erit, ut Latii novi ætatem credamus aliquot annis antiquiorem, quam sibi persuasit *Sigonius*, & item *Campaniæ* novæ ætatem credamus assurgere ultra annum ab Urbe condita CCCCXLVIII; a quo usque tempore ad Romanos pertinere cœpit, ut ex *Livio* intelleximus, iste ultra Volturnum tractus, cui idem nomen indidit *Campaniæ* in istorum temporum gestis exponendis, unde nos alia heic cogitare non sinit.

Quando jam Romani multa utriusque regionis istius occupaverant.

Et Romani sane, de quibus lis moveri nequit, quin fuerint tam unius, quam alterius novæ hujus regionis auctores, jam obtinuerant agrum Falernum ab anno usque CCCCXIII ab Urbe condita, quando illud ademerunt populo Campano pœnæ nomine, quod belli societatem inierant cum Latinis & Sidicinis, hostibus Romanorum, triennio post, quam hi ipsorum Campanorum defensionem contra Samnites susceperant. Ita narrat *Livius* hisce verbis lib. VIII: *Latini, Capuaque agro mulctati. Latinus ager, Privernati addito agro, & Falernus, qui populi Campani fuerat, usque ad Volturnum flumen plebi Romanæ dividitur.* Iidem jam occupaverant Cales, ejusdem tractus urbem, post aliud quinquennium, nempe anno ab Urbe condita CCCCXVIII; unde mox sequenti anno deduxerunt istuc coloniam, qua de re idem auctor narravit eodem libro. Haud igitur convenit, isto, quod diximus, tempore recentiorem fuisse credere hancce novam Campaniam; quam ultra Volturnum flumen conjunctam Latio novo ad Sinuessam, conveniebat Cales etiam comprehendere atque agrum Falernum, qui ad Volturnum usque pertinebat. Itidem neque ipsum novum Latium credendum est multo esse junius facta Romanis accessione istarum urbium, quas antea tenuerant Ausones, id est, Suessæ, quæ alias dicta *Ausona* Vesciæ, & Minturnarum, quæ sitæ fuerunt inter Lirim amnem & Sinuessam, & in Romanorum potestatem pervenerunt M. Petilio, C. Sulpicio Consulibus, qui fuit ab Urbe condita annus CCCCXXXIX. Et Suessam quidem coloniam deduxerunt insequenti anno; post alios autem annos XVII, alteram, de qua supra jam diximus, Minturnas. Auctor est *Livius* lib. IX, & lib. X; cujus afferre verba supervacuum arbitror.

Campania ad Lirim usque pertinuit, etiam antequam illa in Romanorum potestatem pervenit;

Verum heic ego animadverto, moveri mihi meis armis bellum posse. Etenim, si ager Falernus, antequam in potestatem Romanorum concessit, in ditione fuit Campanorum, qui eum adimerant, ut suo loco demonstrabitur, Ausonibus, qui etiam dicti fuerunt *Aurunci*; istud dicere convenit, eum quoque jam antea fuisse inclusum *Campaniæ*: atque hanc proinde multo jam ante debuisse productam fuisse ultra Volturnum flumen. Insuper si attenderimus ad illa, quæ apud *Livium* lib. VII legati Campanorum dicunt, auxilium petentes ab Romanis contra Samnites, satis liquere nobis potest, *Campaniam* illo tempore excurrisse ad Lirim usque & fines Volscorum, qui incipiebant ab altera ripa amnis ejusdem, quosque illi dicunt solos esse reliquos inter suam & Romanorum regionem. Verba legatorum hæc sunt: *Æquis, Volscisque, æternis hostibus hujus urbis,* (sermonem de Roma habent) *quandocunque se moverint, ab tergo erimus.* Et mox: *Subactis iis gentibus, quæ inter nos vosque sunt, quod propediem futurum spondet & virtus & fortuna vestra, continens imperium usque ad nos habebitis.* Et ab hac descriptione nihil diversus idem auctor eodem libro, aliquanto ante descripserat suis ipse verbis agrum Falernum conjunctum Volscis, victos ab Romanis in agro Pomptino Gallos narrans, qui *primo per Volscos Falernumque agrum dissipati sunt: inde Apuliam, & mare inferum petierunt.* Idem jam antea lib. II fines eorundem Volscorum produxerat usque Cumas, narrans ingentem annonæ penuriam,

Livius secum consentiens.

riam, quæ Romæ erat T. Geganio, P. Minucio Coss: *Ventum ad interitum servitiorum utique & plebis esset, ni consules providissent, dimissis passim ad frumentum coëmendum, non in Etruriam modo dextris ab Ostia littoribus, lævoque per Volscos mari usque ad Cumas, sed quæsitum in Sicilia quoque.* Atque hinc *Plinius* etiam *Secundus* littora Volscorum, & Campaniæ conjunxit, quasi oram continuam, ubi lib. III cap. v Italiam describere orsus ita dixit: *Italia dehinc, primique ejus Ligures. mox Etruria, Umbria, Latium; ubi Tiberina ostia, & Roma terrarum caput, sexdecim millia passuum intervallo a mari. Volscorum postea littus, & Campaniæ. Picentinum inde, & Lucanum, Bruttiumque,* &c. Nihilominus ego non possum, si maxime vera sint hæc omnia, (& esse vera credam, si & illud verum esse videbitur, auctores, quos retulimus, proprie & accurate fuisse loquutos)[1] quin & illud mihi persuadeam esse verum, Romanos, postquam primum occupaverunt hasce terras, illas descripsisse ad alium novum modum; quandoquidem & ipsi Latium produxerunt (neque erit, opinor, cui hoc sit dubium) ultra Volscos ad Sinuessam usque cis Lirim amnem. Et re vera quemnam mente concipere possumus modum recentiorem hocce; nimirum relicta in potestate Campanorum Campania Capuana ad Volturnum usque flumen, cujus post deditionem, factam Romanis, ad tempora usque belli Punici secundi plenum retinuerunt dominium, ut *Livio* teste in præcedenti *Dissertatione* docuimus; illum tractum ultra idem flumen ad Sinuessam usque fuisse relatum ad aliam novam & majorem *Campaniam*, descriptam, ad alium modum; quæ nihilo secius præter istam minorem Campaniam, quam diximus, continuit etiam, quod reliquum erat majoris, ad promontorium usque Surrenti, cui diximus convenire nomen *Campaniæ Felicis?* Sed quomodo hæc consistere queant, non mihi demonstrare licet, nisi postquam de termino ejus Meridiem versus disputavero.

Livius & Plinius Secundus concordes.

Si auctores, qui ejus rei produnt indicia, proprie loquuti fuerunt.

Et nihilominus ejus descriptio prorsus fuit nova.

IV. *Limites Campaniæ Felicis Meridiem versus.*

Ad hunc terminum siti fuere Nolani, & ulterius Nucerini.

AB hac igitur *Felicis Campaniæ* parte, si attendimus ad *Polybii* verba lib. III, quæ aliquanto ante attulimus, fuerunt Nolani. Atque hoc, quantum ad meridiale latus attinet, quod ad Orientem vergit, sine controversia verum est. Verum quoniam istic loci, ubi aperitur planities illa campestris, quæ per suam longitudinem etiam ulterius protenditur Meridiem versus fuerunt, & hodieque sunt ultra Sarnum flumen Nucerini, de quorum regione antiqui nonnihil inter sese dissenserunt, non de aliis, quam de hisce, speciatim heic nobis disputandum est. Itaque satis apparet, eundem *Polybium* Nucerinos adscripsisse huic Campaniæ, quam *Felicem* dicimus, ubi loquutus fuit de ejus regionis latere, quod mari Tyrrheno alluitur. Idem videmus fecisse *Strabonem*, qui eam produxit a Sinuessano ad Minervæ usque promontorium, sive Surrentinum. Ab hisce auctoribus nihil heic aliena sensit *Pomponius Mela*, licet in ceteris ab illis dissentiat. Nam & ipse narrationem maritimæ & amœnæ oræ ejus a promontorio Surrentino orsus est. Et denique idem scripsit *Plinius Secundus*, lib. III cap. v singula loca describens sinus ejus interioris, qui a Neapoli aliquantum Orientem versus porrectus, deinde inclinat Meridiem versus. Verba ejus hæc sunt:

Polybius, Strabo, Mela, & Plinius Secundus inter se concordes.

1. Nempe lib. III. Ipsa Polybii verba retulit auctor cap. II. non longe a principio.

Littore autem hoc Neapolis, Chalcidensium & ipsa, Parthenope a tumulo Sirenis appellata. Herculaneum, Pompeji, haud procul spectante monte Vesuvio. alluente vero Sarno amne ager Nucerinus, & IX millia passuum a mari ipsa Nuceria. Surrentum cum promontorio Minervæ, Sirenum quondam sede. Et aliquanto post: *A Surrento ad Silarum amnem XXX millia passuum ager Picentinus fuit.* Sed non ita fecit *Ptolemæus*, qui hancce *Campaniam* ultra Sinuessam atque ejus promontorium produxit ad ostium usque, Liris amnis; & contra, quasi, quantum heic illi injuste adjecerat, ab adversa parte tantundem auferre voluerit, eam citra promontorium Minervæ ad ostium Sarni fluminis contraxit, ademptis illi Surrento, & Nuceria, quas proinde vicinis Picentinis adscripsit. Verba ejus ita Latinus interpres expressit: *Campanorum similiter juxta Tyrrhenum pelagus. Liris fluvii ostia, Soessa,* (scribe *Siunessa.* nam & ipse dein Suessam numeravit inter urbes mediterraneas, ut verum erat) *Volturnum, Cumæ, Liternum,* (Liternum hic non est positum suo loco, quia neque alii etiam Græci auctores satis cognitum habuerunt ejus situm, ut in sequentibus demonstraturus ero) *Misenum, Puteoli, Neapolis. Picentinorum similiter juxta Tyrrhenum pelagus. Sarni fluminis ostium, Surrentum, Minervæ promontorium* &c. Ita *Ptolemæus.* Et, ut opinor ego, eandem hanc descriptionem nobis prodidit etiam *Virgilius Æneid.* lib. VII, ubi Halesum canit ad bellum concitasse contra Ænean populos, qui colebant inter colles Auruncorum, & Oscorum fines cis Volturnum; Oebalum autem ad istud bellum duxisse Sarrastes populos ultra Sarnum. Ceterum *Ptolemæus* nihilo secius recte videtur fecisse, velut more quodam suo, & minime vituperando, si quis eadem via compendiaria integram atque universalem orbis descriptionem aggressus fuerit, coërcendo regiones intra alveos atque ostia fluviorum. Insuper quod hoc fecit in describenda hacce *Campania*, sive ut ipse more Græcorum dixit, in describendis Campanorum locis, eo nomine tanto minus ille reprehendi potest, quanto minori spatio termini, ab ipso positi, differunt ab illis, quos alii demonstraverunt auctores; cum præterea etiam usus sit, licet alia ratione, isto regiones describendi modo, quem diximus posse dici *rationalem.* Sed Romanis visum fuit rationi magis consentaneum, describere illam secundum alias istas naturales qualitates ejus, quas supra notavimus. Atque inde omnem illam planitiem campestrem in unam regionem conjunxerunt, non interruptam ullis montibus, sed clausam iisdem; neque coarctatam etiam inter duos fluvios, quippe inter quos medii erant tres alii: Savo, Clanius, & maximus omnium Volturnus. Igitur justa comparatione potuit illam dicere *Varro sinum salutis, & fructuum*, propter dotes singulares, quas in eam benevola natura conjunxerat manu supra omnem modum liberalissima. Igitur Meridiem versus verus ejus terminus ille fuit, quem nobis demonstraverunt primi illi quatuor auctores, quos paulo ante allegavimus. Ceterum haud sine fructu erit ista diligentia, si jam investigaverimus quoque tempus, quo primum hic illi terminus constitutus est, perinde ut fecimus de termino ejus Occidentem versus.

Quos alii removerunt extra Campaniam, ratione peculiari.

Virgilius illustratus, & collatus cum Ptolemæo.

Ptolemæus defensus, & illustratus.

Ad quem Romani non attenderunt.

Romani igitur *Campaniam Capuæ* imperio suo adjecerant ab Urbe condita anno CCCCX: idque per deditionem Campanorum, in quorum illa potestate erant, quique illorum opem imploraverant contra Samnites, ut teste *Livio* lib. VII satis est notum. Et cum hac de causa inter Romanos atque Samnites conflatum esset bellum atrox atque

Bella, quæ Romani gesserunt cum Samnitibus ad tuendos Campanos, primum commissa

que diuturnum, ad quod ex toto undique Samnio Samnites concurrerunt; primi armorum motus & frequentissimi fuerunt circa Capuam, de cujus *Campania* pugnabatur. Ita Consul Romanorum, Valerius Corvus, primus acie vicit Samnitium legiones, quæ sese ipsi opposuerant ad Gaurum montem: *Eo namque*, dicit *Livius*, *omnem belli molem inclinaturam censebant*. Nec ideo tamen cessantibus eorum depopulationibus, quas inprimis circa Suessulam exercebant, in cujus planitiem campestrem, ut narrat idem auctor lib. VIII, deinde provocaverunt illi denuo ad pugnam Romanos; per urbem Capuam, vicinaque oppida firma Romanorum præsidia distributa sunt ad stativa agenda; item Romanorum consulibus ex more solenni sorte mandata est pluries, ni fallor, licet *Livius* illud non diserte testetur factum plus semel, cura & defensio Campaniæ provinciæ primis hujus belli annis. Erat hoc tempore in potestate Samnitium Nola una cum vicina regione, qua potiti fuerant parum hodie nota ratione, qua de re in *Dissertatione* quarta nobis agendum erit prolixius. Et Acerrani, quorum urbs in hisce finibus erat sita, quod operam suam navaverant Romanis, & multis ac gravibus damnis mulctati erant ab hostibus, promeriti, ut ego opinor, benevolentiam Romanorum, anno ab Urbe condita CCCCXXI civitatem Romanam acceperunt, ut eodem lib. VIII notavit idem *Livius*. Ita igitur mihi videtur *Campania Felix* Meridiem versus non ante fuisse producta ultra terminos *Campaniæ Capuanæ*, quam novissime Nolam cepit consul Romanorum, C. Junius, sive, ut alii dixerunt, quos nominavit lib. IX *Livius*, C. Poetelius Dictator, anno ab Urbe condita CCCCXL; & eodem victoriarum cursu paucis post annis, id est, anno CCCCXLV, Q. Fabius consul Nuceriam cepit, postquam anno præcedenti fines ejus urbis vastati erant ab Romana classe, quæ tempestatibus agitata Pompejos appulerat. Atque hæc conjectura mea, si recte video, satis bene procedit. Et adeo, cum eodem fere annorum spatio, ut paulo ante vidimus, Romani adjecerint imperio suo urbes Ausonum ultra Volturnum ad Lirim usque amnem, certo nobis persuadere possumus, haud sane multum effluxisse temporis, dum ampliatio Latii novi ad Sinuessam usque, & Campaniæ Felicis ad idem usque promontorium, & ab adversa parte ad promontorium usque Surrentinum pariter fuerit una eademque descriptione peracta. Atque hinc jam illud confirmatur, Romanos secundum rationalem regiones describendi modum, & suopte arbitrio, non autem alia de causa, Campaniam hanc neque ab una, neque ab altera parte extendere voluisse ultra naturales ejus terminos, quos diximus, cum illud quidem facere potuissent. Etenim eodem annorum spatio Picentes etiam traduxerant, ut in præcedenti *Dissertatione* notavimus, ex Piceno in regionem, quæ ab ipsorum nomine dicta fuit *Picentini*, quamque illi satis certo ademerant iisdem Samnitibus. Atque hinc simul illud intelligimus, Romanos, cum ad possessionem Campaniæ Capuanæ adjunxissent etiam, quod reliquum erat vicinarum terrarum inter duo ista promontoria, quæ diximus, appellavisse istas eodem duntaxat *Campaniæ* nomine, in gratiam prisci Campanorum imperii: nisi tamen verius illud esse videatur, eos, ut qui ex more suo, quem notavit *Strabo* lib. V, quo scilicet *rerum potiti* (verba sunt interpretis Latini) *cum colonias in varia loca emitterent*; *nomina tamen eorum, qui prius ibi habitaverant, conservarunt*; & non mutaverunt nomina populorum Italicorum ultra Romam; itidem quoque retinuisse, non autem

sunt circa Capuam,

Gaurum montem versus, & Suessulam:

Item Nolam versus, quæ eorundem Samnitium urbs erat,

Atque hanc & Nuceriam postquam occupaverunt Romani, Campaniam Felicem descripserunt.

A ulterius extendisse *Campaniæ* nomen, quod ad denotandam integram illam & antiquiorem *Campaniam*, productam ad Silarum usque amnem, quantum ex verbis ejusdem auctoris colligere licet, cummaxime durabat adhuc intra istos terminos, quos diximus. Verum quicquid hujus sit, quod ad cetera attinet, illud ego pro certo statuo, deque eo copiosius acturus ero in ultima *Dissertatione*, Romanos non omnino in unam regionem confudisse *Campaniam Felicem*, & *Capuanam*: atque illud mihi persuadeo, eos aliquam retinuisse distinctionem, per quam deinde per multos adhuc annos *Capuanæ* peculiaris descriptio in usu mansit; B ut adeo potuerit conservata esse illa notitia ejus, quam suo loco prodidimus. Atque hinc, ni fallor, pariter idoneum jam responsum peti potest ad illam quæstionem, quam supra proposuimus: nempe quomodo consistere hoc possit, ut per descriptionem novæ majoris *Campaniæ* illa minor *Capuana* non fuerit abolita ab Romanis. Et de hoc jam satis.

Neque tamen ideo Campaniam Capuanam aboleverunt.

V. *Limites Campaniæ Felicis Orientem versus, & Septentrionem.*

Sed quomodo jam poterit esse verum illud; quod *Polybii* vulgata exemplaria nobis affirmant; C nempe ad Orientem post Nolanos esse Daunios? Hi enim sunt Apuli, nimis longo intervallo, ut inter scriptores constat, ab Nola & *Felice Campania* remoti. Certe autem illa lectio recepta est non solum a *Perotto*, sed etiam *Causabono* in versione sua, qui in re geographica multam eruditionis laudem tulit ex editis in *Strabonis* libros annotationibus. Credemus forsan, eandem hanc *Campaniam*, quam *Polybius* descripsit, fuisse deinde renovatam ab Imperatore Hadriano, atque ita denuo prolatam ad Equum usque Tuticum, & Apuliam? *Cluverius*, lib. III cap. x *Italiæ* suæ de D Sinuessa agens, & existimans, nomen *Daunii* esse corruptum, ita pergit: *Nulla ratione intelligi debent Apuli, cum de una Campania disertus Polybio sit sermo. qui vero tandem habendi sint, haud facile quis dixerit*; *adeo nulla Campaniæ populorum appellatio isti vocabulo est aliquo modo similis.* Ita ille, qui non habuit cognitam Hadriani *Campaniam*, ut notatum nobis est, ubi de ea egimus; ideoque negat unquam fuisse conjunctas hasce duas regiones. Et re vera *Polybius* non fuit loquutus de ista descriptione adeo lata, ut qui *Campaniam* suam coarctavit intra Sinuessanos, Cumanos, Puteolanos, Neapolitanos, Nucerinos, Calenos, Teanenses, & E Nolanos; in quorum medio dixit esse Capuam, urbem felicem quondam præter alias. Verum *Cluverius* istud asseverare non debuerat, in eadem *Campania* nullum fuisse populum simili quodammodo nomine. Fuerunt enim ad ejus terminum, recta Orientem versus, & haud longe ab Nola, nullo interjecto alio populo, *Caudini*, (quod nomen, Græce scriptum, simillimum est vocabulo *Daunii*) qui fuerunt cives Caudii, Samnitium urbis, ubi hodie *Arpaja* est. Ille igitur cum haud sine ratione crediderit, istud nomen esse corruptum, facile potuisset excogitare hanc emendationem, quam ego tanto magis credo esse veram, F quoniam illa etiam cum *Strabonis* mente convenit prorsus. Hic enim postquam lib. V. dixit, *Campaniam* claudi duobus promontoriis, quorum sæpius mentionem fecimus, pergit, ut Latinus interpres ejus habet, hoc modo: *Circum eam jacent, cum tumuli terræ fertiles, tum Samnitium Oscorumque montes.* Jam intra hos nemo negabit sitam esse *Arpajam*. Insuper confirmatur eadem hæc correctio ex *Frontini* descriptione, quam haud ita mul-

Videri possint ad hunc terminum Orientalem siti fuisse Daunii.

Cluverius notatus pluribus de causis.

Sed verius est, istic fuisse Caudinos;

Polybius correctus.

Polybius cum Strabone & Frontino conciliatus.

multo ante adduximus. Dixit ille agrum Campanum, per quem intellexit *Campaniam Felicem*, in longitudinem porrigi ab Septentrione Meridiem versus, & in latitudinem ab Occidente Orientem versus. Atque hoc omnino esse verum apparet ex ipso ejus adspectu, qui etiam indicat, Caudium, sive *Arpajam*, sitam esse ad latus ejus Orientale, & itidem montes istos, qui in varios sinuantur flexus; longis tractibus erigi a Meridie Septentrionem versus. Ceterum si de emendata *Polybii* lectione jam non est dubitandum, atque ideo neque dubitare opus est de hocce *Campaniæ* nostræ termino ad Orientem, quem tanta concordia nobis indicaverunt tres isti gravissimi auctores; videamus jam, anne credendum sit, *Antoninum*, in *Itinerario* suo describentem iter a Capua ad Equum Tuticum, & ipsum quoque limitem *Campaniæ Felicis* posuisse ad Caudium; meque in *Dissertatione* præcedenti minus recte verba ejus accepisse; atque hæc debuisse distingui ita, ut distinxit illa *Petrus Bertius* in editione hujus *Itinerarii*, una cum aliis *Itinerariis* antiquis, & *Ptolemæi Geographia*, id est, ad hunc modum:

Quod idem credi potest dictum etiam fuisse ab aliis,

Iter a Capua Equum Tuticum. M. P. LIII. *sic.*
Ubi Campania limitem habet Caudium. M. P. XXI.
Beneventum. M. P. XI.
Equum Tuticum. M. P. XXI.

Qui loquuti fuerunt de aliis temporibus, aliaque Campania.

Et certe *Bertium* non in alia fuisse opinione de mente *Antonini* oportet. Verum ego huic opinioni subscribere non possum, cui suffragari recusat idem ille auctor; quem vidimus in descriptione itineris a Mediolano ad Columnam, indicio *Itinerarii Hierosolymitani*, & locorum, quæ ipse in istoc itinere memoravit, produxisse *Campaniam* non tantum ultra Caudium, sed longe etiam ultra Beneventum, ad ipsum usque Equum Tuticum & Apuliam, quousque pertinebat sui temporis *Campania*. Atque hanc quia cognitam non habuit idem *Bertius*, facile sibi persuasit hunc illius limitem & verba *Antonini* ab uno loco ad alterum esse transferenda. Et eadem de causa etiam asterisco notavit istius itineris descriptionem, credens eam esse mutilatam; cum non caperet, quomodo istud institui posset per illam *Campaniam*, quam ipse intellexit, nisi nomen alicujus urbis, imo nomina plurium urbium in ea deessent. Verum qui credere possumus, istam descriptionem esse mutilatam, cum singulorum locorum, quæ in ista hodie notata leguntur, millia passuum in unam summam redacta, conficiant millia passuum DCCCCLVI, quem numerum in ejus titulo notaverat *Antoninus*? Quod si istud *Itinerarium* aliquid mutationis est passum, quantum ad præsens argumentum attinet, mea quidem sententia certe illa hæc fuit, quod in textum illata sunt hæc verba: *ubi Campania limitem habet*. Hæc enim esse a manu aliena opinor, & interpretationis loco ad oram libri apposita, quasi ad demonstrandam Campaniam, ab auctore memoratam: cum illa parum aut nihil omnino faciant, ubicunque tandem collocentur, ad istam reliquam narrationem, succinctam adeo. Fuit quidem Caudium in extremis ditionis Beneventanæ terminis temporibus Septimii Severi, quibus observabatur *Campania*, ab Hadriano descripta. Ita enim legitur in *Inscriptione* veteri, olim magnis eluvionibus imbrium detecta *Arpajæ* ante templum S. Augustini, sed haud ita pridem eodem modo denuo istic abscondita, quæ hæc erat:

Petrus Bertius refutatus pluribus modis.

Itinerarium Antonini alibi auctum, alibi mutilatum esse creditum perperam.

Vetus Inscriptio illustrata.

IVLIAE AVG.
IMP. CAESARIS
SEPTIMI SEVERI PII
PERTINAC. AVG. ARAB.
ADIAB. PART. MAX.
MATRI AVGVSTI
ET CASTRORVM
COLONIA IVLIA
CONCORDIA AVG.
FELIX BENEVENTVM
DEVOTA MAIESTATI
AVGG. IN TERRITORIO
SVO QVOD CINGIT
ETIAM CAVDINORVM
CIVITATEM MVRO TENVS

Et etiam termini Hirpinorum & Samnii forsitan non fuerunt temporibus præcedentibus ad Caudium diverso modo. Verum hac de re non loquebatur istud marmor: & alii sunt territoriorum, quæ ad singulas civitates pertinent, termini, alii autem regionum. Et adeo illa verba, quæ leguntur apud *Antoninum*, certe venerunt ab aliena manu, licet ea recepta sint in multis editionibus, & appareant etiam in codice quodam manuscripto sexcentorum amplius annorum, qui Florentiæ est. Atque hanc in rem multum nobis suspicionis dare potest ipse ille auctor, qui, cum sibi non aliud proposuerit, quam describere viarum cursum, quæ frequentabantur per provincias imperii Romani, nunquam solitus fuit illarum notare terminos, quod fuisset potius geographi munus & cura. Igitur mea quidem sententia itidem non sua, sed aliena glossa est & illa ad nomen *Malva*, quod est flumen Africæ, quæ hæc est: *Flumen Malva dividit Mauritanias duas. Incipit Cæsariensis.* Quod si maxime ille præter institutum suum potuit tamen non omnino absurde notavisse confinia regionum, quæ inter maximas orbis sunt, quemadmodum in descriptione itineris *a Roma per Tusciam & Alpes Maritimas Arelatum usque*: cum pervenisset ad *Alpem Summam*, subjunxit hæc verba, si tamen illa *Antonini* fuerunt: *Hucusque Italia: abhinc Gallia*; quænam reddi potest idonea ratio, cur non adhibuerit eandem quoque diligentiam in itineribus describendis per alias Italiæ regiones, sicut fecit in isto, quod a Capua ducit ad Equum Tuticum; & quantum ad *Campaniam* attinet, cur non notaverit alios ejus terminos, cum non minus commodam ad illud haberet occasionem? Sane *Andreas Scottus* non dubitavit etiam pro glossis habere, ab aliena manu adjunctis, hæcce: *Byzantium, quæ & Constantinopolis*; *Persulis, quæ Maximianopolis*. Glossa fuit etiam illa iterata, quæ legitur, descriptio itineris a Benevento usque Tarentum; per quam forte non alius, quam idem ille diligens commentator, ad oram libri notaverat, describendum esse istud iter ad eum modum, sicut hodie legitur illud loco posteriore. Atque hoc iter multo est perfectius & emendatius isto priori, quod proinde convenisset omnino delere. Ceterum in antiquissimos etiam codices, qui ceteris habentur præstantiores, illatas esse glossas aliorum, & nævos irrepsisse, satis multis probari potest exemplis; & ex disputatione, quam de situ Capuæ instituam, apparebit, neque Pandectas Florentinos expertes esse istius vitii. Atque hac de causa exercitium quoque correctorum perinde cœpit ævo jam veteri. Ceterum *Sigonius* denique animadvertit etiam, notam illam termini *Campaniæ* non convenire isti loco: licet ille, non cogitans, eam potuisse istic esse additam ab aliena manu, legerit, ut notavit idem *Scottus* in *Variis lectionibus* ejusdem *Itinerarii* ad hunc modum: *Iter a Capua Equum Tuticum, ubi Campania limitem habet. M. P.* LIV. Verum hac de re quisque statuat pro arbitrio. Illud satis est

Antoninus in Itinerario emendatus, & pluribus locis illustratus.

Andreas Scottus laudatus.

Sigonius laudatus, & alio nomine notatus.

est certum, neque *Antoninum* loquutum fuisse de limite *Felicis Campaniæ*; & *Polybium* ad ejus Orientale latus non collocasse Daunios, sed Caudinos, cum quo vidimus hanc in rem consentire descriptiones *Frontini*, & *Strabonis*: ut adeo non videatur mihi opus esse ulterius persequi hoc argumentum.

In finibus ad Septentrionem fuerunt Caleni & Teanenses.

Et satis etiam consentiunt iidem auctores, quod ad *Campaniæ* nostræ terminum Septentrionalem attinet, ut etiam hinc nos expedire facile possimus. Collocavit *Polybius* ad hanc partem Calenos, & Teanenses, quorum urbes, Cales & Teanum sitæ sunt, una post aliam, in agri Campani ad Septentrionem extremitate ultima, demonstrata nobis a *Frontino*; ut adeo *Strabo* vix nobis heic concedat Teanum, quæ paucis aliquot passuum millibus superabat Cales urbem. Verba Latini interpretis, postquam de Casino dixerat, hæc sunt: *Teanum Sidicinum, quod proxime sequitur, ipso cognomento ostendit, se ad Sidicinos pertinere, qui sunt Osci, gens Campanorum superstes; ita ut possit Campaniæ dici: ipsa quoque urbium, in via Latina sitarum, maxima. eam subsequitur Calenum urbs, ipsa quoque egregia.* Ex quibus verbis illud notare subit, eum videri hanc urbem *Campaniæ* concessisse suopte arbitrio, & isto regiones describendi modo, quem diximus appellandum esse *proprium*, non autem illo, quem *rationalem* diximus, & ab Romanis observatum. Per hunc enim Teanum collocari debuisset in Latio novo, cum ejus situs aliquantum excurrat extra naturales *Campaniæ Felicis* terminos, atque ejus quasi sinum circularem. Verum iste geographus alibi deinde loquens liberius aliquantum, dixit, omnes urbes, quæ circa Capuam erant, ejus comparatione parva esse oppida, *excepta Teano Sidicino, quæ urbs est magni nominis.* Et adeo sine exceptione eam inter hujus regionis urbes numeravit, æque ac ceteras. Et apertius etiam aliquanto post Campaniæ hanc urbem adjunxit hisce verbis: *Hæ quoque sunt Campaniæ urbes, quarum supra est a me facta mentio: Cales, & Teanum Sidicinum.* Sane vero non debebant etiam Romani aliam ejus urbis fecisse descriptionem, ut quæ sita erat in *Campaniæ* confinio, & ejusdem fœcunditatis nequaquam erat expers in propinquo Meridiem versus. Nec minus etiam laudata fuit altera pars ejus territorii, quæ ipsi a tergo est Septentrionem versus, & hodieque appellatur multorum seculorum vocabulo *Patenara*, & alio recentiori *Cajanello*. Atque hinc urbem *Campanam* dixit eam quoque *Vitruvius* lib. VIII cap. III; cujus verba afferentur in hac *Dissertatione*, ubi de Calibus agetur.

Strabo aliquantum ab se ipso diversus.

VI. *Forma Campaniæ Felicis, & ad eam aditus.*

Hæc regio fuit assimilata theatro.

Verum ego vereor, ne meruero reprehensionem, qui *Campaniæ Felici* formam dedi rotundam & circularem, cum secundum verba *Frontini* longitudo ejus latitudine major fuerit. Nihilo tamen secius, cum ille loquutus fuerit ex arte geometrica, licitum mihi erit, qui ad eam accurationem non sum obligatus, non diversam illi formam tribuere, quam ei dedit *Polybius*. Hic enim eodem lib. III, postquam narraverat de urbibus ejus, ut supra vidimus, & de camporum ejus fœcunditate nonnullas dixerat laudes, in unum illorum Annibalem cum suis Pœnis primo ingressum referens, assimilavit illos theatro. Interpres ejus ita habet: *Igitur in hos campos, velut in theatrum quoddam descensuri Carthaginienses, cunctos perterrefacturi videbantur.* Quod si quis mihi responderit, *Polybium* nomen *theatri* posuisse pro

A *amphitheatro*, eumque alludere voluisse ad pugnas & certamina, quæ in amphitheatris edere solebant gladiatores, libentius adhuc ejus utar exemplo. Oblonga enim amphitheatrorum forma, quæ in longitudinem a Septentrione Meridiem versus solebant dirigi, ad leniendum aliquantum ex æstivo solis ardore incommodum, ut alibi indicabimus; multo convenientius, duplicique modo repræsentat tam naturales, quam fortuitas *Felicis Campaniæ* conditiones: ut adeo *Polybius* forsitan ista comparatione fuerit usus, perinde motus utraque hac ratione. Igitur satis apte illam assimilare poterimus immenso alicui amphitheatro,

Et magis adhuc illi convenit amphitheatri forma.

Polybius illustratus.

B ab ipsa rerum natura effi[c]to, & ad eam describendam transferre *Plinii Cæcilii* verba ex lib. V *epist.* VI, quibus de simili quadam Etruriæ regione ita narrat: *Regionis forma pulcherrima. Imaginare amphitheatrum aliquod immensum, quale sola rerum natura possit effingere. Lata, & diffusa planities montibus cingitur.* Ceterum in hocce nostro amphitheatro allegorico, ut appareat, ab altera quoque parte nihil illi deesse ad justam comparationem, quam diximus, inde usque ab initio non defuerunt frequentissimæ pugnæ, & atrocissima certamina, ab exteris commissa gentibus, sicut in ultima harum *Dissertationum* erit ostendendum.

C Neque tamen propterea, quisquis tandem usque adhuc non lustravit hancce regionem, credere illum velim, eandem rerum naturam, quæ illam formavit, reliquisse & aperuisse nationibus exteris admodum multos & faciles aditus, per quos in eam penetrare possent; perinde ut solertes Architecti illos in amphitheatris arte factis dirigere solebant. Illa enim, ut dictum est, eam cinxit montibus quasi continuis, per quos, si ad ejusdem *Polybii* verba attendimus, tantum tribus in locis, iisque non admodum planis aut apertis, in eam dabatur aditus. Verba interpretis ejus eodem lib. hæc sunt: *Accedit ad ea, quæ diximus,*

Campania Felix fuit impenetrabilis, præterquam per tres vias, quas alii describerunt;

D *quod natura sua hæc loca sunt munita, & in hos campos aditus est difficillimus. cinguntur enim aliqua ex parte mari; ex majore vero montibus, ubique magnis, atque continuis, per quos venientibus e mediterraneis tres duntaxat viæ patent, æque angustæ, ac difficiles. Una est, qua venitur a Samnio, altera ab Eribano,* (lego *ab Trebula*. Et ita corrigendum in sequentibus demonstrabo, ubi de hac urbe acturus ero) *reliqua e regione Hirpinorum.* (ita habent Græca, non autem *ab Arpis*, ut *Perottus* vertit, quo hunc locum conciliaret cum illo corrupto, quem supra diximus, ubi *Daunii* est, pro *Caudini*). *Igitur in hos campos, velut in theatrum quoddam descensuri*

E *Carthaginienses, cunctos perterrefacturi videbantur.* Ita *Polybius*. Ceterum de situ trium harum viarum ex parte quidem cum *Cluverio* consentio, qui *Italiæ* suæ lib. IV cap. V, ubi de campo Stellati agit, primam, ut ipsius verbis utar, illam fuisse credidit, *quæ a Benevento per Caudinas angustias ad Calatiam & Capuam ducebat.* De secunda, quam ipse tertio loco recensuit, dixit: *Est illa per Eribianum, sive Calliculam montem.* Tertiam autem, quam cum secunda confudit, existimavit aperuisse sese, *qua ab Ariano oppido per Sabati fluvii vallis angustias itur ab Abellinum oppidum, & Neapolim.* Verum quod ad cetera attinet, neque an-

Cluverius refutatus.

F gustias Caudinas, neque Calatiam, sive Galatiam, neque montem Eribianum, seu potius Trebulanum, neque montem Calliculam ipsi concedo istic loci fuisse, ubi ille credidit. Et de hisce quidem sigillatim agam uberius in sequentibus, ubi totius hujusce regionis singula loca celebriora describam secundum ordinem situs; videlicet ex more geographorum incipiens a parte Occidentali; ad quam redibo, postquam ambitum

 ejus

ejus perlustravero universum. Verum antequam hanc descriptionem aggrediamur, illud monendum est, *Polybium*, ubi narrat de exercitu Pœnorum, cujus Annibal dux erat, dixisse, tres tantum hasce vias omnium esse facillimas justorum exercituum itineri ex locis mediterraneis; eumque omisisse tres vias alias, etiam istis frequentiores & celebriores, nec minus antiquas. Prima harum erat illa, quæ ab Rhegio, & Italiæ extremitate per Bruttios, Lucanos, & Picentinos ad Nuceriam ducebat, & Capuam, & denique Romam; prout illam descripsit *Antoninus* in *Itinerario* suo. Atque hæc usitata atque directa fuit longe jam ante ejus ætatem; siquidem ejus occurrit memoria in *Inscriptione* non integri marmoris, & satis antiqui, quam retulerunt multi scriptorum recentiorum, & inter hos speciatim *Gruterus* in *Thesauro Inscriptionum antiquarum* pag. CL. Et de eadem loquutus quoque fuit *Strabo* plus semel lib. VI. Secunda fuit Appia Via, directa ab Appio Claudio circiter annis CLX ante natum *Polybium*. Atque hæc temporibus istis a Roma mare Tyrrhenum versus per Minturnas & Sinuessam non ultra Capuam pertinebat. Tertia fuit via Latina, quæ itidem ab Roma incipiens, & per Aquinum, Casinum, atque Teanum pergens usque Cales, Appiæ conjungebatur ad Casilinum. Atque illa forsitan hoc nomen accepit, quia per mediterraneas utriusque Latii urbes atque loca transibat; cum Appia, itidem per utrumque directa Latium, ab auctore suo acceperit istud nomen magis speciale. De utraque hac via omnium copiosissime scripsit *Strabo* lib. V. Et item ego haud negligam de istis agere in hac *Dissertatione*, quotiescunque erit opportunum. Sed jam tempus est, ordiri particularem illam, quam sum pollicitus, descriptionem; in qua non est animus incassum repetere, quæ ab aliis jam arbitror accurate esse indicata.

Polybius illustratus.

Et insuper per tres alias, quas alii tacuerunt perinde antiquas & celebres.

VII. *Liris flumen. Varia ejusdem nomina, prisca, & recentia. Minturnæ urbs. Trajectum.*

LIRIS flumen dicitur hodie Il Garigliano; *quæ appellatio non recens nata est*,

IGitur si Liris flumen ex sententia *Ptolemæi Campaniam Felicem* divisit ab Latio, satis est rationi consentaneum, ut primum omnium de hoc ipso fluvio agamus. Appellatur ille hodie vulgo *Il Garigliano*; quæ appellatio multis abhinc seculis nata est. Ita enim jam legitur dictus plus semel ab *Leone Ostiensi* in *Chronico monasterii Cassinatis*. Et *Joannes* quidem *Stadius* cum multis aliis scriptorum recentiorum existimavit, hoc nomen derivatum a *Gauri* montis nomine, quem ille Liri flumini proximum credidit; unde in commentariis ad *Flori* lib. I cap. XVI ita scripsit: *Gaurus mons initium habet a ripa Liris Orientali atque ostio ejusdem fluminis, quod a Gauri vicinitate Gaurianus, inde Garigliano dicitur. Hujus montis pars Occidentalis Gaurus: Orientalis, & juga ejusdem Massicus: Septentrionalis Falernus dicebatur.* Jam quod ad assertam hanc distinctionem trium nominum attinet, quæ diversis illis tribus partibus unius ejusdemque montis sigillatim fuerint indita, illius mihi videtur primus auctor fuisse *Scipio Mazzella* in sua *Dissertatione de Puteolis & Cumis* in fine. Ceterum heic ex professo illam refutare non est animus, cum falsitas ejus in progressu hujus *Dissertationis* detegenda sit alio modo. Verum quicquid tandem de istac distinctione aut veri sit, aut esse credatur; Liris, seu *Garilianus*, non adeo præterlabitur prope illum montem, quem auctores isti, quos diximus, & item alii Gaurum crediderunt; quin ex calculo *Antonini* in *Itinerario* inter utrumque media sint millia passuum novem; sive decem, ut lib. V *Strabo* scripsit, numero forsitan usus rotundo. Atque hujus verba, Latine reddita, hæc sunt: *Inter Formias & Sinuessam sunt Minturnæ, utrinque stadiis ad* LXXX *dissitæ*. Sinuessa enim fuit in extremitate Massici montis, qui idem cum Gauro creditur, qua sola parte ille mari imminet. Jam vero Minturnarum urbs fuit in ostio Liris amnis, ut paulo post demonstrabitur. Igitur nomen *Gariliani*, si quid video, potius fuit ortum ab nomine *Massæ*, sive pagi istius, qui ab antiquis dictus fuit *Garilianus*. Hunc *Anastasius Bibliothecarius* collocavit in territorio Suessano, ubi in *Vita S. Sylvestri* narrat, Imperatorem Constantinum Magnum inter multa alia dedisse ecclesiæ Lateranensi *Massam Garilianam in territorio Suessano, præstantem solidos quadringentos.* Neque vero difficile est credere, istum pagum fuisse in ripa fluminis istius; quamquam ista ejus appellatio debuit nata fuisse multo post ætatem Constantini, ut ex istis, quæ subjungam, convenit asseverare.

Neque derivata ab nomine Gauri *montis*,

Joannes Stadius refutatus.

Sed a pago, qui dictus fuit Garilianus,

Verum Liris fluminis peculiare quodammodo fatum fuisse videtur, variis appellari nominibus; & item varios inde nasci errores. Antequam ab Latinis diceretur *Liris*, appellatus ille fuit *Clanis*, sive *Glanis*, ut *Strabo* notavit citato lib. V, & post eum *Plinius* lib. III cap. V. Atque hoc nomen cum etiam habuerit alius, & ipse hujusce *Campaniæ* fluvius, qui alio nomine ab iisdem Latinis dictus nonnunquam fuit *Liternus*, & ad Cumas in mare evolvitur, de quo agemus suo loco; factum est, ut *Appianus Alexandrinus* lib. I *De bello civili* satis absurdam conceperit de illo opinionem, eum nempe fuisse hunc eundem Lirim. Atque hoc monuit etiam *Cluverius Italiæ* suæ lib. III cap. X, & ante eum *Capacius Antiqu. & Hist. Neapolitan.* cap. II. Ceterum huic errori prorsus est consimilis ille, quem erravit *Garcias Barrionovus*, qui ad oram *Panegyrici* sui, quem scripsit in laudem *Comitis di Lemos*, olim præfecti (*Viceregem* appellant) hujusce regni, pag. 118 ita notavit: *Clanis olim, deinde Liris dictus, via inter Capuam, & Aversam occurrit*; quod non de primo Clani, sive Liri, sed de secundo tantum, id est, Literno, qui hodie *Il Lagno* dicitur, est verum. Et adeo multum ego miror, eundem *Capacium*, quem fama est sive & ipsum quoque manum admovisse isti operi, sive consilium ad istud dedisse; cum aliquanto ante *Antiqu. & Hist.* suas publicasset, non animadvertisse istum errorem. Verum ille videtur non satis attente hasce res tractavisse. Neque enim solum irrepere in alienum librum sivit vitium istud, sed insuper alium commisit errorem graviorem, dum existimavit, de Liri loquutum fuisse *Dionysium Halicarnassensem* lib. VII, ubi Glanis & Volturni aquas narrat aliquando visas a Cumanis ad capita sua recurrere. Et adeo illi exciderat error, quem ipse *Appiano* exprobraverat, oscitantia tanto majore, quanto absurdius est credere, ex agro usque Cumano potuisse visu lustrari Liris amnis aquas, ut quidem mentis oculis lustrari poterant. Verum si nostrates scriptores adeo parum noverunt distinguere nostra flumina, nolim, alios præterea ex hisce duobus nostris alterutrum Clanim confundere cum tertio illo, qui Etruriam alluit, cujus multi fecerunt mentionem, & inprimis *Silius Italicus* lib. VIII. Istud autem fecit *Dausquius* in *Commentario* ad hunc auctorem, eoque nomine jure reprehensus est a *Cluverio*. Utcunque tamen absurdior adhuc fuit error *Vibii Sequestri*, qui absque ulla ratione probabili in suo catalogo fluminum dixit: *Vestinus* (lege *Vescinus*) Cam-

Liris veteribus dictus & jam Clanis.

Appianus Alexandrinus & Garcias Barrionovus contrario modo refutati,

Capacius refutatus pluribus modis.

Dausquius & Vibius Sequester refutati modis diversis.

Campaniæ aquis suis Sarnum impellit; quod *Lucanus* lib. II de Liri dixerat hisce versibus:

—— —— —— —— delabitur inde
Volturnusque celer, nocturnæque editor auræ
Sarnus, & umbrosæ Liris per regna Maricæ,
Vescinis impulsus aquis —— ——

Ille autem hæc non satis in memoria habens dixit istud de Sarno. Et forsitan eo facilius hunc errorem admisit, quod terminum *Campaniæ Felicis* a *Ptolemæo* demonstratum cum altero confudit.

Liris media ætate dictus Minturnus.

Ceterum hoc amplius quodam mediæ ætatis seculo Liris dictus fuit *Minturnus*; ab oppido scilicet cognomini, quod est ab utraque ripa ejus, & mari satis vicinum. Apparet illud ex *Capitulari*, sive legibus fœderis, quas Sichardus, princeps Beneventanus, dedit episcopo, & Duci Neapolitano, editas a nobis una cum aliis monumentis vetustis, quæ ad nostrorum principum Longobardorum res gestas pertinent. In illis leguntur hæc verba *Num.* XIII: *Item stetit de fluminibus, qui in fine Capuana sunt; hoc est, Patria, Volturnus, atque Minturnus, ut in ipsa trajecta sit licentia transeundi, tam negotiantibus, quam etiam responsalibus, vel militibus, seu aliis personis de Ducatu vestro Neapolitano, salva consuetudine nostra* (intelligitur vectigal aliquod præter portorium) *illæsi debeant exire.* Et multo jam ante appellavit eodem modo Lirim *Ulpianus* Jurisconsultus *Digestorum* lib. XIX tit. II Leg. 13. §. 1. ubi ita dixit: *Si navicularius onus Minturnas vehendum conduxerit; & cum flumen Minturnense navis ea subire non posset, in aliam navem merces transtulerit, eaque navis in ostio fluminis perierit, tenetur primus navicularius.* Sed ille forsitan ita dixit hunc fluvium suopte arbitrio, & elucidationis causa, ut idem ille casus juris, ab ipso propositus, postulabat.

Ulpianus Jurisconsultus illustratus.

Et adeo facile crediderim, multo post cœpisse hanc appellationem fieri communem; ac, ut mihi quidem videtur, demum illo tempore, quo urbs Minturnarum penitus jam erat desolata: eodem scilicet modo, quo Volturnus fluvius ab nomine Casilini, celebris ad idem flumen oppidi, & ipse dictus fuit *Casilinus*, tum cum istud oppidum prorsus erat desertum. Nomen itaque Minturnarum, ipsa jam urbe per quemlibet infelicem casum exstincta, ipsum etiam quasi una cum suis ædificiis in vicinum Lirim est prolapsum, qui illud aliquandiu retinuit; usque dum istud vocabulum deinceps, velut cursu fluminis sui abreptum, paulatim mersum fuit mari oblivionis, & in ejus locum cum *Massa Gariliana* jam celebris evasisset, successit *Gariliani* nomen.

MINTURNÆ, prope ostium Liris amnis oppidum,

Ceterum Minturnæ certe incolebantur ab utraque ripa hujus fluminis, qua de re *Strabo* lib. V, *Livius* lib. X, & *Plinius* lib. III cap. V consensu nos reddunt certos. Fuit etiam hoc oppidum aliquantum a mari remotum, unde a *Ptolemæo* inter mediterraneas Latinorum urbes numeratur. Atque hoc esse verum certo certius apparet ex reliquiis ejus, quæ hodieque quatuor fere millia passuum procul ab littore visuntur, & ea sunt magnificentia, quam non aliis, quam *Cluverii* verbis describere libet: *Cujus* (inquit ille, de eadem hac urbe narrans lib. III cap. X) *hodieque ingentes visuntur in sinistra maxime ripa reliquiæ, quatuor fere millia passuum a mari & ostio amnis remotæ; in quibus præcipua sunt, aquæductus, amphitheatrum, tum murorum, turriumque magna rudera, prælti quidam fornices, aliaque splendidorum ædificiorum fundamenta solidissima.* Ita ille peræque diligenti observatione ac fide integra. Erat hæc urbs jam experta magnam calamitatem, per eamque causam incolis deserta inde usque a *S. Gregorii Magni* temporibus, ut indicat ille lib. I *epist.* VIII *Indict.* IX; ante ætatem ejusdem Sichardi, principis Beneventani, & compositionem *Capitularis* istius annis jam ducentis & quinquaginta. Atque hunc finem habuit Minturnarum urbs, quæ Samnitium fuit, si vera dixit *Stephanus Byzantinus*, qui opinionem sequutus est *Dionysii Halicarnassensis*; ut autem *Livius* vult lib. IX, urbs Ausonum: quod utrumque potest esse verum, ut alibi exponam. Quod ad cetera attinet, directa fuit per hanc urbem via Appia, quæ a Roma Capuam ducebat, & Brundisio terminabatur; de qua in hac *Dissertatione* pluries agendum nobis erit. De illa *Strabonis* verba lib. V, ubi de Tarracina scribit, Latine ita habent: *Hic primum mare attingit via Appia, strata a Roma Brundisium usque, & frequentissima. Eam de maritimis urbibus hæ duntaxat* (attingunt) *Tarracina, ac deinceps Formiæ, Minturnæ, Sinuessa, ac extremæ Tarentum, & Brundisium.*

Cluverius laudatus.

Fuit urbs Samnitium, & Ausonum.

TRAJECTUM, oppidum ad Lirim, Occidentem versus.

Verum quod subjungit *Cluverius* de situ castelli, sive oppidi, quod hodie dicitur *Trajetto*, in eo manifeste memoria lapsus est. Dicit enim: *A dextra amnis ripa ad tria circiter millia passuum in editis collibus, ex adverso dictarum reliquiarum, situm est oppidum, quod vulgare nomen Trajetto ab amnis trajectu traxit.* Jam vero *Trajectum* in eadem parte Liris est, in qua conspiciuntur Minturnarum reliquiæ, quas diximus, ut notavit etiam *Blondus* in sua descriptione Campaniæ; sive sinistram appellare libet illam ejus ripam, quæ Occidentem versus est, respectu ostii, per quod in mare se exonerat; sive dextram, respectu fontium, ex quibus oritur. Ceterum sine controversia subscribere licet censuræ *Cluverii* contra illos, qui *Trajectum* veteres esse Minturnas autumant; in qua sententia videtur fuisse *Leo Ostiensis* in *Chronico*, quod supra citavimus; lib. III cap. XII. Sed ille aliique debuerant potius, quod ratio magis suadebat, credidisse, exstinctæ nempe Minturnarum urbi successisse parvo situs intervallo novum istud oppidum, exstructum loco magis opportuno ad defensionem, ingruentibus belli periculis: nisi tamen forte illorum opinio non alia fuit ab illa nostra. Ceterum & illud satis est certum, *Trajectum* nomen suum inde traxisse, quod istic Liris flumen trajiceretur publico quodam navigio, sive scapha: seu potius ab nomine ejusmodi navigii, quod appellatum quondam fuit *trajecta*, ut apparet ex verbis *Capitularis* Sichardi principis, quæ paulo ante attulimus; item ex illo, quod legitur in *Longobardorum legibus* lib. III tit. I leg. VII, ubi hoc imperatur: *In campo plano, ubi nec pons, nec transjectus est,* (id est, neque pons, neque scapha, cujus nomen heic genere masculino positum est) *ibi omnino toloneum non exigatur.* Istud tamen heic monitum volo, me alibi sequutum priorem sententiam. Ceterum eodem modo oppidum istud, quod hodie dicitur *Scafato*, ad flumen Sarnum, nomen hoc accepit a *scaphæ* nomine, quæ istic ad trajectum ejus fluminis inserviebat, & huic loco celebritatem conciliabat. Neque tamen interea me fugit, *Sigebertum Gemblacensem* in *Chronico* ad annum DCXCVII ita exposuisse: *Trajectum lingua Gallica oppidum dicitur.*

Cluverius notatus, & alio nomine laudatus.

Diversum a Minturnis, licet ex harum ruinis natum fuerit.

Accepit hoc nomen a trajecta, quo navigio vicinum flumen trajiciebatur.

VIII. *Ager Vescinus. Campus Cæditius. Vescia oppidum.*

Ager VESCINUS non ultra, sed cis Lirim fuit.

IGitur cum Minturnæ fuerint in via Appia, quæ inde Sinuessam versus pergebat exiguo intervallo, nos ad idem hoc oppidum littore tenus instituemus iter, eandem viam sequentes quasi ducem. *Cluverius* medium inter ista oppida collocavit territorium atque agrum Vescinum, qui ita dictus fuit ab oppido, quod *Vesciæ* nomen habuit.

Ita

Ita ille *Italiæ* suæ lib. III cap, x : *In mediterraneis inter Massicum montem, qui nunc vulgo dicitur Monte Dragone, & Lirim amnem Vescinus fuit ager, ab Vescia urbe sic appellatus.* Sed non multo post eundem removit ultra Minturnas atque Lirim, ubi ita de eo dixit: *Montium jugo, quod inter Molam oppidum, & Minturnarum ruinas, dextram Liris ripam prosequitur, & Casinate agro, ac mari infero inclusus fuit.* Et adeo multum ego miror ejus inconstantiam: ideo quidem magis, quoniam observare potuerat ex sequentibus verbis Livii lib. x, quæ ipse alia occasione notavit, agrum istum conjunctum fuisse Falerno ad Sinuessam: *Placuit*, inquit *Livius*, *ut duæ coloniæ circa Vescinum, & Falernum agrum deducerentur: una ad ostium Liris fluvii, quæ Minturnæ appellatæ: altera in saltu Vescino, Falernum contingente agrum, ubi Sinope dicitur Græca urbs fuisse, Sinuessa deinde ab colonis Romanis appellata.* Atque huic sententiæ adstipulatur *Strabo* lib. v, cujus verba ipse *Cluverius* Latine reddidit, & itidem jure optimo correxit ad hunc modum: *Sinuessa in Vescino sinu* (*Setino* habent exemplaria Græca, & reliqui omnes interpretes ejus) *sita est*; *unde & nomen ei quæsitum.* Neque opus est, ut diverso a verbis horum auctorum sensu accipiantur versus *Lucani*, quos paulo ante adduximus.

Cluverius notatus & refutatus.

Livius, Strabo, & Lucanus concordes.

Insuper idem *Cluverius* observare potuisset, nullo pacto posse agrum Vescinum fuisse ultra Lirim, secus ac cis Lirim; quandoquidem satis dextre judicaverat, *tabernas Cæditias*, de quibus postea agemus, fuisse dictas a *campo Cæditio*, in quo illæ sitæ erant juxta viam Appiam, ut ipsi quidem videtur, inter Lirim & Sinuessam; atque hunc campum fuisse partem agri Vescini. Conjunctos fuisse hosce agros probaverat idoneo satis argumento sequentium verborum *Plinii* lib. XI cap. XLII, ubi agitur de vario casei genere, quæ ille itidem correxit satis bene. Sunt autem hæc: *Proximum Urbi Vescinum, eumque e Cæditio campo. Vescinum* legit heic *Cluverius* non *Vestinum*: & addit, pro hacce eandem istam vocem restituendam esse multis etiam aliorum auctorum locis. Atque hoc quidem jam antea monuerant, quos ille tacuit, *Sigonius* in *Scholiis ad Livium*, & post eum *Scipio Mazzella* in *Dissertatione de Cumis & Puteolis*, quem antea etiam citavimus. Ceterum inde jam concludit *Cluverius*: *Ergo Cæditius campus fuit in Vescino agro, circa viam Appiam; & in eo diversoria publica, nomine Cæditiæ tabernæ, in ipsa via Appia.* Et itidem ego istud concludo, utrumque istum agrum certissime cis Lirim amnem fuisse situm. Neque tamem ideo tabernas Cæditias, a *campo Cæditio* denominatas, fuisse ultra Sinuessam; aut integrum territorium Vescinum ultra eandem urbem remotum fuisse arbitror. Atque hac sententia neutiquam me esse falsum demonstrabo correctione haud levis vitii, quod ab aliis usque adhuc non est animadversum, & est in verbis *Plinii* lib. III cap. v, quæ alibi adduximus supra. Postquam ille indicaverat, ultimum Latio novo terminum ad Sinuessam fuisse positum, subjunxit: *Hinc felix illa Campania est: ab hoc sinu incipiunt vitiferi colles.* Et mox: *Hinc Setini & Cæcubi obtenduntur agri: his junguntur Falerni & Caleni: dein consurgunt Massici, Gaurani, Surrentinique montes.* Verum quis est, qui non videat, hunc auctorem, si ita scripsit, Setinos atque Cæcubos agros nimium absurde collocavisse cis Sinuessam, eumque hos conjunxisse agris, Falerno, atque Caleno; quibuscum sine controversia non tantum nullam omnino vicinitatem habuerunt, sed ne quidem ipsi fuerunt ullo pacto siti in *Campania Felice*, quandoquidem ab omnibus aliis ultra Lirim amnem removentur? Hac difficultate motus *Cluverius*, ubi de Fundis agit *Italiæ* suæ lib. III cap. x, existimavit, *Plinium* familiari sibi brevitatis studio comprehendisse exigua verborum periodo varios, atque dissitos inter sese agros: *Hoc*, dixit, *nimio compendii studio satis turbatorie, ac falso. non enim Cæcubo agro jungebatur Falernus, quum intercederet primum Formianus, dein Vescinus ager ad Massicum usque montem*, (huic loco restituit denuo *Vescinum* agrum) *quem tandem sequebatur Falernus ager. Sed Plinius nimia brevitatis cupidine inductus, primum agros voluit simul atque comprehensim enumerare; dein consimili modo montes.* Ita ille, *Plinium* omnino accusans brevitatis nimiæ, neque ideo tamen vindicans ejus auctoritatem ab alterius istius longe gravioris erroris infamia. Nihilo enim minus illud consistit, eum inter agros *Felicis Campaniæ* numeravisse Setinos atque Cæcubos agros. Verum ego *Plinium* tanti peccati nunquam faciam reum, & emendatione facillima genuinam lectionem, ab librariis corruptam, simul & existimationem ejus asseram, pro *Setini & Cæcubi* legendo: *Vescini & Cæditii.* Atque ex hac descriptione apparet, quantum e contra ille commendandus sit ab diligentia, qui nobis aperuit agrorum nostrorum duos hosce singulares & satis celebres, ab aliis scriptoribus non memoratos; & insuper brevissimo verborum ambitu satis diserte & exacte situm eorum demonstravit, proximum Sinuessæ, supra quam incipiebant post eosdem Falernus ager atque Calenus, quos in sequentibus descripturus ero suis locis. Neque de veritate hujus lectionis nos dubitare sinit ipse *Plinius*: siquidem de [1] *Cædiis* oppido, a quo denominatus fuit campus Cæditius, dixit, illud sex millia passuum cis Sinuessam fuisse situm. Verba ejus post afferentur, ubi de Cædiis agemus. Hujus igitur correctionis ope cum possint esse vera, & apte cohærere verba *Plinii*, persuasissimum habeo, non ipsius, ut *Cluverius* existimavit, sed librariorum festinatione in codices ejus illatam fuisse ineptam istam lectionem. Quod si ille, postquam dixerat, Sinuessam esse *extremum oppidum in adjecto Latio*, non subjunxisset illico continuo tenore sermonis, & locorum successione: *Hinc felix illa Campania est. ab hoc sinu incipiunt vitiferi colles, & temulentia nobilis*, (alii *temeto nobiles*) *succo per omnes terras inclyto. hinc Setini & Cæcubi obtenduntur agri: his junguntur Falerni, & Caleni: dein consurgunt Massici, Gaurani, Surrentinique montes*; quæ prorsus conveniunt cum *Strabonis* sententia, qui ita dixerat: *A Sinuessa versus reliquam oram maris sinus est usque Misenum justæ magnitudinis, deinde alius priore multo major* (*Craterem nominant*) *a Miseno usque ad Minervæ, promontoriis duobus in sinus morem conclusus. Super hoc littus universa est sita Campania, omnium planitierum felicissima*; tum sane ego non judicarem, librarios in ejus codices intulisse mutationem istorum nominum; & cogitare possem, eum istud dicere voluisse, agros Setinos atque Cæcubos fuisse ab isto latere Sinuessæ, quod montem versus, seu promontorium Circejum est; Falernos autem & Calenos agros fuisse ab hoc alio latere, quod Surrentinum versus, sive Minervæ promontorium est, cujus in sequentibus fecit mentionem. Atque hæc quidem foret etiam interpretatio commoda: sed, ut dixi, istæ iteratæ locorum successiones: *hinc*; *ab hoc sinu*, iterum *hinc*, *his junguntur* me cis Sinuessam deducunt semper interius in Campaniam, qua in via eodem ordine satis apte oc-

Campus CÆDITIUS pars fuit agri Vescini;

Cluverius laudatus pluribus de causis.

Qua hic cis Sinuessam usque excurrebat.

Plinius Secundus correctus, & defensus contra Cluverium.

Plinius Secundus cum Strabone collatus.

1. *Cædias* Plinii fuisse oppidum existimavit auctor, sed an idoneo satis argumento, merito dubitari queat, ut intelligi poterit ex illis, quæ de hoc argumento dicturi sumus ad cap. x.

Plinius Secundus secum consentiens.

occurrebant agri, Vescinus atque Cæditius inter Sinuessam & agrum Falernum, qui ex descriptione ejusdem auctoris incipiebat a ponte Campano, qui erat in Savone flumine, novem millia passuum cis eandem Sinuessam, ut suo loco demonstrabimus. Equidem verum est, eum hoc pacto prætermisisse mentionem Setini agri, atque Cæcubi, qui certe celebres fuerunt in Latio novo ultra Sinuessam; verum eadem festinatio, quæ ex sententia *Cluverii* potuit eum impulisse, ut eos non describeret secundum ordinem, quem situs eorum postulabat, potuit illi etiam in causa fuisse, ut omnino de istis ne quidem cogitaverit. Certe ista verba: *Ab hoc sinu* intelligenda sunt æque, ac *Strabonis* verba, de sinu, qui ab Sinuessa incipit, de quo proxime dixerat: *Hinc felix illa Campania est.* Atque hoc eo magis, quoniam ille antea quidem mentionem fecerat montis Circeji, verum de ejus sinu promontorium Surrentinum versus nullo prorsus pacto fuerat loquutus. Et per hunc tractum, ut bene rationem supputemus, veteres non unum tantum, sed quinque numeraverunt sinus: Amyclanum, Formianum, Sinuessanum, Bajanum, & Neapolitanum, qui olim variis habitati populis, neque ante Augusti ætatem, quantum quidem scimus, unquam in unam regionem conjuncti fuerunt. Ceterum *Plinius* propter alterutram ex duabus istis rationibus, quas in prima *Dissertatione* separatim attuli, deinde in ejusdem integræ oræ fine descriptionis conjunctim expressit ejus longitudinem hisce verbis: *Navigatio a Circejis duodeoctoginta millia passuum patet.* Nihilominus si hæcce emendatio, quam duntaxat ad defensionem ejus proposui, aliis forsitan visa fuerit esse violenta atque aliena, pugnare multum pro illa non est animus. Neque enim istam concepi opinionem, aut hujus, aut adeo etiam alterius alicujus nodi, quem solvere molitus sum, non posse laudem explicationis adhuc in integro esse illis, quibus deinceps libuerit illorum denuo suscipere curam. Verum cum jam absolverimus campum Cæditium, conveniens est, ut pergamus ad agrum, ipsumque oppidum Vescinum;

VESCIA, ignoti situs oppidum, monti Massico vicinum.

Cædias igitur & Vesciam, quæ nomen dedit alteri isti campo, quem diximus, nempe Vescino, item sinui Vescino, cujus *Strabo* mentionem fecit, & angustiis Vescinis, quas descripsit *Livius*, quorum auctorum verba supra retulimus, sane oportet haud magno spatio ab invicem fuisse remotas. Neque etiam caseus Vescinus multum differebat a Cæditio, quod ad bonitatis laudem attinet: imo alter quasi genus quoddam erat alterius: *Proximum urbi Vescinum*, dixit *Plinius*, quem citavimus supra, *eumque a Cæditio campo.* Et ejusmodi vocabulo generali idem caseus *Martiali* laudatus fuit sequenti disticho lib. XIII:

Si sine carne voles jentacula sumere frugi,
Hæc tibi Vescino de grege massa venit.

Vesciæ igitur oppidi, quod oportet fuisse non parvi momenti, fuerunt citra & ultra Sinuessam ad Lirim usque fines. Et adeo *Lucanus* de Liri jure potuit dicere:

——— ——— ——— *umbrosæ Liris per regna Maricæ*
Vescinis impulsus aquis. ——— ——— ———

Cicero cum Livio collatus, & emendatus.

Et item *Livius* satis accurate scribere potuit: *In Samnio novi exercitus exorti, ad depopulandos imperii Romani fines, per Vescinos in Campanum Falernumque agrum transcendunt.* Neque minus convenienter *Cicero* nobis hæcce loca descripsit *epist.* II lib. XV *ad Atticum* hisce verbis: XV *Kal. e Sinuessano proficiscens, cum dedissem ad te literas, divertissemque a Cumis in Vesciano.* Ita enim legendum est, non *Vestiano.* Atque hinc mihi videor posse colligere, Vesciam pauca aliquot millia passuum abfuisse a Sinuessa, & ad radices Massici montis sitam fuisse regionem Samnitium versus. Atque ego quidem de ejus situ haud sciam excogitare aliud; cum ceteroqui de Sinuessæ situ res sit satis certa, qua de urbe nunc agere pergam.

IX. *Sinuessa urbs. Petrinum.* Mondrago. *Hujus etymologia. Aquæ Sinuessanæ. Thermæ earum. S. Chromatius, ejusque sodales martyrio affecti Sinuessæ. Plotinus forsan ibidem cogitavit condere rempublicam Platonicam.*

SINOPE urbs fuit Græcorum Pelasgorum, qui ex Thessalia oriundi, dictique fuerunt Aminei.

SInuessa primum appellata fuit *Sinope*, ut affirmaverunt quidam veterum auctorum apud *Plinium Secundum* lib. III cap. V: *Oppidum Sinuessa*, dixit ille, *extremum in adjecto Latio, quam quidam Sinopen dixere vocitatam.* Atque hoc tempore illa fuit urbs Græca, si fides habenda aliis quibusdam, quos retulit *Livius* lib. X. Et igitur illam dicemus fuisse urbem Græcorum Pelasgorum, qui ex Thessalia in hanc regionem delati plures istic condiderunt urbes, ut alia occasione indicabimus. Etenim Aminei, & ipsa Thessaliæ gens, incoluerunt in proximo agro Falerno, ibique vites suas plantaverunt vini Aminei feraces, quod satis fuit celebre apud veteres propter præstantiam suam, ut suo loco ostendemus, ubi magis ex professo de eo erimus acturi. Jam vero Sinope, cum istuc deduceretur colonia Romana, urbs erat, aut exigua admodum, aut penitus desolata. Atque hanc in rem eo utor argumento, quod duo isti scriptores, quos dixi, de origine ejus, tanquam de re parum certa, allegaverunt opiniones aliorum. Imo *Livius*, quod adhuc majus est, non dixit, coloniam Romanam deductam fuisse Sinopen, sed eam fuisse collocatam *in saltu Vescino, Falernum contingente agrum, ubi Sinope dicitur Græca urbs fuisse.* Et in hanc sententiam consentire mihi videtur *Strabo*, ubi lib. V, ut interpres ejus habet, ita scriptum reliquit: *Sinuessa in sinu Vescino sita est, & a sinu nomen gerit.* Et igitur locus, in quem Romani deduxerunt istam coloniam, ad Vesciam pertinebat, atque hujus, quam isto Sinopes primo nomine, notior erat. Et siquidem iidem Romani præter morem receptum, quo non solebant mutare nomina locorum, atque urbium, quas recens occupaverant, ut idem *Strabo* notavit, omnino tamen Sinopen voluerunt alio nomine appellare, non potuissent a forma sinus istius eam in rem arripere occasionem, quæ sane nimium fuisset generalis, nisi & nomen, & ipsum adeo corpus prioris urbis isto jam tempore omnino obsolevisset. Ceterum quod ad istam etymologiam attinet, a tantæ auctoritatis scriptore, qui eam asseveravit, sine alio certiori argumento haud prudenter aliquis dissenserit. Et adeo *Michaël Monacus* noster in prima parte *Sanctuarii Capuani*, attendens tantum ad similitudinem vocabulorum, ad quam neque *Strabo*, neque alius quisquam veterum attendit, non debuerat credere, *Sinuessam ab Suessa* denominatam; cum præterea hæc urbs cum ista, nihil quicquam rei habuerit, quantum ex auctoribus fide dignis colligere licet. Quod si præter vicinitatem soni, ille credidit adjuvari etiam opinionem suam vicinitate situs, contra Suessulæ, itidem oppidi Campaniæ Felicis, longinquitas ab Suessa, cujus videri possit esse diminutivum, edocere illum potuisset, hæc nomina *Suessam*, *Sinuessam*, & *Suessulam*, nihil quicquam hanc in rem habuisse inter se commune. Verum ille parum curans res

In hanc; sive jam penitus, sive propemodum exstinctam, cum coloniam deduxissent Romani, appellaverunt eam SINUESSAM, Nomine ab sinu ejus loci desumpto.

Michaël Monacus refutatus pluribus de causis.

tanti momenti, ibidem nobis haud meliorem prodidit etymologiam, aut historiam certiorem oppidi *Caleni*, quod dixit ortum fuisse a *Calibus* urbe, atque ita ex una duas fecit urbes. Hunc tamen errorem non ille commisit solus; verum ista ejus est opinio peculiaris, unam fuisse matrem alterius. Atque de his plenius agam suo loco. Nunc nihil aliud, quam verba ejus addam: *Profecto*, dixit ille, *a propinquis Calibus Calini*, *seu Caleni opidi*, *& Calliculæ montis derivatur nomen*: *ut Sinuessa a propinqua Suessa.*

Ex ruinis PETRINI non ortum est oppidum istud, quod appellatum MONDRAGO.

Sinuessæ veteri, cum & ipsa jam prorsus esset desolata, oppidum successit, quod appellatum fuit *Mondragonis* nomine: unde castellum, quod vicino in tumulo ipsi imminet, atque nunc nomen dat ipsi loco, *la Rocca di Mondragone*, id est, *castellum Mondragonis* dicitur. Atque illa aut sub hac, aut sub ista priore appellatione, temporibus Longobardorum, & forsan jam ante, urbs fuit Episcopalis, ut ostendam, ubi de Volturno agendum erit. Neque enim ego illis assentior, qui apud *Pontanum* lib. v *De bello Neapolitano* existimaverunt, *Mondragonem* esse exstructam ex ruinis Petrini, quæ creduntur esse illæ, quæ ad proximum littus visuntur. Petrinum enim, sive jam illud fuerit oppidulum, sive mons, sive ager, certe pertinuit ad Sinuessam, quæ fuit urbs atque locus, multo amplior. Cognosci illud potest ex *Horatii* versibus istis lib. I *epist.* V, quibus illi cognomen indidit *Sinuessani*, ubi inquit:

Illud enim sive vicus fuit exiguus in territorio Sinuessano;

Vina bibes, iterum Tauro diffusa, palustres
Inter Minturnas, Sinuessanumque Petrinum.

Horatius, & Cicero illustrati.

Et *Cicero Ad familiares* lib. VI *epist.* XX *Petrinum* appellavit villam quandam commodam atque amœnam Leptæ, amici sui. Et ita illam appellavit forsitan ab ejus situ, quod haud longe abesset ab isto loco cognomini; quemadmodum leguntur *Puteolanum*, *Cumanum*, & similia apud eundem aliosque scriptores. Hinc ibidem similiter ille descripsit aliam Maculæ cujusdam villam, non longe remotam ab Leptæ Petrino, sed aliquanto angustiorem, quam *Falerni* nomine dixit; simul etiam indicans, utramque aut in via fuisse publica, aut non longe ab ea remotam: *Maculam*, dixit, *officio functum esse gaudeo. Ejus Falernum mihi semper idoneum visum est diversorio; si modo tecti satis est ad comitatum nostrum recipiendum. Ceterum is mihi quidem locus non displicet. Nec ea re Petrinum tuum deseram. nam & villa, & amœnitas illa commorantis est, non diversorii.* Jam vero quod Petrinum Leptæ amplius fuit Maculæ Falerno, hoc alios forsitan movit, ut crederent, ex ejus ruinis potuisse emergere *Mondragonem*; cum non animadvertissent, illud nihil fuisse aliud, quam villam haud in ampla admodum fortuna positi hominis, denominatam a magis principali *Petrino*, quod *Horatius* dixit *Sinuessanum*. Atque ego quidem existimaverim, Petrinum potius fuisse agrum sive montem in istoc tractu, quam locum admodum frequentem incolis. Et ita de eo sensit etiam ejusdem Poëtæ vetus *Scholiastes*, quem citavit *Cluverius*, hisce verbis: *Petrinus mons est Sinuessanæ civitati imminens, vel ager Sinuessæ vicinus.*

Sive potius ager aut mons istius nominis.

Mondragonis nomen vulgo creditum a pestilenti dracone ortum, qui istic loci fuerit.

Et hac quidem de re *Pontanus* retulit opinionem alienam, quæ, si quid video, loci accolarum fuit. Verum idem sane fuit incautior, dum sine exceptione veram esse voluit vulgarem opinionem, quæ inter eosdem indigenas ævo suo, & hodieque nostro est recepta; nempe *Mondragonis* nomen fuisse inditum huic novo oppido per caussam draconis, qui istic loci fuerit in specu quodam pone aram templi, S. Marco consecrati, quo si quis intravisset, nulla potuerit ars efficere, quin

A pestilenti ejus spiritu interiret. Et ille quidem, qui omnino suspicionem nonnullam præ se tulit de vera causa talis miraculi, firmiori argumento potuisset eam referre ad violentas & occultas exhalationes, quas iste specus emittebat, cum in tractu illi vicino fontes prorumpere videamus aquarum sulphurearum & metallicarum. Docuisse hoc eum poterat apertis verbis *Plinius Secundus* lib. II cap. XCIII; ubi narrat de aliis ejusmodi arcanis aliorum locorum, & de hocce Sinuessano ita dicit: *Spiritus lethales alibi*, *aut scrobibus emissi*, *aut ipso loci situ mortiferi. alibi volucribus tantum*, *ut Soracte*, *vicino Urbi tractu*: *alibi præter*

Pontanus notatus.

B *hominem ceteris animantibus*: *nonnunquam & homini*, *ut in Sinuessano agro & Puteolano.* Ita *Plinius*, qui si idem retulisset de agro Pompejano, arbitrarer flumen quoque Sarnum hac de causa fuisse quondam appellatum *Draconis* nomine, ut postea dicam, atque istud nomen accepisse a simili quodam specu pestifero ab ista Vesuvii parte, quæ isto alluitur flumine, atque sinu suo alit flammarum copiam. unde istiusmodi spiritus pestilentes vim suam accipiunt. & aquæ vicinorum fontium naturam habent multum alienam & diversam ab aquis vulgaribus. Verum *Mondragonis* nomen multo veriorem potest originem habuisse ab homine

Sed accepit istud nomen a domino suo, qui ita fuit appellatus.

C quodam, qui appellatus fuit *Drogo*, & nonnihil diverse *Dragone*, quod usitatum fuit inter Normannos nomen. Atque ita forsitan dictus fuit ejus loci dominus, & ipse locus integro nomine primum appellatus *Monte di Dragone*; (*mons Dragonis*) & deinde per compendium, cujus plurima sunt exempla *Mondragone*: eodem modo, quo hodie dicitur *Rocca Monfina* (*castellum Monfinum*) istud castellum, quod integro nomine deberet dici *Rocca di Mesino*; (*castellum Mesini*) ab nomine *Mesini*, qui locus est, quibusdam veterum memoratus, quos citabo, ubi de montibus Auruncorum agam. Atque de his jam satis.

D Jam ut ad Sinuessam revertamur, temporibus antiquis multum frequentatæ fuerunt atque celebres Sinuessanæ aquæ metallicæ, quas diximus. Verum mihi videntur scriptores antiqui de istis non fuisse loquuti ad unum eundemque modum. *Plinius Secundus* lib. XXXI cap. II eas retulit ad *Campaniam Felicem*, quanquam idem lib. III cap. V Sinuessam dixerat, *oppidum extremum in adjecto Latio*; unde conveniens erat & Sinuessanum territorium, & aquas Sinuessanas adscribere Latio. Verba ejus hæc sunt: *In eadem Campaniæ regione* (dixerat de thermis Puteolanis in Campania) *Sinuessanæ aquæ sterilitatem fœminarum & virorum*

SINUESSANÆ AQUÆ ad Campaniam relatæ sunt, cum Sinuessa fuerit oppidum Latii novi.

Plinius a se ipso discors.

E *insaniam abolere produntur.* *Cluverius* animadvertens hunc nodum, putavit eum extricavisse satis commode, ubi *Italiæ* suæ lib. III cap. X ita scripsit: *Hic aquas Sinuessani agri Campaniæ tribuit*, *quia haud procul Sinuessa ad Orientale Massici montis latus*, *quod Campaniam spectat*, *sitæ sunt*; *quod ipsum haud obscure ex suprascriptis Livii verbis* (hæc mox afferemus) *etiam perspicitur. Hodie locus is vulgo vocatur Bagni*; *& turris juxta sita Torre di Bagni.* Ita *Cluverius*. Verba *Livii*, de quibus ille loquitur, sunt lib. XXII, quibus iste auctor narrat populationes & excursiones factas a Carthaginiensibus, cum primum e finibus Allifanis per

F Calatinum agrum, & Calenum, id est, per territorium *Cajazzo* & *Calvi* urbium pervenissent in campum Stellatem. Dicit igitur *Livius*: Annibal *castris communitis* (nempe ad flumen Volturnum, ab latere ejus Romam versus, ut notavit *Polybius* lib. III) *Maharbalem cum equitibus in agrum Falernum prædatum dimisit.* Et mox: *Usque ad aquas Sinuessanas populatio ea pervenit.* Et adeo *Cluverius* existimavit: populationem illorum

co-

eodem isto die pervenisse usque ad illud latus Massici montis, ubi Sinuessa erat, & hodie *castellum Mondragonis* est, quod diximus; cui in littore maris, prope antedictam *Turrem thermarum*, (*Torre de' Bagni*) quæ isti oræ præsidii loco est, proximæ nascuntur aquæ Sinuessanæ, de quibus ille credidit *Plinium* & *Livium* fuisse loquutos.

Sed hæ non fuerunt istæ, quæ thermis suis ad littus maris fuerunt celebres;

Sed mirum sane hoc est, Sinuessam, quæ colonia fuit Romanorum, relatam fuisse ad Latium novum; territorium autem ejus, imo aquas illi proximas adscriptas fuisse *Campaniæ Felici*. Et adhuc magis est mirum, *Livium*, cum indicare vellet, quam late Carthaginienses primo isto impetu populati fuerint, potius voluisse dicere, eos ad aquas, quam ad urbem usque Sinuessanam pervenisse, inter quas adeo erat exigui spatii intervallum; eumque omisisse, quomodo ista populatio, quod mihi quidem neutiquam fit verosimile, tam longe progredi potuerit uno eodemque die, quo Annibal Campaniam attigerat, & castra sua, ut alia occasione ostendam, haud longe a Casilino posuerat, quo dux itineris eum per errorem deduxerat. Hanc enim urbem a Sinuessa abfuisse unum & viginti millia passuum, ipse *Cluverius Itinerario Peutingeriano*, & item *Hierosolymitano* negare nequit, ubi *Italiæ* suæ lib. IV cap. III agit de Casilino.

Cluverius pluribus modis refutatus.

Verum aliæ in interiore Campania,

Igitur, quas *Livius* dixit, aliæ fuerunt aquæ Sinuessanæ, propiores Casilino, & ab Sinuessa remotiores istis, quæ hodieque nascuntur in tractu Sinuessano, & antiquis temporibus multum frequentatæ fuerunt hominibus primariis tam propter salubritatem, quam amœnitatem earum, qua de re mox acturi erimus. Jam si hoc verum est, itidem verum erit, neque *Plinium* intellexisse maritimas istas aquas, sed & ipsum loquutum fuisse de hisce aliis, quæ in mediterraneis erant, & manifeste ad Campaniam pertinebant. *Flavius Blondus*, ut apparet ex sua *Descriptione* hujus regionis, per *Livii aquas Sinuessanas* intellexit illam paludem, quæ circiter decem milliaria nostra citra Sinuessam est, & vulgo appellatur *le Saucelle*; de qua etiam dixit *Plutarchus* in *Vita Fabii Maximi*.

Flavius Blondus refutatus pluribus modis.

Verum *Plinius* non potest loquutus fuisse de aquis palustribus, quæ non poterant habere vim aliquam occultam & singularem. Et ipse Blondus ne verbum quidem dixit aut de harum aquarum, quas ipse credidit esse Sinuessanas *Livii*, aut de vi aliarum ejusdem nominis. Verba ejus, quæ paraphrasin continent *Livianæ* narrationis, quam paulo ante adduximus, hæc sunt: *Per ipsum Stellatem procedens* (Annibal) *campum, non prius viæ intellexit errorem, quam ad propinquum Casilini, quod nunc Castellutium appellant, Volturnum perductus, clausam montibus & fluminibus, Volturno & Saone, regionem mœstus circumspexit. Castris itaque ad Castellutium, vel ibi prope positis, facile fuit Maharbali usque ad aquas Sinuessanas*, (*Livius* voluit indicare contrarium, nempe hanc excursionem in multa millia passuum productam) *ubi scilicet Saonus in stagnum effusus labi incipit in Volturnum, prædatum ire.* Igitur *Blondus Casilinum* fuisse in loco, qui *Castelluccio* dicitur, & a mari atque ostio ejusdem fluminis Volturni abest trium milliariorum spatio, credidit, deceptus nominum similitudine, ut latius exponam ubi de Casilino sum acturus. Etiam Savo, ut ille dixit, non labitur in Volturnum, qui format aliud stagnum, Sinuessæ vicinius, & magis oppositum Occidenti; sed in eum se exonerant duo alii rivuli, quorum ab antiquis nulla prodita mentio, qui ex antedicta *Saucellarum* palude lentas in eum aquas invehunt. unus appellatur *il Rio delli Lanzi*, alter *il Rio dell' Agnena*.

Plinius Secundus

Jam ego ita arbitror, per *aquas Sinuessanas*, quas *Plinius* retulit ad Campaniam, *Livius* autem collocavit in tractu Casilinum versus, cum non possint intelligi illæ, quæ Sinuessæ propiores, & ad mare sunt, istos auctores suopte arbitrio dixisse eodem nomine alias quasdam aquas, in hoc tractu mediterraneo surgentes, quarum virtus hodie sit ignota.

& Livius illustrati; & alter cum altero, item singuli secum conciliati.

Certe *Plinius* etiam alias suopte arbitrio huic, vel illi loco tribuit nomen aliquod præter vulgarem usum, ut notavi in *Dissertatione* præcedenti, & ubi de Volturno flumine ero acturus, denuo notabo. Et igitur potuit ille etiam hic fuisse paulo liberalior cum *aquarum Sinuessanarum* nomine, quam conveniebat, & earum nomine appellavisse illas aquas, quæ in proxima Campania Casilinum versus surgebant, & in alio, quam in Sinuessano territorio.

Itidem salubres, hodie autem nullius nominis.

Neque vero cuiquam, qui hosce tractus bene perlustraverit, ignotum est, in antedicta *Saucellarum* palude surgere exiguos quosdam fontes, quorum unus, qui ex sapore æris, quem ejus aquæ habent, dicitur *fons æratus* (*La fontana arramata*) suppeditare nobis potest haud improbabile argumentum [1] occultæ cujusdam virtutis ejus, & vicinorum fontium, ut adeo de illorum quodam potuerit loquutus fuisse *Plinius*. Idem quoque auctor eodem cap. II lib. XXXI scripsit, aliquanto longius a mari in terrirorio Teanensi nasci aquam, calculorum morbo laborantibus salutiferam; quæ aut non diversa fuit ab aqua Calena Acidula, cujus ipse quoque mentionem fecit lib. II cap. CIII, aut nascebatur eodem in loco inter Teanum & Cales. Quod si neque ille, neque *Livius* intellexit aquas, quas ego dixi, alter inconstantiæ, alter narrationis incongruæ accusandus erit.

Livius illustratus, & defensus.

Ceterum si *Livius* istud dicere voluit, Maharbalem primo isto die, qui jam ad vesperam, tametsi istud erat æstatis tempus, inclinare debebat, paucarum horarum spatio tam longe excurrisse ea de causa, ut specularetur regionem sibi incognitam, & finem istius amplæ, directæ atque longæ viæ Appiæ, ad quam exercitus Carthaginiensium castra posuerat; non vero sola aviditate prædæ, cujus respectu iste ager per copiam amœnarum villarum parvo loci spatio potuisset eum delassare; si, inquam, ille hoc annotare voluit, minime nego, eum omnino intellexisse notiores illas, & celebres aquas Sinuessanas.

Plinius Secundus illustratus, & defensus.

Item si territorium Sinuessanum, eodem modo, quo Beneventanum, quod cingebat *Caudinorum civitatem muro tenus*, credi potest a latere Campaniam versus non excurrisse ultra Sinuessæ muros, neque *Plinium* reprehendo, imo multum eum laudo a diligentia, qui tam accuratam observationem nobis relinquere voluerit, de qua omnino tamen ego divinare nihil possum.

Celebriores illæ aquæ Sinuessanæ frequentatæ fuerunt principibus Longobardis;

Jam vero celebres aquæ Sinuessanæ fuerunt, ut dixi, illæ, quæ nascuntur in littore Sinuessano, ubi est *turris thermarum*, (*la Torre de' Bagni*) prope quam vetus est sacellum, quod hodie appellatur *S. Maria à Caudana*. Et evaserunt illæ celebres adeo per causam thermarum suarum, apud quas olim curandæ infirmitatis causa commoratam fuisse Aloaram, Capuæ Principem, viduam Pandolfi Longobardi, Principis Campani, qui cognomento dictus fuit *Capo di ferro*, narrat *Chronicon monasterii S. Vincentii*, quod situm fuit olim ad capita Volturni fluminis. *Chronicon* istud nondum typis est vulgatum, & conscriptum ab Joanne, istius monasterii monacho & Diacono, cujus verba post afferentur.

Et multo jam ante primariis apud Romanos hominibus, propter salubritatem.

Verum eædem thermæ, quamvis Longobardi multum delectati fuerint

1. Prorsus non video, quomodo hæc auctoris verba cohæreant cum præcedentibus istis, ubi Flavium Blondum reprehendens, dixit, aquas illas palustres non potuisse habere vim aliquam occultam & singularem.

& amœnitatem earum. rint balneis, multo adhuc magis frequentatæ fuerunt atque celebratæ temporibus antiquioribus. Præter *Plinium* enim, si tamen hic loquutus fuit de istis, etiam *Strabo* lib. v narravit de earum virtute, ut interpres ejus habet, ad hunc modum: *Sinuessa in sinu Vescino sita est, & a sinu nomen gerit. in proximo thermæ ad quosdam morbos pellendos efficacissimæ.* Et *Tacitus Annalium* lib. xii diserte exponit, quanta fuerint in æstimatione, ad salubritatem earum accedente etiam cœli Sinuessani clementia. Ita ille de Imperatore Claudio: *In tanta mole curarum Claudius valetudine adversa corripitur; refovendisque viribus mollitie cœli, & salubritate aquarum Sinuessam pergit.* Et *Dio Cassius* quoque in hanc earum laudem consentit lib. lx, licet ille a *Tacito* dissentiat, quod ad Imperatorem Claudium attinet. Narrat enim, eo abiisse Narcissum, libertum ejus fidumque custodem, cui illud persuaserat Agrippina Augusta, maritum e medio tollere moliens. Neque ille diserte dixit de aquis Sinuessanis, sed illam ablegavisse eum, ut interpres ejus habet, *in Campaniam, quasi adversus podagram aquis ejus regionis usurum.* Sane vero *Dioni* potius, quam *Tacito* credere libet, qui Claudii iter narrarisse videtur, quod Narcissi fuerat. In sequentibus enim, non revocans in memoriam, quod antea narraverat, ita refert mortem Claudii, ut eam accidisse Romæ dicat, nihil præfatus de ejus in Urbem reditu. Verum idem *Tacitus Historiarum* lib. i iterum descripsit delicias earundem aquarum haud exiguas quibus immersus Sophonius Tigellinus finivit vitam probrosam & inhonestam. *Tigellinus*, dicit ille, *accepto apud Sinuessanas aquas supremæ necessitatis nuncio, inter stupra concubinarum & oscula, & deformes moras, sectis novacula faucibus, infamem vitam fœdavit, etiam exitu sero & inhonesto.* Et in hac quidem narratione ejus dubitationi aut controversiæ locus esse non potest.

Dio Cassius a Tacito dissentiens.

Tacitus refutatus.

S. CHROMATIUS, Roma clam secum abducto magno numero Christianorum, Tanta igitur cum fuerit celebritas harum thermarum, neutiquam me falli credo, si arbitror, Chromatium, virum illum clarissimum, cum, ut subtraheret sese aliosque persequutioni diræ Diocletiani, veniam ab Imperatore obtinuit, *ut medelæ gratia in Campano littore, ubi lati cespitis erat dominus, demoraretur*, quemadmodum legitur in *Actis S. Caji*, Romani Pontificis, & iisdem verbis in *Actis S. Sebastiani*; non ad aliud littus Campaniæ, neque ad alias, quam hasce Sinuessanas aquas sese contulisse, sequente eum magna Christianorum caterva, quos ipse Romæ in ædibus suis usque ad eum diem occultaverat, quique nihilominus deinde omnes ibidem martyrio fuerunt affecti. Neque hoc ideo mihi persuadeo, quod thermas aquarum, suapte vi multis humanis infirmitatibus subvenientes, nesciam fuisse quoque Neapoli, & plures adhuc Puteolis, quarum urbium utraque fuit in eadem Campania; sed quoniam multo videtur convenientius, ut existimemus, Chromatium possedisse latos agros apud Sinuessam, quam apud Neapolim, aut Puteolos, quarum urbium non erant admodum ampli fines.

Non alio, quam Sinuessam abiit.

Baronius, & Binius laudati. Et *Baronius* in *Annalibus ecclesiasticis Num.* cvi ad Annum ccciii, quem sequutus est *Severinus Binius* in Notis ad *Acta concilii Sinuessani*, quod isto anno fuit habitum; multo sane infirmiori argumento persuasus, temere eandem opinionem amplexus est de loco, ubi Chromatius occultavit Christianos suos, loquutus, ut verbis *Severini* utar, ad hunc modum: *Cum ex actis Sebastiani Martyris constet, sub hac Diocletiani persecutione, ad fugiendam Tyrannorum rabiem, ingentem Christianorum numerum cum Polycarpo Presbytero, juxta consilium Caji Pontificis, Marcellini antecessoris, in amplissimam villam Chromatii, quæ posita est ad littus Campanum profectos esse, illicque incognitos mansisse, probabile est, in eadem regione Romanam ecclesiam ad delitescendum amplos recessus habuisse, ibique fortasse hoc trecentorum Episcoporum Concilium celebratum esse.* Huc usque *Binius*. Verum ego sententiæ meæ magis adhuc confido, cum in urbe Suessa, quæ Sinuessæ satis est vicina, hodieque servari corpora multorum ex istis, quos diximus, martyribus sciam, neque alia memoria aut de ipsis, aut de ceteris sodalibus eorum sit superstes alibi. Atque hoc indicium tantum potuit efficacia sua apud *Antonium Caracciolum*, sive, qui eum vulgavit, *Boluitum*, ut in libro *De sacris monumentis Neapolitanis* cap. i Sect. vii diserte ita dixerit: *Neapolitanam Diœcesim olim inhabitaverunt B. Chromatius, Urbis præfecti filius, & cum eo mille quadringenti Christiani, a S. Cajo huc missi, quo tutius latitarent.* Cap. autem xvii, ubi hac de re scribit latius, subjunxit: *Circa annum Christi* ccxcv *in Campaniæ littoralibus oris prope Neapolim magnus numerus Martyrum cœlo insertus est; eorum videlicet, qui Chromatio, Aristone, & Crescentiano ducibus, ad unum omnes interempti sunt.* Denique haud satis fidens conjecturis suis, quæ, si quicquam prodesse possent ad opinionem ejus, Neapoli suæ adjicerent eandem illam integram Martyrum turmam; disputationem suam in hæc verba contulit: *Jam vero videat sincerus Lector, nihil prorsus obesse, quin nobis Neapolitanis asserere possimus, & referre partem saltem aliquam tantæ multitudinis martyrum.* Et igitur tribus capitibus omnia sua comprehendens argumenta, denuo etiam restrinxit atque temperavit primam sententiam suam ad hunc modum: *Celebritas quippe loci*, (nempe Neapolis) *thermæque salutares, & vox ipsa Chromatius, plane exigunt, ut si quis hoc serio perpendat, existimet, partem saltem aliquam tot Sanctorum Neapoli, vel prope Neapolim consedisse.* Ita igitur vir ille præstantissimus, & gloriæ patriæ suæ amantissimus non potuit sibi temperare, & illis, quibus magis conveniebat, hoc concedere, quod asserere, nisi injuste, non poterat. Et doluit ipsi quoque summopere, sub isto mollissimo cœlo Neapolitano ne quidem semel legi exercitam similem Christianorum carnificinam crudelissimam, quæ hodie tantundem gloriæ terris conciliat, in quibus illam perpessos esse Christianos constat, quantum Neapoli prisca libertas; quam adeo ambitiose tum *Franciscus di Pietri Historiæ Neapolitanæ* lib. i cap. v, tum vel maxime idem *Caracciolus*, sive *Boluitus* libri istius, quem citavimus, cap. x inculcavit; qui insuper *Franciscum di Pietri* acerbe reprehendit eo nomine, quod unquam martyrio istic affectum quenquam Christianum negasset. Sane vero si Neapolis inter veteres suas & recentes prærogativas non injuria etiam de libertate gloriatur, quantacunque illa fuit, dum eam Romani siverunt honesto atque jucundo gaudere otio, quod præter ceteros diserte descripsit *Strabo* lib. v; omnino tamen de hoc Christiano honore pariter gloriari nequit. Quod si tantus illi Martyrum numerus competeret, nullum est dubium, quin uno isto facto abunde ipsi accessura foret, nullo facto damno suæ libertatis prærogativæ, sancta hæc & religiosa gloria, cujus illi asserendæ adeo immodica cupiditate flagravit *Caracciolus*.

Antonius Caracciolus notatus pluribus de causis.

Franciscus di Pietri defensus.

Urbs itaque amœnissima fuit Sinuessa, tum quia ad mare sita erat, tum propter delicias atque salubritatem thermarum suarum, naturæ beneficio. Et insuper fuit illa humanis usibus apprime inserviens propter amplitudinem atque ubertatem agrorum suorum. Sed illa fato, nescio

Sinuessa forsitan fuit desolata ista Campaniæ urbs, quam PLOTI-

scio

Nos de integro condere voluit ad modum Platonicum;

scio quo, rebus suis opibusque pessundatis, si maxime deinde quodammodo exsurrexit iterum ante conditum oppidum *Mondragonis*, de quo supra diximus, nunquam tamen frequentiam celebritatemque pristinam recuperavit. Jam quotiescunque mecum reputo situm ejus, & egregias hasce dotes, item vicinitatem Minturnarum, ad quam urbem Plotinus, celeber philosophus Platonicus frequenter degere solitus fuit, in villis scilicet Zeti & Firmi Castricii, itidem philosophorum & familiarium suorum, toties animus inclinat credere, Sinuessam fuisse urbem illam desertam, in qua idem ille philosophus cogitabat introducere vivendi modum ab formam reipublicæ, a Platone descriptam, ibique habitare cum aliis ejusdem sectæ philosophis. Narrat hac de re *Porphyrius* in ejus *Vita* cap. I, item *Julius Firmicus* lib. III cap. III *Astronomicorum*. *Firmici* verba, correcta ab *Salmasio ad Solinum* cap. II, sed absque necessitate ad Bajarum thermas relata, hæc sunt: *Nam ad collocandam sedem amœnum sibi Campaniæ civitatis solum elegisse narratur, ubi semper aëris quieta moderatio cunctos incolas salubri vectatione sustentat; ubi nec vis hyemis, nec flagrantis solis accensio, sed composita temperies ex utroque moderatur; ubi ægritudine aliqua laborantibus hominibus ingenito fontium calore, & fervescentium aquarum salutari fomento conciliata sanitas irrigatur.* *Porphyrii* verba, quibus de eodem philosopho loquitur, deque morbo, quem Romæ contraxerat, Latine ita habent: *Ex urbe discessit, profectusque in Campaniam, deductus est in agrum Zethi, veteris amici sui, vita jam functi. Necessaria vero illi ex rebus, hæredibusque Zethi suppeditabantur, atque ex Minturnis a Castricii agris afferebantur: Castricius enim prædia Minturnis habebat.* Et mox: *Præterea familiaris admodum Plotino Zethus erat, genus ex Arabia ducens, qui & uxorem duxerat filiam Theodosii, quondam familiaris Ammonii. Erat hic medicinæ peritus, Plotinoque dilectissimus, quem Plotinus civilium gubernaculorum momenta gerentem inde revocare admodum contendebat, eoque familiariter utebatur, adeo ut in agros ejus secederet ad sextum lapidem ante Minturnas, quos Castricius possederat, cognomine Firmus.* Et novissime: *Proinde Galienus Imperator, uxorque ejus Salonina Plotinum honorabant, maximeque colebant. Hic igitur eorum benevolentia fretus, oravit, ut dirutam quandam olim in Campania civitatem, philosophis aptam, instaurarent, regionemque circumfusam cultæ civitati donarent, concederentque civitatem habitaturis Platonicis legibus gubernari; atque ipsam civitatem Platonopolim appellari. Pollicebatur se illuc habitatum una cum amicis omnibus profecturum; quod facile philosophus ad votum impetravisset, nisi quidam Imperatoris familiares invidia, vel indignatione, vel alia quadam iniqua de causa acriter obstitissent.* Huc usque *Porphyrius*. Vixit Imperator Galienus circiter annum a Christo nato CCLX. Jam vero non satis possum decernere, num iste Zethus forte sit idem cum eo, cujus nomen Capuæ in porticu, ad domos templi Sanctorum, Rufi & Carpophori adaptata, legitur in *Inscriptione*, quam ille superposuit sepulcro suo, filiique, qui dictus fuit *Campanus*, & uxoris, nomine *Callaidis*; cujus verba hæc sunt.

Salmasius refutatus.

Firmicus & Porphyrius collati inter se, & illustrati.

Vetus Inscriptio, quæ Capuæ est, ambigue illustrata.

ZETVS CAMPANO
FILIO PIO FECIT
ET SIBI ET CONIVGI
KALLAIDI
QVI VIXIT ANNIS
XXXIII. MESIBVS
X. DIEBVS III.

Certe nomen uxoris suæ non male convenit fœminæ, natæ Theodosio, de quo dixit *Porphyrius*, homine Græco. Etiam filius, natus ipsi extra terram patriam in Campania, haud absurde ex more temporum istorum videri potest habuisse nomen *Campani*. Neque etiam artificium & facies ipsius marmoris mea quidem sententia Galieni repugnant ætati. Habemus etiam Capuæ manifestam memoriam gentis Castriciæ in alia *Inscriptione* antiqua, sculpta artificiosius, quam ista prior, & in marmore meliori majorique; unde ipsius etiam sepulcri opus grandius isto fuisse apparet. Et est hæc inter illas, quas ego collegi magno numero in villa mea *Casapulla*, ac verba continet sequentia:

A. CASTRICIO A. F. FAL. PRISCO
A. CASTRICIO A. L. ARABO
CASTRICIA A. L. NYSA FECIT
SIBI ET FILIO ET PATRONO

Igitur ignota ista, & amœni situs, atque deserta urbs, quam Plotinus cum suis philosophis ad formam Platonicam de integro condere atque incolere cogitabat; (atque hanc *urbis* quoque nomine in Græcis appellat *Porphyrius*) ut ego arbitror, Sinuessa fuit. Et potuit illi hæc cogitatio venire in mentem per frequentes moras, quas agere solitus erat in vicinis agris Minturnensibus amici sui Castricii, qui ille fuit Castricius, ad quem idem *Porphyrius* librum scripsit *De abstinentia ab esu animalium*. Neque hoc mihi negare quisquam poterit, sæpius ea de re inter istos fuisse sermonem. Et videri fortasse hæc omnia possint satis bene convenire cum istis, quæ de Chromatio diximus, qui post ætatem Plotini & Imperatoris Galieni anno circiter quadragesimo Roma Sinuessam, incolis vacuam, abduxit secum multitudinem Christianorum, de quibus paulo ante diximus. Et itidem credi possint eodem tempore Diocletianeæ persequutionis trecenti episcopi, ejusdem loci solitudine tuti, clam convenisse in quandam Sinuessæ specum, ibique celebravisse concilium, quod dicitur *Sinuessanum*. Sed video, neutrum argumentum meam satis adjuvare posse sententiam. Neque enim Chromatius in ipsam Sinuessam suos Christianos abduxit, sed in agros suos; atque hoc quidem isto certe colore, quasi ad horum culturam ipsos adhibiturus. Etiam cum illud reputo, inde usque ab ævo *Polybii*, ut ipse affirmat lib. III, ex variis orbis partibus fieri solitum in Campaniam Felicem magnum concursum exterorum; inter multiplicem istam hominum turbam, variis occupatam negotiis, episcopi isti Christiani videntur adventum suum atque consilia tanto potuisse celare tutius, quanto loca erant, in quibus commorabantur, negotiis atque commerciis hominum frequentiora. Veruntamen inter qualemcunque istam frequentiam de solitudine incognitæ istius urbis, quam expetiit Plotinus, quamque ego Sinuessam fuisse autumo, nullum potest esse dubium. Et eandem Sinuessam isto jam tempore fuisse afflictam ejusmodi calamitate, neutiquam videtur improbabile, si consideremus, jam ævo *Juvenalis*, id est, si longissime illud extendimus, Trajani Imperatoris temporibus etiam [1] Cumis exiguam fuisse incolarum copiam. Denique aliam ego quidem haud sciam excogitare urbem, ad quam situs atque conditiones istius urbis, quam *Firmicus* & *Porphyrius* indica-

Incensus ista cupiditate, quod frequenter agere solitus erat in villa quadam territorii Minturnensis.

Acta S. Caji, Pontificis Romani, & concilii Sinuessani illustrata.

1. Respicit auctor ad versus Juvenalis *Sat.* III:
Quamvis digressu veteris confusus amici,
Laudo tamen, vacuis quod sedem figere Cumis
Destinet, atque unum civem donare Sibyllæ.
Sed de hac Cumanæ urbis infrequentia non parum ille fluctuat animo, ubi hosce versus ex professo exponit sub finem cap. XV.

dicaverunt ſine nomine, convenientius referri poſſint, quam ad Sinueſſam.

X. *Tabernæ Cæditiæ. Cædiæ, Papia, oppida.*

TABERNÆ CÆDITIÆ non fuerunt dictæ ab domino ſuo.

Non longe poſt aquas Sinueſſanas, de quibus jam diximus, ad ſiniſtram in mediterranea deflectentibus per viam Appiam, quæ dehinc uſque ad Tarentum mari nuſquam committebatur, *Tabernas* fuiſſe *Cæditias*, dicendum eſſe mihi videtur. *Feſti* verba ſunt: *Cæditiæ Tabernæ in via Appia a domini nomine ſunt vocatæ.* Sed ille, qui ſitum quoque earum forſitan non accuratius habuit cognitum, perſuadere nobis voluit iſtam nominis earum originem ex ſuo cerebro procuſam; cum veriſimilius multo videatur, illam eſſe ortam ab nomine agri *Cæditii*, qui fuit oppidi territorium, quod appellatum fuit [1] *Cædiarum* nomine, in quo ſitæ erant. Et fortaſſe ipſe etiam loci dominus appellatus fuit *Cædius*, ſive *Cæditius* a *Cædiis* ſuis: niſi credere libet; etiam ab ejus nomine dictum ipſum oppidum, quod proinde appellari debuiſſet *Cædium*, non vero *Cædiæ*. Neque enim ipſe *Feſtus* anſam nobis dat cogitandi, fœminam fuiſſe ejus oppiduli dominam, aut hoc ab illa denominatum. Igitur ager potuit *Cæditii*, tabernæ autem *Cæditiarum* nomen accepiſſe regulariter a *Cædiis* oppido, atque hoc, ſi cui ita viſum fuerit, a domino ſuo. Sed ut omittamus conjecturas de hiſce leviuſculis, videntur mihi hæce tabernæ Cæditiæ non longe abfuiſſe a thermis Sinueſſanis, de quibus paulo ante diximus. Colligo hoc ex eo, quod legitur in decreto judiciali, ſive, ut illorum temporum vocabula adhibeamus, in *Notitia judicatus*, quæ occurrit in *Chronico S. Vincentii Volturnenſis*, quod paulo ante citavimus. Eſt illa *Notitia* anni ſexti principatus Landonolſi, (fuit hic Capuæ princeps ab anno DCCCCLXXXII a Chriſto nato ad annum uſque DCCCCXCIII) menſis Januarii, *Indictionis* primæ, & incipit verbis barbare Latinis ad hunc modum: *Cum perveniſſet quadam die Domina Aloara, glorioſa Pincipiſſa, in Caldanas de Cilitias, ſui corporis perficiendum ſanitatem, venerunt ibi ſuo obſequio ſupradictus Dominus Landonolfus, glorioſus Princeps, & Dominus Adenolfus Archipreſulem Sanctæ Capuanæ Eccleſiæ. Eorum præſentia aderant Pando Comes, Marepahis, & Maraldo filius Madelfrit, & Landolfus filius idem Landolfi, & Lando frater ejus, & Landenolfus Comes Caſtro Calinulo, & Dauferi, & Dauferio fratres Volturnenſes Comitibus, & Pando, & Auſentio* &c. Igitur ſicut certa res eſt, in loco *Caldana*, a quo hodieque nomen habet ædicula *S. Mariæ ad Caudanam*, quoque Aloara princeps conceſſerat infirmitatis curandæ cauſa, ſurrexiſſe ſalubres aquas Sinueſſanas; ita etiam hinc intelligi poteſt, ab hiſce aquis haud longe abfuiſſe tabernas Cæditias. Certe enim ille locus appellatus fuit *Caldana de Cilitia*, quia vicinus erat tabernis Cæditiis. Atque hic itidem obſervandum eſt, *Cilitiam* iſto tempore fuiſſe vicum, ſive oppidulum, cujus finibus æque includebatur *Caldana*, quam ager iſte, de quo controverſia fuit, ut ibidem legitur: *Pro terra, in eodem loco Cilitias* &c. Neque enim velim, quiſquam ſibi perſuadeat, vocem *loco* habere iſtic eam ſignificationem, quam vulgo ſolet: quandoquidem iſtis temporibus obtinuit uſus, ut hoc vocabulo denotarentur etiam oppida, & incolis frequentia loca. Atque hoc vellem audacius creditum ab eruditiſſimo *Lipſio*, *Lovanii* ſui lib. I cap. V. Porro legitur in eadem *Notitia*, eam fuiſſe ſcriptam *in eodem loco Caldana:* unde diſcere poſſumus, thermarum certe occaſione eum locum ad inſtar vici quondam fuiſſe frequentatum.

Feſtus refutatus.

Non longe abfuerunt a thermis Sinueſſanis,

Quarum locus deinde fuit dictus Caldana de Cilitia.

Lipſius leviter notatus.

Jam vero ſi tabernas ego Cæditias ab ipſis Cædiis diſtinguo, quas *Cluverius* aut non habuit cognitas, aut prætermiſit; id ea de cauſa factum eſt quia tabernas iſtas *Feſtus* collocavit in via Appia, Cædias autem *Plinius Secundus* lib. XIV cap. VI extra illam viam fuiſſe indicavit, dum vina nobilia recenſens ita ſcripſit: *Secunda nobilitas Falerno agro erat, & ex eo maxime Fauſtiano; cura, culturaque id collegerat. Exoleſcit hoc quoque copiæ potius, quam bonitati ſtudentium. Falernus ager a ponte Campano* (fuit hic pons *Savonis* amnis in via Appia, diſtans ab Sinueſſa, ut antiqua habent *Itineraria*, novem millibus paſſuum) *læva petentibus Urbanam, coloniam Syllanam, nuper Capuæ contributam, incipit. Fauſtianus autem circiter quatuor milliaria a Vico prope Cædias; qui a Sinueſſa ſex millia abeſt.* Ita *Plinius.* Et adeo Vicus iſte prope Cædias ad eandem viam Appiam fuit, & ab utroque latere ejus, unde commune *Vici* nomen accepit, ut in ſequentibus oſtenſurus ero. Ipſæ autem [2] Cædiæ debuerunt aliquantum ab illa

CÆDIÆ fuerunt citra Sinueſſam quatuor millium ſpatio;

1. Satis audacter Feſtum refutat noſter, cum de Cædiis oppido res ſit prorſus obſcura, & veroſimilius ſit, certe analogiæ convenientius, *Cæditios* agros a tabernis *Cæditiis*, aut has illoſque ab nomine cujuſdam *Cæditii*, quam a *Cædiis* fuiſſe dictos. Nam illa quidem, quæ ſubjungit auctor de horum nominum derivatione, non tanti eſſe, ut ea quiſquam ſanus auctoritati Feſti prætulerit, nemo non videt. Sed pluribus de hiſce dicendi locus erit paulo poſt.

2. Quodnam argumentum ex verbis Plinii pro ſententima ſua elicere potuerit auctor, ut Cæditias tabernas ab ipſis Cædiis diſtingueret, & hoc oppidum extra viam Appiam fuiſſe ſitum aſſereret, plane non aſſequor: niſi forte ille ſibi perſuaſit, Plinium omnino voluiſſe ſitum iſtorum agrorum demonſtrare ab locis in via Appia; atque adeo cum ille Fauſtiani ſitum non ab ipſis Cædiis, ſed a Vico prope Cædias deſcripſerit, Vicum iſtum in via Appia, Cædias autem extra eandem debere fuiſſe ſitas: alioquin enim eum potius a Cædiis oppido, quam ab ignobili Vico Fauſtianum fuiſſe demonſtraturum. Verum ut jam divinationes has admittamus, eam fuiſſe Plinii mentem, & Vicum iſtum fuiſſe in via Appia, atque inde illo nomine dictum, qua de re agit auctor ſequenti cap. XIV circa medium; ut hoc taceam, vicos promiſcue Romanis dictos qualeſcunque hominum ruſticorum villarumque conſociationes & congeries, illud ſcire percupiam, undenam Cædias ſuas præterquam ex Plinio depromſerit noſter, ut eas pro oppido ſive caſtello nobis obtrudere fuerit auſus. Sane enim in toto libro ſuo præter hunc unicum Plinii locum nullum omnino alium de totis Cædiis attulit, neque ego quicquam aliud reperire potui de Cædiis. Jam vero, quid tandem de illis Plinius? Nominavit Vicum prope Cædias. De oppido aut caſtello nihil. Sed fortaſſe dicet aliquis, *Inſcriptionem*, quam mox affert auctor, certo eſſe argumento, fuiſſe Cædias oppidum non longe ab Sinueſſa, quandoquidem illa mentionem facit colonorum Senuiſanorum & Cædicianorum. Verum ut hoc jam concedamus, per *Senuiſanos* iſtic intelligi Sinueſſæ urbis incolas, de quo tamen valde dubitem, illud utique certum eſt, a Cædiis formari debuiſſe gentilitium *Cædianus*, non *Cædicianus*, ut iſta habet *Inſcriptio.* Itaque ſi quid video, per Cædicianos iſtos potius intelligendi ſunt accolæ Cæditiorum agrorum, de quibus expoſuit auctor cap. VIII, & mentionem quoque fecit Plinius. Præterea ſi ex iiſdem Cædicianis Cædias oppidum ſive coloniam fabricare libet, idem quoque faciendum erit de Papiis, qui in eadem ſequuntur *Inſcriptione*, & ex illis itidem novum affingere oppidulum ſive caſtellum Campaniæ, ut fecit noſter. Sed quam hoc quoque ſit frivolum, vel inde patet, quod de Papiis nuſquam ullum aliud proferre potuit indicium præter iſtam *Inſcriptionem*, de ipſa autem Papia omnino nullum: ut taceam, a Papia potius formari debuiſſe gentilitium Papienſis aut Papianus, quam Papius. Igitur cum de Cædiis & Papia oppidis ſive caſtellis altum ſit apud veteres ſilentium, prorſus incerta & nihili eſſe, quæ auctor hoc *cap.* de illis eruere conatur, jure mihi videor poſſe pronunciare. Neque enim veroſimile eſt, aut Feſtum ubi de tabernis Cæditiis dixit, aut Plinium, qui exactiſſime haſce terras deſcripſit, ubi de Cædiis & agro Cæditio dixit, hoc oppidum ſilentio fuiſſe præteriturum, ſi re vera exſtitiſſet. Quod ſi quis quærat, quid jam fuerint tandem iſtæ Plinii Cædiæ, reſpondeo, aut poſſe eum fuiſſe alium quendam locum ignobilem & obſcurum, aut Plinium forte ſcripſiſſe *Cæditias*, & intellexiſſe tabernas iſtas in via Appia, de quibus Feſtus. Atque adeo non opus habebat noſter, ut de Cluverio ſatis magnifice pronunciaret, cum aut non cognitas habuiſſe, aut prætermiſiſſe Cædias.

la fuisse remotæ, & a Sinuessa abfuisse circiter quatuor; a ponte Campano autem circiter sex millia passuum. Sane vero non aliud hic scriptor voluit dicere, licet sive per familiarem sibi styli brevitatem, sive vitio librariorum, verba ejus aliquantum sint obscura; cum eandem sententiam apertius potuisset exponere, unica vocula addita, ad hunc modum: *Faustianus autem citra, circiter quatuor milliaria a Vico prope Cædias.* Neque satis certus sum, an simile mendum etiam in verbis sit præcedentibus, quæ plenius & aptius legi ita possent: *Exolescit hoc quoque culpa copiæ potius, quam bonitati studentium.* Atque hæc obiter dicta sunto. Fuerunt itaque Cædiæ citra Sinuessam, & prope agrum Falernum: unde cum eodem *Plinio*, supra a nobis emendato, jure dicere poterimus: *Hinc felix illa Campania est: ab hoc sinu incipiunt vitiferi colles*; item: *Hinc Vescini & Cæditii obtenduntur agri. his junguntur Falerni & Caleni.* Verum ad quodnam viæ Appiæ latus sitæ jam fuerint Cædiæ, de eo nullum invenio satis certum indicium; licet videri possint esse collocandæ montem Massicum versus, qui Roma venientibus ad sinistram erat ejus viæ, & juxta quem fuit Vescia oppidum, ut patet ex verbis *Plinii* lib. XI cap. XLII, jam a nobis alibi allegatis, quibus de optimo casei genere narrat: *Proximum autem Urbi Vescinum, eumque a Cæditio campo.* Nihilominus autem territorium Vescinum etiam ab opposito latere viæ Appiæ ad mare usque pertinuit, unde Sinuessam dixerunt in sinu Vescino conditam; & insuper caseus Vescinus longe laudatur veteribus præ aliorum pascuorum vicinorum caseo, illorum scilicet, quæ sunt idem littus versus. Et adeo per me liberum aliis esto hac de re judicium.

Plinius illustratus, & ambigue emendatus duobus locis.

Plinii Secundi emendatio confirmata.

Verum in loco, quem non habemus cognitum exactius.

Ceterum Cædiarum & Papiæ, sive Cædicianorum & Papiorum mentio occurrit in marmore vetusto, satis grandi, quod hodie *Carinolæ* est, in turri Episcopalis templi; *Aldi* autem temporibus, qui in libro suo *De orthographia* ad vocem *Pollio* ejus *Inscriptionem* retulit, integro versu truncam, ad flumen Lirim erat. Ejus scripturæ sequens est modus; & propter chartæ hujus angustiam majoribus literis heic exhiberi nequit:

PAPIA, Sinuessani tractus oppidum,

L. PAPIVS L. F. TER. POLLIO DVO VIR L. P PIO L. F. FAL. PATRI
MVLSVM ET CRVSTVM COLONIS SENVISANIS ET CAEDICIANEIS
OMNIBVS MVNVS GLADIATORIVM CENAM COLONIS SENVISANIS
ET PAPIEIS MONVMENTVM H·S CCIↃↃ ∞ ∞ EX TESTAMENTO
ARBITRATV L. NOVERCINI L. F. PVP. POLLIONIS.

Certe gens Papia, cujus in hac Inscriptione fit mentio, nomen accepit ab isto, quod diximus, sive oppido, sive vico, nomine *Papia*; cujus incolis, & simul Sinuessanis dicitur cœna publica data esse ab isto Lucio Papio. Eodem modo, ut alia plura omittamus exempla, *Vescinia* & *Veseria* gentes ab *Vescia* & *Veseri*, Campaniæ nostræ oppidis, fuerunt denominatæ. Atque harum quoque in duobus marmoribus antiquis, quæ Capuæ sunt, occurrit mentio; quorum cum illud Veseriæ gentis suo loco referendum sit in sequentibus, visum fuit heic non inepte exhibere illud gentis Vesciniæ quoniam abhinc paulo ante de Vescia sermo fuit. Hæc igitur est ejus *Inscriptio:*

Antiquæ Inscriptiones illustratæ.

DIS. MAN.
SACR.
T. VESCINIO T. F.
FAL. RVFO PATRO.
ET T. VESCINIO SP. F.
RVFO
VESCINIA ELEVTHERI
SIBI ET SVIS

Jam quod ad Papiam attinet, existimavit etiam *Gruterus* in Indice sui *Thesauri Inscriptionum antiquarum*, non tantum gentem, sed simul etiam populum Papium intelligi in ista, quam paulo ante, retulimus, *Inscriptione.* Ceterum hoc oppidulum, cujus non aliam legisse memini memoriam veterem, fortasse situm fuit ultra Sinuessam, Lirim amnem versus, apud quem istud marmor primum fuit conspectum: nisi tamen quicunque illud olim descripsit, perperam in memoria habens locum, ubi istud viderat, confudit nomen istius fluminis cum nomine Savonis, qui citra Sinuessam currit; de quo acturus ero, ubi absolvero viam, olim per littus ab Imperatore Domitiano perductam a Sinuessa Puteolos usque. Atque hanc jam sine mora describere convenit, repetito itinere, quod mihi proposui, & relicta via Appia, quæ longo per mediterranea variasque urbes cursu Tarentum, & denique Brundisium usque pertinebat.

Vetus Inscriptio illustrata.

Non multum celebre, & ignoti situs.

XI. *Via Domitiani a Sinuessa ad Puteolos. Iter S. Pauli Apostoli a Puteolis Romam usque. Savo amnis.*

Sinuessa igitur digressi, pedem non inferemus per littus, antequam loquuti erimus de via antiqua, quæ Puteolos ducebat, & hodieque per istos tractus passim apparet magnam partem integra, cum cetera ejus sepulta jaceant arenis littoralibus, & vicinorum lacuum aquis. Ceterum frequentis usus hæc via fuit jam multo ante, quam eam renovavit Domitianus Imperator. Neque enim aliud iter, quam per hanc viam, fecisse potest tempore belli Punici secundi Tiberius Sempronius, consul Romanorum, quando, ut verbis utar *Livii* lib. XXIII, *Sinuessæ, quo ad conveniendum diem edixerat, exercitu lustrato, transgressus Volturnum flumen, circa Liternum castra posuit.* Et *Cicero* quoque, si recte attendimus, non per aliam viam instituit istud iter suum, quo de loquutus est lib. IX *epist.* XXIII *Ad familiares*; & præter illud, de quo dixit lib. XV *epist.* II *Ad Atticum* verbis istis, quæ aliquanto ante adduximus, itidem istud aliud, de quo item *ad Atticum* scripsit ejusdem libri *epist.* I ad hunc modum: *Here dederam ad te literas, exiens a Puteolano, deverteramque in Cumanum.* Et mox: *Mansi igitur eo die in Sinuessano, atque inde mane postridie Arpinum proficiscens, hanc epistolam exaravi.* Insuper intellexit eandem viam *Horatius* hisce versibus lib. I *epist.* XV.

Via antiqua a Sinuessa ad Puteolos renovata fuit ab Domitiano.

Cicero & Horatius collati inter se, & illustrati.

—— —— —— —— *non mihi Cumas*
Est iter, aut Bajas, læva stomachosus habenæ
Dicet eques. —— —— —— ——

Ad quæ ita commentatus est vetus *Interpres* ejus: *Quia Bajæ Capuam euntibus a dextra sunt.* Verum cum via hæc & tractu temporis, & ipso situs atque locorum ingenio, corrumperetur ad ultimum, & pessum iret, opportune eam instauravit Domitianus Imperator, ut indicat *Statius Silvarum* lib. IV *carm.* III, ubi summopere laudat ejus auctorem. Versus ejus, qui nostro inserviunt argumento, hi sunt:

Hic cœno populis vias gravatas,
Et campos iter omne detinentes
Longos eximit ambitus, novoque
Injectu solidat graves arenas.

Et mox:

Hic

Hic quondam piger axe vectus uno,
Nutabat cruce pendula viator,
Rodebatque rotas maligna tellus,
Et plebs in mediis Latina campis
Horrebat mala navigationis.
Nec cursus agiles, sed impeditum
Tardabant iter orbitæ tacentes,
Dum pondus nimium quercus sub altæ
Repit languida quadrupes statera.
At nunc, quæ solidum diem terebat,
Horarum via facta vix duarum.
Non tensæ volucrum per astra pennæ,
Nec velocius ibitis carinæ.

Et hinc iter istud factum fuit commodius & expeditius.

Ita *Statius.* Et adeo post novum hoc opus iter istud potuit confici commodius & expeditius; atque via Appia, per quam Roma Puteolos proficiscentes, aut hinc redeuntes, necesse habuerant deflectere per ambages, ad Capuam usque excurrendo, ad ejusdem itineris usus inutilis & infrequens evasit. Atque hoc dicere voluit idem poëta hoc versu:

Statius illustratus.

Illic Appia se dolet relinqui.

Neque vero Domitianus viam suam per alia loca refecit, si eidem *Statio* fidem habemus, quam per oram, a nobis indicatam: unde solicitam curam extollens, in ea reficienda adhibitam, ita pergit:

It longus medias fragor per urbes,
Atque Echo simul hinc & inde fractam
Gauro Massicus uvifer remittit.
Miratur sonitum quieta Cyme,
Et Literna palus, pigerque Savo.
At flavum caput, humidumque late
Crinem mollibus impeditus ulmis
Volturnus levat ora. —— —— ——

Sine controversia hice versus indicant, illam a monte usque Massico & Sinuessa pertinuisse ad Gaurum & Puteolos, inter quos montes & Cumæ, & lacus Liternus, & flumina, Volturnus atque Savo interjacebant. Cum eadem hac narratione consentiunt verba *Dionis* lib. LXVII, quæ ita Latine reddidit interpres ejus: *Via*, loquitur de tempore Domitiani Imperatoris) *quæ ab Sinuessa Puteolos ducit, lapidibus strata fuit.* Ceterum *Dio* quidem, si eum heic, severius exponamus, videri possit illud voluisse dicere, eam nunquam antea munitam fuisse lapidibus, & contradicere forsan *Statio*, si & ipsius versus interpretemur rigidius. Verum multæ sane viæ, quæ leguntur factæ a quibusdam, quasi ipsi eas primum direxerint, re vera fuerunt ab iisdem refectæ tantum. Patet hoc, ne longi simus exemplis minus certis & alienis afferendis, ex *Inscriptione*, quam retulit *Onuphrius Panvinius* lib. II *De Fastis Romanorum*, & *Gruterus* pag. 151, quæque de Imperatore Trajano ita dicit: *Viam a Benevento Brundisium pecunia sua fecit.* Certe hæc fuit Appia via, olim ad Brundisium usque directa jam ante Cæsaris ævum, ut suo loco videbitur. Et hanc quoque viam nostram silice fuisse stratam littore tenus jam ante Domitiani tempora, eam in rem videtur nobis suppeditare posse argumentum magna Romanorum, quæ Puteolis aliisque in oppidis istius tractus fuit jam per spatium fere trecentorum annorum ante refectionem ejus, quam diximus, frequentia. Nempe istæc in loca primum eos abduxerant varia negotia, dein varia quoque voluptas; licet hæc via non adeo fuerit undequaque commoda, ut quidem illa erat, quæ per Capuam ducebat via Consularis. Ceterum sive jam fece-

Statius & Dio inter se concordes, & alia de re discordes.

Vetus Inscriptio illustrata.

A rit primum, sive refecerit hanc viam Domitianus, hoc satis est certum, non audiendum *Domitium Calderinum*, qui primum ex versibus *Statii*, quos allegavimus, ita legere volebat:

Cœno hic populeo vias gravatas.

Nam, dicebat ille, *in Amyclano sinu, per quem hæc via ducebatur, erant populeta palustria.* Et hoc quidem verissimum est de sinu, quem ille dixit. Testis est *Plinius Secundus* lib. XIV cap. VI, ubi de vinis Cæcubis loquitur, quæ ante sua tempora fuerant laudatissima *in palustribus populetis, sinu Amyclano.* Sed Amyclæ, sinusque Amyclanus, qui

B alio nomine dictus fuit *Cajetanus*, fuerunt ultra Lirim amnem. Neque quisquam credat, opinioni ejus posse aliquam veri speciem aut auctoritatem accedere ab *Antonino*, qui in *Itinerario* suo integræ istius viæ, quæ ab Roma Neapolim ducebat, tantum illam partem, quæ incipiebat a Tarracina, nobis descripsit ad hunc modum:

Domitius Calderinus refutatus.

Iter a Tarracina Neapolim. M. P. LXXXVII.
Sinuessam. M. P. XLIIII.
Liternum. M. P. XXIIII.
Cumas. M. P. VI.
Puteolos. M. P. III.
C *Neapolim. M. P.* X

Neque enim aliud curavit ille, quam ut notaret tantum nomina atque intervalla locorum. Et insuper mihi videtur ille data opera describere separatim voluisse hoc iter, quod per viam amœnissimam voluptatis causa facere Romani solebant, ut oblectarent sese Bajis & Puteolis, & item Neapoli tantopere sibi gratis fruerentur studiis atque otiis Græcorum, quæ in ista urbe satis erant frequentia, ut narrat *Strabo.* Ita propter eandem causam *Silius*, *Florus*, aliique auctores, quos in præcedenti *Dissertatione* notavimus, similiter in

Antoninus in Itinerario illustratus.

Idem solebat etiam frequentati voluptatis causa.

D unam regionem conjunxerunt integrum illum tractum, qui alioqui magis proprie in duas regiones erat distinctus. Ceterum Nero, ut redderet hoc iter multo adhuc jucundius, & facilius, & omnis incommodi expers, destinavit immenso opere & ingentium opum profusione latam ducere fossam a Bajis, sive vicino Averni lacu ad Ostiam, ut narrat idem *Plinius* loco citato, *Tacitus Annalium* lib. XIII, & *Suetonius* in *Nerone* cap. XXXI; ut adeo per illam quolibet anni tempore, & citra omnem ventorum injuriam navigari commode posset. Sed cum ejus quidem immodicus atque prodigiosus conatus in nihilum abiisset, Domitianus,

E haud minus, quam ille, voluptatibus deditus, sed eodem multo consideratior, manum admovit reficiendæ viæ isti, quæ modo a nobis indicata est, per istæc duntaxat loca, in quibus istud maxime erat opus; unde & nomini ejus major laus accessit. Jam quod ad illum *Statii* versum attinet, illius emendati palma debetur *Jano Casperio*, cujus ipsa referre verba lubet, quæ hæc sunt: *Via hæc, quam Domitianus restaurabat, vetustate adeo collapsa erat, ut vicinorum fluviorum aquis immissis, paludis instar stagnaret, atque arundinetis juncisque palustribus penitus oppleta sordesceret; quod ex sequentibus Poëtæ verbis clarum est. Hinc omnino legendum*

Janus Casperius laudatus, Statius emendatus.

F *puto, minima mutatione, tantum diphthongo addita: Hic schœnis populi vias gravatas.* σχοῖνος, *Græca vox, Latinis juncus, canna dicitur; sed, ut innumera alia Græca vocabula, Latio jure donata est.* Et exempla vocis ejus attulit ex *Plauto* in *Rudente*, *Catone De re rustica* cap. CV, & *Columella De agricultura* lib. XII cap. XX.

Jam vero intelligere poterimus, tum deinde ab Imperatore Nerva & ejus successore Trajano, si fi-

Via, quæ a Puteolis ducebat

Neapolim, renovata fuit ab Nerva, & Trajano.

fidem habemus *Inscriptionibus* quibusdam antiquis, quas retulit *Capacius Anquitat.* & *Histor. Campaniæ* cap. V, renovatum fuisse reliquum ejusdem viæ, quæ a Puteolis ducebat Neapolim, cum ejus refectio visa fuit esse opportunior. Atque hujus vestigia indicant, eam fuisse directam per Forum Vulcani, quod hodie dicitur *La Solfataja*; item per lacus Aniani latus, & illum collem, qui *Antignano* appellatur, quoniam e regione ejusdem lacus erigitur. Hanc viam credidit idem *Capacius*, & ante eum *Sabellicus* in commentariis ad *Suetonium* in *Caligula* cap. XIX, esse viam Appiam; quæ ab *Statio* lib. II *Silvarum* carm. II dicta fuit *regina viarum:* & inde collem istum satis fuisse nobilem, idem *Capacius* sibi persuasit. Verum anne illi iste Neapolitanus poëta suus non manifeste indicaverat earum distinctionem in versibus, quos supra adduximus, & item in sequenti *carm.* IV ejusdem *Silvarum* libri IV? ubi ad Marcellum scribens, ipsum carmen suum alloquutus est ad hunc modum:

Atque hæc non dicenda est Appia, nisi improprie.

Capacius & Sabellicus refutati.

Curre per Euboicos non segnis epistola campos,
Hac ingressa vias, qua nobilis Appia crescit
In latus, & molles solidus premit agger arenas.

Statius potissimum heic loquutus fuit de via Domitiani. Verum si huic convenire nequit proprium Appiæ viæ nomen, cujus illa quasi ramus fuit recens adnatus; multo minus illud tribui potest isti viæ, quæ Neapolim ferebat, & ab Appiæ tramite longe adhuc erat remotior: nisi tamen illud nomen concedere illi libuerit eodem modo, quo deinde *Appia* dicta fuit quælibet via vetus, strata silice, ut in *Emendationibus* nostris ad *Chronicon Anonymi Casinensis* demonstravimus. Ceterum veriore & nobiliore titulo collis iste hanc sibi fortunam atque gloriam asserit, quod in eo commoratus fuit S. Januarius, episcopus & martyr Beneventanus, cum Nola Puteolos ad mortem duceretur. Et aliquanto post corpus ejus reportatum fuit Neapolim ut notavit idem *Capacius* loco citato, & item *Antonius Caracciolus De sacris monumentis Neapolitanis* cap. XX Sect. XII; licet nonnihil inter se dissentiant de fundatione ædiculæ, quæ ibidem dedicata fuit isti Sancto. Ceterum ejusdem collis magis adhuc prædicarem gloriam, si justa ratione persuaderi possem, Sanctum Apostolum Paulum, cum post longam illam & molestam navigationem, quam narravit *S. Lucas* in *Actis Apostolorum*, appulisset Puteolos, ibique septem dierum egisset moram, terrestri itinere per Neapolim perrexisse Romam; sicut famam ferri inter Neapolitanos, & haud obscura superesse indicia, affirmat *Lorinus* in *Commentariis* suis ad *Acta Apostolorum*. Et itidem *Caracciolus* cap. IV *Sect.* I ejusdem libri, quem modo citavimus de suo quasdam novas conjecturas & considerationes pro hac sententia addidit. Veruntamen ego quidem, cum nihil omnino cognitum habeam de istiusmodi indiciis, quæ uterque istorum auctorum asseveravit quidem, sed non indicavit, non possum non dubitare de veritate istius itineris. Potuit enim Apostolus ab centurione, custode suo, Puteolis deductus esse Romam per Cumas, & istam viam littore tenus; quam diximus; per quam omnino iter fieri solitum fuit, jam antequam refecisset eam Domitianus. Sed forte quis crediderit, centurionem istum, longa navigatione fessum, cum terra conficere vellet, quod reliquum erat itineris, elegisse illam viam, quæ minus erat molesta: ideoque relicta illa, quæ ad mare erat retorta adeo & impedita, per Neapolim & Capuam deflectendo pervenisse Sinuessam: & hinc denique per Forum Appii & Tres Tabernas, ut in iisdem *Actis* legitur, perrexisse Romam. Sane

Sed ea quidem laus debetur isti, quod illac transierit S. Januarius.

Verum idem non necesse est credere etiam de S. Paulo Apostolo, cum ille Puteolis profectus est Romam.

Lorinus & Caracciolus refutati.

Nam debuit ille

vero in hanc ego sententiam consentirem, nisi ille potuisset etiam Neapoli relicta pervenire Capuam, via multo certe faciliore & planiore: id est, per illam, quæ a *Plinio* lib. XVIII cap. XI appellatur *Consularis*, quamque nos diceremus *viam Regiam*; cujus superest & hodieque frequentatur magna pars, quæ apud Puteolos *Campanæ* nomen servat. Verba *Plinii*, ubi de terminis campi Leborii agit, quem suo loco descripturus ero, hæc sunt: *Finiuntur Leboriæ via ab utroque latere consulari, quæ a Puteolis, & quæ a Cumis Capuam ducit.* Et per eandem hancce viam si recte video, Romam quoque delatum fuit corpus Tiberii Imperatoris, qui Miseni decesserat; de quo in ejus *Vita Suetonius* ad finem ita scripsit: *Ut moveri a Miseno cœpit, conclamantibus plerisque: Atellam potius deferendum, & in amphitheatro semiustulandum, Romam per milites deportatum est.* Sermo hic probrosus debuit ortus fuisse ab ejus oppidi situs opportunitate, quod exiguo spatio remotum a via ista, quam diximus, ad dextram erat a Miseno & Puteolis Capuam euntibus. Atque hæc nostra non repugnat *Casauboni* sententiæ, qui satis apte commentatur, homines istos judicavisse Tiberii corpus *projiciendum in aliquod Campaniæ municipium, qua tantopere delectabatur*, & Atellam nominavisse præ qualibet alia urbe, *alludentes ad flagitiosam ejus vitam: talis enim Atellanorum vita, & mores, unde sunt Atellanæ fabulæ nuncupatæ.* Certe illa verba, *ut moveri a Miseno cœpit* satis intelligi possunt de istius itineris die primo, quo Tiberii corpus debuit Miseno Capuam fuisse delatum. Neque etiam ipsi milites, cum non sine pompa funebri defunctum principem & Imperatorem suum portarent, aliam debuerunt ingredi viam, quam Consularem. Ceterum non æque jam certo asseverare ausim, Titum eandem iniisse viam, quando e Judæa *festinans in Italiam*, (sunt verba ejusdem *Suetonii*) *cum Rhegium, deinde Puteolos oneraria nave appulisset, Romam inde contendit expeditissimus.* Potuit enim ille, flagrans ingenti desiderio Romam ad patrem Vespasianum accedere necopinato, nihil pensi habere incommodum molestæ istius ad mare viæ, quæ nondum quidem renovata, sed altera multo brevior erat. Verum dicet jam *Caracciolus*, si Apostolus non per modum itineris, saltem ut viseret discipulos, quos aliquot annis ante istic reliquerat S. Petrus, voluit ire Neapolim per septem istos dies, quos otiatus est Puteolis. Quod si hoc ego argumentum refutare vellem, satis possem, opponendo illi multa absurda, quæ in ejus deprehendo conjecturis. Verum ipse viderit, quomodo ita disputare possit, si ejusdem cap. IV Sect. III voluit, Christianos Campaniæ, cum intellexissent adventum S. Pauli in urbem Puteolanam, una congregatos ivisse, ut eum viserent; & hos fuisse istos, quorum precibus motus ille fuit, ut maneret ibidem per istos dies. Atque hoc sane nollem dictum fuisse a *Caracciolo* in præjudicium Puteolanorum, immutata nonnihil sententia sacrorum verborum, quæ ita habent: *Secunda die venimus Puteolos, ubi inventis fratribus, rogati sumus manere apud eos dies septem.* Certe *Lorinus* existimavit, hanc moram ab Sancto Apostolo unice factam in gratiam Christianorum Puteolanorum, quos istic instituerat S. Petrus eodem tempore, quo Neapoli baptizavit S. Candidam, & S. Asprenum: *Magna hæc Puteolanorum laus, Christi fidem adeo mature amplexos esse, tantique Apostoli tot diebus præsentia cohonestatos.* Ita *Lorinus*. Verum ego, qui institueram de via Domitiani agere, illam egressus esse videbor. Nihilominus idem argumentum postulabat, ut de majore, aut minore frequentia istius itineris hac

per viam Consularem iter suum instituisse,

Quæ in isto itinere satis fuit frequentata.

Suetonius illustratus.

Neque etiam Neapolim opus habuit ire negotiorum causa.

hac occasione aliquanto uberius agerem.

SAVO amnis brevi, & lento cursu non unam paludem format.

Jam a Sinuessa littore tenus per viam, quam diximus, progredientes perveniebant ad ostium amnis, qui ab Latinis dictus fuit *Savo*; & hodie, quasi hoc nomen ejus commune sit cuilibet alii torrenti, aut exiguo flumini, vulgo appellatur *Savone*, & *Saone*. Certe *Plinius Secundus* lib. III cap. v collocavit flumen isto nomine dictum citra Sinuessam; atque istud subsequi dixit oppidum atque flumen, utrumque *Volturni* nomine appellatum. Verba ejus hæc sunt: *Opidum Sinuessa extremum in adjecto Latio.* Et deinde: *Hinc felix illa Campania est.* Et mox: *In ora Savo. Volturnum opidum cum amne. Liternum. Cumæ Chalcidensium; & ipsa Parthenope a tumulo Sirenis appellata.*

Strabo notatus.

Neque *Strabo* etiam alium illi situm assignavit, licet indicium prodiderit, se illud [1] confudisse cum fluvio, quem *Plinius* in verbis, quæ proxime adduximus, & item alii *Liternum* appellavere, quique alio nomine dictus fuit *Clanius*, & est citra Volturnum; atque ripæ suæ oppidum habebat adjacens, quod itidem appellatum fuit *Liternum*, ut deinde ostendam. Verba *Strabonis* ita Latine reddidit interpres ejus: *Urbes Campaniæ ad mare post Sinuessam, Liternum, ubi sepulcrum est Scipionis, ejus, qui primus est Africanus nuncupatus* &c. *Sequitur Volturnus, urbs ejusdem nominis cum amne, ipsam præterlabente.* Nascitur hic Savo fluvius duobus fontibus ab utroque latere Teani, perque aliquantum spatii duos occupat alveos. Deinde in unum conjunctus, & novis auctus aquis, nec ideo tamen vel tantillum rapidior, hic illic jam antiquitus in varias sese paludes diffundebat; unde *Statius* in carmine, quod supra citavimus, illi addidit *pigri* epitheton:

Et Literna palus, pigerque Savo.

Et *Plutarchus* quoque has aliasque paludes, formatas ab amnibus, quos supra memoravi, & insuper illas, quas Volturni fluminis aquæ faciebant, intellexit in *Fabio*, ubi regionem, in quam Annibal deductus erat per errorem ducis sui, & ibidem quasi cinctus obsidione a Fabio, ita descripsit, ut Latinus interpres ejus habet: *Regio est cætera cincta montibus. vallis autem usque ad mare porrigitur, ubi paludes effuso flumine edit; habetque altos arenæ cumulos. demum littore clauditur undoso importuosoque.*

Plutarchus leviter notatus.

Veruntamen non unius tantum, sed plurium fluminum, extra ripas suas exspatiantium, aquæ formabant hasce paludes. Et de paludibus quidem Savonis intelligere hoc possumus ex allegato *Statii* versu, ex quo auctore idem paulo post intelligemus quoque de Volturni paludibus.

XII. *Volturnus flumen. Non habuit aliud nomen antiquitus. Divinitas ejus. Capua nunquam dicta* Volturnum. *Qualitates Volturni fluminis. Pontes ejusdem.*

Nomen VOLTURNI fluminis non fuit Latinum.

NAscitur Volturnus flumen in Samnio, & inde ex sententia *Varronis* lib. IV *De lingua Latina* secum detulit etiam hoc nomen suum; ut adeo istud non acceperit a Campaniæ incolis, vel ab Latinis: *Tiberis*, dicit *Varro*, *ut caput extra Latium, sic inde nomen quoque effluxit in linguam nostram, nihil Latinum. ut quod oritur in Samnio, Volturnus, nihil ad Latinam linguam. At quod proximum opidum ab eo secundum mare, Volturnum, ad nos jam Latinum nomen, ut Tiberis venit; nam & colonia nostra, Volturnum, & Deus Tiberinus.* Ita *Varro*; qui non ideo tamen negat, etiam deinde ab Latinis appellatum fuisse eodem modo.

Idem creditum fuit non semper dictum fuisse hoc modo.

Verum longe aliter, & disertis verbis loquutus fuit *Plutarchus* in *Fabio*, quem librum etiam supra citavimus ubi affirmat, fluvium istum alio modo fuisse appellatum ab Romanis, alio a populis Campaniæ, sive Samnitibus. Verba ejus, quæ apud interpretem aliquantum sunt mutila, integre in Latinum sermonem conversa, hæc sunt: *Campaniæ opidum Casilinum, quod interfluit Lothronus amnis, quem Romani Vaturanum vocant.* Volturnum fluvium interfluxisse Casilinum, intelleximus ex *Livio* lib. XXIII, ubi de limitibus Campaniæ Felicis Occidentem versus diximus: & idem affirmavit quoque *Strabo* lib. v. neque est, qui illud in dubium vocet. Et adeo vox *Vaturanum* certissime corrupta est ex genuino *Volturnum*, quo nomine, ut diserte *Varro* testatur, & omnes omnino consentiunt, flumen hoc appellatum fuit ab Latinis. Igitur idem habuit aliud nomen apud accolas, aliud apud Romanos.

Varro & Plutarchus discordes.

Hancce horum auctorum dissensionem non animadvertit *Cluverius*, qui alioqui satis cognovit verborum *Plutarchi* vitiositatem, & etiam acute consideravit *Varronis* verba. Hinc non dubitavit, quin Volturnus habuerit varium & duplex nomen: & ablatus quibusdam conjecturis, quas prolixe referre longum foret, sibi persuasit, eum ab accolis neque *Volturnum*, neque *Lothronum* dictum, sed *Althurnum*; ab eoque vocabulo deinde apud Romanos ortum *Volturni* nomen, & demum *Vulturni*.

Cluverius refutatus pluribus de causis.

Verum ego, sicut, ipsi hoc lubens concedo, in *Plutarcho* pro corrupta voce *Lothronus* reponendum esse aliud nomen, ita non possum temere recipere hanc ejus emendationem. Neque etiam mihi videtur hac de re potius fides habenda auctori extraneo, quam *Varroni* non tantum auctori nostro & Romano, sed ipso etiam immane quantum doctiori rebus Italiæ, & ab recondita eruditione multum instructo. Neque vero argumenta, quæ *Cluverius* adducit pro sua opinione, adeo sunt certa, ut non possint levi negotio refelli. Equidem hoc illi omnino concedo, apud *Polybium* lib. III legi hunc fluvium per errorem dictum *Athurni* nomine; verum neutiquam illi assentio, dum istic reponendum esse contendit *Althurnus* potius, quam *Volturnus*, quod nomen illi sine exceptione tributum fuit ab omnibus aliis, tam Græcis, quam Latinis auctoribus.

Polybius emendatus.

Nec enim ratio reddi unquam poterit, cur *Polybius* recedere voluerit ab usu communi & familiari apud Romanos, qui usurpaverunt hoc posterius, non autem illud *Althurni* nomen, ipso fatente *Cluverio*. Ceterum de *Plutarcho* hoc jam dici nequit, qui duplex fluminis nomen prodidit. Insuper neque istud nego, itidem vitiosum esse *Alterni*, sive *Aliterni* nomen in istis *Servii* verbis ad lib. x *Æneidos*, quibus refert opinionem quorundam, qui crediderunt, Capuam fuisse quondam appellatam istoc nomine. Verum non itidem illi hoc concedo, istic similiter reponendum esse *Althurnus*. Neque enim *Servius* loquutus fuit de alia opinio-

[1] Potius crediderim, Strabonem hic inter se confudisse Volturnum & Liternum flumina, quam Liternum posuisse, ubi Savonem debebat. Nempe videtur ille neglecto Savone, exiguo atque ignobili amne, unde Ptolemæum quoque apparet ejus non habuisse rationem, per errorem aut incogitantiam Liternum flumen cum urbe Literno posuisse, ubi Volturnum cum urbe cognomini ponere debuerat; & vicissim hoc oppidum atque flumen posuisse istic loci, ubi debuerat Liternum amnem cum urbe. Atque hoc facilius potuit fieri, tum ob vicinitatem horum fluminum, tum etiam ob nominum convenientiam, & quod utrumque ad ostium suum haberet urbem sibi cognominem. Verba Strabonis, quæ huc pertinent (nam in illis, quæ auctor adduxit, desideratur Liternus amnis) Latine ita habent: *Urbes* Campaniæ *ad mare post Sinuessam, Liternum.* &c. *Urbem alluit ejusdem nominis fluvius. Similiter autem Vulturnus quoque cognominis est urbi, quæ ad ipsum sita est post* Liternum. &c. *Has urbes subsequuntur Cumæ.*

Servius emendatus.

pinione, quam de illa, quam nobis indicavit *Livius* lib. IV, cujus exemplaria constanter retinent *Vulturnus*, quod nec ipse *Cluverius* impugnat. Igitur de alia *Plutarchi* emendatione cogitandum est. Verumne forsitan fuerit, eum scripsisse, ab Romanis hoc flumen non fuisse dictum *Vulturnum*, ut ab aliis appellabatur, sed *Volturnum*? Certe in omnibus codicibus *Varronis De lingua Latina*, multisque marmoribus vetustis, quæ retulit *Aldus* in *Orthographia* sua, & in isto marmore, quod una cum aliis inventum superioribus annis inter ruinas proscenii theatri nostri veteris in urbe Capua, & ibidem relictum fuit subter terra, quia magnitudinis erat immanis, nomen hujus fluminis non alio modo legitur. Et videri posset hæc emendatio haud sane longe a vero abesse, cum appareat, easdem Inscriptiones puro sermone Latino esse scriptas. Illa marmoris nostri Campani hæc est:

Emendatio Plutarchi prolata, non affirmata.

G. LART. . . .
GABINIO P. F.
PAL. FORTVITO
DICTATORI LAN.
II. VIR. CAPVAE.
QVOD VIAM DIAN
A PORTA VOLTVRN
AD VICVM VSQ. SVA
PEC. SILICE STRAVER
OB MVNIFIC. EIVS
D. D.

Verum cum hinc ego colligam, non posse esse verum, quod itidem credidit *Cluverius*, nempe Romanos primum extulisse hoc nomen ita ut illud expressum legitur in antedictis marmoribus, quæ nihil habent, unde illa satis remoti temporis esse credamus, deinde autem isto altero modo; potius arbitror, *Plutarchum* parum curavisse minutam adeo & levem observationem, & indicare nobis voluisse aliam rem majoris momenti, &, ut mox palam faciam, non animadversam aliis auctoribus Græcis, licet vel sic ille in errorem inciderit non minorem. Igitur mihi persuadeo, perinde verba, quam sententiam ejus opus habere censura: & per veram ejus lectionem, quæ multum exercuit *Cluverium*, & ab interpretibus conclamata est, posse nobis palam fieri, eum falsa imbutum opinione reliquisse scriptum, flumen hoc varia habuisse nomina. Igitur observari debet, quosdam auctores Græcos, cum parum nossent distinguere fluvium Liternum, qui alio nomine dictus fuit *Clanius*, de quo acturus ero paulo post, ab aliis Felicis Campaniæ fluminibus, variis inde modis in errorem fuisse inductos. Hinc alii eum collocaverunt ultra Cumas, Puteolos versus, ut *Ptolemæus* fecit: alii eum cum flumine Savone confuderunt: alii cum flumine Liri, ut diverso modo fecisse [1] *Strabonem* & *Appianum Alexandrimum* suis locis demonstravimus. Unum deerat, ut esset, qui illum confunderet cum Volturno flumine, quod illi vicinius currebat omnibus aliis. Et ecce *Plutarchum*, qui corrigere se credens errorem communem, alium admisit nihilo minorem, dum ita dixit: *Campaniæ opidum Casilinum interfluit Liternus amnis, quem Romani Volturnum vocant.* Atque hæc sane debuit fuisse lectio, mens, atque error hujus auctoris. *Varro* autem, qui dixit, Volturnum nonnisi unum habuisse nomen, nihil nos fefellerit.

Nimirum cum Literno flumine confusum fuit.

Plutarchus correctus, illustratus, & refutatus.

Varro defensus.

Prima syllaba nominis Volturni *enunciata fuit per*

Neque vero potest loquutus fuisse *Plutarchus* de prima syllaba ejusdem nominis; utrum scilicet illa antiquitus elata fuerit per quartam vocalem, an per quintam. Ex marmoribus enim, de quibus modo diximus, & item aliis multo antiquioribus monumentis apparet, illud enunciatum fuisse ab Romanis, quantumvis alia etiam significatione, uno eodemque modo. Nam illi & hunc fluvium, & item antiquissimum quoddam numen suum isto nomine appellaverunt, ut intelligi potest ex ejusdem *Varronis* & *Festi* vulgatis codicibus, de quorum sinceritate hac quidem parte nemo usque adhuc dubitavit: *Volturnalia*, dixit *Festus*, *Volturno Deo sua sacra faciebant, cujus Sacerdotem Volturnalem vocabant.* Et *Varro* lib. VI *De lingua Latina* ita habet: *Eundem Pompilium Numam ait fecisse Flamines, qui cum omnes sint a singulis Deis cognominati, in quibusdam apparent etyma; ut cur sit Martialis, Quirinalis. Sunt in quibus Flaminum cognominibus latent origines, ut qui sunt in versibus plerique, Volturnalis, Palatualis, Furinalis, Floralis, Falacer, Pomonalis: obscura est eorum origo, Volturnus, Palatua, Furina, Flora, Falacer, Pomona, pomorum patrona.* Huc usque *Varro*. Heic autem observari velim, cum ille sciri originem nominis, atque numinis Dei Volturni negaverit, non debuisse *Turnebum*, & ubi hæc verba exposuit, & item *Adversariorum* lib. VI cap. V, adeo audacter affirmare, tanquam rem valde manifestam, Flaminem Volturnalem dicatum fuisse Volturno flumini; cum sententiæ suæ ne quidem ullum attulerit argumentum.

vocalem quartam.

Turnebus notatus.

Sed nonnullis videbitur forsan haud improbabile, *Varronem* studio nos celare voluisse dei Volturni originem numinis, & retulisse eam inter alias opiniones ignotas ideo, ut simul & illud occultaret, deum istum e Campania nostra & a Campanis transiisse ad Romanos; ut adeo prorsus etiam in obscuro maneret occasio transitus istius, cujus memoria propter veterem æmulationem, quæ inter duos hosce populos erat, Romæ non poterat esse, nisi parum grata. Certe gentiles, ut affirmat *Annalium* lib. I. *Tacitus*, *sacra & lucos patriis amnibus dicabant.* Et Volturnus deus debuit antiquissimum numen fuisse populorum, qui vicinos fluvio cognomini tractus incolebant. Eundem deum magis animus inclinat credere fuisse peculiare numen Campaniæ incolarum & Campanorum, qua in regione cursum suum finiebat in mare effusus, quam Samnitium, licet in Samnio fontes suos haberet. Nam & ita simillimo exemplo numen Tiberis fluminis peculiare fuit Romanis, respectu loci, ubi finitur hic fluvius, non illius, ubi oritur. Atque hoc nos monuit *Servius* in expositione illorum verborum, quæ apud *Virgilium* lib. VIII *Æneidos* idem deus Tiberinus loquitur: *Hic mihi magna domus.* Ad quæ ita *Servius*: *Scilicet circa exitum suum: quamvis enim alibi ortus, hunc tamen locum incolo. Alii Romam dicunt Tiberini esse domicilium; hinc dixisse magnam domum. Alii ostia dicunt, ob hoc, quod nos cum per diversa discurrerimus officia, in domum nostram nos recipimus, ibique requiescimus; ut idem hic, cum per reliqua spatia discurrerit, recipiat se per ostia in mare.* Ceterum si hoc quoque videri potest non alienum a vero, facile fidem habebo *Varroni*, qui dixit: *Quod oritur in Samnio Volturnus, nihil ad Latinam linguam*; & simul credam, *Volturnum* obtinuisse hoc nomen in Campania, non autem in Samnio: & eum fuisse denominatum ab nomine Campaniæ & Campanorum. Et ad hanc opinionem etymologia ejus mihi dux est. Idem enim valet vox καμπιος sermone Græco, qui inter omnes antiquiores Italiæ linguas olim fuit usitatissimus, qua de re agere non est hujus loci, quam Latinum *flexuosus*. Καμπιος est a verbo καμπτω, quod Latine

Cultus dei VOLTURNI *a Campanis Romam transiit,*

Qui hunc fluvium pro numine suo coluerunt;

Eumque Volturnum *dixerunt de suo nomine.*

Varro refutatus.

[1] Diximus ad finem *cap.* præcedentis, potius videri Strabonem alterum pro altero posuisse Volturnum & Liternum flumina, quam Liternum cum Savone confudisse.

tine notat *volvo*, *flecto*; & antiquitus pronunciabatur κάμπω: perinde ut olim dixerunt τύπω, quod posteriores τύπτω. Hinc apud *Hesychium* (verba ejus Latine reddam) *campici cursus* sunt, *non recti & simplices, sed flexuosi*: & falco, avis notissima, *capys* nomen accepit a curvis & aduncis, quos habet, pedibus: & itidem animalcula ista insecta, quæ sinuando sese & retorquendo (*erucæ* sunt Latinis) repunt, Græcis dicuntur κάμπαι, & hodieque ab hac origine Græca *campe* dicuntur idiomate nostro. Igitur in principio perinde fuisse debuit, an quis diceret *flumen Volturnum*, an vero *Capuæ*, sive *Campuæ flumen*. Hoc enim modo primum appellatam hancce urbem, haud sane inepte credidit *Cluverius*; qua de re uberius acturi sumus alia occasione. Jam vero non satis certus sum, utrum *Varro* nomen Volturni cum Tiberis nomine comparaverit tantum hanc ob similitudinem, quam ipse notavit in loco, quem supra attulimus, an vero etiam propter aliam istam occultiorem, cujus videmur habere posse indicium aliquod ex verbis *Servii*, ubi exponens istud *Virgilii* hemistichium *Æneidos* lib. VIII:

Cluverius laudatus.

Et longos superant flexus ——— ———

ita scripsit: *Et hoc ostendit, non esse alveum fluminis rectum; quia Tiberim libri Augurum colubrum loquuntur, tanquam flexuosum.* Quod si ad hanc similitudinem horum fluminum, quod in multos sinuarentur gyros; respexit *Varro*, sine dubio etiam sibi persuasit: etymologiam *Volturni* ortam fuisse a *volvendo*, & a *sinuando*, & a κάμπτειν; unde non aliud fuerit dixisse flumen *Volturnum*, quam *flumen Capuæ*, sive *Campuæ*, & *fluvium volutatorem*. Credi possit etiam ventus iste, qui a priscis Apulis dictus fuit *Volturnus*, quique, ut scripsit *Livius* lib. XXII, *campis torridis siccitate nubes pulveris vehit*, istud nomen accepisse, ut ita dicam, a *volutando*; quasi a turbinibus, quos movebat, fuerit dictus *ventus volutator*. Sed ille videtur potius ita denominatus esse a monte, qui ab iisdem Apulis dictus fuit *Vultur*, & in eorundem regione fuit, ut credidit *Cluverius Italiæ* suæ lib. IV cap. XII. Insuper ex historia prælii, quod Romani cum Pœnis commiserunt ad Cannas, apparet, flatum ejus non fuisse ad hunc modum. *Salmasius* quidem satis audacter ad *Solini* cap. ult. ita scripsit: *Volturnus Romanis appellatus est Eurus, quia ex Volturno oppido veniens, eos afflabat: nam Volturnum oppidum Campaniæ ab Oriente hyberno Romæ, unde Eurus flat. In ea parte Italiæ Volturnus amnis, & Volturnum oppidum, & Volturnum mare dictum est, atque inde Volturnus ventus, qui est Eurus Græcorum.* Verum non heic tantum, aut semel duntaxat ille se prodidit parum scientem situs nostrorum locorum regionumque. Neque enim Volturnum oppidum aut fama sua, aut Romæ vicinitate adeo eminebat inter ceteras ejus tractus urbes, ut iste ventus ab eo nomen accipere potuerit: ut jam taceam, eum Apulis dictum fuisse *Volturnum*, non item Romanis.

Varro ambigue illustratus.

Salmasius refutatus.

Jam vero notare licebit ingentem illorum errorem, qui apud *Livium* & *Servium*, quos supra citavimus, existimaverunt, Capuam antea fuisse appellatam *Volturnum*; & proinde hanc urbem diversis temporibus diversum habuisse nomen: cum re vera duo istæc duarum linguarum nomina fuerint nonnisi unum idemque nomen: non secus ac *Roma* urbs, cum istud vocabulum idem notaret apud Græcos, quod Latinis *robur* est, & ipsa nonnunquam dicta fuit *Valentiæ* nomine. *Peregrina res*, (verba sunt *Livii* lib. IV) *sed memoria digna traditur eo anno facta*. (nempe C. Sempronio Atratino, Q. Fabio Vibulano consulibus) *Volturnum, Etruscorum urbem, quæ nunc Capua est, ab*

Nomen VOLTURNI & CAPUÆ unum idemque fuit.

A

Samnitibus captam; Capuamque ab duce eorum Capye, vel quod propius vero est, a campestri agro appellatam. *Servius* ad lib. X *Æneidos*, postquam retulerat varias opiniones de origine hujus urbis ejusque nominis, subjunxit hæc: *Alii a Tuscis quidem retentam, & prius Alternum vocatam.* (legendum est *Volturnum*, ut ex collatis *Livii* verbis apparet, & item supra monui) *Tuscos, a Samnitibus exactos, Capuam vocasse, ob hoc, quod hanc quidam Falco condidisset, cui pollices pedum curvi fuerunt, quemadmodum Falcones aves habent, quos viros Tusci Capuas vocarunt.* Ita illi. Sed mirum sane, ipsos non animadvertisse errorem adeo manifestum: cum & *Livius* consenserit, eam a campo potius, quam a *Capy* nomen accepisse; & *Servium* neutiquam fugerit, fuisse, qui dicerent, eam ab nomine conditoris, qui dictus fuerit *Capys*, quod curvos pedes haberet, fuisse denominatam. Certe *Horus Milesius* apud *Varinum Favorinum* in *Vocabulario* ad vocem Καμπανοὶ non aliam, quam hanc ob causam, quod una eademque significatio esset vocabulorum Καμπτὸς & *Volturnus*, Græce Καμπτὸν *Camptum*, dixit oppidum istud, quod Latini *Volturnum* vocarunt; quodque ad ostium cognominis fluvii situm, a Cumis haud multis passuum millibus aberat. Verba *Varini* Latine ita habent: *Campani quod Camptum ædificaverunt prope Cumam. Locus ita dictus; qui etiam Campani vocati sunt. Ita Orus Milesius.* Imo vero *Horus Milesius*, cujus sententiam *Varinus* minus bene aut intellexit, aut expressit, Volturnenses intelligens, istud dicere voluit, *eos etiam vocatos fuisse Campanos*: alioquin enim istiusmodi sermo nimis foret ineptus. Ceterum videtur mihi conjectura mea etiam confirmari ex eo, quod *Josephus Scaliger* in *Notis* ad eundem lib. IV *Varronis* dixit: *Siculi Circum, aut Hippodromum, campum vocabant a flexu equorum & quadrigarum, quæ ibi certabant: inde omnia plana campi dicti.* Verum hac de re jam satis. Nunc cœptum de Volturno flumine argumentum persequi oportet.

B

Livius, & Servius notati.

Horus Milesius, & Varinus Favorinus illustrati.

C

Varinus notatus.

D

In

1. Quid heic sibi velit auctor, equidem prorsus non intelligo. Nam quæ istæc, obsecro, consequentia est: Livius a *campestri* agro potius, quam a *Capye*, Capuam fuisse appellatam credidit, ergo facile potuit animadvertere *Volturni* & *Capuæ* unum idemque fuisse nomen, & erravisse illos, qui hanc urbem primo Volturnum, deinde Capuam dictam voluerunt? nisi forte noster voluit, Livium debere quoque persuasum habuisse, *campi* vocabulum a κάμπτω, *flecto*, *volvo*, derivatum; & a κάμπτω *Campuæ* sive *Capuæ*, a *volvo* autem *Volturni* nomen deductum, ut auctor non obscure affirmat in proxime præcedentibus, & item *Dissert.* IV cap. XI. Verum, etsi de Capuæ & Volturni nominum origine, item hocne illo antiquius sit, an secus, non multum contendere libet, mea quidem sententia nihil aliud voluit dicere Livius, quam Capuam ita dictam esse a planitie & amœnitate agrorum. Nimirum ille respexisse videtur ad Græcum κῆπος, *hortus*, quod Dorica dialecto κᾶπος, a quo vocabulo potius crediderim cum Ang. Caninio in *Hellenismi Alphab.* & Jul. Cæs. Scaligero *Exercit.* XCIX *Sect.* X. formatum Latinis fuisse *campus*, prout in plurimis vocabulis M & N adscititiæ sunt literæ, quam a Siculorum hippodromis illud nomen ad omnia plana translatum, ut voluit Josephus Scaliger, quem mox citat noster. Et quamvis tanti viri sententiam magnus quoque Vossius comprobet in *Etymologico*, in voce *campus*, non erat tamen, quod noster adeo aspernaretur veterum illorum apud Livium opinionem, ejusque etymologiam, quam & videtur probavisse Cluverius lib. IV cap. I *De Italia antiqua*, cujus hanc in rem verba ipse refert *Dissert.* IV cap. X. Et eandem sequutus etiam videtur Plinius Secundus, ubi lib. III cap. V. *Capuam a campo dictam* scripsit: ut & Plutarchus in *Annibale*, seu quisquis alius fuit hujus *Vitæ* auctor, ubi *Capuam* dixit a Græco κῆπος fuisse dictam. Itaque Livii hæc forte fuit sententia, a Dorico κᾶπος Latinos *campi* vocabulum derivavisse, & ab isto *Capuam*, ab hoc *Campaniam* dictam. Jam vero quod ad Servium attinet, neque ille magis nota dignus erat, quam Livius: nisi & ipsum dicere libeat animadvertisse & credidisse debere, *Capuam* ita dictam ab nomine, quod incurvum quid & volvens, seu flexuosum denotaret, & *Volturnum* itidem a *volvendo*.

E

F

Volturnus fluvius inundationibus suis agros occupabat, & vias impediebat.

In Samnio igitur, ut diximus, oriens Volturnus, *per Venafrum*, (ita hæc verba Latine reddidit interpres *Strabonis* lib. v) *& mediam Campaniam fluit.* Inundationes quidem ejus, magis quam aliorum fluminum exiguorum, quæ supra notavi, intelligere debuit in *Fabio Maximo Plutarchus*, cujus verba etiam supra retulimus. Sed disertius loquutus fuit de illis *Statius*, quem post adducemus. Longe enim supra vicinos amnes ille abundat aquis: tum illis, quas ab aliis recipit fluminibus, quæ longo tractu ab Hirpinis descendunt, quæque ille circa Orientalem fere Campaniæ nostræ limitem finuans sese Septentrionem versus, inter Samnitium montes in alveum suum admittit; tum etiam aquis pluviis, quibus multo adhuc magis intumescit, & impetuosus redditur. Et adeo satis frequenter extra ripas suas effusus, agros inundat, viasque publicas inutiles reddit, atque obsepit. Imbribus tum forte intumuerat, atque rapidior factus erat, cum Marcellum impedivit in auxilio ferendo militibus Prænestinis, ab Hannibale obsessis in oppido Casilino: *Marcellum*, dixit *Livius* lib. XXIII, *& ipsum cupientem ferre auxilium obsessis, Volturnus amnis, inflatus aquis, & preces Nolanorum atque Acerranorum tenebant.* Et perseverans ille in hoc aquarum incremento per imbres continuos, hostibus palam fecit stratagema Romanorum, qui dolia annonæ plena ad obsessos dimiserant: *Imbribus deinde continuis*, subjunxit *Livius*, *citatior solito amnis, transverso vertice dolia impulit in ripam, quam hostes servabant. ibi hærentia inter obnata ripis salicta conspiciuntur.* Et viarum quoque, perinde certa habemus exempla ejus impetu ruptarum; quarum unam (utrum Appiam, an Latinam, an denique aliquod earum brachium, non satis scio) refecit M. Aurelius Imperator tertio Consulatu suo, qui fuit a Christo nato annus CLXIII. Testatur hoc marmoris, quod Capuæ est, vetus & mutila nonnihil *Inscriptio*, quam dextre supplevit olim Alphonsus Carvagialis, gente Hispanus, & antiquitatum Romanarum studiosissimus, cum regius nostræ urbis præfectus esset, & item castelli, quod hodie appellatur *delle Torri*, (*castellum turrium*) anno a Christo nato MDVI. Habet illa sequentia verba, quæ sculpta sunt, ut notavit *Gruterus* pag. 151, *litera coacta ac declinanti, nec digna seculo Antonini, sed forsitan a posteris restituta.* Et Capuæ quidem similis formæ non reperitur aliud marmor.

Imp. Caesar Aug. M. A V R E
lius Anton INVS PIVS FE
lix Aug. PARTHICVS MAX.
Brit ANNICVS MAX. P. M. PP.
COS. III. DESIG. IIII.
VIAM INVNDATIONE AQVE
INTERRVPTAM RESTITVIT

Vetus Inscriptio illustrata, ejusque auctor notatus.

Inter calamitates, quæ Antonino Pio Imperatore acciderunt, numeravit *Aurelius Victor terræmotus non sine interitu civitatum, inundationes fluminum, luem crebro, locustarum species agris infestas.* Et *Julius Capitolinus* de eodem Imperatore ita dixit: *Vias Urbis atque itinerum diligentissime curavit.* Verum si auctor hujus *Inscriptionis* prævidisset, eam non in perpetuum ibidem loci mansuram, ubi primum collocata fuit, forsitan expressisset istius viæ atque aquarum nomen, quas ego quidem Volturni fluminis fuisse arbitror. Ceterum quænam jam fuerit ista via, aut ab qua Volturni ripa, omnino incertum est. Jam vero istas inundationes fluvii hujus intellexit *Virgilius Æneidos* lib. VII, ubi eum *vadosum* appellavit hisce versibus:

Proinde dictus fuit VADOSUS.

—— —— —— —— amnisque vadosi
Accola Volturni —— —— —— ——

A Per *vada* intelligi debent lacunæ, quas flumina, extra ripas suas exspatiantia, relinquere solent in agris. Atque hujus interpretationis *La Cerdam* miror habuisse rationem adeo exiguam, ubi in *Commentariis* ad ista verba *Virgilii* eam quasi dubiam retulit ad finem aliarum aliquot expositionum, quæ a poëtæ sententia, & qualitatibus hujus fluminis alienæ sunt: *Sed cur vadosus?* ita ille quærit. Respondet: *Quia ingenti ostio intrat mare. ideo ut Plinius lib.* XXXVI *cap.* VI *vocet mare. illius enim verba hæc: Jam vero & in Volturno mari Italiæ arena alba nascens, &c. Abrahamus in Indice capit de ostio hujus fluminis. Hujus ostii meminit Livius lib.* XXXV. *Ergo ut maria dicuntur Poetis vada, ita flumen instar maris vadosum. Sic & Ovidius, Mæandri vada dixit. Certe de reliquo flumine capi non potest, nam Silius lib.* VIII*: Fluctuque sonorum Volturnum. amnes enim, qui sonant & fluunt cum strepitu, non sunt vadosi. Idem Silius Volturna vada nominat, loquens de ea parte, quæ ad mare, ut legenti apparebit. Dici etiam potest vadosum propter frequentes hujus fluminis stagnationes. sic vada Nili frequentissimè. Domitianus postea Volturnum coërcuit alveo. ipse enim fluvius apud Statium quarto Sylvarum loquens cum eo Principe, ait.* &c. Versus *Statii* mox afferentur. Verum integra referre volui verba copiosi hujus interpretis Virgiliani, quia ille multa nobis exposuit, quæ non abs re erit exsequi sigillatim. Memoravit *Plinius* mare Volturnum Italiæ; sed istis verbis, quæ *La Cerda* retulit, subjunxit hæc alia: *Sex millia passuum littore inter Cumas & Lucrinum:* (scribe *Liternum*, ut paulo post ostendam) & ille credidit, eum fuisse loquutum de ostio fluminis. Non ita fecit *Ortelius*, ab ipso citatus, qui dixit, esse istud mare *ad hujus fluminis ostium*, ut & verum erat; quandoquidem illud *Plinius* collocavit ad dextrum latus ejus inter Liternum & Cumas, *appellatione* (dicit *Cluverius*, cui ego assentio) *haud dubie ab ipso inventa, & nulli alii usurpata*, utcunque etiam *Varro* videri possit idem istud nomen usurpavisse, si verba ejus, quæ supra attulimus, distinguantur ad hunc modum: *At quod proximum oppidum ab eo secundum mare Volturnum, ad nos jam Latinum vocabulum, ut Tiberis, venit.* Verum heic vocabulum *Volturnum* includi debet commatibus duobus. Pergit *La Cerda*, *Silium* dixisse hunc fluvium *sonorum*: nempe hisce verbis lib. VIII:

Virgilius illustratus.

La Cerda notatus pluribus modis.

Plinius Secundus illustratus.

Cluverius laudatus.

Etiam dictus fuit SONORUS, & CELER:

—— —— Sinuessa tepens, fluctuque sonorum
Volturnum —— —— —— —— ——

Potuisset addere, eum ab *Lucano* lib. II dictum fuisse *celerem* & *velocem*:

—— —— —— —— delabitur inde
Volturnusque celer, nocturnæque editor auræ
Sarnus —— —— —— —— ——

Atque hoc rapido cursu suas ipse rodebat ripas, unde *rapax* appellatus fuit ab *Claudiano* in *Panegyrico* ad Probum, Probinum, & Olybrium:

Item RAPAX, LIMOSUS, & FLAVUS.

Volturnusque rapax, & Nar vitiatus odore
Sulphureo —— —— —— —— ——

Inde multam secum trahebat arenam fæculentam, ut *Metamorphoseon* lib. XV notavit *Ovidius* hisce versibus:

—— multamque trahens sub gurgite arenam
Volturnus —— —— —— ——

Atque hinc *Statius* illi *flavi* cognomen dedit, *Virgilium* imitatus, cui *Æneidos* lib. VII Tiberis dictus fuit

—— —— —— multa flavus arena.

Idem ad finem lib. IX ita de eodem:

—— —— —— ille suo cum gurgite flavo
Accepit venientem, ac mollibus extulit undis.

Atque heic *Jacobus Mazzonus* lib. I cap. XX *Defensionis Dantianæ* vocem *flavo* accepit pro *pulchro.*

Ve-

Verum illi exciderat prior iste *Virgilii* locus, & ad eum brevis glossa *Servii*, qui istud adjectivum dixit *epitheton proprium.* Atque hoc nos denuo monuerat *Turnebus* lib. XXII cap. VII *Adversariorum.* Sane enim flavus Tiberini color non ad aliam referendus est causam, quam ad ejus, perinde ut Vulturni fluminis, rapidum cursum; unde idem poëta lib. VIII eundem Tiberim dixit

> *Stringentem ripas, & pinguia culta secantem;*

Ad quem versum ita scripsit *Servius*: *Radentem, imminuentem. nam hoc est Tiberini fluminis proprium; adeo ut ab antiquis Rumon dictus sit, quasi ripas ruminans & exedens. In sacris etiam Serra dicebatur. in aliqua etiam Urbis parte Tarentum dicitur, eo quod ripas terat.* *La Cerda* credidit, Tiberim *flavum* dictum ab arenis aureis, & sententiæ suæ *Turnebum* auctorem citat, qui tamen nihil aliud, quam *ob arenam ita vocari* dixit. Ceterum varie, & *flavus*, & *cœruleus* dictus fuit Tiberis a vario aquarum suarum colore. nam & *Albula* quoque vocatus primum fuit ab albitudine earum. Hinc *Cluverius* lib. II cap. X quæstionem movit, an forsan *Albulæ* nomine proprie dictus fuerit Anio, qui Tiberi committitur, & coloris est cœrulei atque sulphurei per aquas fluminis istius, quod hodie *Sulphuratæ* nomine vocamus.

Sidonius Apollinaris, & Cluverius laudati.

Et adeo multum laudavit *Sidonium Apollinarem*, quod proprie loquutus fuerit, cum *fluenta dixit Anienis cœrulea*: *nam cœruleus color albo propior est, quam flavus*; idemque *turbidas* dixerit Tiberis aquas, quod cum ejus *flavo* colore convenit. Verum mihi satis est, Volturnum nostrum non aliam, quam hanc ob causam *flavum* fuisse dictum.

Quibus contrarias habuit qualitates Liris amnis.

Ceterum Volturno contrarias jam Liris amnis qualitates descripsit idem *Silius*, quem modo citavimus lib. IV, ubi ita cecinit:

> *Et Liris nutritus aquis, qui fonte quieto*
> *Dissimulat cursum, & nullo mutabilis imbri*
> *Perstringit tacitas gemmanti gurgite ripas.*

Atque hoc eum docere potuit *Horatius* hisce versibus *Odæ* XXXI lib. I:

> *Non rura, quæ Liris quieta*
> *Mordet aqua, taciturnus amnis.*

Statius illustratus.

Ad hasce contrarias qualitates horum fluminum alludens *Statius Silvarum* lib. IV carm. III, per poëticam prosopopœiam Volturnum induxit loquentem de nova Domitiani via, quam diximus, & gloriantem, per istud opus suo cursu reddito aquis suis, quæ altis munitionibus intra ripas suas coërcitæ non amplius evagaturæ forent in vicinos agros, se posse jam contendere cum Liri de aquarum puritate. Versus hujus poëtæ cum aliis, de quibus paulo ante diximus, mox afferentur.

Et Lacunæ ejus non ab Silio, sed ab aliis auctoribus ad mare sunt collocatæ.

Tertio dixit *La Cerda*, Volturnum vada sua, sive lacunas relinquere non procul a mari. Atque hoc quidem verum erat, & idem aperte affirmaverunt *Statius* atque *Plutarchus*: verum ille pro sententia sua *Silium* advocavit, cujus hi sunt versus lib. XII:

> ——— ——— ——— *Volturna citata*
> *Transmittunt alvo vada* ——— ———

Agitur heic de Annibale, qui cum non potuisset repellere Romanos ab obsidione Capuæ, Romam oppugnatum ivit: erat autem Capua ab hac altera ripa Volturni. Verum iste transitus hujus fluminis debuit factus esse loco multum remotiore a mari, quam ubi istæ lacunæ ejus erant.

Silius illustratus, & notatus.

Nam illo ipso tempore, ut narrat *Livius* lib XXVI, Annibal cum naves ejusdem fluminis in unum coëgisset, iisque ad transitum fuisset usus, mox universas incendit, quo prohiberet Romanos, ne expedito itinere insequi eum possent. Jam credere convenit, hunc solicitum & occultum transitum ejus fuisse factum tali in loco, ubi flumen angustius, quam alibi, potius quam ubi spatiosius erat. Hoc amplius inivit ille viam Latinam, per Teani aliarumque urbium ejus viæ territoria: non autem Appiam mari tenus per Sinuessam; ut ipse quoque *Silius* ab *Livio* non dissentiens, affirmat. Igitur istum poëtam dicemus, non multum ad tantas res attendentem, fuisse contentum imitari, ut facere solet, tantum verba *Virgilii.* Atque hunc jam non est credendum *vadosi* nomen huic flumini dedisse sine accurata observatione; quæ sine dubio illa fuit, quam in principio attulimus, & cujus *La Cerda* sine causa adeo rationem habuit exiguam.

Antedictas Volturni qualitates Statius in unum carmen conjunxit,

Sed videamus jam, quomodo ista, aliæque, quas diximus, Volturni qualitates magis illustrentur *Statii* versibus, quos supra pluries memoravimus. In istis loquens de via Domitiani poëta, introduxit hunc fluvium, indignantem aquis suis novum pontem impositum ad perfectionem istius operis, deinde gratias agentem auctori ejus ad hunc modum:

> *At flavum caput, humidumque late*
> *Crinem mollibus impeditus ulmis,*
> *Volturnus levat ora, maximoque*
> *Pontis Cæsarei reclivis arcu*
> *Pandis talia faucibus redundat:*
> *Camporum bone conditor meorum,*
> *Qui me vallibus aviis refusum,*
> *Et ripas habitare nescientem*
> *Recti legibus alvei ligasti.*
> *En nunc ille turbidus minaxque,*
> *Vix passus dubias prius carinas,*
> *Jam pontem fero, perviusque calcor.*
> *Qui terras rapere & rotare sylvas*
> *Assueram, (pudet) amnis esse cœpi.*
> *Sed grates ago, servitusque tanti est,*
> *Quod sub te duce, te jubente cessi:*
> *Quod tu maximus arbiter, meæque*
> *Victor perpetuo legêre ripæ.*
> *Et nunc limite me colis beato,*
> *Nec sordere sinis, malumque late*
> *Deterges sterilis soli putorem,*
> *Ne me pulvereum, gravemque cœno*
> *Tyrrheni sinus obruat profundi:*
> *Qualis Cinyphius, tacente ripa,*
> *Pœnos Bagrada serpit inter agros.*
> *Sed talis ferar, ut nitente cursu*
> *Tranquillum mare, proximumque possim*
> *Puro gurgite provocare Lirim.*
> *Hæc amnis. pariterque se levabat*
> *Ingenti plaga marmorata dorso.*
> *Hujus janua, prosperumque limen,*
> *Arcus, belligeri ducis tropæis,*
> *Et totis Ligurum nitens metallis,*
> *Quantus nubila, qui coronat imbri.*

Iisque per poëticam auxesin hoc addidit, non posse illum facile navigari;

Huc usque *Statius*: qui licet in hisce versibus ae omnibus aliis qualitatibus hujus fluminis loquutus fuerit ex vero, hoc tamen per poëticam auxesin dixit, illud non facile navigari posse. Etenim ipsius quoque navigationem satis fuisse frequentem, negare non convenit contra *Livii* auctoritatem, qui pluries ejus fecit mentionem lib. XXVI. Et forsitan ea non alio fiebat modo, quam quo Tiberis navigari solebat, flumen multo amplius, de quo *Dionysius Halicarnassensis* lib. III, ut Latinus interpres ejus habet, ita dicit: *Longæ naves, quantumvis magnæ, & ex onerariis eæ, quæ usque ad tria millia modiorum ferunt, per ejus os intrant, & Romam usque remigio & funibus tractæ feruntur.*

Quod tamen frequenter factum fuit variis

Nihilominus anno a Christo nato MDCXLVIII, media hyeme, Volturnum nostrum vidimus magna frequentia navigari adverso flumine, & sola vi remorum, a mari ad nostram usque ur-

seculis, variisque modis.

urbem: cujus rei non aliud noveram exemplum recentius, quam illud *Bartholomæi de Ariano*, civis Puteolani, qui, quoniam hunc usum renovaverat, ejus artis *Consul* creatus est (erat hoc commune nomen omnium magistratuum cujuscunque artis) ab rege Ladislao anno a Christo nato MCCCXCIII. Neque per minorem longitudinem descripsit nobis ejus navigationem *Livius*, cujus verba paulo post afferemus, quibus dicit, Volturnum ad Casilinum usque navigatum, quod oppidum primo utramque ripam hujus fluminis occupavit, & ibidem loci situm fuit, ubi hodie urbs est nostra, ut deinde demonstrabitur. Verum temporibus istis antiquioribus tam Liris, quam etiam Sarnus, utrumque Campaniæ nostræ flumen, imo omnia in universum flumina navigari solebant, si recte attendimus ad verba *Ulpiani Jurisconsulti*, *Digestorum* lib. XLIII *Tit.* XII l. I. Veruntamen non satis certus sum, num etiam Volturni navigatio cessaverit æstate, ut de Tiberis navigatione per loca mediterranea *Cæcilius Plinius* lib. V *epist.* VI dixit hisce verbis: *Medios ille secat agros, navium patiens, omnes fruges devehit in Urbem: hyeme duntaxat, & vere. Æstate submittitur, immensique fluminis nomen alveo deserit, autumno resumit.* Certe etiam nostris temporibus Volturnus æstate solet experiri notabilem aquarum defectum; verum non adeo, ut ad modum Tiberis inarescat, aut facile transiri in Campaniam possit sine navigio.

In Volturno, ante conditum ab Domitiano PONTEM ad ejus ostium,

Verum per licentiam adhuc multo majorem dixisse videtur mihi *Statius*, nunquam fuisse alium pontem in Volturno, priorem isto, quem in eo exstruxit Domitianus Imperator. Si enim attendimus ad prosperam & amplam fortunam, qua diu gavisi fuerunt veteres Campani, item magnificentiam viæ Appiæ, quæ ab Sinuessa per Casilinum ducebat Capuam, ut taceam jam de via Latina; & denique frequentiam istius viæ, per quam non solum ultimæ regiones Italiæ adibantur, sed & in Græciam atque Orientem iter instituebatur pluribus modis; negari non poterit, tot seculorum spatio Romanos, si dicere nolumus ipsos Campanos, debuisse in hoc flumine pontem aliquem erexisse in loco maxime opportuno. atque hic erat Casilinum. Verum omissis liberioribus conjecturis, videtur mihi, si temporibus belli Punici secundi ab una ad alteram ripam Volturni tantum scapha trajectus dabatur Casilini, non habuisse opus Fabius Maximus Dictator occupare hanc urbem, & montem Calliculam, quo includeret Annibalem in agro Falerno, ut narrat *Livius* lib. XXII: *Cum satis sciret*, (hæc ejus verba sunt, de eodem Fabio loquentis) *per easdem angustias, quibus* (Annibal) *intraverat Falernum agrum rediturum, Calliculam montem & Casilinum occupat modicis præsidiis; quæ urbs Volturno flumine dirempta, Falernum a Campano agro dividit.* Et mox: *Inclusus inde videri Annibal, & ad Casilinum obsessus.* Et etiamsi hæc ultima verba cum *Gronovio*, novissimo & accuratissimo *Livii* censore legere ad hunc modum placeret: *via ad Casilinum obsessa*, [1] tamen vel sic pons Casilinensis

Alius adhuc PONS fuit, Annibalis jam temporibus, nempe Casilini.

Livius illustratus.

negari non possit. Et quam aliam ob causam idem historicus dicere potuisset, Annibalem, *cum per Casilinum evadere non posset*, consilii inopia confugisse ad celebre istud stratagema, & sarmenta, boum cornibus alligata, accendisse; quo terrore in fugam avertit milites istos, qui Calliculam montem insidebant? Verum idem auctor deinde lib. XXIII, lib. XXIV, & lib. XXVI, non videtur amplius admittere Volturni pontem; neque Casilini, neque in ulla alia parte fluminis ejus. Dixit enim de Marcello, ut supra jam vidimus, eum Volturni aquis prohibitum fuisse ab una ad alteram ripam ejus transire. Et aliquanto post iterum de eodem ita dicit: *Die uno Suessulam a Calibus, cum Volturnus amnis transjicientem moratus esset, contenderat.* Denique narravit, itidem Annibalem, & Q. Fulvium, cum alter festinaret oppugnare Romam, alter defendere, paucorum dierum intervallo Volturnum navibus transgressos: quod satis firmum est argumentum, pontem in eo tum temporis non fuisse, ex quo Casilinum, post longam obsidionem captum ab Annibale, iterum in potestatem Romanorum concesserat. De Pœni trajectu scripsit ille ad hunc modum: *Inde naves in Volturno flumine comprehensas duci ad id, quod jam ante præsidii causa fecerat, castellum jussit; quarum ubi tantam copiam esse, ut una nocte transjici posset exercitus, allatum est, cibariis decem dierum præparatis, deductas nocte ad fluvium legiones ante lucem transjecit.* De Romanorum transitu ita scripsit: *Et Fulvium Volturnus tenuerat amnis, navibus ab Annibale incensis, rates in magna inopia materiæ ægre comparantem.* Atque heic notare est, *Livium* artificio quodam poëtico, quo Fulvii laudem amplificaret, adjunxisse istam trajiciendi fluminis difficultatem, dum laboravisse eum penuria navium atque materiæ ad rates conficiendas dixit. Et nihilominus idem lib. XXIII nobis descripserat Volturni ripas, [2] salicibus abundantes, ut ex ipsius ver-

Et iisdem quoque temporibus nullus in eo PONS fuit.

Livius notatus.

1. Nimis infirma & liberæ videtur esse hæc auctoris conjectura de ponte Casilini. Sane enim temporibus belli Punici secundi nondum adeo frequentia fuerunt per Campaniam in Græciam & Orientem itinera, ut auctor quidem videtur existimavisse. Nec adeo quoque temporibus istis antiquis frequentia fuerunt per Italiam commercia, ut magnopere opus esset pontibus. Quod vero auctor porro dicit, non opus habuisse Fabium Maximum occupare Casilinum, nisi istic pons fuisset, per quem scilicet transire Volturnum alioqui potuisset Annibal; neque Livium potuisse dicere, Annibalem, *cum per Casilinum evadere non posset*, stratagemate per Calliculæ montis angustias evasisse, nisi ad eundem pontem respexisset; id quoque non satis procedit, utcunque nonnihil ponderis in eo esse videatur. Sane enim sive tum temporis pontem Casilini fuisse statuamus, sive secus, omnino tamen præsidium in ea urbe collocandum erat Fabio, quoniam alioqui occupare eam potuisset Annibal, atque ita mœnibus ejus tutus commode satis Volturnum transjicere: cum hoc utique nemo sanus negaverit, certe illic fuisse aliquam scapharum & navigiorum copiam ad quotidianos usus oppidanorum. Itaque cum per Casilinum evadere non posset Annibal, quia id Romani tenebant, arte opus erat, & per Calliculæ montis angustias evadendum. Neque enim Volturnum transjicere poterat, nisi per Casilinum urbem, tum ob navigiorum inopiam, tum quod Fabius in propinquo ipsum observabat cum exercitu, qui nullo præsidio munitum magno multare damno potuisset in transjectu. Porro autem noster, cum ex progressu historiæ Livianæ manifeste deprehenderet, proximis annis nullum Casilini pontem exstitisse, ut tamen quomodocunque fictitium istum pontem suum Volturno assereret, commentus est, eum dejectum ab militibus Romanis & Prænestinis, cum illi cognita Cannensi clade eam Casilini partem, quæ Romam versus est, occupaverunt: qua de re ne verbum quidem Livius in istius facti narratione, quem tamen credibile est id silentio non fuisse prætermissurum, cum adeo opportunam de ea narrandi occasionem haberet. Verum si conjecturis indulgere libet, probabilius opinionis suæ argumentum afferre potuisset auctor ex ipso Casilini situ, quæ urbs Volturno amne dividebatur, ut adeo necessitatis aut saltem commoditatis ratio exegisse ibi pontem videri queat. Sed neque hujusmodi divinationes contra Statii auctoritatem admiserim sine quodam certiori indicio, quod plane nullum affert auctor: cum & Roma urbs inter initia dirempta fuerit amne Tiberino, & demum Ancus Marcius ponte sublicio Tiberim junxerit, cum res Romana jam aliquantum cœpisset efflorescere; ac præterea Casilinum non adeo fuerit amplum aut frequens oppidum. Sane apud priscos scriptores, qui illorum temporum res gestas nobis prodiderunt, rarissima occurrit pontium mentio, quibus ob infrequentiam commerciorum carere poterant veteres. Flumina illi superabant aut navibus aut nando, arte apud ipsos vulgatissima, maxime ad usus belli: unde tritum illud: *Nec literas, nec natare.*

2. Dixit Livius, dolia farre completa, quæ Romani secundo Volturno mandaverant ad Casilinenses obsessos devehenda, hæsisse *inter obnata ripis salicta.* Atque adeo vidisse

verbis intelligi potuit supra: & lib. XXV narraverat, totum a mari Casilinum usque Volturnum in potestate Romanorum fuisse, eosque hac navigantes legionibus suis annonam suppeditavisse, quæ Capuam obsidione premebant. Verum pons iste, qui Casilini debuit fuisse tum, cum ab Fabio Maximo Annibal circumventus fuit in agro Falerno, haud absurde credi potest deinde fuisse abruptus ab istis militibus Romanis & Prænestinis, qui, cum in itinere essent, ut jungerent sese Romanis legionibus in Apulia, *profecti a Casilino*, (sunt verba ejusdem *Livii* lib. XXIII) *avertit eos retro Casilinum nuncius Cannensis pugnæ. Ibi cum dies aliquot, suspecti Campanis timentesque, cavendis ac struendis invicem insidiis transduxissent, jamque de Capuæ defectione agi, accipique Annibalem satis pro certo haberent; interfectis nocte opidanis, partem urbis, quæ circa* (melius *Cluverii citra*, sive, quod vult *Gronovius* ex codicibus manu exaratis, *cis*) *Volturnum est, eo enim dividitur amni, occupavere.* Credere etiam lubet, eundem fuisse instauratum ab Romanis, postquam penitus subjecerunt sibi Capuam. nam deinceps opportunissimus illis esse poterat ad exercitus in Græciam atque Orientem transmittendos, & item ad quælibet alia negotia obeunda in iisdem aliisque regionibus & provinciis cis Romam. Et adeo instauratio ejus non est credenda diu fuisse dilata; certe non ad ætatem usque Claudii Imperatoris, qui annis circiter quadraginta Domitiano antiquior fuit, &, ut affirmat *Plinius Secundus* lib. XV cap. XXXVI, exstruendis pontibus magnas opes insumpsit. Ejusdem hujus auctoris tempore Casilinum fere erat exstincta; atque hac de re ipse loquutus est lib. III cap. V. Nihilominus propter frequentiam itinerum, quæ memoravimus, pons iste diu duravit. Hinc ejus opportunitate aliisque motus Lando, Capuæ Comes, absolvit mirabili celeritate & magnificentia cœptum a fratribus opus, & condidit istic novam urbem suam anno a Christo nato DCCCLVI, quæ illa est, quam nos hodieque habitamus. Jam hac de re etsi copiosius agendum erit alibi, haud gravabor tamen heic afferre verba quatuor auctorum ex nostris; ex quibus duo vixerunt ipso tempore rei gestæ, tertius & quartus ætatis aliquantum serioris atque dispares fuerunt. Insuper adjungam verba quinti auctoris Græci, qui æqualis fuit tertii. Primi sunt *Herchempertus*, & *Anonymus Monachus Casinensis*; quorum alterum correxi, alterum una cum aliis opusculis Longobardicis nuper vulgavi primus. *Herchempertus Num.* XXV narrans de Landone, quem diximus, ejusque fratribus, ita scripsit: *His invicem ita altercantibus, duo prædicti viri cœperunt ædificare murum juxta pontem, qui vulgo Caselinum dicitur. Quorum opera ut perspexit Lando, illico abiit, ac mirifice perfecit ædificandam urbem.* Alterius verba *Num.* XVI hæc sunt: *Sed ob scelera commorantium crebro eorum urbs incendio cremata est*, (intelligit Sicopolim, urbem novam, de qua in sequentibus acturus ero, in quam se receperant Campani, fugientes Saracenos, qui urbem eorum ad cineres redegerant circa annum a Christo nato DCCCXLI) *non pœnitentiæ remedium, neque divinam postulantes misericordiam, aut emendationem facinorum; sed quodam tandem reperto consilio, ad Casolini pontem construunt civitatem, quam ludo secundam vocitabant Romam.* Ex reliquis duobus scriptoribus nostris prior est *Joannes*, natus e gente Longobardorum principum, qui Capuam te-

Nam Casilinensis abruptus fuit a Prænestinis, qui in eam urbem se receperunt.

Livius illustratus.

Sed idem brevi refectus ab Romanis,

Durabat adhuc, cum prope eum conderetur CAPUA nova.

Incertus auctor Casinensis illustratus.

disse percuperem auctoris artificium, qui ex salictis & virgultis naves fabricasset nobis. Atque adeo non magnopere opus erat notare istud Livii *artificium poëticum*.

A

tenebant istis temporibus; qui primum fuit archidiaconus Capuæ, deinde Abbas Casinensis ab anno Christi DCCCCXV ad annum usque DCCCCXXXV, quo decessit: alter est *Leo Ostiensis*, prioribus notior. *Joannes Num.* II ita dixit: *Cum autem cremata esset civitas Capuæ ab igne*, (hoc nomine appellavit Sicopolim, quia eam jam incolebant Campani) *venit cum fratribus suis: id est, Landone, Pandone, Landolfo Episcopo, & Landenolfo ad pontem Casulini, & condiderunt ibi civitatem, quæ nunc est Capua.* Denique *Leo Ostiensis*, qui in unum conjunxit & illustravit istorum verba, *Chronici* sui lib. I cap. XXX scripsit hac de re sequentibus verbis: *Cum ob facinora commorantium Capuæ, quæ & Sicopolis, quæ in monte Triflisco paullo ante quindecim annis ædificata fuerat*, (hæc a nobis examinata sunt alibi) *ab igne sæpius cremaretur, consilio habito Lando Comes, & Landolfus Episcopus, cum ceteris propinquis suis apud pontem illam Casulini, sicut hodieque cernitur, exstruxerunt anno Domini octingentisimo quinquagesimo sexto.* Quintus auctor Græcus est Imperator *Constantinus Porphyrogenitus*, cujus verba cap. XXVII libri *De administrando imperio* apud interpretem ejus ita habent: *Capua erat urbs ingens, captaque est a Vandalis, sive Afris, & vastata. Atque ita desolata cum jaceret, inhabitarunt eam Langobardi. Et mox Afris rursum ingruentibus*, (etiam hoc nomine, multisque aliis varie fuerunt dicti Saraceni) *Landulfus Episcopus in ponte fluminis* (deest fluminis nomen) *urbem ædificavit, quam Capanten dixit*, (Græca habent Καπάντην; sed legendum est Καπάννην, quasi Καπύαν νέαν, quod significat *Capuam novam*) *etiam hodie exstantem.* Huc usque illi. Verum heic monendum est, isti ponti, qui hodieque in hac, id est, in urbe nostra superest, nullum inesse indicium adeo altæ antiquitatis, ut credi possit esse idem ille, quem olim refecerunt Romani isto tempore, quod indicavimus. Et *Pandolfus Collenucius* quidem in *Compendio historiæ regni Neapolitani*, lib. III, retulit eum ad Imperatorem Fridericum II. Atque hic sane, ut affirmat *Richardus de S. Germano* in *Chronico* suo ad annum MCCXXXIV, & item *S. Antoninus Chronici* sui Parte III Tit. XIX cap. VI §. I, exstruxit istic duas turres, quas *Joannes Antonius Campanus De vita Bracii de Montone*, lib. V, *pulcherrimas, atque opere munitissimas Italiæ* dixit. Verum nihil quicquam illi dicunt de ponte isto; cum ceteroqui de illo, quem Fridericus fecit in *Ofanto* fluvio, qui olim dictus fuit *Aufidus*, res certa sit ex lib. V *epist.* VI & VII, quas ejus Imperatoris nomine scripsit celeberrimus noster *Petrus de Vinea*, qui illi a secretis fuit. Forsitan credendum potius est, istum alterum esse opus principum nostrorum Longobardorum, sive, quod adhuc verosimilius est, Normannorum, qui pluribus splendidis ædificiis patriam nostram exornaverunt, qua de re alibi.

B

C

D

E

Joannes, primum Archidiaconus Capuæ, deinde Abbas Casinensis illustratus.

Leo Ostiensis notatus.

Constantinus Porphyrogenitus emendatus.

Pandolfus Collenucius refutatus.

Et videtur ille deinde denuo fuisse instauratus a quodam Capuæ principe.

Jam vero necdum satis mihi liquet, utrum de eodem Casilini ponte loquutus fuerit *Agathias*, nec ne, ubi *Historiæ* suæ lib. II narrat, quo pacto Narses, Justiniani Imperatoris dux, in Campania juxta Capuam prælio vicerit & deleverit exercitum Francorum, quorum dux erat Butilinus. Verba ejus ita Latine reddidit interpres: *Cum se in Campaniam contulisset*, (Butilinus) *haud longe a Capua* (intellige veterem, quæ tum adhuc durabat) *castrametatus est, & in ipsa Casilini fluminis ripa*, (ita appellat Volturnum flumen, non secus ac Liris etiam amnis dictus quondam fuit *Minturnus* ab exstincta Minturnarum urbe) *quod ex Apennini defluens monte, per proximos circumagens se campos, in Tyrrhenum mare defertur.* Mox de eodem ita pergit: *Quin etiam ne supra flumen pons sibi incu-*

F

Legitur etiam mentio PONTIS cujusdam in Volturno, temporibus Justiniani Imperatoris,

custoditus relinqueretur, neve ex eo jacturam acciperet, hunc statim præoccupat, & lignea turri desuper structa, in ea viros imponit, ut pugnacissimos, ita & armis optime communitos, cum ut a tuto præliarentur, tum ut hostes transitu prohiberent, si transire forsitan pertentassent. Et denuo pontem istum occupatum ab Narsete pulsis Francis ita refert: *At Charanges equo inscenso cum paucis suæ turmæ militibus carpenta passim hostibus ademit, ductores passim obtruncat. Unum forte arido & silvestri onustum fœno ad turrim, quam Franci supra pontem, & ligneam fabricarant, quamproxime applicat, & igne immisso, flammaque ingenti ocius excitata, machina omnis illa contabulata corripitur. Tunc barbari, qui in eo fuerunt præsidio collocati, cum se ac turrim tueri nil possent, relinquere locum decernunt, & vix, cum se ex alto præcipitassent, ad Francorum exercitum fuga se receperunt; & Romani* (ita Græcos suos appellat, more Græcis scriptoribus horum & insequentium temporum usitato) *ponte e vestigio potiuntur.* Huc usque *Agathias.* Equidem satis video, duos istos numerosissimos exercitus, quorum hic Francorum, ille Græcorum erat, potuisse commode, nec sine ratione, alterum ab hac, alterum ab ista parte Casilini fluminis, seu Volturni, & pontis istius castra ponere, occupata etiam utrinque via Appia, in spatiosis atque planis campis, ubi olim fuit Casilinum, nunc autem in citeriore ripa Capua nova est; circa quem locum novissime victi fuerunt atrocissimo prælio Franci. Verum hac de re dubito nonnihil, cum in mentem venit tertii pontis, qui fuit in eodem flumine circa locum, qui hodie appellatur *Triflisco*, ab urbe nostra duobus circiter milliaribus, cujus hodieque non obscura pars superest. Hujus artificium satis ostendit, esse illud opus multo temporis antiquioris ætate Narsetis & Butilini, id est, Justiniani Imperatoris; item ejus usum fuisse hunc, ut per eum conjungeretur ab una ad alteram ripam fluminis via antiqua, olim directa a Calibus, hodie *Calvi*, ad urbem quandam, sitam cis eundem Volturnum ad latus Septentrionale montis, cui Tifata nomen. Veruntamen antiquitas ejus extendi nequit ad ætatem usque Annibalis: quandoquidem hujus temporibus vix reperire potuimus Casilini & ad Appiam viam istum solummodo unum. Igitur si non alienum visum fuerit, ad hunc tertium pontem referre narrationem *Agathiæ*, qui auctor & ipse nonnisi unum pontem istorum temporum memoravit, non satis decernere sciam, utrum illum de hoc potius, an de isto altero ponte loquutum credam. Dubitationi meæ majus accedit dubium ex eo, quod legitur apud *Herchempertum Num.* LX de copiis Græcorum & Neapolitanorum, emissis ab Athanasio, Episcopo, & Duce Neapolitano, ut infestarent Campanos, circa annum a Christo nato DCCCLXXXV, quæ *Capuam ex utroque latere* (loquitur de nova, quæ novem & viginti annis ante condita erat) *graviter affligebant, ita ut quasi obsessa videretur. Nam juxta Sicopolim* (intelleximus jam ex *Leone Ostiensi*, hanc urbem fuisse sitam in tractu *Triflisci*) *Græci cum Neapolitibus & Pandonulfo residentes, omnia stirpitus devorabant.* Igitur per hunc tertium pontem arbitror factum fuisse istum adeo facilem excursum ab una ad alteram partem fluminis, ut inde Capua videretur quasi undique obsessa. Et igitur dicendum est, cum fuisse integrum multis adhuc seculis post prælium Narsetis cum Butilino; & denique vetustate consumptum corruisse, seu potius dirutum fuisse consilio cujusdam ex regibus nostris, ne scilicet iste liber transitus relinqueretur hostibus & invasoribus hujus regni. Et eodem consilio arbitror quoque abruptum itidem Domitiani pontem, de quo cœperamus agere; ita ut ablato, quod reliquum ejus erat, undarum impetu, vix remanserint exigua ejus documenta, quæ visuntur ad meridiale latus fluminis, in novo oppido, quod istic deinde conditum fuit. Neque tamen propterea illud accidisse videtur temporibus multum antiquis: quandoquidem isti oppido pons in flumine, positus inter duo castella formæ inæqualis, per quorum majus denotabatur ipsum oppidum, pro insigni fuit, quod pictum conspicitur in ara majore templi, quod ibidem *Virginis Annunciatæ* est. Jam idem insigne opere suo non antiquiorem, quam duorum seculorum ætatem arguit. Contra autem non idem infortunium expertus est pons Casilini, qui utroque isto antiquior, pluries, ut jam notavimus, est refectus, & hodieque est, atque erit integer, si, quemadmodum fuit usque adhuc, semper integra persistet Campanorum nostrorum, qui eum custodiunt; erga Reges nostros fides. Quod si illi, qui hac ratione præteritis temporibus transitum sibi & quasi pontem nobilissimum ad veram atque immortalem gloriam fabricaverunt, in eadem constantia perseveraverint, poterunt in futurum multo expeditius ad felicitatem & honores longe ampliores adscendere. In aditu hujus pontis, supra portam, quam inter duas turres ejus, de quibus supra diximus, fecit Fridericus II Imperator, ubi teste eodem *Joanne Antonio Campano* in libro, quem ante citavimus erat *Regium cubiculum, marmoreis statuis vetustisque imaginibus distinctum*, posuit ille sequentes versus, qui referuntur etiam ab *Luca de Penna* ad lib. XI *Codicis Justinianei* Tit. XL leg. IV; sub marmorea quidem statua sua hosce duos:

CAESARIS IMPERIO REGNI CVSTODIA FIO
QVAM MISEROS FACIO QVOS VARIARE SCIO

Super unius judicis imaginem, quæ ad dextram est, hunc:

INTRENT SECVRI QVI QVAERVNT VIVERE PVRI

Super alterius autem imaginem, quæ ad sinistram est, hunc:

INFIDVS EXCLVDI TIMEAT VEL CARCERE TRVDI

Quibus versibus non aliud nos admonere voluit iste Imperator, & objicere defectoribus, quam hunc pontem verum esse lapidem Lydium vasallorum Regiorum, fidelium, & infidelium. Atque hoc forte non alienum fuit heic in transitu notare, cum utique de pontibus ageremus.

Qui videri possit esse Casilinensis; nisi forte fuit præter istos duos tertius PONS vetus, Olim integer multis adhuc ætatibus post eundem Imperatorem, Herchempertus illustratus. Deinde dirutus una cum Domitiani ponte, metu forsitan invasionum hostilium. Primus autem integer superest solus fiducia Campanorum, Qui ad solitam fidem excitantur.

XIII. *Volturnum urbs. Ejus incrementa. Imminutio ejusdem. Pertinuit quondam ad Episcopum Sinuessanum.*

JAm in eodem ostio Volturni fluminis, ad citeriorem pontis partem, quem istic fecit Domitianus, urbs fuit, *Volturnum*, dicta, qua de loquutus fuit *Strabo* lib. V, *Plinius Secundus* lib. III cap. V, *Ptolemæus Geographiæ* lib. III, *Europæ Tab.* VI: quorum auctorum verba supra retulimus variis occasionibus. Etiam *Dio* mentionem ejus fecit lib. XLVIII, ubi Sex. Pompejum refert misisse Menecratem libertum in Italiam contra Augustum: *Ejusque opera* (ita Latine habent, quæ subjunxit) *cum alia Campaniæ opida, tum Volturnum infestavit.* Primum istic fuit tantum vicus, sive exiguum oppidulum, &, ut ego arbitror, quantum satis esse videbatur ad recipiendos mercatores illos indigenas & extraneos, quibus per causam negotiationum inter se atque permutationum navigandus erat Volturnus. Hujus vero generis oppidorum, quæ hunc ad finem itidem in ostiis fluminum erant collocata, in eadem nostra Campania alia

VOLTURNUM urbs principio exiguum fuit oppidulum in ostio fluminis cognominis, & receptaculum mercatorum,

alia adhuc habemus exempla: ut Minturnarum in ostio Liris, ut colligitur ex verbis *Ulpiani Jurisconsulti*, quæ supra retulimus, ubi egimus de istoc flumine: item Pompejorum in ostio Sarni fluminis, quod aperte indicavit *Strabo* lib. v. Neque ad aliam, quam hanc ad causam *Dionysius Halicarnassensis* refert Ostiæ in Tiberis ostio fundationem, factam ab Anco Marcio, Romanorum rege, de quo lib. III, ut interpres ejus habet, ita dixit: *Cum Tiberis amnis ex Apenninis montibus descenderet, & juxta ipsam Urbem flueret, & in littora importuosa, eaque vicina erumperet, quæ mare Tyrrhenum facit, & ipsi Urbi exiguam nec memoratu dignam utilitatem afferret, quod circa ostia nullum haberet castellum, quod naves mari eo deductas, & ex mari supero venientes reciperet, & merces cum negotiatoribus commutaret, cum alioqui navigiis fluvialibus mediocris magnitudinis ad ipsos quoque fontes navigari posset, inde vero ad ipsam urbem magnis marinis onerariis, navalia ad ipsius ostia facere decrevit, ipso fluvii ore pro portu usus.* Ita *Dionysius*. Igitur prima fundatio hujus oppidi adscribenda erit illis, ad quos magis, quam ad quemlibet alium populum hujus regionis, quæ Volturno alluebatur, poterat attinere cura communium negotiorum, & utilitas istius navigationis. Atque hos quosnam putamus fuisse alios, quam Campanos, quorum urbs non amplius stadiis novendecim, id est, milliariis duobus, & amplius, stadio CCCLXXV passibus æstimato, ab eodem flumine aberat, & ab isto minus erat remota, quam quælibet alia nostrarum urbium, quæ loci alicujus erant? Certe *Horus Milesius*, quem supra allegavimus, satis apte meam adjuvat sententiam. Nec minus eam adjuvat exemplum Casilini, quod oppidum cum fuerit in ditione Campanorum, præstitit illis quoque mediterranei emporii usum, ut in sequentibus ostendendum erit. Taceo jam illud, ipsum *Volturni* nomen, prout istud in prioribus interpretati sumus, haud leve argumentum suppeditare posse hujusce fundationis ejus. Verum anne etiam *Livius* confirmat quodammodo sententiam meam? Dixit ille, tempore secundi belli Punici Romanos ad commoditatem, simul ut tuta ipsis esset navigatio vicini fluminis, istud instauravisse, & validioribus sepsisse mœnibus, cum etiam in eorum potestate esset, quod reliquum erat ejus fluminis: unde commeatus, qui mari ex Sardinia & Etruria eo advehebantur, Casilinum pergebant, & denique ad eorum exercitus, qui Capuam obsidione premebant: *Casilinum* (ita ille lib. XXV) *frumentum convectum. ad Vulturni ostia, ubi nunc urbs est, castellum communitum. (antea Puteolos Fabius Maximus munierat) præsidium impositum, ut & mare proximum, & flumen in potestate essent. In ea duo maritima castella frumentum, quod ex Sardinia nuper missum erat, quodque M. Junius prætor ex Etruria coëmerat, ab Ostia convectum est.* Et mox: *Ap. Claudius Consul D. Junio ad ostium Volturni, M. Aurelio Cotta Puteolis præposito, qui, ut quæque naves ex Etruria ac Sardinia accessissent, extemplo in castra mitterent frumentum; ipse ad Capuam regressus, Q. Fulvium collegam invenit Casilino omnia importantem molientemque ad oppugnandam Capuam.* Huc usque *Livius*; in cujus verbis, quæ priore loco retulimus cum deesset in parenthesi vox *Puteolos*, manifesto & non levi orationis defectu, restituit eam *Cluverius*: unde mihi quoque visa fuit non esse ea omittenda. Ceterum Romani, postquam ad istum modum communiverant Volturnum, paucis annis post idem oppidum ad coloniæ dignitatem promoverunt, atque eo deduxerunt trecentos ex Urbe cives, perinde ac Liternum & Puteolos, ut refert *Livius* lib. XXXIV. Atque hinc ille dixit, ut modo ex ipsius verbis intelleximus, suis temporibus illud non amplius castellum, sive oppidum, sed urbem esse. Etiam credere licet, haud parum commodi aut honoris illi accessisse ex nova Domitiani via. Equidem de ista fortuna sua haud obscurum dant indicium paucæ aliquot *Inscriptiones* antiquæ, quæ istic superstites mansere; aliæ quidem ipsum flumen versus in loco satis occulto, aliæ in isto, quod supra memoravimus, *Virginis Annunciatæ* templo. Atque has tacere foret iniquum, cum præterea usque adhuc non vulgatæ fuerint. Sunt igitur hæ:

Conditum a Campanis,

Deinde auctum & communitum ab Romanis,

Livius emendatus.

Cluverius laudatus.

Qui illud etiam coloniam suam fecerunt.

Atque huic deinde multum commodi & nobilitatis accessisse ex ponte & via Domitiani.

L. CESTIO GALLO CERRI
NIO IVSTO IV....IIO NATALI
IIII.VIRO VIAR. CVRAND. TRIB.
LATICLAVIO LEG. VIII AVG.
QVAESTORI VRBANO AB
ACTIS SENAT. AEDIL. CVRVL.
PRAETORI LEG. AVGG. LEG.
XXV. PROCOS. PROVIN
CIAE NARBONENSIS PRAEF.
AERAR. SATVRNI CO....
PATRONO COLONIAE
D. D.

ANICIA MATER
P. ANICIVS P. L. EROS
TEGVLARIVS
ANICIA P. F. CRESTA
DOMITIA CN. L.
FAVSTA ANICIANA
CN. DOMITIVS CN. L.
HERMIA

P. AELIO P. F. L. N.
AELIANO
ARCHELAO
MARCO
ORIGINIS CLARIS
SIMAE VIRO CVIVS
AETATIS LAVDABILIS
CONSTANTIA ET RE
CENS PATRONATVS DIGNI
TAS PROVISIONE CVMVLA
VIT REIPVBLICAE VIRES
P. LVTIVS MAXIMVS LEGATIONE...
ABSOLVTVS PATRONO...

D. D.
IMP.....AVG. IIII.
ET TIBERIANO CONS.
TEMPORE TI. SERVILI
VALERI TERTVLLI N. IVN.
ET PETRONIS ATTI
NON. MAIS.


In ultima *Inscriptione* deest nomen Imperatoris Probi, qui cum Tiberiano quartum Consul fuit, anno a Christo nato CCLXXXI. Et supersunt in marmore scalpri indicia, quo nomen istud deletum est. Hinc intelligere etiam possumus, hanc urbem, cum tueretur istam dignitatem atque fortunam suam, temporibus Christianorum suum quoque habuisse Episcopum. Atque horum ultimus forsitan ille fuit, de quo loquutus est summus Pontifex, *S. Gregorius Magnus* lib. VII *epist.* XXX & XXXI, *Indict.* II, an. DXCIX, ubi dicit, supellectilem sacram Volturnensis ecclesiæ (quidam codices heic pro *Volturnum* habent *Volterna*, nescio utrum per errorem librariorum, an vero per loquendi vitium istius seculi, quo apud eundem scriptorem legitur etiam *Messena* pro *Misenum*) fuisse ante in custodia Consentii cujusdam, Defensoris, sive Procuratoris patrimonii Apostolici

Dehinc perseverans in fortuna sua, evasit urbs Episcopalis.

lici Campaniæ; quandoquidem iſta urbs non habebat amplius, neque Epiſcopum, neque clerum. Et ut dixi, non videtur mihi alius deinde fuiſſe iſtic ordinatus Epiſcopus, ſiquidem idem Pontifex mandavit Anthemio, ejuſdem regionis Subdiacono, cuſtodiam ejuſdem ſupellectilis, ab defuncti jam Conſentii filio ipſi redditæ. Sane credendum eſt, ab hac calamitate ejus urbis non fuiſſe disjunctam iſtam aliam, ut totus etiam populus imminueretur; atque hoc deinde magis magiſque ſemper attrito, eam tantum non deſertam extitiſſe penitus: & denique paucos iſtos incolas, qui ſupererant adhuc, aut eodem conceſſerant, allecti ſitus opportunitate, quod terræ ſimul mariſque commoditates haberet, conjunxiſſe ſeſe, ut iſtam ejus partem habitarent, quæ flumini propior erat. Et adeo eum ad hunc modum iſte ſitus ejus priſcus, qui aliquantum ab eodem flumine remotus eſt, non aliud retinuerit, quam nudum urbis nomen, unde iſte locus hodieque dicitur *cività*, rediit illa ad primum ſtatum, & denuo in exigui caſtelli formam eſt redacta. Et ut hæc ultima tempora ejus hac quoque parte æqualia eſſent initiis, hoc jam caſtellum uſque ab anno a Chriſto nato MCCCCLXI per venditionem, factam ab rege Ferdinando I, & anno ſequenti confirmatam, in noſtræ reip. ditione eſt. Ceterum erat illud jam caſtellum multo etiam ante, cum itidem in eccleſiæ noſtræ metropolitanæ dominio fuit, ut indicat vetus in tabula lignea pictura imaginis ejus, forma caſtri, muris cincti. Conſpicitur illa una cum imaginibus Epiſcoporum ſuffraganeorum ejuſdem eccleſiæ noſtræ, quæ ejuſdem ætatis ſunt atque operis; collocata ſuper majorem portam templi noſtri cathedralis, ab interiori parte. In ima tabula ſequentia verba ſunt, forma literarum, apud Francos uſitata, ideoque non antiquioris ætatis, quam eorum eſt dominium:

Verum deinde ad priſtinam exigui caſtelli fortunam rediit, quod hodie reſp. Capuæ poſſidet.

Antea illud pertinuerat ad Archiepiſcopalem eccleſiam Campanam;



Jacturam ejus fecit eccleſia Campana temporibus regum Aragonenſium, & cum ejus nomine abhinc centum annis aliud quid ejuſdem pretii accepiſſet, lis ea compoſita eſt. Verum altior adhuc memoria ejus occurrit in *Hiſtoria Alexandri*, Abbatis monaſterii S. Salvatoris in urbe Teleſina, lib. II cap. LXIV, ubi refert, Hugonem, Bovianí Comitem, nequiviſſe veniam rebellionis impetrare ab Rogerio rege, *niſi prius terras univerſas, quas Bifernus fluvius Orientem verſus præterfluit, ei reliquiſſet; nec non Caſtellum maris, ſitum ſcilicet, quo fluvius Volturnus curſus ſui finem deſignat.* Perinde antiqua mentio eſt illa, quam de eo fecit *Petrus Diaconus* in *Appendice ad Chronicon Leonis Oſtienſis*, lib. IV cap. XCVI, ubi de confirmatione loquitur, facta monaſterio Caſinenſi a Capuæ principe, Roberto II, *de piſcatione in mari, & flumine, in omni territorio Caſtelli ad mare.* Dominium hujus caſtelli ad principem Capuæ, Richardum I, devenerat per conjurationem & rebellionem, quam contra eum paraverat Dauferius, qui in *Regiſtro* ejuſdem Petri, quod ſervatur inter

Et ante illud tempus ab Hugone, Boviani Comite tenebatur.

Et adhuc antea ab Longobardo Comite Dauferio.

A archiva ejuſdem monaſterii, appellatur *Comes Volturnenſis*, quique certe natus erat ſtirpe Comitum Volturnenſium, quorum nomina leguntur in *Notitia Judicatus*, quam retulimus, ubi de aquis Sinueſſanis actum eſt.

Verum omnibus hiſce adhuc antiquior eſſe mihi videtur illa memoria ejus, quæ occurrit in epitaphio Radiperti Epiſcopi, quod legitur in Epiſcopali templo *Carinolæ*, & inter alia de Radiperto ita dicit:

Caſtellum Volturni inſtauratum fuit ab Radiperto Longobardo,

Reddidit & pulchram templis ac mœnibus arcem,
Quæ ſita Volturni amnis ad ora manet.

Ex hiſce verſibus intelligimus, idem caſtellum iſto tempore pertinuiſſe ad eundem Epiſcopum B ejuſque eccleſiam. Neque dubito hoc collocare ante annum a Chriſto nato milleſimum, aut, ſi ita videtur, ante hujuſce Capuæ novæ fundationem, ut video placuiſſe *Michaeli Monaco* noſtro, qui in *Sanctuarii* ſui Parte prima ſepulcri iſtius *Inſcriptionem* retulit integram. Atque illud mihi perſuadet non tantum Longobardum iſtud *Radiperti* nomen, ſed multo magis illorum verſuum ſtylus, qui per omnia conſimilis eſt iſti, quo iidem Longobardi alias uſi fuerunt in epitaphiis ſuis, ut obſervari poteſt ex illis principum Longobardorum, quæ a me vulgata ſunt. Verum ille auctor noſter credidit, hunc Radipertum fuiſſe C Epiſcopum Capuæ, & illum ipſum, qui in *Actis S. Paulini*, itidem Epiſcopi Campani, appellatur *Radelbertus*. Nominum quidem varietatem levem ducit, nec ea quicquam offenditur: & ut in eodem caſtello nova ſtrueret templa, muroſque erigeret, ſatis poſſe illi conveniſſe autumat propter antiquiſſimum, quod eccleſia Campana habebat, ejus dominium, *fortaſſe* (verba ipſius ſunt) *a tempore Conſtantini Magni*; inque favorem hujus ſententiæ allegat eadem iſta verba, quæ nos paulo ante hanc in rem adduximus. Verum dictum eſto pace ejus viri, cujus memoriam veneramur, in una iſta ſermocinatione erravit ille pluribus modis. D Et ut omittamus omnia alia, neque multum ab argumento noſtro digrediamur, tantum illud dicam, Radipertum, cujus iſtud eſt epitaphium, debere fuiſſe ejuſdem urbis Epiſcopum, cujus cathedrale templum dedicatum erat S. Rufino, qui apud Longobardos in magna fuit veneratione; eumque in eodem cathedrali templo fuiſſe ſepultum, ut mihi videtur manifeſte indicari hiſce verſibus aliis ejuſdem epitaphii:

Qui creditus fuit Epiſcopus Capuæ,

Michaël Monacus refutatus pluribus modis.

Iſtius hic ſedis retinens & jura potenter,
Eccleſiam hanc compſit cultibus ipſe novis.
Perſpicuo argenti nam ſacrum altare metallo
Rufini eximii ſtruxit in omne decus.

E Inſuper monendum eſt, etiam eundem Radipertum Epiſcopum ſacrum corpus S. Caſtrenſis ſolenniter repoſuiſſe ſubter apſidem, ſive ædiculam, ſive fornicem periſtylii majoris ejuſdem templi S. Rufini, ut itidem legitur in iſto ejus tumulo: id eſt, in ara majore, quam ille ſanctis iſtis reliquiis conſecravit.

Templi hujus pariter ſacro ſub culmine ſancti
Caſtrenſis ſtuduit condere membra ſacra.
Erexit nec non præſens, quod cernitur altar,
Illius ad nomen, atque dicavit ovans.

Jam omnia hæc quomodo referri poſſunt ad ca- F thedrale templum Capuæ, quod uſque a temporibus longe antiquioribus Campani conſecraverunt S. Stephano protomartyri? Equidem ego illud non video. Verum opinor templum majus Sinueſſæ urbis fuiſſe conſecratum iſti S. Rufino Epiſcopo. Atque hujus rei memoria cum anniverſaria ſolennitate ibidem celebrata fuerit a. d. VIII Cal. Sept. ex antiquo uſu, qui notatus eſt in *Actis* ejuſdem Sancti, quæ ſunt in peculiari noſtro *Breviario*

Cum re vera fuerit Sinueſſæ Epiſcopus.

viario veteri; etiam hodieque in castello *Mondragonis*, quod in Sinuessæ locum successit, eodem die quotannis publicus celebratur mercatus, quia primarium ejus castelli templum itidem dedicatum est isti Sancto; licet vulgus credat, fieri illud per occasionem ejusdem diei, qui consecratus est S. Bartholomæo Apostolo, ignarum scilicet istius nostri *Calendarii*. Sane idem *Michaël Monacus* pro certo habet, S. Castrensem, qui una cum S. Prisco Juniore, Episcopo nostro, aliisque sodalibus numero ad duodecim, tempore persequutionum Vandalicarum, id est, seculo quinto a Christo nato, ut vult *Baronius*, qua de realibi, vectus lacera navi, divina providentia duce ex Africa pervenit in Campaniam; habet, inquam, pro certo, Sanctum istum commoratum fuisse, decessisse, mortuique corpus diu jacuisse in loco quodam ad mare, ut adeo haud absurde potuisset illud concedere Sinuessæ. Neque vero non miracula quoque, quæ in ejus *Actis* leguntur accidisse illis, qui istic eum visitaverunt, apprime conveniunt loco situs ejusmodi. Verum ab quanam alia vicina urbe potius, quam ab Sinuessa, eundem tumulum Radiperti Episcopi Carinolam translatum fuisse credimus? Quod ad cetera attinet, haud sane improbabile est, Sinuessæ propter celebrem memoriam martyrum, B. Chromatii, ejusque sodalium; item concilii, quod istic peractum fuit a trecentis Episcopis, de quo supra diximus; & insuper ejusdem S. Castrensis, qui debuit rexisse istam ecclesiam, fuisse constitutam sedem Episcopalem in gratiam Longobardorum. Hi enim præterquam quod singulari reverentia prosequebantur Sanctorum reliquias, multum quoque delectati fuerunt thermis Sinuessanis exemplo Aloaræ, principis Campanæ, quod supra attulimus, indicatur. Et adeo iidem debuerunt eam quoque instauravisse, & incolarum frequentavisse copia: nisi tamen aliis forte placeat, originem istius Episcopatus referre ad ipsum S. Castrensem, cui in *Romano*, aliisque *Martyrologiis* Episcopi nomen tribuitur. Et licet ex *Actis* ejus colligi possit, eum in Africa istam obtinuisse dignitatem, tamen credere etiam convenit, eum, ubicunque deinceps commoratus fuit, nihilo secius eandem exercuisse. Verum hac de re jam sufficiat, ne, quam ulterius persequi oportebat, retrogressi cœptam viam videamur.

Acta S. Castrensis illustrata.

XIV *Liternum urbs. Vicus ad lacum Literni. Liternus flumen.*

LITERNUM, urbs Leuterniorum, qui crediti fuerunt gigantes,

PRope Volturnum oppidum, itidem ad mare, antiquitus erat alia urbs, dicta *Liternum*, forsitan ab nomine *Leuterniorum*, de quibus *Strabo* lib. VI, ubi de Leuca in Salentinis agit, nobis exposuit famam istam, quæ non sine fabularum additamentis vulgo ferebatur de conditione gestisque eorum. Verba ejus ita Latine habent: *Ibi fons fœtentis aquæ monstratur, ac ferunt Gigantes, qui a Phlegra Campaniæ evaserunt, Leuternios dictos, eousque ab Hercule fuisse exagitatos, ibique terra obrutos, & eorum scaturiginem talem esse; ideoque etiam maris eam oram Leuterniam vocari.* Certe Liternum non longe fuit ab campo Phlegræo remotum, ut postea videbimus. Sed valde dubito, an forte nominum similitudo fluvii nimirum istius in Salentinis, & Literni, item celebris illa gigantum ex hisce locis fuga, conjuncta cum veteri opinione, qua vulgo crediderunt eos istic esse sepultos, ubi nasci videbant aquas fœtentes & sulphureas, dederit occasionem ad integram istam narrationem confingendam. Et adeo de hac origine Literni aliquid ultra investigare non laborabo.

A Ceterum refertur Liternum ad Campaniam nostram, nullo omnino scriptorum repugnante; etsi eorum nonnulli dissenserint duntaxat de situ ejus, & item fluminis cognominis, ut ex parte jam notavimus, ubi de Volturno flumine disputatum fuit, & denuo ostendendum erit, ubi de Casilino agemus. Ad Campaniam retulit hoc oppidum *Plinius Secundus*, non tantum lib. III cap. V, sed & lib. XIV cap. IV, ubi loquitur de hominibus quibusdam, qui celebres evaserant per industriam vitium colendarum & inter alia hæc refert: *Magna fama & Vetuleno Ægialo, perinde libertino, fuit in Campaniæ rure Liternino, majoreque etiam* B *favore hominum, quoniam ipsum Africani colebat exsilium.* Satis notum est, Africanum majorem Literni ultimam egisse ætatem in exsilio voluntario, & fundo suo colendo dedisse operam, qui deinde Vetuleni istius fuisse debuit; ad quod alludere voluit *Plinius.* Idem auctor priore loco, quem indicavimus, Liternum collocavit cis Volturnum, antequam Cumæ attingebantur. Idem fecerunt *Pomponius Mela* lib. II cap. II, *Antoninus* in *Itinerario*, quos supra variis occasionibus retulimus, & item *Livius* lib. XXIII, ubi de Tib. Sempronio ita dixit: *Sinuessæ, quo ad conveniendum diem edixerat, exercitu lustrato, transgressus Volturnum flumen, circa Liternum castra posuit.* Hinc C nihil dubitamus, quin apud eundem *Plinium* lib. XXXVI cap. XXVI reponendum sit *Liternum* pro nomine lacus *Lucrini*, quod istic supposuerunt librarii in hisce verbis: *Jam vero & in Volturno mari Italiæ arena alba nascens sex millia passuum littore inter Cumas, atque Lucrinum.* Et ad emendationem hanc satis expeditam nobis aperit viam, quem modo citavimus, *Antoninus*, viam describens a Tarracina usque Neapolim, ubi & ipse sex millia passuum numerat inter Liternum & Cumas. Neque hisce contraria prodidit nobis *Strabo*, qui dixit, inter Cumas atque lacum Lucrinum interesse isthmum paucorum stadiorum. Jam vero sex D milliaria conficiunt stadia octo & quadraginta. Ceterum fortuna Literni non multum diversa fuit ab ista Volturni, propter similitudinem scilicet & vicinitatem situs. Nam cum primum fuisset exiguum castellum, bis deinde coloniam eo miserunt Romani: & cum res ejus aliquamdiu perstitissent incolumes, hodie ne quidem nomen ejus superest. De priori deductione loquutus fuit *Livius* satis diserte, verum non sine defectu, mutila nimirum narratione. Narrans ille res gestas Coss. C. Cornelio Cethego, Q. Minucio, qui fuit annus ab Urbe condita DLVI, lib. XXXII hunc ad modum E scripsit: *C. Acilius Trib. pleb. tulit, ut quinque coloniæ in oram maritimam deducerentur: duæ ad ostia fluminum Volturni, Liternique: una Puteolos: una ad castrum Salerni: his Buxentum adjectum. Trecenæ familiæ in singulas colonias jubebantur mitti. Triumviri deducendis iis, qui per triennium magistratum haberent, creati.* Deinde lib. XXXIV inter res gestas Coss. Scipione Africano secundum, & Sempronio Longo, qui ab isto fuit annus tertius, denuo hoc retulit: *Coloniæ civium Romanorum eo anno deductæ sunt Puteolos, Volturnum, Liternum: trecenti homines in singulas. item Salernum, Buxentumque coloniæ civium Romanorum deductæ sunt.* Jam F non videntur mihi hæce deductiones haberi posse pro geminis, ut easdem quinque colonias denuo deductas intelligere debeamus adeo brevi annorum spatio, & numero colonorum utrinque pari. Igitur arbitror, *Livium* heic aliquid omisisse, & primo istam deductionem propter impedimentum aliquod dilatam fuisse, aut aliud ob vitium legem abrogatam; secundo vero peractam, tempore commodiore, & melioribus auspiciis. Ceterum nova

Fuit in Campania.

Inter Volturnum, & Cumas.

Plinius Secundus emendatus.

Deinde colonia Romanorum facta est.

Livius notatus, & illustratus.

nova coloniæ deductio fuit illa, quæ facta fuit duobus circiter seculis post, & cujus a *Frontino* facta mentio in libello *De coloniis*, hisce verbis: *Liternum muro ductum. colonia ab Augusto deducta. ager ejus in jugeribus veteranis est assignatus.* Igitur in honesta, ut dixi, fortuna satis permansit diu. Nam & *Symmachi* adhuc temporibus, qui vixit imperante Valentiniano II, id est, circa finem seculi quarti a Christo nato, quique lib. VI *epist.* V Severianum quendam *primorem Literninæ civitatis* dixit, erat illa Decurionum ordine ornata. Etenim, ut docte observavit *Juretus* ad hunc locum, *primoris appellatione videtur significari primus Decurionum; nam in Constitutionibus Principum primores eo sensu accipiuntur.* Verum hisce, quæ jam diximus, sane quam inconvenienter opponere sese videtur *Valerius Maximus*, qui lib. V cap. III de voluntario exsilio loquens, quod idem iste Africanus ad finem usque vitæ Literni egit, ita dixit de Romanis: *Vici ignobilis eum accolam fecerunt.* Sed ille forte, ego ut arbitror, studio voluit ejus extenuare dignitatem, ut clarius appareret injuria a viro isto illustrissimo tolerata forti animo. Aut magis ille attendit ad situm ejus, quam ad gradum dignitatis. Quia enim sita erat Liternum ab utraque parte viæ, quam postea refecit Domitianus Imperator, poterat in eam *vici* nomen convenire, de quo mox agemus. Aut denique intellexit, quod magis inclinat animus ut credam, ipsam Africani villam, quæ deinde fuit Vetuleni Ægiali, de quo loquutus est *Plinius Secundus*, quem paulo ante adduximus. Verum quænam tandem urbs, utcunque frequens aut nobilis, non poterat videri vicus ignobilis respectu Romæ quod solum erat tanto viro dignum domicilium? Certe non est existimandum, Liternum fuisse *vicum ignobilem*, cum istuc migravit Scipio: quandoquidem septem annis ante colonia eo deducta erat, ipso secundum Consule. Atque ad hoc non attendit *Stephanus Pighius*, qui recte quidem fecit, dum alias aliquot vitiosas lectiones istorum *Valerii Maximi* verborum refutavit, & illam solam pro integra & genuina agnovit, quam nos retulimus, sed non debuerat hoc in argumentum afferre: *Non civitas Liternum, sed Campaniæ vicus, obscurus alioquin.* Quod ad cetera attinet, fuit territorium, sive ager Literninus tantundem laudatus ab *Cicerone* in *Orat.* II *contra Rullum*, ubi eum connumeravit inter alios nobiles agros, nempe *Albanum*, *Setinum*, *Privernatem*, *Fundanum*, *Vestinum*; (lege *Vescinum*) *Falernum*, *Cumanum*, & *Casilinum*, (hoc reponendum istic est pro *Casini* nomine, ut in sequentibus ostendam) quantum *Livius* eum horridum atque infœcundum locum dixit lib. XXII, ubi de Annibale narrat, qui in castris suis quasi obsessus videbatur ab Fabio Maximo ad Casilinum: *Cum Capua, & Samnium, & tantum ab tergo divitum sociorum Romanis commeatus subveheret: Pœnus contra inter Formiana saxa, & Literni arenas, stagnaque perhorrida situ hybernaturus esset.* Equidem uterque satis ex vero loquutus est, si attendimus ad varietatem, quæ arenosæ ejus oræ maritimæ, & camporum mediterraneorum erat; inter quos atque mare lacus interjacet, qui itidem dictus fuit *Literni* nomine, quemque intellexit *Livius*. Et adeo integer ille tractus, ab eodem lacu remotus aliquantum, non injuria cum *Cicerone* satis laudari potest.

Valerius Maximus illustratus pluribus modis.

Stephanus Pighius refutatus.

Sita in loco variæ conditionis.

Cicero emendatus.

Cicero, & Livius conciliati.

VICUS prope lacum Literni, cujus non minus vetusta initia.

In iisdem campis hodie oppidulum est, nominis sane antiqui, quo cum non sit credenda minus antiqua fundatio ejusdem, haud sane parum miror, illud usque adhuc ab nullo alio hujusce Campaniæ scriptore fuisse animadversum aut observatum. Dicitur illud *Vicus*. Et quia hoc vocabulum hodie, ut item fuit antiquitus, commune est aliis etiam locis, vulgus nostrum sermone suo cognomen illi addit ab vicino lacu, & inde plenius dicitur *Vico di Pantano*. *Varronis* lib. IV *De lingua Latina* hæc sunt verba: *In opidis vici a via, quod ex utraque parte via sunt ædificia.* [1] Igitur si in urbibus castellisque *vici* appellabantur viæ, quæ ab utraque parte habitabantur, credere licet, idem quoque nomen convenisse in quamlibet domorum congeriem, collocatam ab utraque parte publicæ cujusdam viæ. Atque ita certe, ut domesticis potissimum exemplis utamur, ab utroque latere viæ cujusdam, fortasse Appiæ, debuit fuisse Vicus iste, quem nobis descripsit *Plinius Secundus* prope Cædias: & item ille prope Capuam, ad quem via ista ferebat, cujus facta mentio est in una veterum *Inscriptionum*, quam retulimus, ubi actum fuit de Volturno flumine. Et quid cogitandum est aliud de isto vico, qui hodie titulo urbis est ornatus, & in ista via fuit, quæ a Stabiis ad Surrentum ducebat? Insuper, hoc nomine dictus itidem fuit pagus quispiam in via Appia, inter Capuam & Caudium, ubi nunc est pagus iste, ad *Arienzum* pertinens, qui inde dicitur *S. Maria à Vico*. Et ejusmodi exemplorum major poterit observari copia in regionibus aliis. Igitur & noster Literni vicus sine dubio fuit ab utraque parte viæ cujusdam, & de antiquitate nominis sui dubitationi locus non erit. Ceterum de hac via vulgata quædam fama est apud incolas horum locorum, & multo adhuc certiori argumento eam indicant quædam vestigia ejusdem, quæ per hosce tractus conspiciuntur. Ex illis apparet, eam a Cumis progredientem, & semper magis magisque a mari declinantem Septentrionem versus, ad sinistram habuisse lacum, quem diximus, & ad istam partem ripæ Volturni fluminis duxisse, ubi hodie est pagus noster, qui appellatur *Arnone*: hinc eam ultra idem flumen & istuc loci perrexisse, ubi hodie alius est pagus noster, qui appellatur *Cancello*, ibique se conjunxisse viæ Appiæ, quæ a Sinuessa Capuam ducebat. Hoc autem certo statuere haud sciam utrum fuerit in isto loco, qui in *Itinerario Peutingeriano* dicitur *Ad octavum*, an in illo, qui dicitur *Ad nonum*; de quibus latius acturus ero occasione opportuniore. Verum mentiatur jam fama, item signa sint incerta, vanæque sint conjecturæ nostræ. Illa satis est certa hujus viæ, quæ appellata fuit *Via Vicana*, non aliunde certe, quam ab nomine hujus vici, memoria, quæ occurrit in veteri *Chronico monasterii S. Vincentii*, quod fuit ad caput Volturni fluminis, quod modo memoravimus. Conscripsit istud chronicon ejusdem monasterii monachus & Diaconus, *Joannes*, tempore summi Pontificis, Paschalis II, abhinc annos DL. Hic lib. II refert verba donationis, qua agrum quendam donavit isti monasterio Gisulfus, Dux Beneventanus (intelligo secundum hujus nominis, qui regnavit ab anno DCCXXXII a Christo nato ad annum usque DCCXLIX, ut ostendimus in *Historia Principum Longobardorum*, lib. I) quamque deinde confirmavit Sichardus, itidem princeps Beneventanus, principatus sui anno primo, mense Augusto, Indict. XI, qui fuit annus a Christo nato DCCCXXXIII; & denuo Ludovicus Imperator, filius Lotharii, imperii sui anno sexto, mense Januario, Indict. II, qui est a Christo nato

quam nomen,

Fuit ab utroque latere viæ cujusdam antiquæ, quæ extra Cumas erat,

Ideoque dicebatur Via Vicana.

1. Fortasse verius est, *vici* nomen derivatum esse ab Græco οἶκος, perinde ut ab οἶνος est *vinum*, ab ἲς *vis*, ab ἐμῶ *vomo*. Vide Vossium in *Etymologico*. Neque tamen propterea Varro dixit, non esse vicos ruri, nisi ad utrumque latus cujusdam viæ publicæ sitos, ut auctor credidisse videtur.

to annus DCCCLIV. In hisce privilegiis omnibus affirmatur, campo isti ab uno latere vicinum esse lacum *Patriensem*, (hic est lacus Literni, de quo diximus, qui ita appellatus fuit ab illo usque tempore, per causam, quæ ab aliis est notata) & ab altero latere *viam publicam*, *quæ dicitur Vicana*, *& pergit ad Cumas.* Hujus chronici licet typis nondum facta sit copia publico, tamen in tomo tertio novæ *Sylloges veterum historiarum Franciæ* quædam ejus pars est publicata, quæ habet privilegium Ludovici Imperatoris integrum. Igitur antiquitas viæ Vicanæ, & item pagi hujusce Literniniabunde jam est probata: præterquam quod iidem indigenæ, quos heic esse veros modo deprehendimus, etiam dividere solent cursum alterius cujusdam viæ antiquæ, quæ a Puteolis ad eundem Vicum ducebat; quo de si vel maxime ipsorum deesset testimonium, nemo tamen intelligens dubitaverit. Sed videamus jam quæso, an de ejusmodi Vico possimus esse certi alio quodam indicio, non tantum certiori, sed & temporis antiquioris, quam hoc est præcedens. Sane fertilitas istorum agrorum, qui proximi erant celebratissimo isti campo Phlegræo, de qua neque ipsi experientiæ, quæ quotidie nobis ante oculos est, neque *Ciceroni*, quem supra citavimus, potest negari fides, postulat, ut istic a temporibus usque satis antiquis, utcunque nondum in usu fuisset ista via, non defuisse pagum aliquem dicamus, agricolarum receptaculum; quandoquidem Liternum inde aliquantum erat remotum & ab latere lacus opposito, ut ab aliis bene observatum est, atque ad mare. Et in quanam alia, quam in hac parte territorii Liternini, credere jam conveniet villam suam habuisse majorem Africanum, quam ipse in voluntario Literni exsilio, sicut declarat, ut omnes alios taceam, *Seneca* epist. LXXXVI, habitavit simul atque coluit? Certe hac de re dubitari omnino nequit. Et minus etiam dubitari posse arbitror, quin *Valerius Maximus* hunc potius Vicum, quam ipsum Literni oppidum intellexerit, ubi de Romanis & Scipione dixit: *Vici ignobilis eum accolam fecerunt.* Ejus enim campi, magis quam quælibet alia pars arenosi atque palustris agri Liternini, ad agriculturam sunt apti. Atque ista fertilitas eorum notata observetur ab eodem *Seneca* in eadem epistola, ubi dixit, scripsisse sese in fine mensis Junii, atque istic vidisse *eodem die fabam metentes, milium serentes.* Sane animadvertere licet, hæc satis bene convenire agris hujusce Vici nostri, adeo vicini campo Phlegræo, cujus, ut deinde ostendam, *Dionysius Halicarnassensis* lib. I, *Strabo* lib. V, & *Plinius Secundus* lib. XVIII cap. XI, æque magnam prædicaverunt fertilitatem. Credidit quidem *Cluverius Italiæ* suæ lib. IV cap. II, ut ipsius verbis utar, *prope ipsum oppidum Liternum fuisse hanc Scipionis Africani villam*, & argumento usus est, *quod suprascripti auctores* (retulerat verba *epitomes Livianæ*, & ipsius *Livii* lib. XXXVIII, item *Pauli Orosii* lib. IV cap. XX, & *Strabonis* lib. V) *Liternum in exilium concessisse eum testentur*, *& Literni monumentum ejus ostendi.* Verum hac ratione omnino credendum erit, hanc villam ejus atque habitationem proprie fuisse intra Literni mœnia; si, ut vera esse possit istorum auctorum narratio, nefas est credere, eum egisse exsilium in territorio Liternino, aliquantum ab eadem urbe remoto. Sane *Seneca*, qui epistolam, quam citavimus, scripsit *in ipsa Scipionis Africani villa jacens*, nihilo secius de eodem addidit: *Dedit locum legibus*, *& se Liternum recepit.* Idem formam ejusdem villæ describens, nihil quicquam dixit, unde illa colligi possit ad mare fuisse: *Vidi villam*, (hæc ejus sunt verba) *structam lapide quadrato: murum circumdatum sylvæ: turres quoque in propugnaculum villæ utrinque subrectas: cisternam ædificiis, ac viridibus subditam, quæ sufficere in usum vel exercitus posset: balneolum angustum, tenebricosum, ex consuetudine antiqua. In hoc angulo ille Carthaginis horror abluebat corpus, laboribus rusticis fessum: exercebat enim opere se, terramque, ut mos fuit priscis, ipse subigebat.* Huc usque *Seneca.* Et videat ipse *Cluverius*, quam possint apte convenire prædiis villæ maritimæ, in ora istac arenosa atque palustri, illa, quæ de eorum cultura & feracitate, præterquam quæ a nobis jam sunt notata, prolixius narrare pergit idem auctor. De hoc igitur *Vico*, qui hodie cognomen habet *di Pantano*, satis credi potest loquutus fuisse *Valerius Maximus.* Et adeo hujus auctoris erit antiquissimum, quod de isto Vico occurrit, testimonium, ad quod cum non attendissent nostri scriptores, in altissima delitescebat ille caligine. Sed videbitur forsan ipse *Cluverius* quomodocunque eum detexisse in ejusdem *Valerii Maximi* verbis, quæ citavimus; quandoquidem ex istis (tanta veri vis est) suspicio illi incidit, prope ipsam Scipionis villam & monumentum, quod ibidem fuit, deinde fuisse conditum vicum quendam, de quo ita dixit: *Vicus hic*, *quia nullus supracitatis auctoribus memoratur*, *nescio an postea ob celebritatem monumenti Scipionis juxta constructus sit.* Equidem ego haud sane ambitiose meam facere hanc laudem studens, vellem, ipsi hoc concedere possem, quod de situ ejus ad mare credidit, & item hoc alterum, eum necdum fuisse constructum tempore auctorum suorum, quos citavit. Horum antiquissimus est *Livius*, quem mors Africani majoris antecessit annis amplius centum. Post *Livium* autem non multo vixit *Valerius Maximus.* Jam si priori isto annorum spatio, quod multo majus est, & propius etiam accedit ad ætatem atque gloriam summi istius ducis, locus monumenti ejus non fuit ad modum vici habitatus, multo adhuc minus illud potuit factum fuisse deinceps. Nam ut ipse *Livius* affirmat lib. XXXVIII, tum temporis ne quidem satis fuit certum, utrum ille Literni an Romæ sepultus esset. Et de hoc jam sufficiat.

Prope istum Vicum villam suam habuit & exsilium egit Scipio Africanus.

Valerius Maximus disertius illustratus.

Seneca illustratus.

Cluverius refutatus.

Cluverius denuo refutatus.

Non æque iidem auctores nostri de vicino fluvio agere neglexerunt, qui in mare se exonerans prope vicinum oppidum Liternum, de quo supra diximus, idem quoque nomen obtinuit, & dictus etiam fuit *Clanius*, & *Glanis*, pro varietate illa, quam mox ostendam. Et ad illorum quidem diligentiam pauca tantum quædam addenda supersunt. Oritur ille inter Avellam atque Nolam, quæ utraque ejusdem nostræ Campaniæ urbs est, fontibus exiguis, qui aliquando fere penitus exarescunt, aliquando copiosissimas egerunt aquas magno accolarum damno. Temporibus igitur turbidis insuper auctus aquis pluviis, supra quam angustus ejus atque humilis alveus continere valeat, facile solet inundare vicinos agros. Atque ita Acerras, per quarum fines ille currit, non minus hoc incommodo, quam fœcunditate insignes notavit *Virgilius* hisce versibus *Georg.* lib. II:

LITERNUS fluvius, per frequentes inundationes infestus agris vicinis.

Talem dives arat Capua, & vicina Vesevo
Nola jugo, & vacuis Clanius non æquus Acerris.

Et hoc quidem satis est certum, hunc Clanium eundem esse fluvium, qui ad Liternum in mare se exonerabat. Cumque hac de re nunquam fuerit dubitatum, vellem illud quoque monitum fuisset, eum neque uno eodemque tempore neque diversis temporibus gemino isto nomine fuisse appellatum, sed alio adhuc, eoque tertio modo, ita dictum: id est alio nomine ad fontes suos, alio, ubi in mare exit; perinde ut hodieque diversæ

CLANIUS fuit dictus fontes suos versus, & ostia versus LITERNUS.



CUMARUM *Vestigia: Oppidum quondam exiguum munitissimumque.*

ſæ partes ejus diverſis appellantur nominibus. Nam ubi olim dictus fuit *Clanius*, hodie appellatur *Il Lagno*; ubi olim *Liternus* ab nomine urbis, quæ ad ejus oſtium ſita eſt, hodie *Il fiume di Patria*, ab nomine, quod deinceps inditum eſt iſti loco, unde ſimul etiam vicinus iſte, qui olim fuit *Literni lacus*, eſt denominatus. Ad hanc diſtinctionem Latinis auctoribus uſitatam, quæ ſane veriſſima eſſe deprehendi poteſt, ſi conferantur verba illorum, qui utroque iſto nomine fuerunt uſi; ſolus *Dionyſius Halicarnaſſenſis*, ſcriptor Græcus, non videtur attendiſſe, ubi lib. VII narravit, cum Etruſci Cumas obſidione cinctas tenerent Olympiade LXIV, aquas Glanis, (ita ille appellavit hoc flumen, ut & fecit *Lycophron*, quem jamjam afferemus) & item Volturni fuiſſe viſas retro ad capita ſua currere. Veruntamen ille ſua laude non eſt fruſtrandus, quod ſolus omnium auctorum Græcorum, quos habemus, verum ſitum hujus fluvii, atque oppidi Literni cognoverit; cum eundem, ut monuimus aliis occaſionibus, *Appianus Alexandrinus* cum Liri, [1] *Strabo* cum Savone, *Plutarchus* cum Volturno confuderit, & *Ptolemæus* ultra Cumas eum fuiſſe crediderit, cum re vera citra Cumas fuerit, teſtibus *Livio* lib. XXIII, *Pomponio Mela* lib. II cap. IV, & *Plinio Secundo* lib. III cap. V, cujus verba alibi adduximus. Neque *Lycophron*, quem modo diximus, & ipſe heic admiſit errorem minus manifeſtum, dum in *Alexandra* non diſjunxit ab ejus oſtio Phaleri caſtrum, quod omnes eſſe Neapolim interpretantur, juxta quam non Glanis, ſive Clanius, ſed Sebethus amnis, ut abunde manifeſtum eſt, in mare exit. Verſus ejus, in quibus loquitur de Parthenope, una trium Sirenum, ſubmerſarum mari Tyrrheno, ita Latinos fecit *Joſephus Scaliger:*

Dionyſius Halicarnaſſenſis notatus, & alio nomine laudatus.

Lycophron notatus.

Unam Phaleri turris ejectam foras
Glaniſque capiet, flumine irrorans humum:
Qua puſæ acerram conſtruentes incolæ
Vitulatum ſtrepente Parthenopen ſono
Solemnia deam jubilabunt alitem.

Equidem ſatis ſcio, pro *Lycophrone* illud poſſe afferri, eum in iſto poëmate obſcura ænigmata canentem atque oracula, & narrantem de temporibus antiquis, quæ ipſarum etiam initia urbium anteceſſerunt, deſcripſiſſe loca, ut potuit commodiſſime, tam aliorum ſignorum, quam etiam fluminum indicio: atque adeo non eſſe eum adſtringendum, ut multum exactam rationem reddat de legibus geographiæ, quandoquidem alioqui continuo foret accuſandus illo vel illo modo. Sed itidem ſcio, eum ſine ullo incommodo, imo commodiſſime, potuiſſe uti nomine Sebethi fluvii, ſi forte fortuna eum non confudiſſet cum Clanio flumine, quod etiam quatuor illi alii graviſſimi auctores Græci, quos modo memoravimus, non recte habuerunt cognitum. Quomodocunque tamen ad defenſionem ejus hoc faciat, quod ænigmatum atque oraculorum more loquutus eſt, ut adeo licitum illi fuerit hoc memorare, non autem illud flumen, aut potius vicinum Volturnum, quod omnium erat maximum. Atque hæc monere lectorem non videor mihi ſatis juſte potuiſſe negligere. Sed jam tempus eſt, ſine mora tranſire ad uberius aliud & illuſtrius argumentum, id eſt, ad Cumas.

Lycophron notatus.

XV. *Cumæ urbs.* Opicia & Opici, *idem quod* Campania & Campani. *Campus Cumanus*, *Græcis poëtis dictus* Phlegræus. *Chalcidenſes poſt bellum Trojanum ante omnes alias ſuas Italiæ & Siciliæ urbes condiderunt urbem Cumanam, quæ etiam dicta fuit* Miſena. *Habitaverunt eam Theſpoti, ſive Theſpiadæ. Subacta fuit a Campanis. Ultima ejuſdem fortuna.*

[1] Veriſimilius eſt, Strabonem forte memoriæ vitio Liternum & Volturnum invicem confudiſſe, ut notavimus ad finem cap. XI.

Cumæ urbs fuit Campaniæ, ut ex illis, quæ in principio hujus *Diſſertationis*, dicta ſunt, ubi de limitibus ejus in genere diſſeruimus, poteſt intelligi. Sed verbis omnino manifeſtis ad eandem hanc regionem retulit eas *Plinius Secundus* lib. IX cap. I, ubi de vario lini genere, a tenuitate maxime commendato, inter alia hæc ſcripſit: *Eſt ſua gloria & Cumano in Campania, ad piſcium & alitum capturam.* Idem fecit quoque *Athenæus* lib. I, ubi de vinis loquens, ut interpres ejus habet, ita dixit: *Circa Cumas Campaniæ naſcitur, quod Fauſtianum vocant.* Nihilominus ab hiſce videri poſſint longe diſſentire iſti Græci auctores, qui Cumas dixerunt urbem *Opiciæ*, & *Opicorum.* Atque hæc regio apud *Marcianum Heracleotam* in Periegeſi diverſa eſt a regione *Campanorum*, ſeu *Campania. Marciani* verſus Latine ad verbum ita habent:

CUMÆ urbs fuit Campaniæ.

Græci hanc urbem adſcripſerunt Opiciæ & Opicis,

Poſt Latinos eſt in Opicis urbs
Prope lacum Avernum
Cumæ, quam primum Chalcidenſes coloniam deduxerunt,
Dein Æoles: quorum fortibus viris plena admodum
In Aſia eſt Cuma urbs.
Juxta hos incolunt Samnites, contermini
Auſonibus; poſt quos in mediterraneo
Habitant Lucani ſimul, & Campani.

Igitur ſi hæcce loca mediterranea fuerunt Campanorum, maritima autem, inter quæ & Cumæ erant, Opicorum, illud dicendum eſt, eandem urbem ad Opiciam, non autem ad Campaniam pertinuiſſe. Ad Opiciam ſane atque Opicos retulerunt eam iſti auctores Græci, quorum alibi fecimus mentionem, ubi prolixius hoc argumentum nos hoc loco tractaturos promiſimus. Agedum igitur, ſingulorum verba Latine referamus: *Zancle* (dixit *Thucydides* lib. VI) *inter initia quidem a latronibus e Cumis, quæ eſt in Opicia* (ἐν Ὀπικίᾳ habent Græca: ſequentium auctorum alter ἐν Ὀπικῇ, *in Opica*; alter ἐν Ὀπικοῖς, *in Opicis*) *Chalcidica urbs, profectis, habitata eſt.* Eodem modo loquutus fuit *Dionyſius Halicarnaſſenſis*, qui eodem lib. VII, quem non multo ante citavimus, illam dixit *Græcam urbem in Opicis, ab Eretrienſibus & Chalcidenſibus conditam.* Neque alio modo deſcribere eam ſcivit *Pauſanias*, apud quem frequentiora occurrunt ejuſdem loquutionis exempla. De Tritia, Achæorum urbe, ita ille ſcripſit lib. VII: *Tritiæ quidem conditorem Celbidan, ſunt, qui dicant fuiſſe: veniſſe vero illum e Cumis in Opica.* Et iterum lib. VIII: *Cumani vero in Opicis dentes monſtrant in Apollinis templo ſuſpenſos, quos apri Erymanthii eſſe dicunt; ſed nihil omnino ad fidem faciendam ſatis probabile afferunt.* Et item tertium, ubi loquitur de Sibylla Cumana lib. X: *Jam vero poſt illam, quæ fatidica ipſa fuit e Cumis, quæ ſunt in Opicis, & Demo nomine fuiſſe appellatam, Hipparchus, vir Cumanus, ſcripſit.* Ita illi. Et quantum ad ſedes Opicorum attinet, hos tantummodo oram tenuiſſe maritimam, reliquum autem vicini tractus mediterranei ab alia fuiſſe gente cultum, videntur, licet non uno eodemque modo, crediſſe *Polybius*, aliique auctores incerti, quos *Strabo* retulit lib. V, ubi varias narrans opiniones de diverſitate Opicorum atque Auſonum, ſcripſit, ut interpres ejus

Quaſi regioni diverſæ;

Quorum hæc maritima, illa mediterranea,

ejus habet, ad hunc modum: *Polybius significat, se pro duabus diversis gentibus eos habere: ait enim, Opicos & Ausonas terram, quæ est circa Craterem, incoluisse. Alii ferunt, cum ea loca quondam Opici & Ausones tenuissent, fuisse ea deinde ab Osca gente occupata, quæ a Cumanis pulsa inde sit, quos rursum Etrusci ejecerint.* Igitur ex [1] *Polybii* sententia tenuerunt Opici tractum illum circa Cumas, Ausones autem illum circa Vesuvium montem, a quo non procul abest Nola, quæ ab *Hecatæo*, ut suo loco dicetur, Ausonibus est contributa; quandoquidem uterque tractus suum habebat craterem, quem nos diceremus *flammarum ostium.* Ex sententia autem aliorum istorum, quorum nomina non prodidit *Strabo*, Osci, gens mediterranea, utrosque pepulerunt sedibus maritimis, quos cum postea vicissim inde ejecissent Cumani, & ipsi novissime adacti fuerunt dare locum Etruscis. Et ab hisce non dissentiunt illi; qui non tantum Neapolim, quam *Stephanus Byzantinus* semel iterumque in Opicis collocavit, sed & Nolam atque Avellam dixerunt urbes Chalcidensium, quibus ex communi sententia Cumarum fundatio tribuitur. In Opicis itidem portum Miseni collocavit *Dionysius Halicarnassensis* lib. I, & idem *Stephanus Byzantinus* Atellam, quæ secundum hosce auctores fuisse debuit urbs eorum maxime omnium mediterranea, si ipsi tantummodo vicinam oram maritimam incoluerunt. Igitur jam satis manifesta res est, quicunque Cumas Opiciæ adscripsit, eum dissentire multum ab quolibet alio, qui eas in Campania collocavit; quandoquidem ex sententia *Marciani Heracleotæ* diversa fuit maritima Opicorum ab mediterranea Campanorum regione. Nihilominus hæc discordia facile conciliari posse videtur, si dicamus, *Opiciam* deinde *Campaniæ* nomine fuisse appellatam, quando Etrusci Campani, qua de re mox agam, occupaverunt Cumas. Atque hinc utraque sententia & loquutio variorum temporum respectu fuerit consona vero. Sed ego animadverto, quicquid jam statuatur de Opicorum conditione, & de amplitudine regionis illorum, quos nonnulli confuderunt cum Oscis, cum non defuerint alii, qui itidem Oscos & Campanos inter se confuderunt, ut alibi plenius ostensurus ero; animadverto, inquam, alios, & itidem Græcos scriptores *Opicorum* nomine appellavisse *Campanos*; ita ut eadem ipsorum lingua nominari *Opicia* debuerit illa ipsa regio, quæ alio nomine dicta fuit *Campania.* Atque hoc modo nodus hic, cui extricando cummaxime operam damus, facile possit ex sese solvi, nec opus fuerit involvere se genealogiis eorundem populorum, quæ multum sunt ambiguæ atque incertæ. Ita igitur *Dio*, ubi lib. XXXVIII Cæsarem de priscis Romanis ad milites suos hæc dixisse refert, ut interpres ejus habet: *Latinos in suam potestatem redegerunt: Sabinos vicerunt: Tyrrhenos, Volscos, Opicos, Lucanos, Samnites subegerunt*; non potest intellexisse veros *Opicos*, qui jam exstincti fuerant ante Romam conditam, sed debuit intellexisse *Campanos*, qui hanc regionem obtinuerant. Atque hi deinde, perinde ac reliqui populi, quos dixit Cæsar, subacti ab Romanis, desiderantur in isto catalogo soli; ut sagaciter observavit *Cluverius.* Item *Dionysius Halicarnassensis*, ubi lib. I miratur Romam, quomodo illa, ut interpretis ejus verbis utar, *penitus barbara non fuerit reddita, receptis Opicis, Marsis, Samnitibus, Etruscis, Brutiis, & multis Umbrorum, Ligurum, Hispanorum, & Gallorum millibus; & aliis præterea gentibus, quæ partim ex ipsa Italia, partim ex aliis locis eo venerunt innumera*; per *Opicos* videtur mihi non alios intellexisse, quam *Campanos*: de quibus *Historiarum* lib. XXIII, & item alibi, satis certo *Livius* tradidit, eos, antequam subacti essent ab Romanis, magnam partem adscitos fuisse in Romanam civitatem, & cum iisdem mutuas contraxisse affinitates. Eodem igitur modo & *Thucydides*, & *Pausanias*, qui si recte attendimus ad eorum verba, respectu suorum temporum Cumas retulerunt ad *Opiciam* & *Opicos*, quæ gens istis jam temporibus, ut alibi demonstrabo, prorsus erat exstincta, non possunt aliam regionem intellexisse, quam eandem *Campaniam*, eosdemque *Campanos.* Jam quod ad *Stephanum Byzantinum* attinet, potuit ille Atellam dicere *Opicorum urbem*, loquendi modo proprio, & attendens ad tempus fundationis ejus, alioquin ignotæ. Et multo adhuc certius potuit *Dionysius Halicarnassensis* in iisdem *Opicis* collocare portum Misenum, ubi de Ænea ejusque Trojanis, ut interpres ejus habet, ita dixit: *Delati in pulchrum ac profundum in Opicis portum, exstincto ibi Miseno quodam, viro nobili, ab eo portum Misenum nominarunt.* Nempe illis temporibus nomen *Campanorum* & itidem *Campaniæ* necdum exstabat. Per eandem causam idem etiam auctor in verbis, quæ ante adduximus, non dixit Cumas, in *Campania* conditas, sed in *Opicis.* Atque his nihil obstat, hæc nomina deinde promiscue fuisse usurpata. Sane enim neque *Dionysius*, neque *Dio* alibi quicquam discriminis hic videntur agnovisse. *Dionysius* lib. VI de Tarquinio, olim rege Romanorum, ita scripsit: *Cum neque Latini eum amplius intra oppida reciperent, neque Etrusci, neque Sabini, neque ullus vicinus ac liber populus, Cumas agri Campani petiit, divertitque apud Aristodemum, cognomine Malacum, tunc temporis Cumanorum tyrannum.* Idem lib. VII scripsit, Coss. T. Geganio Macerino & P. Minucio, id est, ab Urbe condita anno CCLXI, Senatum Romanum in magna annonæ penuria *legatos dimisisse in Etruriam, & Campaniam, & in agrum Pomptinum, ut quantam maximam possent, frumenti copiam coemerent.* Per *Campaniam* eum heic speciatim etiam *Cumas* intellexisse, ipse satis indicat, ubi paulo post subjunxit, legatos Romanos, qui ad Volscos erant missi, (tenebant hi Pomptinum agrum) istic fuisse occisos, & *idem accidisse iis, qui ad Italicas Cumas iverant.* Denique ubi non multo post ita dixit: *Cumæ illis temporibus* (loquitur de Olympiade LXIV, cujus primus annus incidit in annum ab Urbe condita CCXXIX) *tota Italia celebres erant ob divitias, & alia bona, quod totius agri Campani fertilissimam partem possiderent*; confudit non sine quadam anticipatione temporis nomen *agri Campani* & *Campaniæ* cum nomine *Opicorum* & *Opiciæ*, quo cum maxime appellari debebat fertilis iste tractus, quem tum temporis tenebant Cumani, quemque una cum urbe Cumarum tum Campani necdum subegerant, quod accidit aliquanto post. *Dio* quoque, ut diximus, & ipse promiscue usurpavit alterum pro altero nomen, ubi lib. XLVIII de temporibus Augusti narrans, ita scripsit de Cumis: *Urbs est* Cam-

Polybius, aliique veterum illustrati.

Et utraque deinde Campaniæ nomine dicta.

Sed tutius est, ut dicamus, Græcos Campaniam *&* Campanos *dixisse* Opiciæ *&* Opicorum nomine.

Dio, & Dionysius Halicarnassensis illustrati.

Et potuit nihilominus Campania principio dicta fuisse Opicia;

Unde nonnullos auctores Græcos illa vel illa de causa inconstanter utramque nomen usurpavisse deprehendimus,

Dionysius Halicarnassensis illustratus.

Dionysius Halicarnassensis leviter notatus.

[1]. Non video, quomodo auctor ex his verbis Strabonis ejusmodi sensum eruere potuerit, etsi hæc quidem non adeo hic magni momenti res est, ut quæ nihil pertinet ad disputationem ejus de Opicis & Campanis. Strabo dixit numero unitatis τὴν χώραν ταύτην περὶ τὸν Κρατῆρα. *regionem hanc circa Craterem.* Et non novit ille, nisi unum solummodo Craterem, quem paulo ante descripserat, & cujus pulchritudinem amœnitatemque uberius descripsit aliquanto post: nempe oram illam a Miseno usque ad Minervæ promontorium. Atque adeo nescio, quænam hic nobis *flammarum ostia* dicat auctor, quibus, cum hæc scriberet, nihil minus cogitavit Strabo. Sed ut hoc in antecessum moneam, ne quis forte turbetur, Opicorum, Oscorum, & Ausonum una fuit eademque gens, ut satis probat auctor in *Dissert.* IV. cap. IV & V. Et *Campanorum* quoque *Opicorumque* nomen promiscue ab nonnullis fuit usurpatum, ut mox ille ostendit.

Campaniæ, ibique locus est quidam, in Lunæ formam curvatus, inter Misenum & Puteolos. Nam debuisset illam dicere urbem *Opicorum* & *Opiciæ*, quia antea *Campanos* Cæsar apud eum dixerat *Opicorum* nomine. Cumæ igitur perinde Campaniæ fuit urbs, ac Opiciæ, licet proprie in Opicia primum condita fuerit. Et adeo mihi videtur *Marcianus Heracleota* nullo certo indicio, sed suapte tantum conjectura, & ut in concordiam redigeret opiniones, quas ipse perperam credidit discordare inter se, ex una regione fecisse duas; & injuste Campanis ademisse loca maritima, & item Opicis mediterranea, quæ utrisque perinde fuerunt adscripta ab aliis auctoribus gravissimis, ut ex parte jam vidimus in hac *Dissertatione*, & alibi plenius ostendetur. Verum ille non semel, idque in rebus etiam manifestioribus, sua laboravit phantasia, atque de Cumis, & deinceps de Neapoli tractans, alios admisit errores manifestos, qui suis locis ostendendi erunt. Quod si ille, quoniam versibus exsequutus est suam *orbis descriptionem*, aut necessitate metri, aut alioqui suapte sponte tantum omisisset quasdam minutias, non autem illas notavisset & retulisset ad modum vero contrarium, injuste illum accusarem. Insuper si ille ab aliis recentioribus non fuisset reprehensus pluries errorum nomine nihilo graviorum, inceptum meum judicari deberet esse temerarium & inutile. Nunc illud qualitercunque satis excusari inde potest, quod, si verbum non fecissem isto de argumento, ipse me non excusare possem. Ceterum Cumani credi sane possunt, etsi nunc quidem nihil hujus certo asseverare est animus, tenuisse tantum loca, quæ crateri suo atque mari erant proxima, quandoquidem *Dionysius Halicarnassensis*, ut modo vidimus, in summa eorum felicitate nonnisi unam tantum totius Campaniæ partem illis tribuit. Atque isto tempore reliqua mediterranea poterant esse in ditione Campanorum, ut indicabitur in *Dissertatione*, quam de priscis Campaniæ habitatoribus instituam. Atque huc respexisse etiam videri possit *Diodorus Siculus*, qui paulo post afferetur a nobis, & neutiquam æquiparavit agrum Cumanum integræ Campaniæ; cum interim Opicis moveri controversia nequeat de dominio, quod ipsis multi veterum concesserunt etiam extra hanc regionem.

Et Cumas fuisse urbem regionis binominis.

Marcianus Heracleota refutatus.

Marcianus Heracleota notatus.

Interim ager Cumanus, non autem Opicia, potest Campania fuisse angustior.

Verum hasce antiquitates iterum atque iterum considerandas esse accuratius, quam *Marcianum* fecisse apparet, manifesto exemplo deprehendi potest ex istis, quæ idem *Diodorus* lib. IV de Hercule scripsit, ut interpres ejus habet, ad hunc modum: *A Tiberi profectus per littus Italiæ ad Cumæum devenit campum, in quo tradunt fuisse homines admodum fortes, & ob eorum scelera gigantes appellatos.* Subjunxit: *Campus quoque ipse dictus est Phlegræus, a colle, qui plurimum ignis, instar Ætnæ Siculi evomens, nunc Vesuvius vocatur, multa servans ignis antiqui vestigia.* Ille enim, loquens de Hercule, non tantum per anticipationem *campum Cumanum* appellavit nomine ab aliis non usurpato regionem istam, in qua post annos circiter ducentos conditæ demum fuerunt Cumæ; sed eadem quoque regio, si ejus verbis standum est, principio non habuit *Opiciæ*, verum *campi Phlegræi* nomen. Jam vero certa res est, imperium Opicorum antiquius esse Cumanorum imperio, & itidem *Phlegræum* fuisse dictum (non jam istorum camporum heic habenda ratio est, qui extra Italiam appellati fuerunt eodem nomine) campum prope Nolam, in quo erat Vesuvius mons, qua de re nos certos fecit *Polybius* lib. I. Igitur idem *Diodorus* perinde ut auctores isti, quos *Strabo* citavit sine nominibus, memorans nonnisi unum solummodo craterem, id est, illum, qui est in monte Vesuvio, non ostendit cognitum habuisse illum alium, qui Cumis erat propior: atque ita satis extendit late Cumanum campum Phlegræum, eumque confudit cum Phlegræo campo Nolano. Non ita fecit *Polybius*, qui alterum ab altero campo distinxit, ubi de Tyrrhenis, qui alio nomine dicti sunt Etrusci, terras inter montem Apenninum & mare Adriaticum tenentibus, ita dixit: *Phlegræos etiam campos*, (ita verba ejus Latine habent) *qui circa Capuam & Nolam sunt, tenebant.* Verum cum istud nomen, ut diximus, hisce campis non fuerit inditum solis, poëtæ Græci, si eidem auctori non est neganda fides, perinde alios quosdam campos nobiles, & a fertilitate multum laudatos, soliti fuerunt dicere *Phlegræos.* Atque hoc ille ubi lib. III situm Capuæ descripsit, nos admonuit verbis, prout illa Latine vertit ejus interpres, sequentibus: *In mediis autem campis sita est omnium olim felicissima civitas Capua; cujus campi fabulosis etiam poëtarum carminibus inclyti sunt, quos illi, quemadmodum & alios præclaros campos, Phlegræos appellant.* Quod ad cetera attinet, non fuit hoc nomine integrum territorium, seu totus ager Cumanus appellatus, sed tantum quædam pars ejus, ubi pugnam Herculis cum gigantibus accidisse fabula ferebat, quamque Latini dixerunt *Leborias.* Et brevi hanc in rem, quæ usque adhuc prorsus in obscuro fuit, aliquid lucis erit afferendum.

Nomen campi Phlegræi non ad solam regionem Cumanam pertinuit.

Diodorus Siculus notatus pluribus de causis.

Idem non ab aliis, quam a poëtis Græcis est usurpatum.

Et istius campi Cumani fuit, qui ab Latinis dictus est Leboriæ.

Jam vero cum de Cumarum conditoribus & item de tempore ejus urbis conditæ, inter recentiores scriptores, qui testimoniis utuntur veterum, variæ sint opiniones, dum alii sequuti sunt, alii vero refutaverunt quod eam in rem ipsis dixisse videbantur veteres; apprime conveniet, ut hoc argumentum, quod & per sese, & per ingeniorum nobilitatem, quæ istud ita diverse tractaverunt, admodum est illustre, aliquanto plenius exsequamur. Igitur ex *Thucydidis*, quem supra allegavimus, verbis intelleximus, Cumas fuisse opus Chalcidensium e Chalcide, urbe Eubœæ insulæ, quæ hodie appellatur *Negroponte.* Ab hujus verbis nihil dissentit *Livius*, qui lib. VIII de Cumanis ita scripsit: *Ab Chalcide Euboica originem trahunt.* Perinde cum *Thucydide* consentit *Plinius Secundus*, qui Cumas dixit urbem Chalcidensium, ubi lib. III cap. V Campaniæ loca maritima recensuit ad hunc modum: *Liternum, Cumæ Chalcidensium, Misenum, Puteoli,* &c. Fuerunt in eadem quoque sententia præter *Dionysium Halicarnassensem*, quem itidem jam retulimus, *Vellejus* noster, & denique *Strabo.* Et inter hos tantum illa est varietas, quod *Dionysius* Chalcidensibus comites adjunxit Eretrienses ab Eretria, ejusdem insulæ urbe; *Vellejus* autem solos Chalcidenses memoravit, quibus Hippoclem & Megasthenem duces fuisse dixit; *Strabo* vero Hippoclem dixit *Cumanum* ab aliis Cumis antiquioribus. *Velleji* verba, quibus ille etiam indicavit, circiter Aletis tempora, qui Corinthum condidit, & sextus fuit ab Hercule, ex Athenis prodiisse genus illud Chalcidensium, qui non multo post tempore Cumas nostras iverunt conditum, hæc sunt: *Aletes, sextus ab Hercule, Hippotis filius, Corinthum in Isthmo condidit. Athenienses in Eubœa Chalcidem & Eretriam* (ita lego cum *Ursino*, non autem: *In Eubœa Chalcida Eretriam*) *colonis occupavere.* Et mox: *Nec multo post Chalcidenses, orti, ut prædiximus, Atticis, Hippocle & Megasthene ducibus Cumas in Italia condiderunt.* Ita *Vellejus.* Sed *Pausanias* lib. II Aleten, qui Corinthum condidit, abnepotem Herculis dixit, pronepotem Antiochi, nepotem Philanti, filium Hippotis. I-

Cumarum fundationem, argumentum inter recentiores controversum.

Veteres consensu tribuerunt priscis Chalcidensibus.

Dissentientes tantum, quod ad illorum socios attinet.

dem fecit *Bibliotheca* lib. II *Apollodorus* : ut adeo ille non sextus ab Hercule, sed quintus fuerit. Atque hoc verius esse credidit *Lipsius*, ideoque existimavit, *Vellejum* quoque non aliter scripsisse. Verba *Strabonis*, ab *Xylandro* Latine reddita, ita habent: *Subsequuntur Cumæ, Chalcidensium & Cumæorum opus vetustissimum; est enim antiquissima hæc urbs omnium Sicularum, & Italicarum a Græcis deductarum coloniarum. Ductores classis Hippocles Cumæus, & Megasthenes Chalcidensis inter se pepigerunt, ut alterius colonia esset, alterius appellatio coloniæ: itaque urbs Cumæ nomen gerit; videtur autem a Chalcidensibus condita.* Omnes itaque consentiunt Cumarum exstructionem fuisse Chalcidensium opus, & inter se hactenus differunt, ut alii comites illis adjunxerint Eretrienses, alii Cumanos, alterius cujusdam Cumæ cives, alii vero neutros admiserint. Possit videri hic nodus satis commode solvi posse, si cum *Marciano Heracleota* in versibus, quos allegavimus supra, dicamus, eam urbem primum quidem conditam a Chalcidensibus, & sub horum nomine simul etiam comprehendamus Eretrienses eorum populares; deinde vero eam fuisse auctam, sive instauratam a Cumanis Æolicis, seu Asiaticis. Sed *Josephus Scaliger* in *Animadversionibus ad chronicon Eusebii Cæsariensis*, *Num.* DCCCCLXVI, prorsus falsam esse voluit istam narrationem, eoque nomine reprehendit *Marcianum*. Verba ejus hæc sunt: *Marcianus* ὁ περιηγητὴς Κύμην Ὀπικὴν *ait primum a Chalcidensibus, postea ab Æolibus conditam. est hallucinatio: semel enim condita a Chalcidensibus Cumanis, qui erant Æoles.* Et adeo se credidisse ostendit, [1] Hippoclem fuisse Cumanum, Cumis Æolicis seu Asiaticis oriundum, & item fuisse Chalcidensem, quod aliquandiu moratus fuerit Chalcide, atque inde postea cum Chalcidensibus Cumas nostras iverit conditum. Contra autem *Scaligero* diserte sese opposuit *Claudius Salmasius* in *Exercitationibus Plinianis* ad *Solini* cap. II. Hic fuisse arbitratus etiam Cumas Euboicas, quod constanter negat *Cluverius*, dictum *Marciani* adeo verum esse contendit, ut Cumas nostras dicat non aliter posse antiquissimam fuisse Græcarum Siciliæ & Italiæ coloniarum, ut affirmavit *Strabo*; & ne quidem eam posse conditam fuisse a Chalcidensibus Cumanis Æolicis, ut *Scaliger* voluit, nisi si illa primum condita fuerit ab Chalcidensibus Eubœæ non longo post tempore, quam Athenienses occupaverant Chalcidem & Eretriam, ut auctor est *Vellejus*, & postea secundo ab istis Cumanis Æolicis, qui dicti Chalcidenses, quod ex Æolide atque Asia in Eubœam transiissent tempore, ut itidem *Strabo* notavit lib. x, Penthili, Orestis filii, post idem bellum Trojanum. Hoc itaque modo se demonstravisse credidit *Salmasius*, ab *Scaligero* injuste reprehensum *Marcianum*, per cujus variam Cumarum fundationem variæ hac de re opiniones veterum videri possint satis apte conciliatæ esse. Aliam jam inivit viam *Cluverius*, qui non diserte exponens suum de eadem *Marciani* narratione judicium, tantum illud dixit, non posse illam credi esse veram, (utar ipsius verbis) *nisi simul credere libeat, aliud ab initio habuisse hanc urbem nomen; postea vero ab Æolibus colonis dictam esse Cumam.* Verum dum ita loquitur, omnino videtur, licet ipse forsitan hoc non animadverterit, satis bene confirmavisse *Marciani* sententiam; siquidem in isto *chronici Eusebiani* loco, quem supra citavimus, disertissimis verbis, ut vulgata exemplaria

Sed possint hæc conciliari, si duplicia fuisse Cumarum initia dicamus;

Quod ab aliis negatur,

Ab aliis admittitur:

Et multo adhuc magis, si Cumarum duplex fuit nomen.

[1] Ex auctoris sententia, ut videre est ex sequentibus, Hippocles Cumanus, abducta secum ex Æolide popularium manu in Eubœam insulam, sociis Chalcidensibus in Italiam transgressus, Cumas condidit.

versionis ejus habent, quam concinnavit *S. Hieronymus*, principio Cumæ aliud habuisse nomen leguntur ad hunc modum: *Mycena condita in Italia, quæ nunc Cuma.* Nihilominus *Scaliger* nihil heic difficultatis aut molestiæ sensit, nec ex sese aliquid ea de re suboluisse præ se ferens, (scripsit autem *Cluverius* multis post ejus mortem annis) aliud cogitavit, eamque lectionem censuit esse corruptam, & correxit ad hunc modum: *Cyme in Italia condita, vel Cuma.* Et sententiæ suæ non sine nota etiam *Eusebii* hanc rationem reddidit, quod ille in tempore conditæ hujus urbis variis modis dissentiat ab *Strabone*, *Vellejo*, & *Herodoto*. Verba ejus hæc sunt: *Ita correximus, quum tamen omnia scripta, & edita exemplaria, & Marianus* (sæpe *Marianus Scotus* iisdem plane verbis in suum chronicon transtulit, quæ in suo notaverat *Eusebius*) *habeant Mycene. Hieronymus primum voluit reddere nomen Græcum, Cyme; deinde Latinum apposuit, Cumæ. Quis tam bonarum literarum imperitus, ut Hieronymum ita scripsisse neget?* Et mox: *Hic conditus Cumarum in Italia ponitur ann.* CXXXI *post Troica. Strabo & Vellejus ante Troica. Verba Velleji: Nec multo post Chalcidenses, &c. Duæ sunt: una in Asia,* ἡ Αἰολίς, *ex qua pater Hesiodi: altera* Φρικωνῖτις, *vel* Φρικῶτις. *Ex Æolide coloni in Eubœam traducti* Κύμην ἐν τῇ Ἰταλίᾳ *condiderunt, quæ vocata est* Κύμη Ὀπικὴ, *item* Κύμη ἐν τοῖς Ὀπικοῖς. *Latine Cumas vocarunt. Hoc est, quod monet Hieronymus, Cymen & Cumas in Italia eandem unamque urbem esse.* Et deinde: *Secundum rationem Herodoti hic est* προχρονισμὸς *annorum* IX *: nam* κτίσις Κύμης Φρικώτιδος *congruit numero* DCCCCLXXV. Huc usque hac de re *Scaliger*, cui neque de correctione verborum *S. Hieronymi*, neque de *Eusebii* sententia, quasi ille dissenserit ab *Strabone*, *Vellejo*, & *Herodoto*, quod ad annum attinet, quo Cumæ nostræ fuerunt conditæ, assentiri ego possum. Quod ad cetera attinet, satis rectum mihi videtur judicium ejus de errore *Marciani*, quem *Salmasius*, si recte video, injuste defendit.

Sed hoc quoque negat, qui duplicem illam fundationem earum negat.

Et ut incipiamus ab duplici Cumarum nomine, quod tacuit *Eusebius*, qui tantummodo dixit: Κύμη ἐκτίσθη ἐν Ἰταλίᾳ, *Cume condita in Italia*, sed additum fuit ab *S. Hieronymo*; videtur mihi injuste & nimium audacter illud rejecisse *Scaliger*. Sane enim non tantum contra fidem omnium codicum istius versionis, quæ ipso etiam teste confirmatur ab antiquitate codicis, quo jam ante sexcentos annos usus fuit *Marianus*; verum etiam contra quam credibile est de prudentia & eruditione istius interpretis, existimavit eum neglectis sinceri interpretis legibus in contextum illum rerum memorabilium, quæ continentur brevissimis, ut chronico convenit, narrationibus, de suo addere voluisse varietatem istam neutiquam memorabilem, quæ in pronunciando hujus urbis nomine fuerit apud Græcos & Latinos. Neque enim unquam, ut ipsius verbis utar, quod heic justius possum, quisquam fuit tam bonarum seu humaniorum literarum imperitus, ut non ultro sciverit, Græcorum literam Υ utplurimum mutari in Latinorum V; neque interpretes obligati sunt, ut adeo superstitiosam adhibeant curam. Et adeo, siquidem judicandum est, vocem *Mycena* apud *Hieronymum* esse corruptam, quod sane consensu volunt recentiores critici, substituenda erit in ejus locum vox alia, quæ & soni sit, quantum fieri potest, simillimi, & pariter sensum habeat qui magis deceat, quam *Scaligerianus*, gravitatem istius *Chronici* & interpretis ejus. Videtur itaque mihi utrovis modo multum esse apta ista lectio, quam *Abraamus Ortelius* in suo *Thesauro geographico* vulgata pronunciavit meliorem,

Cumæ non habuerunt duplex nomen per duplicem pronunciationem nominis Cumarum,

Josephus Scaliger refutatus.

Sed quia dictæ fuerunt etiam Misena, sive nume-

&

& ex quodam veteri suo codice manuscripto protulit, in quo dixit ita legi: *Micenæ condita in Italia, vel Cumæ.* Hinc emendata lectio erit: *Misena*, sive, quod magis credo: *Misenæ*, nulla alia mutatione, præterquam unius literæ. Et eodem quoque nomine Cumas Latine appellavit numero plurali *Propertius* lib. I *Elegia* XI, versibus istis, qui paulo post afferentur. Sed hoc quidem non monuit *Ortelius*: neque aut ipse, aut alius unquam indicavit, quonam modo Cumæ potuerint dictæ esse *Misenæ* sive *Misenarum* nomine, etsi illud satis in proclivi erat. Ecquis enim est, qui ignoret, a Miseni nomine, qui Æneæ, sive, ut aliis placet, Ulyssis comes fuit, denominatum fuisse non tantum portum Misenum, sed & integrum istud promontorium, quod ab altera parte eundem hunc portum, ab altera Cumas habuit? De portu supra jam audivimus *Dionysii Halicarnassensis* verba. De promontorio non sinit nos dubitare *Strabo*, qui lib. V, ut interpres ejus habet, ita dixit: *Cumis vicinum est Misenum promontorium.* Satis igitur credere possumus, *S. Hieronymum* isto additamento suo voluisse nobis exponere notitiam aliquam reconditam, nimirum Cumas præter suum peculiare nomen habuisse adhuc aliud, quod commune etiam fuit tractui vicino. Pariter quoque nobis significavit, licet tacite, & ut conveniebat compendiario chronographi stylo, istud, quod aliunde satis est notum, urbem eam tractus istius tenuisse imperium. Ceterum ita temporibus ab ortu Cumarum non longe remotis, exemplo simillimo *Lacedæmonis voce* (utar verbis interpretis *Straboniani* lib. VIII) *& urbem Spartam notari, & regionem, nimirum Laconicam, adjuncta Messena, etiam Homerus ostendit.* Versus poetæ hujus, quos idem geographus attulit pro sententia sua, leguntur *Odysseæ* lib. XXI, ad finem lib. III, & item IV. Idem hoc non usus aut hac, aut alia probatione, quasi prorsus certum repetiit *Pausanias* lib. III; cui etiam sine alio argumento fides haberi potest de illis, quæ subjunxit, ut interpres ejus habet, ad hunc modum: *Urbs ipsa initio Sparta, posteris deinde temporibus etiam Lacedæmon nuncupata est, quum antea regionis nomen hoc esset.* Nam & nomen Cumarum tantundem fuit, quam [1] Miseni, recentius, quantum in Italiam transitus Chalcidensium,

In plurali Misenæ.

S. Hieronymus emendatus; & illustratus.

Hoc nomen acceperunt a vicino promontorio Miseno.

Exemplo simillimo Spartæ, quæ dicta etiam fuit nomine regionis, in qua sita erat.

[1] Loquitur auctor de horum nominum prima origine, & in Italia Miseni nomen, utpote ab quodam ex sociis Æneæ sive Ulyssis ortum, fuisse antiquius dicit Cumarum nomine, quod ab Chalcidensibus (horum loco memorare potuisset, aut saltem illis addere Cumanos ex Æolide, quandoquidem hi certe patriæ urbis nomen ad novam hanc transtulerunt) demum in Italiam illatum, novæque urbi inditum; perinde ut Lacedæmonis antiquius, quam Spartæ nomen. Sed vel sic nonnihil claudicat hæc comparatio, cum Pausanias dixerit, Spartam primo dictam, quod ipsius solummodo urbis nomen, quæ postea etiam Lacedæmon nomine regionis; Hieronymus autem notaverit, nostræ urbi Cumarum nomen serius fuisse inditum, quam istud alterum, quod auctor Misenam sive Misenas fuisse & ab circumjecta regione vult desumptum quæ conjectura satis placet. Sed videtur auctor pro eo, quod vulgati codices Hieronymi habent *quæ nunc*, etiam istud Orteliani *vel* probavisse, etsi hæc satis diversa est lectio; atque adeo hanc urbem ab initio certe etiam Cumarum nomine dictam. Nam & hoc statuere omnino debebat, nisi eam primum a Chalcidensibus conditam, deinde ab Cumanis ex Æolide auctam dicere voluisset, quæ fuit Marciani Periegetæ sive Scymni Chii, & Salmasii sententia, quam ipse acriter impugnat. Quod si vera est ista Hieronymi vulgata lectio, non parum illa eandem adjuvaret. quanquam ab Strabonis auctoritate non temere quis recesserit. Sed ut istuc revertamur, quomodocunque tamen aliquid incongrui habet auctoris comparatio, cum Hieronymus utique *Misenæ* nomen præmiserit, certo indicio, illud si non prius, certe etiam non serius *Cumarum* nomine, novæ huic urbi fuisse inditum, Sparta vero urbs postea demum *Lacedæmonis* nomen acceperit. Ceterum poterat auctor etiam *Trojæ* exemplum afferre, quo nomine & ipsa urbs, & subjecta illi regio dicta.

qui eandem urbem condiderunt, serior fuit bello Trojano, ideoque etiam Ulyssis atque Æneæ erroribus. Ceterum nihil omnino hujus in mentem venit *Lipsio*, qui in *Notis ad Vellejum* non ausus fuit recipere lectionem, quam diximus, atque heic prorsus hæsit incertus, dum ita scripsit: *An Misenum reponimus? Sed diversum id a Cumis. Hæreo, & porrigo herbam.* Verum dixerit fortasse aliquis, a Misenatibus, qui deinde in unum populum coaluerint cum novis Chalcidensibus, jam Cumanis, novæ urbi hoc alterum nomen accessisse; eodem modo, quo nonnulli, quos retulit *Strabo* lib. X, Oretanos recepisse sese ad Histiæenses dixerunt, & in eorum urbe habitavisse, ideoque *unam de duabus factam urbibus utroque nomine promiscue usam: sicut eadem urbs Sparta & Lacedæmon usurpatur.* Verum sine alio majori indicio nihil hujus affirmare ausim, cum insuper Spartæ comparatio multo magis faciat ad nostrum argumentum, quantum quidem Cumanorum historiæ nobis sunt cognitæ. Illa autem videat ipse *Strabo*, (pace ejus dictum esto) an ad istum Oretanorum atque Histiæensium casum satis conveniat.

Lipsius notatus.

Non vero inde, quod Misenates & Cumani in unum populum coaluerint.

Strabo notatus.

Jam ut ad alteram partem argumenti nostri, id est, ad tempus conditarum Cumarum, transeamus, diximus illud non posse assurgere ultra tempora Trojana: etsi aliter credere placuit tam *Salmasio*, quam *Scaligero*, qui non admittens *Marciani* narrationem pro vera, quodnam responsum daturus fuisset ad argumenta, quæ contra eum adduxit adversarius ejus, equidem non video. Ceterum uterque pro sua sententia perinde citat nomina *Strabonis* & *Velleji*, quorum gravissimorum auctorum testimonio, cum & ipsi in illud consenserint, mihi quoque videtur inprimis esse standum. *Velleji* verba, quæ supra adduximus, indicant, Athenienses occupavisse Chalcidem & Eretriam tempore Aletis, qui sextus fuit ab Hercule; & Chalcidenses non multo post transiisse in Italiam, ibique Cumas nostras condidisse. Jam bellum Trojanum accidit post mortem Herculis integra circiter ætate, ut facile videri potest ex priscis simul & recentioribus chronologis. Igitur secundum ejus verba Cumarum ortus isto bello serior fuit ætatibus amplius quinque, quæ ex sententia illorum, qui XXV annos cuique ætati assignant, CXXV; ut autem volunt alii, qui centenis annis ætatum triadas æstimant, CLXVI annos conficiunt. Quod si cum *Pausania* & *Apollodoro* Aletem ab Hercule quintum dicere libet, & cum *Lipsio* eandem quoque sententiam *Vellejo* adscribere, Chalcidem atque Eretriam occupaverunt Athenienses post Trojam captam circiter anno centesimo, vel secundum alteram istam ætatum computationem centesimo trigesimo tertio, & aliquanto post insequuta est exstructio Cumarum. Alium in sensum verba hujus auctoris nullo modo detorqueri possunt. Atque hoc recte animadvertit *Dionysius Petavius*, qui in *Rationario temporum*, Parte I lib. I cap. XII perinde *Velleji* atque *Eusebii* nomen in hanc sententiam allegat, ceterum & ipse alteram illam adscribit *Straboni*, persuasus illum dixisse, Cumas antiquissimam esse Græcarum Siciliæ & Italiæ coloniarum: & satis est certum, quod apud *Dionysium Halicarnassensem*, ut alios taceam, legitur lib. I; nimirum Græcos in utramque istarum regionum pervasisse jam ante bellum Trojanum. Atque isto argumento itidem fuerunt usi *Scaliger*, & *Salmasius*, atque omnes illi, qui ejus sententiam ab *Eusebiana* diversam esse existimaverunt. Neque sane ab istorum opinione dissentire ego possem, si ejusmodi sententiam in genere scriptam reliquisset

Dicere convenit, Cumas aliquot ætatibus post bellum Trojanum conditas ab Chalcidensibus,

Qui post sextam vel quintam ab Hercule ætatem Athenis, urbe patria, sunt egressi.

Dionysius Petavius laudatus.

iste geographus; neque etiam alibi, quam isto lib. v loco, ad quem, quia speciatim istic, ut pareret, ille de ortu Cumarum egerat, tantummodo attenderunt recentiores, exactius aliquanto narravisset de trajectibus Atheniensium, aliorumque populorum in Chalcidem, & Eretriam, deque coloniis, quas iidem Chalcidenses, & Eretrienses primum in Macedoniam, deinde in Italiam, atque Siciliam emiserant. Audiamus igitur eum lib. x describentem urbes Euboeæ insulæ, &c, prout ejus verba in Latinum sermonem convertit *Xylander*, ita loquentem: *Post Geræstum Eretria est, Euboicarum urbium, dempta Chalcide, maxima. Tum Chalcis metropolis, ac caput insulæ quodammodo, supra ipsum sita Euripum: ambæ ante bellum Trojanum conditæ ab Atheniensibus dicuntur.* (hanc famam non habuit cognitam *Vellejus*, adeoque ille non loquutus est de tam alti temporis ortu earum) *Post bellum Trojanum Æclus & Cothus, Athenis profecti, ille Eretriam, hic Chalcidem incolis frequentaverunt.* (hæc quidem narratio certior est, ut quæ indicat nomina illorum, qui secundas istas colonias deduxerunt. Atque has intellexit *Vellejus*, injuste notatus *Lipsio*, quasi ab *Strabone* dissenserit. *Sed & Æolensium quidam ab expeditione Penthili in insula ista manserunt*: (hi sunt isti Cumani Asiatici, qui ex *Scaligeri* sententia, cum cives facti essent Chalcidenses, ipsi soli tantum & semel condiderunt Cumas Italicas: ut autem vult *Salmasius*, illi fuerunt, qui eas condiderunt secundo post bellum Trojanum) *antiquitus etiam Arabes, qui cum Cadmo trajecerant. Hæ urbes majorem in modum auctæ colonias etiam insignes in Macedoniam miserunt: nam Eretria urbes circa Pallenam & Atho condidit; Chalcis Olyntho vicinas, quas Philippus delevit. Quin etiam in Italia & in Sicilia multa sunt Chalcidensium domicilia.* (inter hæc nostræ etiam Cumæ erant.) *Colonias istas deductas fuisse Aristoteles dicit, quo tempore, Hippobotæ qui dicebantur,* (id est, illi, quorum patrimonia sufficiebant alendis equis) *rempublicam tenuerunt: hi enim Chalcide summam rerum optimatum imperio gerebant, censu lecti.* Huc usque *Strabo*. Jam vero qua in re dici ille potest dissentire ab *Eusebio*, &c, ut vult *Petavius*, etiam ab *Vellejo*, quod ad conditores Cumarum nostrarum attinet? Imo quid amplius requirendum superest aut de conditoribus, aut de unico ortu earum? Et quænam opinionum varietas, quæ de hoc argumento videbatur esse inter veteres, per hanc narrationem ejus non est satis apte conciliata? Denique quomodo potest non esse vera *Scaligeri* sententia, qui dixit, Cumas *semel conditas a Chalcidensibus Cumanis, qui erant Æoles*; & falsa *Marciani Heracleotæ* narratio, & falsior adhuc defensio ejusdem, tentata ab *Salmasio*, cui certe notus fuit Æolum in Euboeam transitus, non cognitus forte *Marciano*, qui proinde ex uno Cumarum ortu confecit nobis geminum? Injuste igitur conatus est *Salmasius* eandem tueri opinionem, cum e contrario persuadere sibi potuisset, Æoles aliquanto postquam in istam insulam advenerant, transiisse in Italiam duce eorum Hippocle, eosque, cum se illis adjunxissent Chalcidenses, quorum nomine, quia primum locum tenebant, credibile est ab *Vellejo* comprehensos etiam fuisse Eretrienses, eorum populares; denominavisse ab Æolicis Cumis suis hasce Italicas, ex pacto, quod inierant cum Megasthene, eorundem Chalcidensium duce, quodque retulit *Strabo*. Atque hoc modo varia dicta ejusdem geographi, *Thucydidis*, *Livii*, *Plinii*, *Dionysii Halicarnassensis*, & *Velleji* de ortu hujus urbis adeo controverso satis apte sunt inter se conciliata. nam quod *Marcianus* narravit, neque apud hosce, quos diximus, neque apud alios scriptores aliquid invenit præsidii, ideoque ille hoc ex cerebro suo procudisse deprehenditur. Perinde, *Stephanus Byzantinus*, non animadvertens aut Cumanorum Æolicorum transitum in Euboeam, aut eos deinde una cum Chalcidensibus in Italiam pervasisse, tertias nobis produxit Cumas, nempe Euboicas, quas temere nimium admisit *Salmasius*, cum alii veterum verbum de illis non fecerint. Ceterum declaravit *Marcianus Heracleota*, qui, ut vult doctissimus *Lucas Holstenius* meus, non fuit auctor istius operis, quod sub ejus nomine circumfertur, cum fuerit ille *Scymnus Chius*; declaravit, inquam, iste, quisquis ille jam fuit, se proposuisse sibi sequendos libros *Dionysii Chalcidensis*, quos ille scripserat de originibus urbium: atque adeo illi de rebus patriæ gentisque suæ videri possit fides esse habenda præ omnibus aliis auctoribus, qui de iisdem quasi in transitu loquuti fuerint. Verum videar qualitercunque ego nimium fuisse audax atque arrogans, si in tractatione adeo rerum antiquarum nonnunquam refutavi ipsorum dicta veterum: certe non sum, quod ad cetera attinet, ita inconsideratus, ut diserte aut libero ore sinistram concitare opinionem velim de illo *Dionysii* istius libro, quem neque ego, neque alius quisquam horum seculorum mortalis inspexit unquam. Quin potius credere libet, eum sapienter disputavisse de ortu Cumarum nostrarum, quæque hujus argumenti occurrebant, exposuisse omnia, atque hinc alios auctores in diversa abiisse, ita ut ea de re non ad unum modum senserint omnes. Nihilominus satis etiam manifestum est, de ejusmodi antiquitabus semper multum fuisse controversiæ inter illos, qui studium earum sunt professi, tam Græci, quam Latini; & juxta ab ipsis antiquis atque recentioribus sæpius aliorum dicta libere fuisse refutata. Neque illud quoque mirum aut novum est, etiam sapientissimorum scriptorum animos sæpe solere ab amore veri averti per suum erga patriam amorem: ut adeo potuerit iste *Dionysius* suis Chalcidensibus solis adscripsisse priorem illam Cumarum exstructionem ad majorem eorum gloriam. Præterea si ille *Scymnum* edocuerat de altera ista Cumanorum Æolicorum, qui certe negari non poterant suas quoque istic obtinuisse partes, cur itidem non admonuit eum de isto quoque tertio ejusdem urbis incremento, quod indicabo paulo post, de quo diligens adeo scriptor certe debuisset fuisse loquutus? Sed de eo tacuisse illum argumento esse potest ipse *Scymnus*, qui de eo tacuit, secus ac de præcedentibus duobus. Causa, si quid video, hæc fuit, quod, cum Cumæ nostræ simul & semel conditæ essent ab Æolibus & Chalcidensibus, qui se conjunxerant, omnimodo necesse erat, ut de duabus istis duarum stirpium coloniis ageret: non autem perinde adigebat eum necessitas, ut de tertia quoque colonia loqueretur, quæ postea eo accessit. Quod si ex hisce contrariis opinionibus æquum esse videtur ut *Scymni* sententiam pro vera habeamus, siquidem rationi consentaneum est, eum didicisse illam ex *Dionysio Chalcidensi*, qui multa cum cura, ut institutum ejus atque argumentum postulabat, debuit illam examinavisse & probavisse; narratio quoque *Strabonis* eadem ratione non videtur minus esse probabilis. Huic enim etsi forte non ita fuit commodum, ut ipse perinde curiose, ac fecit *Dionysius*, investigaret veras origines urbium, quoniam ille in sua universali *Descriptione orbis*, attendit ad compendiariam descriptionem singulorum locorum, & rerum, quæ in illis erant præcipuæ & maxime memoria dignæ; tamen

Neque enim illi ante istud bellum, sed demum postea condiderunt colonias.

Strabo pluries illustratus.

Vellejus defensus.

Lipsius notatus.

Strabo, Eusebius, & Vellejus conciliati.

Petavius refutatus.

Josephus Scaliger defensus.

Marcianus Heracleota, & Salmasius refutati.

Strabo, Thucydides, Livius, Plinius Secundus, Dionysius Halicarnassensis, & Vellejus conciliati.

Stephanus Byzantinus refutatus. Salmasius notatus.

Lucas Holstenius laudatus.

Dionysius Chalcidensis notatus.

Strabo defensus.

men potuit non minori (si non est dicendum, majori, per experientiam testem) judicio & prudentia, quam *Scymnus*, sequendos sibi auctores eligere non minus graves, qui non minore diligentia & scientia, etiam post eundem Dionysium, istud argumentum tractaverant. Et adeo si illi fidem negare neutiquam est minus temerarium, quam negare illam *Scymno*, etiam hanc ob causam convenit ejus amplecti, licet adversam, sententiam. Nimis enim injustum foret illum refutare, qui ad tantam copiam interiorum Felicis Campaniæ nostræ antiquitatum ita se nobis bonum ducem præbuit, ut nullus alius veterum, quos habemus, auctorum. Verum heic ego video, *Strabonem* videri posse ab seipso dissentire, qui lib. v Cumarum nostrarum antiquitatem extulerit supra quarumcunque Italicarum atque Sicularum urbium ætatem, adeoque etiam supra bellum Trojanum. Atque hoc foret abunde verum, si ipse fuisset auctor istius sententiæ, [1]. non vero interpres ejus. nam contextus Græcus hac de re non alia habet verba, quam hæcce: Πασῶν γάρ ἐςι πρεσβυτάτη τῶν τε Σικελικῶν, καὶ τῶν Ἰταλιωτίδων: *omnium enim est antiquissima Sicularum, & Italicarum.* *Xylander* autem in versionem suam addidit hæcce alia: *a Græcis deductarum*, quæ ne quidem in versione *Guarini Veronensis* leguntur. Atque istud verum *Strabonis* dictum plane fuit congruens *Ephori* sententiæ, quam ipse retulit lib. vi. Hic Naxum scripsit atque Megaram fuisse *primas in Sicilia urbes Græcanicas, ætate post bellum Trojanum*; item de Theocle, qui non potuerat persuadere Atheniensibus, ut aliquam coloniam in istam mitterent insulam, ad hunc modum: *Adscito magno Eubœam habitantium Chalcidensium numero, ac*

Strabo defensus.

Xylander refutatus.

Ionum Doriensiumque, quorum major pars Megarenses erant, in Siciliam navigavit, & Chalcidenses Naxum, Dorienses Megaram condiderunt. Igitur Naxus in Sicilia, & Cumæ in Italia antiquissimæ fuerunt urbes, non in universum Græcorum, sed Græcorum Chalcidensium, qui post excidium Trojæ hasce fecerunt exscensiones, primum in Italiam, deinde in Siciliam: neque aliud unquam dixit *Strabo*. Et multo adhuc possumus esse certiores, hanc fuisse ejus sententiam, si libet animadvertere, eam congruere quoque istis, quæ de tempore conditarum Cumarum notavit *Vellejus*, & exactius adhuc *Eusebius*; inter quos tantum illa est varietas exigua, quæ necessitate quadam inter illos solet esse, qui in temporibus computandis non utuntur eodem calculo. Usi enim fuerunt *Strabo* atque *Vellejus* ætatum, *Eusebius* autem annorum calculo. Itaque per hanc eorum concordiam haud minus iste geographus poterit esse defensus ab accusationibus, quas diximus, quam etiam cessare poterunt controversiæ de anno conditæ ejusdem urbis. Assignavit illi *Eusebius* annum ab Abraamo DCCCCLXVI, atque idem Trojæ quoque captæ annum ab eodem DCCCXXXV: ut adeo secundum hanc computationem Cumæ conditæ fuerint anno CXXXI post bellum Trojanum. Atque idem fere tempus assequitur itidem illud, quod scriptum reliquit *Vellejus*, licet nullo modo possimus esse certi, num ille Aletem ab Hercule quintum, an sextum reputaverit: item num quinque istæ, sive sex ætates debeant uno, an vero altero istorum modorum, quos supra notavimus, computari. Insuper *Strabo*, quantum colligere licet ex narratione, quam ille lib. XIII de ortu Cumarum Æolicarum instituit, quarum incolas diserte testatus est sociis Chalcidensibus abiisse & nostras condidisse Cumas, adhuc minus ab *Eusebio* recedit. Dixit enim, perhiberi Penthilum, Orestis filium, in Thraciam advenisse post bellum Trojanum annis LX; ejusque filium Archelaum transiisse in Asiam, ut primus istic coloniam conderet Æolicam; Cleuam autem, Doridis & Malai filium, eadem oriundum stirpe, *eodem, quo Penthilus, tempore exercitum conduxisse: sed Penthili copias occupavisse in Asiam transire: alteras in Locride, & apud Phricium montem multum temporis traxisse; postmodo trajecisse in Asiam, & Cumam condidisse, a Locridis monte Phriconidem dictam.* Igitur hæcce Cuma Æolica, quæ cognomen habuit *Phriconidis*, sive ut alii illud efferunt *Phricotidis*, aut denique *Phriconitidis*, credi potest fuisse condita circa finem primi seculi post bellum Trojanum; & post aliquot annos hice Cumani contulisse sese in Eubœam; ac novissime circa tempus, quod demonstravit *Eusebius*, una cum Chalcidensibus transiisse in Italiam, atque istic alteras condidisse Cumas. Atque ex his *Josephus Scaliger* emendare suum potuerat errorem, quem admisit, dum nostram, non vero Æolicam Cumam, *Hesiodi* patriam, illam fuisse voluit, quæ sive *Phriconitidis*, sive *Phriconidis*, sive *Phricotidis* habuit cognomen. Ceterum adeo insedit tenaciter in mente ejus hæc opinio, ut etiam sibi persuaserit, *Herodotum* de nostris Cumis fuisse loquutum ad finem *Vitæ Homeri*, ubi de tempore conditæ ejusdem *Cumæ Phriconitidis*, ut interpres ejus habet, ita scripsit: *Ab expeditione Græcorum, quam Agamemnon ac Menelaus in Ilium habuerunt, annis centum post atque triginta Lesbos oppidatim habitari cœpit, cum antea nullam prorsus haberet civitatem. Post Lesbum habitatam annis viginti Cuma Æolica, & Phricotis appellata, habitata fuit. Porro a Cumis annis duodeviginti in Smyrnam Cumani colonias deduxerunt.* Jam quia isti viginti anni, additi ad an-

Harum autem Italiæ atque Siciliæ coloniarum prima fuit hæcce Cumana,

Quæ ab iisdem condita fuit anno CXXXI post idem bellum.

Strabo, Eusebius, Vellejus conciliati exactius.

Atque hæc diversa fuit a Cuma Phriconide, *quæ eadem est cum Æolica.*

Josephus Scaliger notatus pluribus modis.

1. Etsi in hoc intricato argumento de ortu Cumarum illud omnium maxime probabile est, quod de eo statuit auctor, non parum tamen turbare videtur hic locus Strabonis, cujus illa expositio, quam affert auctor, valde dubito an satis procedat. Dicit, Naxum in Sicilia & Cumas in Italia antiquissimas fuisse urbes, non in universum Græcorum, sed Græcorum Chalcidensium; & satis confidenter addit, non aliud unquam dixisse Strabonem, cum tamen hic geographus prorsus absolute loquatur, nulla addita distinctione aut exceptione, quod vel verbo facere potuisset, si tantum de urbibus unius cujusdam Græcorum gentis dicere voluisset. Nam illa quidem, quæ mox auctor subjungit de Naxo & Megara, Siciliæ urbibus, prorsus nihil faciunt ad Cumas Italiæ: licet eadem non minus, quam illa de recentiore Cumarum ortu sententia, videantur pugnare cum eo, quod Dionysius Halicarnassensis aliique dixerunt, Græcos in Italiam & Siciliam jam trajecisse etiam ante bellum Trojanum. Atque hoc non multo ante ipse auctor pro vero admisit, & ante eum Scaliger & Salmasius. Addo quod Strabo, sive Ephorus, Naxum & Megaram primas in Sicilia urbes dixit, non Græcorum duntaxat Chalcidensium, sed in genere omnium Græcorum. Et omnino tamen videtur alibi Strabonis ista fuisse sententia: Cumas nostras post tempora demum Trojana, & modico quidem intervallo post, fuisse conditas. Dixit enim lib. x ad hunc modum de Chalcide: *Post bellum Trojanum Æclus & Cothus Athenis profecti, ille Eretriam, hic Chalcidem incolis frequentavit*; quæ verba aliquanto ante recte auctor etiam pro sua sententia allegavit: ut adeo modicum tempus videatur intercessisse debere, usque dum Chalcidenses ipsi potuerint emittere colonias. Igitur aut Strabo non credidit, quod Dionysius aliique de Græcorum migrationibus in Siciliam & Italiam, jam ante bellum Trojanum factis, dixerunt; aut posteriore loco forte alios inspexit auctores, cum illi excidisset, quod antea de Cumis scripserat lib. v, quod tamen non temere de eo crediderim; aut denique hic locus forte corruptus est aut mutilatus. Certe eum, prout nunc quidem ille habet, nunquam intelligere potero de urbibus duntaxat Chalcidensium in Sicilia & Italia. Sane enim, si hoc dicere voluisset Strabo, scripsisset potius ita: Κύμη, Χαλκιδέων καὶ Κυμαίων παλαιότατον κτίσμα, τῶν τε Σικελικῶν, καὶ τῶν Ἰταλιωτίδων. *Cumæ, Chalcidensium & Cumanorum opus vetustissimum ex Siculis & Italicis* eorum *urbibus.* Quare arbitror eum posteriori isto commate: Πασῶν γάρ ἐςι πρεσβυτάτη &c. aliud quid dicere voluisse, quoniam jam satis diserte dixerat, eam esse *antiquissimum* opus Chalcidensium & Cumanorum. Num forte etiam hæc verba: Πασῶν γάρ ἐςι πρεσβυτάτη τῶν τε Σικελικῶν καὶ τῶν Ἰταλιωτίδων, in textum irrepserunt a manu glossatoris? Sed viderint doctiores: ego manum de tabula.

an-

annos CXXX a profectione Græcorum ad Trojam, in cujus oppugnatione exactum est decennium, finiuntur anno CXL ab excidio ejusdem; dixit *Scaliger*, computationem *Eusebii*, qui conditas Cumas Italicas retulit ad annum CXXXI post bellum istud, antevertere calculum *Herodoti* annis novem. Verum hinc certe concludere nemo potest, inter auctores hosce, qui de diversis fuerunt loquuti Cumis, ullam esse discordiam. Rectius ille nos admonere potuisset, de tempore Cumæ Æolicæ non consentire inter se Herodotum, Strabonem, & Vellejum. Primus enim vult, eam fuisse conditam post Trojam captam anno CXL, & ab iisdem populis, qui Lesbon insulam frequentaverant urbibus. Verum *Strabo* dicit, in Lesbon transiisse illos, qui se adjunxerant Granico, filio Archelai, nepoti Penthili, pronepoti Orestis: ut adeo, si rationem ineamus per ætates, ille de tempore conditæ Cumæ Æolicæ cum *Herodoto* consentiat. Ceterum non refert ille, ut supra vidimus, ad eosdem istos homines hujusce urbis ortum. nam eorum consanguineos, quorum duces Cleua & Malaus, fuisse vult conditores ejus. Jam autem *Vellejus* in Lesbo insula & ipse dixit Orestis posteros egisse, licet ipsissima verba ejus ita habeant: *Sedem cepere circa Lesbum insulam.* Veruntamen paulo post subjunxit, in insulam istam advenisse, non jam pronepotes, sed filios Orestis; & item hoc aliud, quod propius ad nostrum spectat argumentum, nimirum post conditas Cumas nostras Athenis exivisse coloniam Ionicam, quæ Ephesum condidit, aliasque urbes Asiæ, quæ dicuntur Ionum, & Ioniæ urbes: *Et mox Æolii, eadem profecti Græcia, longissimisque acti erroribus, non minus illustres obtinuerunt locos, clarasque urbes condiderunt, Smyrnam, Cymen,* (hæc est Cuma Phriconitis) *Larissam, Myrinam, Mitylenenque, & alias urbes, quæ sunt in Lesbo insula.* Et igitur secundum hanc narrationem, cum necdum exsisteret Cumanorum Æolicorum nomen, soli jam per sese Chalcidenses condiderant Cumas Italicas, in quarum exstructione narranda eosdem quoque solos tantum memoraverat. Atque hæ sane videntur mihi nunquam componendæ discordiæ, in quas acti fuerunt hice scriptores, licet alios sequuti auctores antiquiores: nimirum quia in exigua contraxerunt compendia, quæ ex variis consarcinaverant scriptoribus, copiosas eorundem, & propter longam rerum gestarum antiquitatem sæpius incertas, nec satis inter se constantes narrationes. Et hinc, ut ne dicam ipsorum forte culpam & negligentiam in distinguendis ætatibus, sive generationibus, temporibusque computandis, accidit quoque, ut in eorum & aliorum etiam libris desideremus distinctionem, certitudinem, & constantiam majorem. Equidem ab hoc ultimo crimine nesciam defendere *Vellejum* nostrum, qui in Lesbon insulam deduxit perinde filios Orestis, & post aliquod temporis intervallum etiam Æoles, Æolicæ Cumæ conditores; nisi forte verum est utrumque, atque inde & ab aliis etiam mutationibus orta fuit varietas ista atque confusio, quam diximus. Verum de hisce jam satis, licet necdum ad finem perduxerimus argumentum nostrum, cujus hoc est reliquum adhuc, ut investigemus, utrum Chalcidenses, qui Cumas nostras condiderunt, recta venerint ex Eubœa insula, an vero primum delati in Epirum, deinde transierint in Italiam. Atque ad hanc disquisitionem mihi præbet ansam *Josephus Scaliger*, qui satis audacter asseveravit posterius. Ego autem ubi demonstravero, opinionem ejus longe esse a vero alienam, pariter exponam, post Chalcidenses in Cumanam advenisse regionem novos habitatores,

Eusebius Cæsariensis defensus.

Herodotus, Strabo, & Vellejus inter se discordes.

Vellejus ambigue notatus.

A quod neque ipsi, neque aliis viris literatissimis, quibus plurimum fuit controversiæ de quibusdam *Propertii* versibus, est observatum; unde hæc historia una cum vitio in iisdem versibus ab illis est penitus in obscuro relicta.

Scribens igitur *Propertius* ad Cynthiam amicam, quæ Bajis secessum agebat, lib. I elegiam XI, ita eam, ut editi libri habent, alloquutus est:

Cumæ leguntur dictæ regnum Thesproti,

> *Ecquid te mediis cessantem, Cynthia, Bajis,*
> *Qua jacet Herculeis semita littoribus;*
> *Et modo Thesproti mirantem subdita regno*
> *Proxima Misenis æquora nobilibus;*
> *Nostri cura subit, memores abducere noctes?*

B In hisce versibus exponendis de voce *Thesproti* multum & diversis modis laboraverunt *Parrhasius*, *Beroaldus*, *Volscus*, aliaque excellentia ingenia: neque eorum commentariis acquiescens *Muretus*, ingenue pronunciavit laudabili cum modestia, neque semet scire aliam proferre expositionem meliorem. Primus heic scrupulum sensit *Actius Sincerus*, qui apud *Alexandrum ab Alexandro* lib. II cap. I *Dierum genialium*, postquam varias exposuit hanc in rem cogitationes, denique nulla satis acquiescens, etiam illud refutavit, a *Propertio* Chalcidenses posse dictos fuisse *Thesprotos* a *Thesprotia*, seu agro *Thesproto* Epiri, Chaonibus & A-

Per caussam, usque adhuc non recte intellectam.

C carnanibus vicino: *Neque enim* (ita loquitur ille apud *Alexandrum*) *Thesprotios in Cumanum agrum venisse, aut in Italiam colonias deduxisse, vel armis novas sedes conquisisse, unquam, quod meminerim, legi.* Novissime autem non negavit, potuisse istud vocabulum in textum esse illatum ab librariis pro hoc altero *Prochytæ*, quod insulæ e regione Cumarum nomen est. Verum hasce lites inter viros doctos inutiles esse judicavit *Scaliger*, ut de re satis levi & plana, atque illis finem se posuisse existimavit, admodum audacter illud affirmans, quod unquam legisse negaverat *Sannazarius*. Insuper dixit, quartum istorum versuum ita legen-

Quidam hanc referunt ad migrationes Chalcidensium, conditorum hujus urbis, qui ex Eubœa in Thesprotiam, & inde in Italiam transierint,

D dum esse:

> *Et modo Misenis æquora littoribus.*

Verba ejus in *Annotationibus* ad eundem Poëtam hæc sunt: *Intelligit duo maria: alterum Puteolis, alterum Misenis subjectum. In medio mari erant Bajæ, nempe prope Lucrinum. Quum igitur Cynthia esset Bajis, sinistra Puteolos, quæ est Thesprotia, dextera Misenos habebat. In ora Cumarum, quæ Græcis coloniis Abantum prætexta erat, sunt Puteoli; quam oram propterea vocat regnum Thesproti, quia Thesprotus nomen fecit Thesprotiæ Epiri, a qua Ambraciotæ Abantes profecti occuparunt eam oram, ubi*

E *fuerunt Cumæ, ut & mediocriter docti sciunt. Quid ergo est, quod hic tam facessit negotium doctissimis viris? Amabo desinite præclari in doctrina viri amplius in re, vel pueris nota hæsitare; & tandem rixarum modus esto.* Nec minus libere & audacter hoc iter Thesprotorum ad nostra littora nobis exposuit in *Notis ad Culicem Virgilii*, ubi eosdem versus explicuit hisce verbis: *Propertius æquora vocat subdita Thesproti regno, quæ ab Abantibus, qui prius Thesprotiam incoluissent, occupata fuerant: Neapolim enim, & Cumas, aliasque præterea in ea regione urbes condidisse, nemo est, qui nesciat. Quin & Columella in Hortulo ubi ait:*

F > —— —— —— *Cesposo littore Cumæ,*

ego corrigo Thesproto. Thesprotum littus vocat, quod ab Abantibus, qui ex Eubœa insula in Magnam Græciam venissent, occupatum fuit. Itaque & locum Columellæ emendamus, & Propertio lucem afferimus, qui immerito magnis viris negotium facessebat: satis enim nota res est, & quæ tanta ingenia exercere non debebat. Huc usque *Scaliger*. Jam non credo illum de industria adeo constanter atque audacter fuisse

lo-

loquutum, ut ita alii in securitatem inde inducti, desinerent in istas res inquirere exactius, sibique nodi soluti palmam compararet: verum multo magis arbitror memoriæ vitio cum affirmavisse, rem esse satis notam, Abantes (placuit illi Eubœæ incolas, inter quos fuerunt & Chalcidenses, hoc appellare nomine ad imitationem *Homeri*, de quo *Strabo* lib. x ita scripsit: *Cum Eubœam nominet, ejus incolas nusquam vocat Euboënses, sed semper Abantes*) primum in Thesprotiam, & Epirum, & inde postea in Italiam advenisse. Sed hoc omnino esse falsum, si credere *Sannazario* nolumus, quasi viro lectionis, quam ipse fuit, minoris, negare certe non poterimus huic geographo, quem modo memoravimus. Ille enim narrat quidem eodem lib. x, ut non multo ante jam indicavimus, de Euboicis urbibus, Chalcide, atque Eretria ad hunc modum: *Majorem in modum auctæ*, (loquitur de temporibus post Trojam captam) *colonias etiam insignes in Macedoniam miserunt: nam Eretria urbes circa Pallenam & Atho condidit; Chalcis Olyntho vicinas:* verum neque ille, neque alius quisquam auctorum unquam dixit, eosdem Abantes, sive Eubœæ incolas, sive Chalcidenses, qui deinde Thesproti fuerint, nostras condidisse Cumas. Contra ille non ambigue declaravit, Italicas & Siculas Chalcidensium atque Eretriensium colonias recta perrexisse in Italiam ex Chalcide & Eretria, qui separavit hasce ab antecedentibus, & duos diversos quasi ordines coloniarum constituit: quare verbis istis, quæ modo memoravimus, in continenti subjecit hæc alia: *Quin & in Italia & in Sicilia multa sunt Chalcidensium domicilia.* Et ut appareret, universas istas colonias ex Chalcide prodiisse, insuper dixit Aristotelis testimonio, *colonias istas deductas fuisse, quo tempore, Hippobotæ qui dicebantur, rempublicam tenuerunt: hi enim Chalcide summam rerum optimatum imperio gerebant, censu lecti.* Neque sane *Pausanias*, qui lib. v narrat, Abantes Eubœæ ab exstincta Troja reversos, & tempestatibus delatos in Epirum, ubi Thronium urbem condiderunt, inde fuisse postea expulsos ab vicinis Apolloniatibus, ullum de eo verbum fecit, illos inde in Italiam ad postremum devenisse. Et adeo *Scaliger*, ut facere solent præstigiatores, nobis ostendit quasi solutum, non re vera solvit nodum illum, qui re ipsa, neque enim hoc illi nego, satis erat facile solvendus. Sed interim ipse se involvit in alium majorem, cum *Propertium* dixit per *Thesproti* regnum intellexisse *Puteolos* excluso *Miseno*, atque idem quoque affirmavit, Chalcidenses suos, sive Abantes Thesprotios incoluisse eandem oram integram, atque etiam majorem. Insuper illi exciderat, Puteolos urbem non ab Chalcidensibus Abantibus, verum ab *Samiis* conditam, qui etiam dicti fuerunt *Iones*, ut suo loco indicabitur. Atque ita necesse est, poëtam istum non speciatim demonstravisse hanc urbem, verum aliam, cui magis convenerit istiusmodi peculiare nomen. Jamque igitur convenit aliquando finem facere tam diuturnis litibus, & suam restituere lectionem *Propertio* & *Columellæ*; simul etiam ex ipsis intelligere istud, quod copiosius narravit *Diodorus Siculus* lib. v: nimirum quondam circa Cumas, quæ jam aliquanto ante conditæ fuerant, consedisse *Thespotos*, alio modo *Thespiadas* dictos, qui ex Sardinia excesserant, quam in insulam e Græcia transierant multo ante: genus autem habebant a Thespii filiabus, quæ inter amicas fuerunt Herculis. Verba *Diodori* Latinus interpres ejus ita vertit: *Huic* (nempe Cyrno, sive Corsicæ insulæ, de qua in proximis dixerat) *proxima Sardinia insula, Siciliæ par magnitudine, a barbaris* (*Iolaos vocant*)

Quod nemo unquam dixit veterum.

Jacobus Sannazarius defensus.

Josephus Scaliger refutatus.

Contra autem eos recta in Italiam perrexisse ex Eubœa illi volunt.

Josephus Scaliger ulterius refutatus.

Sed advenerunt illuc deinde ex Sardinia Thespoti,

Propertius & Columella emendati & illustrati. Eorundem cum Diodoro consensus.

tenetur. Hos a Iolao ac Thespiadis, quorum multi in eam insulam transcenderunt, genus ducere putant. Nam quo tempore Hercules decantatos subiit labores, liberos a se ex Thespii filiabus susceptos cum Græcorum barbarorumque copia, secundum certum oraculum, in Sardiniam ad condendam coloniam misit. Quod sentiens Iolaus, Herculis nepos, in insulam venit, inque ea conditis haud contemnendis urbibus, regione omni potitus, populos ab se dixit Iolaos. Et mox: *Iolaus iis, quæ ad statum coloniæ pertinebant, compositis, in Græciam rediit. Thespiadæ cum per multas generationes insulæ præfuissent, tandem in Italiam navigantes, loca circa Cumam tenuere.* (condita jam erat hæc urbs sexta post Herculem ætate.) *Reliqua multitudo, deposita barbarie, præficientes ex accolis optimos duces, hucusque libertatem servant.* Ita *Diodorus*. Ceterum de iisdem filiis Herculis, in Sardiniam delatis, loquuti fuerunt etiam alii veterum, licet nihil dixerint de eorum ad Cumas adventu. Inter illos est *Strabo*, qui lib. v, ut interpres eum Latine vertit, ita habet: *Fertur Iolaus eo adduxisse quosdam filiorum Herculis, & inter barbaros (erant autem Tyrrheni) ejus insulæ cultores habitasse.* Etiam *Silius Italicus*, ubi lib. XII de eadem insula narrat, deque illis, qui in eam concesserant habitatum, eosdem Herculis filios intellexit in hisce versibus:

> *Nec parvum decus advecto cum classe paterna*
> *Agmine Thespiadum terris, Iolaë, dedisti.*

Ceterum hanc historiam, quantum quidem ad Thespiadum in hanc insulam transitum attinet, non satis scio, an *Sallustius* confuderit cum historia Dædali. Hunc enim ille apud *Servium* ad lib. I *Georgicorum* dixit Aristæo comite Thebis abiisse in Sardiniam, & ad ultimum, ut idem auctor habet ad lib. VI *Æneidos*, [1] advenisse Cumas. Verba *Servii* hæc sunt: *Hic Aristæus, ut etiam Sallustius docet, post laniatum a canibus Actæonem filium, Thebas reliquit, & Cæam insulam tenuit primo, adhuc hominibus vacuam: post ea relictâ, cum Dædalo ad Sardiniam transitum fecit.* Altero loco ita dicit: *Dædalus primo Sardiniam, ut dicit Sallustius, post delatus est Cumas.* Certe neque ipse *Silius* videtur distinxisse Iolai atque Thespiadum in hanc insulam abitum ab Aristæi istius in eandem profectione, siquidem versibus istis, quos modo adduximus, in continenti subjecit hosce alios:

> *Fama est, cum laceris Actæon flebile membris*
> *Supplicium lueret spectata in fonte Dianæ,*
> *Attonitum novitate mali fugisse parentem*
> *Per freta Aristæum, & Sardoos isse recessus,*
> *Cyrenem monstrasse ferunt nova littora matrem.*

Atque hanc opinionem videtur etiam sequutus fuisse *Solinus*, qui cap. I de Iolao ita scripsit: *Sardiniam ingressus, palantes incolarum animos ad concordiam eblanditus, Olbiam & alia Græca opida exstruxit.* Verum cap. IV hujus rei Aristæum prodidit auctorem, quem dixit in ea insula regnavisse post Sardum, Herculis filium, & Noracem, filium Mercurii, scribens ad hunc modum: *Mox Aristæum regnando his proximum in urbe Carali, quam condiderat ipse, conjuncto populo utriusque sanguinis* (intelligit populos duorum istorum, qui ante ipsum reges fuerant) *sejuges usque ad se gentes ad unum morem conjugasse, imperium ex insolentia nihil aspernatas.* Et adeo non accedo *Salmasii* sententiæ, qui propter hancce varietatem *Solinum* ab se ipso dissentire credidit. Etiam arbitror pro genuina agno-

Quorum historia confusa fuisse videtur cum ista, quæ Dædalum eo advenisse prodidit.

Sallustius notatus.

Silius notatus.

Solinus notatus, & secum conciliatus, ejusque lectio defensa.

1. Dædalum ex Creta Cumas delatum videtur credidisse etiam Juvenalis, apud quem Umbritii aruspicis, & familiaris sui, qui relicta Roma Cumas migrare parabat, hæc sunt verba Sat. III:

> ——— ——— *proponimus illuc*
> *Ire, fatigatas ubi Dædalus exuit alas.*

Salmasius, & Hermolaus Barbarus refutati.

agnoscendam esse lectionem illam ejusdem cap. IV, quæ ab ipso, & jam ante ab *Hermolao Barbaro* fuit improbata: *Sed & hic Aristæus Iolaum creat, qui* &c. pro qua ille ex codice quodam manuscripto reponit hanc aliam: *Sed ut hæc, & Iolaum, qui* &c. *Solinus* enim, dum Aristæo juxta atque Iolao imputat Sardos ad civilem melioremque vitam formatos, satis indicat, se credidisse, istos perinde etiam inter se fuisse conjunctos tempore & cognatione; licet ego quidem neutiquam pro vero recipiam genealogiam istam. Tantum illud volui demonstrare, Iolaum, qui ex sententia *Diodori* secum in Sardiniam adduxit Thespiadas, ab *Silio* creditum eodem appulisse una cum Aristæo, quem *Solinus* existimavit ipsius fuisse patrem, cumque eo pariter regnavisse: *Sallustius* autem illi comitem adjunxit Dædalum, qui deinde ad Cumas transierit. Atque hinc Thespiadarum in Cumanam regionem transitus videri possit esse confusus, ut dicebamus, cum Dædali eodem adventu; quam confusionem ante oculos videtur habuisse *Virgilius* in istis, quæ de Dædalo atque Cumis, [1] jam conditis ante Æneæ ad illas adventum, scripsit Æneidos lib. VI. Igitur heic erravisse istos auctores arbitror, quandoquidem alii gravissimi auctores negaverunt Aristæum unquam in istam insulam advenisse, inter quos est *Pindarus*, quem *Servius* citavit. Idem negavit *Pausanias* de Dædalo lib. X, quem lib. VII scripsit Athenis urbe patria profugisse, quod sororis filium occiderat, & recepisse sese in Cretam insulam ad Minoëm regem: ab hoc deinde in carcerem compactum propter fraudem aliquam, denuo inde profugisse una cum filio, & ad Cocalum, Siciliæ regem, evasisse: *Neque vero* (sunt verba interpretis) *quicquam fuit Dædali fama, vel in Sicilia, vel in Italia illis temporibus clarius*; nec aliud quicquam de eo subjunxit. *Propertius* igitur, ut redeamus, unde digressi sumus, in versibus suis regnum *Thespotum* appellavit, non vero *Thesproti* oram istam, quæ sinum formabat Bajanum, ubi in secessu erat Cynthia sua. Neque enim video, quomodo in mentem venire potuerit *Capacio Antiquit. & Histor. Campaniæ*, *Propertium* istic loquutum fuisse de templo quodam Dianæ, quod Bajis fuerit. In isto autem sinu portus erat Misenus, cui imminebat promontorium ejusdem nominis. Sed de neutro horum arbitror loquutum fuisse eundem *Propertium*, ubi æquor istud dixit *proximum Misenis nobilibus*; verum de nobilissima & antiquissima Cumarum urbe, quæ itidem dicta fuit eodem vocabulo numero plurali, & genere fœminino ab *S. Hieronymo*, ut supra ostendimus. Ceterum eodem modo nomen quoque *Dicæarchiæ*, quod numeri erat singularis, elatum fuit pluraliter ab *Diodoro Siculo* lib. IV ubi dicit, lacum Avernum fuisse *inter Misenum & Dicæarchæos*. Ratio est, quia nomen *Puteolorum*, quæ alias *Dicæarchia*, pronunciabatur numero plurali. Præterea autem nostra istæc sententia multo est dignior *Propertii* limato judicio atque doctrina non vulgari, quam altera illa, quæ eum intellexisse vult notissimum portum atque promontorium Miseni. Apprime enim conveniebat, *regno Thespoto*, quod antiquissimæ & neutiquam notitiæ vulgaris erat nomen,

Virgilius illustratus.

Ceterum ora Cumana a Thespotorum nomine dicta fuit regnum Thespotum,

Capacius refutatus.

Cujus metropolis fuit Cumarum urbs, quæ inde Misenæ *quoque nomen accepit.*

Diodorus Siculus illustratus.

Propertius cum S. Hieronymo collatus, & illustratus.

1. Cumas Italicas jam ante tempora Trojana exstitisse, credidit certe Virgilius, ut non tantum ex hoc ejus loco, quem allegat auctor, potest intelligi, sed manifestius etiam ex lib. III Æneidos, ubi Helenus vates Æneæ exponit de Sibylla Cumana v. 490:

> ——— ——— ——— ——— *Sic denique victor*
> *Trinacria fines Italos mittere relicta.*
> *Huc ubi delatus Cumæam accesseris urbem,*
> *Divinosque lacus, & Averna sonantia silvis,*
> *Insanam vatem adspicies* ——— ——— ———

A jungere nomen *Misenarum* significatione æqualis antiquitatis, & non minus reconditæ observationis. Hisce addi illud potest, quod etiam *Dio*, ubi sinus ejusdem descripsit situm, præcipue eum demonstravit a Cumarum vicinitate istis lib. XLVIII verbis, quæ haud ita multo ante adduximus. Idem fecit *Appianus Alexandrinus* lib. V *De bello civili*, narrans de Calvisio & Menodoro, Augusti ducibus, qui pridie ejus diei, quo parum prospere commiserunt prælium cum Menecrate, Sex. Pompeji liberto, *receperunt se in sinum, qui supra Cumas est, ibique noctem eam quieverunt.* Et mox: *Cæsar vero, nunciato detrimento, quod ad Cumas acceperat, enavigabat fretum, occursurus Calvisio.* Et B *Dionysius* quoque *Halicarnassensis*, quem mox afferemus, similiter Cumis adscripsit portus, qui in eodem sinu erant. Sed heic video, *Josephum Scaligerum* loco citato ad *Culicem Virgilii*, expositione multum diversa ab istac itidem sua, qua *Propertium* intellexisse voluit ipsissimum Misenum; existimavisse, eum hoc nomine plurali demonstravisse omnes istas urbes, quæ in tractu Neapolitano erant; *Cumas, Bajas, Puteolos*; *ut Varro per Tarentinas nobiles, urbes tractus Tarentini, in quibus Croton & ipsum Tarentum.* Verum, quicquid jam statuendum sit de verbis *Varronis*, non C videtur mihi iste poëta ad nomen *regni Thespoti*, quo oram notari Cumanam equidem nemo mihi negare poterit, omnino frustra atque vaniter addidisse *nobiles Misenas* eadem significatione potius, quam ipsarum Cumarum significatione, quæ istius oræ metropolis fuit atque caput. Dixerunt autem hoc sensu Latini *Misenas* numero plurali, ad imitationem nominis *Cumarum*. Atque hac de re jam satis.

Appianus Alexandrinus illustratus.

Josephus Scaliger ab se ipso dissentiens, & refutatus.

Jam Cumarum urbs, condita isto tempore, ab iisque populis, quos ostendimus, *ab initio quidem fortunata fuit*, ut interpretis *Straboniani* verbis utar lib. V. *Dionysius Halicarnassensis* lib. VII eam re- D fert diu perstitisse in secundis rebus. Ubi enim narrat, Etruscos, Umbros, Daunios, aliosque Italiæ populos, qui conjuncti numerosissimum fecerant exercitum Olympiade LXIV, cujus primus annus congruit ab Urbe condita anno CCXXIX, frustra molitos eam opprimere, *quum nullam aliam justam odii causam*, (ita habet Latinus interpres ejus) *quam ipsam urbis felicitatem afferre possent*; subjunxit hæc verba: *Cumæ enim illis temporibus tota Italia celebres erant ob divitias, & potentiam, & alia bona; quod totius agri Campani fertilissimam partem possiderent, & opportunissimos circa Misenum portus haberent.* Veruntamen quia hic auctor ur- E bis Cumanæ ditionem ad unam tantum partem, sive ad unum solummodo Campaniæ agrum restringit, videri possit felicitas ejus isto jam tempore a summo fastigio aliquantum declinavisse. *Strabo* enim Cumanis imperium assignavit ejusdem latioris istius Campaniæ, quam olim tenuerant Osci, qua de re in alia *Dissertatione* accuratius agendum erit. Ceterum idem *Dionysius* affirmat, Etruscos istos, qui Cumanis illam invidebant felicitatem, fuisse illos ipsos, qui locis ad mare Ionium (intelligit Adriaticum, quod utroque hoc nomine fuit appellatum) pulsi erant ab Gallis; id est, fuisse Etruscos illos, qui Capuam condide- F runt, ut indicavit nobis *Strabo*, qua de re alibi. Igitur ab isto usque tempore (non jam quærere multum heic lubet, an jam antea quoque) Campani maximi fuerunt vicinorum Cumanorum æmuli, atque illis ad postremum superiores evaserunt; ac eorum urbem, quæ eodem *Strabone* teste *ab initio quidem fortunata fuit, postea temporis Campani in suam redigentes potestatem, cum alias multas contumeliosas injurias civibus intulerunt, tum etiam*

Cumani satis diu gavisi fuerunt rebus secundis,

Et repulerunt Etruscos,

Id est, Campanos,

Sed ab iisdem deinde subacti sunt.

iam cum eorum uxoribus ipsi habitaverunt. Hanc eorum calamitatem dicere voluit, licet obscurius aliquanto, *Vellejus* noster, qui postquam lib. I narraverat, quosdam Chalcidensium, qui Cumas condiderant, post longi temporis spatium condidisse etiam Neapolim, & utriusque hujus urbis perinde fuisse semper fidem erga Romanos singularem; subjunxit hæc: *Aliis diligentior ritus patrii mansit custodia:* (hi sunt Neapolitani, qui præter inveteratam fidem priscos etiam Græcorum mores custodiverunt; principio autem quomodo alio inclinaverint animum, exponetur a nobis alibi;) *Cumanos Osca mutavit vicinia.* Per hanc Oscorum vicinitatem intelligendum est istud Campanorum in urbe Cumana commercium, per quod nihil illa retinuit ex moribus pristinis. Ista autem celebrata fides Cumanorum enituit tempore secundi belli Punici, quod accidit multo post. Sed & ipsis hostiles inimicitiæ fuerunt cum Romanis, antequam a Campanis essent subacti. Cum enim Tarquinium superbum exsulem ejusque homines in urbem suam recepissent, instinctu horum T. Geganio Macerino, P. Minucio Consulibus, id est, anno ab Urbe condita CCLXI, legatos Romanos in regione Cumarum coëmere frumentum prohibuerunt, iisque abstulerunt pecunias, quas secum adduxerant, ut refert *Dionysius Halicarnassensis* lib. VII, & item *Livius* lib. II. Neque alias fuisse arbitror, nisi inter Romanos atque Cumanos, pugnas istas ad Cumarum urbem pugnatas, quas dixerunt auctores isti, ex quibus *Marianus Scotus*, loquens de Consulatu A. Virginii, & T. Veturii, sive Vetusii, qui fuit ab Urbe condita annus CCLIX, hæc descripsit: *Volsci victi. Cumis bellatur.* Neque enim etiam Volsci hoc anno ab aliis fuerunt victi, quam ab iisdem Romanis. Verum *Strabo* non annotavit annum, quo Cumæ fuerunt captæ. Non potest ille antecessisse hoc tempus, quo *Dionysius* secunda floruisse fortuna Cumanos scripsit, quam tantopere ipsis Etrusci, sive Campani, aliique populi invidebant. Etiam negari nequit, accidisse illud demum post quinquaginta annos insequentes, id est, post annum ab Urbe condita CCLXXX. Notavit enim *Auctor Olympiadum* novam eorum victoriam, quam reportaverant ab iisdem Etruscis Olympiadis LXXVI anno tertio. Quod si ad verba *Dionysii*, prout vulgata exemplaria habent, in *Sylloge legationum* attendimus quas ipse antea in suis *Historiarum* libris descripserat, Campani demum occupaverunt Cumas circiter annum ab Urbe condita CCCLX. Nam in legatione Samnitium ad Neapolitanos, quæ facta est earundem rerum gratia, de quibus exposuit *Livius* lib. VIII, quæque incidunt in L. Cornelium Lentulum, Q. Publilium Philonem secundum Consules, id est in annum ab Urbe condita CCCCXXVI, refert, ut habet versio *Henrici Stephani*, Neapolitanis inter alias pollicitationes ab Samnitibus factas etiam hasce: *Cumas recuperaturos, quas duabus ætatibus ante Campani Cumanis ejectis occupaverant; ac suas in sedes restituturos, quotcunque ex Cumanis illis superessent, quos Neapolitani patria expulsos receperant, omniumque suorum bonorum participes fecerant: denique & agrum, quem Campani, quum oppidum caperent, occupaverant, illis addituros.* Ita *Dionysius*. Igitur secundum ejus verba Cumæ captæ fuerunt a Campanis circiter annum ab Urbe condita CCCLX, siquidem hoc accidit duabus ætatibus ante annum CCCCXXVI, cuique ætati assignato majori annorum spatio, quod illi tribui solet, id est, annis XXXIII. Quod si ille dixisset, non jam duas, sed tres ætates inter utrumque tempus fuisse medias; intelligeremus Cumarum expugnationem contigisse anno ab Urbe condita CCCXXVI, aut circiter; ad quod tempus & [1] *Diodorus Siculus* eam retulit, nec longe inde abit *Livius*. Et adeo cum hanc in rem consentiant hice duo gravissimi auctores, credere licet, non diversam quoque *Dionysii* fuisse sententiam, quæ facile potuit vitiata esse ab librariis. *Diodori* verba, ubi lib. XII res exponit, quæ gestæ fuerunt T. Quintio, A. Cornelio Cosso Consulibus, qui fuit annus ab Urbe condita CCCXXV, apud Latinum interpretem ita habent: *Per idem tempus in Italia Campani magno exercitu contra Cumas ducto, Cumanos pugna conserta fundunt, hostiumque majorem partem in ea acie necant. Mox ad obsidendas Cumas se comparantes, crebris expugnationibus adorti, tandem per vim potiuntur urbe; qua direpta, incolisque, quos ibi deprehenderant, in prædam & in servitutem abductis, eodem transcripsere colonos ex gente sua, qui satis videbantur ad replendum locum.* Hucusque *Diodorus*. Verba *Livii*, qui paucissimis verbis hoc lib. IV scripsit accidisse L. Quintio Cincinnato tertium, Sex. Furio Medullino secundum, M. Manlio, A. Sempronio Atratino Tribunis militum consulari potestate, qui fuit annus ab Urbe condita CCCXXXIII, hæc sunt: *Eodem anno a Campanis Cumæ, quam Græci tunc urbem tenebant, capiuntur.* Concludimus igitur ex hoc *Livii* atque *Diodori* consensu, inter quos tantum levis est varietas, *Dionysium*, qui incommodum sane & nimium longe ab utriusque recedit sententia, posse, & debere etiam cum illis in concordiam redigi facili mutatione: nisi forte cui videantur obstare hæc verba: *Restituturos, quotcunque ex Cumanis illis superessent.* Ceterum est inter illos hæc quidem multo notatu dignior discordia quod *Livius* affirmavit, non auditum fuisse Capuæ nomen, & proinde neque Campanorum, ante C. Sempronium Atratinum, Q. Fabium Vibulanum Consules, qui fuit annus ab Urbe condita CCCXXX; *Dionysius* autem usus est hisce nominibus, narrans de rebus, quæ multo antiquioribus acciderunt temporibus. Atque de hac discrepantia, iisque, quæ ad eam controversiam pertinent, alio loco fusius agetur.

Jam postquam Cumarum urbs, post ortum suum annis amplius sexcentis elapsis, de isto felicitatis fastigio deturbata est tanta cum calamitate, nunquam illa deinceps recuperare pristinam dignitatem potuit. Qualitercunque tamen illa, & juxta eam Neapolis, Tiberio imperante gaudebat rebus pro conditione istorum temporum satis prosperis, quibus utramque judicaverant dignam Romani in præmium fidei constantissimæ, quam *Vellejus* noster, qui eodem isto tempore vixit, lib. I prædicavit hisce verbis: *Utriusque urbis eximia semper in Romanos fides facit eas nobilitate atque amœnitate sua dignissimas.* Ceterum si veram esse *Cluverii* observationem libet credere, *postquam* (ipsius sunt verba) *amœnissimam hanc circa Cumas atque vicinas Bajas Campaniæ oram locupletissimi Romanorum prætoris, villis, atque hortis occuparunt, ipsæ Cumæ ab oppidanis suis frequentari desierunt.* Et hanc in rem argumentum petit ex *Juvenale*, qui *vacuas* eas dixit in hisce *Satyræ* III versibus:

> *Quamvis digressu veteris confusus amici,*
> *Laudo tamen, vacuis quod sedem figere Cumis*
> *Destinet, atque unum civem donare Sibyllæ.*

Equidem nolim heic multum illi adversari: sed non possum quoque, quin moneam, temporibus

Vellejus illustratus. | Antea bellaverant etiam cum Romanis. | Marianus Scotus illustratus. | Ceterum expugnatio Cumarum non antecessit annum ab Urbe condita CCLXXX. | Eadem fortasse videri possit accidisse anno CCCLX. | Sed re vera non longe illa accidit post annum CCCXXVI. | Dionysius Halicarnassensis emendatus, & cum Diodoro ac Livio conciliatus. | Livius ab Diodoro atque Dionysio discors. | *Cumæ nonnihil splendoris servantes, nunquam tamen deinceps recuperaverunt dignitatem pristinam.* | *Non satis autem liquet, quo tempore illæ cœperint vacuæ esse incolis.* | Cluverius ambigue refutatus.

L jam

[1] Diodorus non ad annum ab Urbe condita CCCXXV, sed CCCXXVI, quo T. Quintius & A. Cornelius Cossus consules fuerunt, Cumas a Campanis captas refert. Et ipse corrigit auctor hunc errorem suum *Dissert.* IV. cap. XII.

jam *Velleji*, perinde ut hujus poëtæ ævo, qui ut longissimum vixit imperante Trajano, sinum Bajanum magnificis atque amœnis potentium Romanorum ædificiis fuisse frequentatum, quod nec *Cluverius*, nec alius quisquam negabit opinor: & nihilominus eodem isto tempore Cumæ [1] nobilitate & amœnitate sua perquam erant insignes.

Juvenalis ambigue illustratus.

Credebam aliquando, *Juvenalem* Cumas dixisse posse *vacuas*, ad significandam quietem illam atque securitatem, qua istic frui licebat procul omni metu atque molestia, cum ex adverso Romæ varia essent atque magna pericula metuenda. Et in hanc sententiam non obscurum suppeditavisse argumentum arbitrabar eundem poëtam, quandoquidem versibus istis, quos modo adduximus, subjecit hosce alios:

Janua Bajarum est, & gratum littus amœni
Secessus. Ego vel Prochytam præpono Suburræ.
Nam quid tam miserum, tam solum vidimus, ut non
Deterius credas horrere incendia, lapsus
Tectorum assiduos, ac mille pericula sævæ
Urbis, & Augusto recitantes mense poëtas?

Statius illustratus.

Atque hanc certe quietem etiam *Statius*, ubi solicitudinem narrat atque diligentiam, in reficienda Domitiani via adhibitam, quam viam suo loco descripsimus, intelligere debuit in hoc versu:

Miratur sonitum quieta Cyme.

Tacitus illustratus.

Quin & hac de causa quæcunque etiam alia amœna Campaniæ littora dicta fuerunt ab *Tacito Historiarum* lib. III *secreta Campaniæ*; non quidem propter eorum solitudinem, sed propter vivendi rationem, quæ istic instituebatur. Certe cum Bajæ auctæ essent magnificis ædificiis, & ab hominibus potentibus multum frequentarentur voluptatis causa, non conveniebat Cumanos suam relinquere urbem. Quin potius majoris eam, quam antea, æstimare poterant, in eaque variis modis rem augere familiarem, quandoquidem illa erat, ut ait idem Satyricus, Bajanarum amœnitatum janua. Et adeo neque de miseria, neque de solitudine ejus judicabam eum fuisse loquutum in versibus istis; verum, dum intendere sententiam suam studuit, de illis incommodis, quæ alibi locorum quantumvis maxima, respectu tamen Romæ modica erant. Ita, inquam, aliquando credebam. Verum postea animo mecum perpendens, in hac ipsa regione ad vastitatem fuisse redactam urbem istam situs amœnissimi, in qua Plotinus rempublicam condere Platonicam meditabatur, cœpi dubitare de Cumarum quoque solitudine, ita ut, utram harum opinionum præferam, incertus sim. Deinde labefactato jam Romano imperio, & a barbaris gentibus infestata ac depopulata sæpius Italia, satis certus sum, eam in exigui oppidi formam, quamvis per aliquod tempus satis communiti, redactam. Atque hoc modo eam descripserunt *Procopius* lib. I *Gothicorum*, *Agathias* lib. I, & item *Paulus Diaconus De gestis Longobardorum* cap. XIII, sive lib. VI cap. XL.

Illud certum est, eas post incursiones barbarorum in Italiam exiguum fuisse castellum,

[1]. Annititur auctor Cumis frequentiam incolarum Velleji & Juvenalis temporibus asserere: quæ res etsi non tanti est, ut de ea multum laborare sit operæ pretium, recte tamen Cluverius de solitudine earum ex Juvenale videtur pronunciavisse. Sane enim, utut Satyricus iste, quo Romanæ urbis incommoda tanto magis exageraret & insectaretur, de Cumis nonnihil poëtice fuerit loquutus; satis apparet tamen, eum non ista emphasi fuisse usurum, ut eas *uno cive* auctas ita diserte adderet, nisi re vera illæ satis fuissent incolis vacuæ. Quod vero auctor ex Velleji verbis in sententiam contrariam elicere conatur argumentum, id certe prorsus est infirmum, cum utique nobilitas & amœnitas alicujus loci non faciat ad ejus frequentiam. Et adeo mox ipse quoque hanc rem in medio relinquere cogitur, licet alia ratione motus.

A Verba horum auctorum complectuntur istud temporis spatium, quod inter annum epochæ Christianæ DXXXVI & DCCXVII est medium. Atque hoc temporis intervallo magna istic erat incolarum inopia, cum viveret *S. Gregorius Magnus*, ut legitur in ejus *epist.* XXXI lib. II *Indict.* X; & ceteræ quoque ejusdem oræ urbes ad Minturnas usque nihilo essent incolis frequentiores. Nihilominus Cumæ quasi semivivæ per multa insuper secula duraverunt, donec ad ultimum anno MCCVII, cum propter solitudinem jam in receptaculum latronum aliorumque improborum mutatæ essent, Neapolim inde translata sunt corpora martyrum, B S. Maximi, & S. Julianæ, & ædificia funditus diruta, cum ortus sui annum agerent MMCCLVIII. Chronologi enim (per me licet, hoc calculo finitas esse eorum lites & contentiones) numerant annos CCCCXXXII ab excidio Trojano ad Romam usque conditam; atque hinc dicunt annos effluxisse DCCVI ad ortum usque Servatoris nostri. Atque hunc finem habuit nobilissima & antiqua Cumarum urbs, qua de nihil habeo, quod dicam aliud.

Quod anno MCCVII funditus fuit dirutum.

XVI. *Miseni urbs, portus, & promontorium. Commune istud vicinis locis nomen fuit: deinde idem corruptum, & oppidum penitus exstinctum. Bajarum portus, & urbs amœna. Via Herculea. Portus Julius.*

C

Cumis conjunctum esse promontorium Misenum, dixit *Strabo*, cum eoque consentiunt alii scriptorum veterum. Verum an hoc nomen illi sit inditum a *Miseno*, Ulyssis socio, an ab sepulto istic ejusdem nominis comite, sive, ut alii voluerunt, tubicine Æneæ, apud eundem geographum, *Dionysium Halicarnassensem*, *Pomponium* D *Melam*, & *Solinum* non eadem est narratio. Neque ejusdem *Dionysii* & *Virgilii* eadem est sententia, an ipsum promontorium, an vero nobilis ejusdem portus, aut ab Græco, aut ab Trojano *Miseno* primum fuerit denominatus, & ab alterius nomine postea nomen fuerit inditum alteri.

Non conveniunt inter se auctores, an ab Græco an vero ab Trojano Miseno, aut MISENI promontorium, aut portus nomen acceperit.

Verum quicquid tandem horum sit verum, certe juxta Cumas fuit & promontorium *Miseni*, & in meridiali parte ejus, quæ ad Orienrem vergit, portus *Misenus*, & insuper urbs, dicta etiam *Misenum*; qua de re cum nunquam fuerit dubitatum, magnam hic auctorum afferre copiam supersedebo. E De promontorio igitur dixit *Livius* hisce verbis lib. XXIV: *Annibal pervastato agro Cumano usque ad Miseni promontorium, Puteolos repente agmen convertit.* De urbe mentionem fecit *Josephus Antiquitatum* lib. XIX cap. I, ubi de Caligula Imperatore verba ejus ita Latine reddidit interpres: *A Puteolis, opido Campaniæ ad Misenos*, (numerum pluralem habent etiam Græca) *itidem opidum maritimum per pontem curru vectus est.* De portu nos certos reddidit *Dionysius Halicarnassensis*, quem supra adduximus alia occasione. Huic autem addere libet, quod de eo scripsit *Florus*, ubi nobiles Campaniæ portus recensuit, & laudes eidem F juxta atque aliis portubus communes paucissimis complexus est verbis ad hunc modum: *Hic illi nobiles portus: Cajeta*, (alibi ostendimus, qua de causa ille hunc portum adscripserit Campaniæ) *Misenus, & tepentes fontibus Bajæ, Lucrinus, & Avernus*, (hic alio nomine appellatur *portus Julius*) *quædam maris otia.* Acumen hujus encomii non assequitur illud *Cassiodori*, qui lib. IX *epist.* VI eosdem portus dixit *naturæ prudentia terrenis finibus intermissos.*

Illud certum est, fuisse istic etiam oppidum ejusdem nominis.

Ve-



MISENI *Promontorium, aliis celebrius.*

Nomen Miseni, numero multitudinis non fuit Miseni urbis nomen.

Verum ista, quæ modo retulimus, *Josephi* verba, videri possent debuisse mihi silentium imponere de istis, quæ de *Miseni* nominis significatione, sumpti numero multitudinis, asserere studui; quandoquidem ex *Josepho* apparet, istoc modo fuisse dictam ipsam illam urbem, quæ eodem nomine dicta fuit usitatius numero unitatis, ut ab *Cicerone ad Atticum* lib. XIV *epist.* XXIII, & lib. XV *epist.* I, ab *Suetonio* lib. II cap. LXXII, & LXXIV, ab *Dione* lib. LVIII, aliisque auctoribus. Atque istam sane ego non recepissem sententiam, si *Josephum* credidissem sequutum fuisse in verbis istis communem potius loquendi usum, quam opinionem aliquam de hoc nomine suam. Et contra hanc, quia forte non ipsi soli fuit propria & peculiaris, *S. Hieronymus* necessarium esse judicavit, neglectis fidi interpretis legibus, versioni isti *Chronici Eusebiani*, quam supra retulimus, istud de suo addere, *Misenas* numero multitudinis fuisse illam urbem, quæ alias dicta fuit *Cumarum* nomine. Neque vero potuit communis usus istius nominis, qui *Josephi* temporibus obtinebat, fuisse diversus ab illo, quem observaverunt omnes alii scriptores tam iisdem *Josephi* temporibus, quam etiam præcedentibus & sequentibus. Certe igitur ille loquutus fuit peculiari quodam atque suopte modo, quem forte fortuna judicavit esse maxime proprium, credidit quoque usum fuisse quendam ex scriptoribus antiquioribus. Quod si illud jam considerare libet, uno eodemque modo & portum istum, & urbem, atque promontorium fuisse dictum, dicendum videtur, quandoquidem plura fuerunt horum Misenorum, quibus nihil omnino fuit inter se qualitatis communis aut similitudinis, ne quidem illa conjunctim, multo minus unum ex istis, posse dictum fuisse multitudinis numero, qui convenit pluribus rebus, quæ similes sunt inter se & æquales quodammodo. Contra autem, si Cumis idem potuit convenire nomen, quod commune erat vicinæ sibi oræ, per usurpationem, quam supra exposuimus, potuit istud etiam pariter convenire eidem urbi numero multitudinis. Nimirum hanc in rem vulgus imperitum, penes quod est potestas nomina rebus imponendi, cum iisque agendi pro lubitu, satis idoneam hanc esse causam judicavit, ut supra jam indicavimus, quod alterum ejus urbis peculiare nomen itidem efferebatur eodem numero. Sed non magna heic fortasse habenda est ratio istorum *Josephi* verborum, qui potuit admisisse errorem, ubi dixit, Caligulæ pontem pertinuisse *a Puteolis ad Misenos*, cum dicendum esset *ad Bajas*, sive *ad Baulos*; ad quæ usque loca, exiguo intervallo ab invicem remota, & perinde appellata numero plurali, diverso scriptum reliquerunt *Suetonius* & *Dio* eum fuisse productum ab isto Imperatore. Et quis dicet nobis, an suopte instinctu voluerit ille nomen Miseni eodem modo usurpare, quo Puteolorum nomen, quod proxime dixerat? Certe *Misenum* oppidum ex Cluverii quoque sententia fuit in promontorii Miseni extremitate Occidentali, e regione istius ejus lateris, in quo Orientem versus fuerunt Bajæ. Argumento sunt veteris theatri vestigia quædam quæ istic supersunt. Et adeo quia *S. Hieronymus* in versione *Chronici Eusebiani* nos admonuit, Cumas dictas quoque fuisse *Misenas* numero plurali, & vulgo istud promontorium Miseni nomine appellatum legitur numero unitatis; denique quia *Josephus* nobis demonstrare voluit peculiarem quandam urbem, quæ neque fuit ipsa Cumarum urbs, neque ab ista parte fuit; dicere convenit, cum suopte arbitrio fuisse *Misenorum* nomine usum alio quopiam & novo modo, & omnino diverso, quam quo illo *Propertius* fuit usus in versibus, quos aliquanto ante attulimus. Nam in istis, ut credidimus ibidem, speciatim intellexit ille Cumas, quæ non tantum minus aliena est *Scaligeri* interpretatione, sed etiam ista, qua forte quis crederet, poëtam istum dicere voluisse, amicam suam istic loci, ubi secessum agebat, perinde frui adspectu maris interioris, nempe sinus Bajani, quam exterioris, quod oram Cumanam alluit ad promontorium usque Misenum, quod velut confinium est inter utrumque. Cynthia enim amœna otia sua agebat *mediis Bajis*, ab latere sinus Bajani, *qua jacet Herculeis semita littoribus*, ut recte exposuit idem *Scaliger*; qui, ut credere ipsi possemus, Cynthiæ apertum fuisse in duo maria, prospectum, quorum alterum illi ad sinistrum, alterum ad dextrum latus erat, emendavit *Propertii* verba, iterando vocem *modo*. Ceterum quod ad varietatem attinet villarum Bajanarum, quarum aliæ in vallibus exstructæ erant, aliæ in excelsis vicinorum collium, e quibus certe in geminum mare prospectus erat, si maxime hanc in rem manifesta nobis probatio deesset, ab ipso loci situ naturali petita, sufficere illud posset, quod de istis lib. IX epist. VII prodidit *Cæcilius Plinius*, quem paulo post afferemus, & quod *Phædrus* dixit lib. II *fab.* XXXVI de nobilissimo prætorio, quod istic erat Tiberii Imperatoris, & antea fuerat Luculli, atque itidem prospiciebat duo maria:

Josephus notatus pluribus modis.

Nec etiam isto nomine conjunctim dicta fuerunt promontorium, urbs, atque portus Miseni,

Sed integræ illud oræ, & per usurpationem alterum Cumanæ urbis nomen fuit.

Josephus illustratus.

Propertius illustratus.

Phædrus illustratus.

Prospectat Siculum, & prospicit Tuscum mare:

nempe unum meridiem versus, alterum occidentem versus, & utrumque extra interiorem sinum Bajanum: siquidem illud proximum fuit Miseno oppido in ultima extremitate promontorii Miseni, ad latus ejus, quod diximus, Occidentale.

MISENUM oppidum, postea dictum Messena,

Igitur hæc urbs principio fuit dicta *Misenum*, non autem *Miseni*. Quod si hoc vocabulum subiit unquam mutationem nonnullam, tum illud accidit, cum una cum imperii Romani ruina omnes alii prisci ritus, & speciatim quotidiani sermonis usus, fuerunt immutati. Hinc in epistola quadam *S. Martini* summi Pontificis ad Eleutherium, & in aliis *S. Gregorii Magni*, & præterea in nonnullis manuscriptis codicibus *Vegetii De re militari*, qui referuntur ab *Godescalco Stevechio* in *Notis* ad ejusdem auctoris cap. I lib. V, dicta illa occurrit *Messena*, *Messenum*, & *Missena*, licet non sine librariorum errore quodam. Et ab hac levi mutatione satis possumus credere eodem annorum spatio non fuisse quoque sejunctam illam alteram, immane quantum majorem, qua populus ejus urbis multum fuit imminutus, pari infortunio ac vicinarum Cumarum, & reliquorum hujus oræ locorum, quæ felicioribus quondam temporibus tantum per suas delicias satis fuerat cultoribus frequens. Imo certi hac de re esse possumus ex ejusdem *S. Gregorii epist.* XXXI lib. II *Indict.* X, quæ testatur, eum in unam sub Episcopo Benenato ecclesiam conjunxisse ecclesias, Misenatem, quæ ejusdem Benenati erat, & Cumanam, cujus episcopus *Liberius* decesserat: *Quoniam eæ* (verba sunt *S. Gregorii*) *non longo itineris spatio a se sejunctæ sunt; nec peccatis facientibus, tanta populi multitudo est, ut singulos, sicut olim fuit, habere debeant Sacerdotes.* Nihilominus idem episcopus Benenatus studuit qualitercunque conservare Misenum suam, sive Messenam, atque istic castellum condere paravit, ut colligitur ex *epist.* XXXI lib. XI *Indict.* VI ejusdem sancti Pontificis. Sed non perfecit istud opus, morte præventus fortasse, quæ consequuta est circa annum ab ortu Servatoris DXCIX. Nam de successore in ejus locum substituendo arbitror eundem *S. Gregorium* scripsisse

Atque incolis infrequens,

se *epistolam* XXVI & XXVII lib. VII *Indict.* II ad Fortunatum, episcopum Neapolitanum, & ad Clerum, Ordinem, atque plebem Messenatem. In summario autem *epist.* XXX lib. XI *Indict.* VI mihi videtur perperam notatum, in ea sermonem esse de Benenato, episcopo Messenati, vivente anno isto DCIII, cum agatur in eo de alio homine privato, ejusdem oppidi, ejusdemque nominis. Ita igitur Misenum, incolis infrequens reddita, tamen duravit adhuc per aliquot secula, usquedum tandem ultimam experta est ruinam, quam *Joannes, Diaconus Neapolitanus*, in Historia de corpore S. Sosii martyris, translato Neapolim a Miseno, magna ex parte tribuit Longobardis Beneventanis, & speciatim Sichardo principi. Ceterum novissimum ejus excidium idem auctor apertius affirmat peractum fuisse ab Saracenis circiter LX ante annis, quam istud sanctum corpus inde asportatum fuit, ut conderetur in alium locum honoratiorem. Atque hoc accidit temporibus Stephani, episcopi Neapolitani, qui hujus nominis tertius vixit anno epochæ Christianæ DCCCCXX post Athanasium illum, episcopum atque Ducem Neapolitanum, *qui exulato fratre proprio* (verba sunt *Herchemperti* in *Historia Principum Longobardorum* Num. XLIV) *cum Saracenis pacem iniens*, (anno DCCCLXXIX) *ac primum infra portum æquoreum, & urbis murum collocans, omnem terram Beneventanam, simulque Romanam, nec non partem Spoletii diruentes, cunctaque monasteria, & ecclesias, omnesque urbes, & opida, vicos, montes, & colles, insulasque deprædarunt.* Et adeo *Joannes* iste forsan in gratiam episcopi sui Stephani, qui Athanasio fratri successerat, Miseni excidium ad tempora aliquanto antiquiora retulit.

Sæpius infestatum fuit ab Longobardis Beneventanis, Et ad ultimum ab Saracenis dirutum funditus.

Joannes, Diaconus Neapolitanus, & Herchempertus inter se collati.

Nobilissimus quoque fuit *Bajarum* portus, ut ex *Floro* intelleximus, & ille hodieque una cum primo nomine suo ex parte etiam servat pristinum usum. Verum idem *Josephus Antiquitatum* lib. XVIII cap. IX dixit, Bajas exiguum esse Campaniæ oppidum, non longe a Puteolis. Et adeo hoc quidem respectu satis illæ pari fuerunt conditione, ac Misenum: eoque facilius potuit ille, ut supra monuimus, alterum cum altero nomen confundere; cum ceteroqui laudes amœnitatis simul & salubrium thermarum Bajanarum immane quantum fuerint majores. Verba *Josephi* ita Latine vertit interpres ejus: *Cajus tum forte apud Bajas repertus est. id opidulum est Campaniæ, quinque ferme stadiis a Puteolis dissitum*, (ipse auctor diserte dixit σαδίων πέντε, quæ conficiunt dimidiam, & ea amplius octavam partem milliarii. Atque huic calculo tantundem deest ad veram istorum locorum inter se distantiam, quantum eandem excedit istud spatium, quod idem deinde lib. XIX cap. I quatuor millium passuum inter Puteolos dixit esse & Misenum, quam ipse memoravit loco Bajarum, sive Baulorum, quæ fuit proxima Bajis villa) *ubi palatia sunt splendidissima, dum Imperatorum quisque superiorem vincere contendit magnificentia: invitantibus eo lavacris calidis, sponte e terra scaturientibus, tam ad sarciendam corporum valetudinem, quam ad animos otio relaxandos.* Ita *Josephus*. Neque ego jam de summis Bajarum laudibus, quarum respectu dixit lib. I *epist.* I *Horatius*:

BAIARUM nobilis portus, & urbs exigua; sed per celebres suas thermas qualibet alia major;

Josephus notatus.

> *Nullus in orbe sinus Bajis prælucet amœnis,*

heic instituam narrationem post alios, & inprimis *Cluverium*, qui copiose satis eas recensuit. Arbitror enim inutilem esse frivoli ingenii operam, quæque lectoribus industriis tædio sit, sine ulla notabili accessione in suos transferre libros illud, quod apud alios jam habetur. Igitur de Bajis tantum illud notabo, eas ab *Cicerone* lib. IX epist. XII *Ad familiares*, secus ac ab aliis auctoribus omnibus, videri descriptas quasi valetudini adversas, ubi ad Dolabellam ita scripsit: *Gratulor Bajis nostris, siquidem, ut scribis, salubres repente factæ sunt: nisi forte te amant, & tibi assentantur, & tam diu dum ades, sunt oblitæ sui; quod quidem si ita est, minime miror, cœlum etiam & terras vim suam, si tibi ita conveniat, dimittere.* Et tamen *Cassiodorus* loco isto, quem non multo ante citavimus, dixit: *Ibi salubritate aëris, temperata teris, blandior est natura.* Credebam *Tullium* non hasce Campaniæ, sed alias quasdam intellexisse Bajas. Ab nostris enim Bajis, quæ celebritate superabant, ut dicit *Eunapius* in *Vita Jamblichi*, quaslibet alias in imperio Romano ejuidem generis thermas, satis certum est alia etiam loca, similibus aquis abundantia, idem accepisse nomen. Ita in Gallia Narbonensi Aquæ Sextiæ, quæ hodie ab indigenis vulgo dicuntur *calentes Aquæ*, ab *Sidonio* lib. V. *epist.* XIV dictæ sunt *calentes Bajæ*, & *Carm.* XXIII *Sextiæ Bajæ.* Et itidem *Cassiodorus*, ubi lib. XII *epist.* XXII comparationem inter Histriæ tractum quendam nostramque Campaniam instituit, eum suas quoque, non dissimiles Campanis, habere Bajas dixit. Sed non videtur mihi hæc usurpatio, ex qua debuit ortum esse, ut vulgari sermone nostro commune vocabulum *Bagno* ad notandum qualecunque balneum quod fit aquis calidis, adhibeatur, ut monuit *Sirmondus* in *Notis* ad eundem *Sidonium*, adeo esse vetustæ originis. Insuper videtur mihi multo minus esse licitum ad ejusmodi expositionem confugere, cum non debuerit unum idemque nomen locis imponi diversis ratione similitudinis, inter quæ simul tanta erat dissimilitudo. Nihilominus animus inclinat priorem sequi opinionem, cum apud *Plinium Cæcilium* lib. IX epist. VII lego, eum voluisse amplificare laudes duarum, quas habebat, villarum ad lacum Larium, qui hodie *Il lago di Como*, ab earundem cum villis Bajanis similitudine; *Altera*, dixit, *imposita saxis, more Bajano, altera æque more Bajano lacum tangit*; & item *Martialem* lib. IV *epigr.* XIX perinde amplificandi caussa dixisse:

Ab omnibus non perinde fuit laudata a cœli salubritate:

Cicero & Cassiodorus discordes.

Nisi forte fuerunt alteræ Bajæ insalubres, eodem nomine dictæ propter thermarum similitudinem.

Verum heic contrariis etiam conjecturis locus est.

Martialis illustratus.

> *Æmula Bajanis Altini littora villis.*

Volueritne, etiam jocari forsitan *Cicero* cum Dolabella suo, qui forte antea questus erat, secessum Bajanum, aliis salubrem, sibi esse soli adversum, ad ultimum autem etiam sibi expertus erat salutarem? Sed liberum cuique de hoc esto judicium. nam ego quidem non magis istam, quam istam probo sententiam: & est hodie satis asperum Bajarum Campanarum cœlum.

Aliquanto interius ad eundem sinum maritimum, qui promontorio formatur Miseno, & a diversis portubus suis diverse etiam appellatus fuit *sinus Bajanus*, *sinus Lucrinus*, *sinus Puteolanus*, *via* fuit *Herculea*, dicta alias *Herculanea*, quam intellexit *Propertius* in versibus, quos supra adduximus:

VIA HERCULEA ad sinum Bajanum,

> *Et quid te mediis cessantem, Cynthia, Bajis,*
> *Qua jacet Herculeis semita littoribus.*

Et denuo lib. III *Eleg.* XVI:

> *Qua jacet & Trojæ tubicen Misenus arena,*
> *Et sonat Herculeo structa labore via.*

Vulgo illam fuisse creditam opus esse Herculis, cum fortasse structa fuerit ab Thespotis, ejus posteris, quibus ista colentibus magis fuit opus multoque commodius accidit eam condere; apertis verbis dixit *Diodorus Siculus* lib. IV, ubi, postquam victoriam narraverat ab Hercule partam contra Gigantes in campo Phlegræo, scripsit, ut interpres ejus habet, ad hunc modum: *Ab his locis versus mare profectus, opus exegit juxta lacum, quem Avernum appellant, inter Misenum & Dicæarchæos,*

Vulgo credita opus esse Herculis,

chæos, (ita Græci Puteolos appellant) *prope calidas aquas*, *Proserpinæ sacrum.* Et mox: *Effluente in mare stagno*, *ferunt Herculem exaggerata terra fluxum clausisse*, *viamque desuper juxta mare factam*, *Herculeam postmodum esse vocitatam.* Idem de ea scriptum reliquit etiam *Strabo* lib. v, qui addidit, Agrippam refecisse bonam ejus partem, violenti maris impetu ruptam, & insuper descripsit situm ejus, & longitudinem cum latitudine. Verba ejus Latine ita habent: *Porro Lucrinus sinus in latum producitur usque ad Bajas*, *interclusus ab externo mari aggere*, *longo stadia* VIII, *tanta latitudine*, *quantam lati currus orbita occupat. Eum aggerem ajunt ab Hercule factum*, *dum in Geryonis boves ageret* (id est, in reditu ex Hispania.) *Cum autem tempestatibus mare agitantibus*, *undas multis locis admitteret*, *difficulterque terrestri itinere posset peragrari*, *ab Agrippa est*, *quod deerat structuræ*, *additum. Naves admittit leves*, *stationi inutilis*, *sed capturam ostreorum habet copiosissimam.* Proprie igitur hæc via fuit agger, quo exterius mare intercludebatur ab Lacu Lucrino, cujus situm accurate descripsit *Dio* lib. XLVIII, quem paulo post afferemus. Et dictus ille fuit *viæ* nomine propter formam suam, unde deinceps etiam ad usum viæ inserviebat. Ceterum ostreorum capturam, quam *Strabo* istic esse dixit copiosissimam, intellexit etiam *Cicero* in *Orat.* II *contra Rullum*, ubi dixit, eam propterea multarum esse deliciarum, magnorumque redituum. Verba ejus hæc sunt: *Hæc lege Tribunitia decemviri vendent. Accedet eo mons Gaurus: accedent salicta ad Minturnas: adjungetur etiam illa via vendibilis Herculanea*, *multarum deliciarum*, *& magnæ pecuniæ; permultaque alia.* Fuerunt sane ista ostrea a veteribus numerata inter cibos delicatissimos, ab iisque multum laudata leguntur, ut in alia *Dissertatione* erit indicandum. Ceterum prima voluptas percipiebatur ex eorum captura, qua de non abs re erit audire quæ dixit *Cassiodorus* in eadem *epistola*, quam sæpius citavimus, ubi voluptatem illam adeo ad vivum exprimit, ut quasi oculis eam spectare liceat. Ita igitur ait: *Deinde immissum Averno* (ex hoc & Lucrino lacu ut deinde unicus factus sit portus, jamjam ostendetur) *stagneum mare*, *ubi ad voluptatem hominum vita gignitur ostreorum*, *industriaque mortalium fieri*, *ut res alibi fortuita*, *ibi semper appareat copiosa. Quantis ibi molibus marini termini decenter invasi sunt? Dextra lævaque greges piscium ludunt. Clauduntur alibi industriosis parietibus copiosæ deliciæ*, *captivi tenentur aquatiles greges: hic ubique sub libertate vivaria sunt. Adde*, *quod tam amœna est suscepta piscatio*, *ut ante epularum convivium intuentium pascat aspectum. magnum est gaudium desiderata cepisse*, *sed in his rebus gratior est plerumque amœnitas oculi*, *quam utilitas captionis.* Ita *Cassiodorus.* Atque ille tum per alia indicia, quæ in ejus verbis apparent, non potest loquutus fuisse de privatorum vivariorum piscatione, tum etiam quod mare memoravit immissum in lacum Avernum, quod perfecit Agrippa tum, cum portum exstruxit Julium, qui idem ut *Strabo* prodidit, refecit quoque hancce viam Herculeam, ut paulo post ostendemus. Et adeo *Cassiodorus* intellexit illam piscationem cujus reditus erant publici, & simul publica erat voluptas, quæ aut sedendo, aut deambulando per eandem viam, quæ currum capere poterat, solebat inde percipi.

Fuit agger, quo maris impetus repellebatur.

Ex abundantia autem ostreorum magnæ inde pecuniæ redibant, & inprimis ex captura eorum multa voluptas.

PORTVS IVLIVS præclarum fuit opus, excogitatum &

Jam vero fuit portus Julius teste *Dione*, prout ejus verba Latine reddidit interpres, lib. XLVIII *opus præclarum*, *quod & excogitavit Agrippa*, *& perfecit*; nempe ipso & L. Caninio Consulibus, ut affirmat *Cassiodorus* in *Chronico*, qui fuit annus ab Urbe condita DCCXVI. Atque eam illi curam commiserat Augustus, utpote ipsius operis inventori: ideoque ille dictus etiam fuit *portus Julius* ab auctoris nomine, qui jam in familiam Juliam adoptatus erat Augusti testamento. Ceterum *Suetonius*, lib. II cap. XVI nihil omnino de Agrippa dicens, integrum hoc opus Augusto adscribit, quo de narrans ostendit, licet satis concise, & situm ejus & formam sequentibus verbis: *Portum Julium apud Bajas*, *immisso in Lucrinum*, *& Avernum lacum mari*, *effecit.* Sed plenius descripsit eum nobis idem *Dio* loco allegato, ubi ita subjunxit: *Cumæ urbs est Campaniæ*, *ibique locus est quidam in lunæ formam curvatus inter Misenum & Puteolos*, *habetque tres sinus maris*; *quorum unum*, *qui extra prope ipsas urbes est*, (id est, primus exterior & major sinus, qui pertinebat ab una istarum urbium ad alteram usque) *Tyrrhenum vocant*, *quod ad mare Tyrrhenum pertineat. Secundus exigua intercapedine a priore dirimitur*, (nempe per interjectam viam Herculeam, ut dixit *Strabo*) *cui Lucrino nomen est. Tertius in ipso recessu interiori*, *stagni in morem extat*, *Averni nomine. Proinde Agrippa in hoc lacu*, *ambobus aliis interjecto*, (nempe sinui Tyrrheno, & Averno) *cujus aditus angusti erant*, (relicti istic forte erant de industria plus una viæ Herculeæ parte, & deinde aliquantum facti laxiores undarum impetu) *id interstitium*, *quo Lucrinus a mari dirimitur*, *utrinque propter ipsam continentem perfodit*, *effecitque portus navium stationi aptissimos.* Hucusque *Dio.* Neque aliam horum sinuum formam nobis descripsit *Strabo*, ubi ita dixit: *Bajas contingit Lucrinus sinus*, (divisus ab Tyrrheno per viam Herculeam) *eoque interior lacus Avernus.* Et mox: *Avernus est sinus mari pone ipsum littus profundo*, *faucibus commode ad recipiendas naves instructus*; *neque ei*, *ut portus habeatur*, *vel a natura loci*, *vel a magnitudine quicquam deest*: *sed usum tamen illum non præstat*, *quod ante eum jacet Lucrinus sinus*, *prælongus & altus.* Jam de amplitudine portus Julii cum *Dione* consentiunt etiam *Vellejus* noster lib. II, & *Suetonius*, qui de eodem Agrippa ita dixerunt: *In Averno* (*Velleji* verba sunt) *& Lucrino lacu speciosissima classe fabricata*, *quotidianis exercitationibus militem remigemque ad summam*, *& militaris*, *& maritimæ rei perduxit scientiam.* Atque hac classe Augustus oppugnavit deinde Siciliam & Sex. Pompejum. Veruntamen auctor, quem adduximus, non loquutus est de lacu Averno, aperto in Lucrinum, ut diserte dixit alter verbis istis, quæ supra vidimus, & insuper *Virgilius* in hisce versibus lib. II *Georgicorum*:

> *An memorem portus*, *Lucrinoque addita claustra*,
> *Atque indignatum magnis stridoribus æquor*,
> *Julia qua ponto longe sonat unda refuso*,
> *Tyrrhenusque fretis immittitur æstus Avernis?*

Et adeo, licet Agrippa, cum reficeret viam, quam sæpius memoravimus, obstruxisset aditus, qui eam interrumpebant, quod itidem dicere voluit idem poëta lib. IX *Æneidos*, ubi utitur hac comparatione:

> *Qualis in Euboico Bajarum littore quondam*
> *Saxea pila cadit*, *magnis quam molibus ante*
> *Constructam jaciunt ponto* —— ——

nihilo tamen secius istic aperuit alios novos & majores ab utraque ejus extremitate. Ita enim de eadem via *Dio*: *Utrinque propter ipsam continentem perfodit.* Et *Suetonius*: *Portum Julium*, *immisso in Lucrinum & Avernum lacum mari*, *effecit*: nempe ut per aditus hosce facilis navibus daretur transitus ex sinu Tyrrheno in duos istos sinus interiores, & contra ex hisce in illum. Ceterum de navibus

perfectum ab Agrippa,

Qui mare immisit in lacum Lucrinum, & Lucrinum in lacum Avernum.

Et in hoc portu idem ingentem classem exercuit,

Quæ eo deducta est per novos ejus aditus,

Sive ibi-

dem fabricata.

vibus istis non satis scio utrum *Vellejo* credam, an vero *Dioni*, quorum hic *in universa ora maritima Italiæ*, ille vero in iisdem lacubus fabricatas eas ab Agrippa prodidit. Verum hinc videri jam possit *Strabo* esse falsus, qui, ut intelleximus ex ipsius verbis, quæ proxime retulimus, negavit Avernum suo ævo (scripsit autem ille Tiberio imperante) præstare portus usum. Idem verbis istis, quæ aliquanto ante adduximus, de via Herculea ita dixit: *Quum tempestatibus mare agitantibus, undas multis locis admitteret, difficulterque terrestri itinere posset peragrari, ab Agrippa est, quod deerat structuræ, additum.* De ceteris tacuit, & denique de portu Lucrino subjunxit: *Naves admittit leves, stationi inutilis*; licet alioqui, ut ipsemet dixit, lacus isti, sive sinus, essent multarum magnarumque navium capaces. Ceterum *Dio* quoque, qui ab *Vellejo*, ut notavimus, aliquantum dissensit, heic dixit aliquid, quod & ipsum multo adhuc magis repugnat aliorum auctorum narrationibus, ubi de navibus istis Augusti, quæ recens erant fabricatæ, ita scripsit: *Quoniam littus nullum erat*, (verba sunt interpretis) *quo tuto illæ in statione locari possent*, (*eo enim tempore pleræque ejus continentis* (Italiæ) *partes portum nullum habebant*) *opus præclarum* (id est, portum Julium) *& excogitavit Agrippa, & perfecit.* An forte tum temporis nondum erat antiquissimus in proximo portus Misenus, in quo itidem Augustus deinde collocavit classem, quæ inde *Misenatis* nomen accepit, quæque ad hoc erat comparata, ut ejus præsidio tuta essent maria Romanarum in Africa & Occidente provinciarum? Utique ejusdem classis etiam ille ipse fecit mentionem lib. LXXII, ne dicam *Suetonium*, *Tacitum*, atque illis prolixiorem *Vegetium* lib. V. cap. I *De re militari.* Igitur hujusce portus intricata nimium est historia, quod idem *la Cerda* quoque de ea sensit ad *Virgilii* lib. II *Georgicorum:* licet ille non loquutus fuerit de hisce, quas diximus, sed de aliis, & forte minoris momenti difficultatibus, inter quas & illa est, quod *Suetonius* dixit, ab Agrippa mare fuisse inductum in lacum Lucrinum, *Plinius* autem *Secundus* lib. XXXVI cap. XV notavit, illud ab eodem Lucrino fuisse seclusum. Loquens enim de Claudio Imperatore, qui variis operibus exstruendis magnas absumpsit opes, narrationem suam clausit hisce verbis: *Portus Ostiensis opus prætereo. item vias inter montes excisas. mare Tyrrhenum a Lucrino molibus seclusum. tot pontes tantis impendiis factos.* Et persuasit sibi *la Cerda*, satis posse hanc discordiam conciliari, cum dixit: *Immisit Augustus mare in Lucrinum, quia moderate fecit ingredi:* quasi scilicet secludatur alicunde aliquid, cum istuc lente immittitur. Verum Claudius fuit, non autem Agrippa, qui novis molibus mare voluit ab Lucrino magis adhuc secludere, quam fecerat alter iste circiter annis octoginta ante, quando *Strabone* teste in via Herculea, quod per multa secula istic fuerat propugnaculum, interrupta postmodum undarum impetu, ab Agrippa est, quod deerat structuræ, additum. Et utriusque ista fuit intentio, ut copiosiorem redderent in hoc lacu, sive sinu, sive portu ostreorum aliorumque piscium subolem, unde tanti reditus, tamque varia redundabat voluptas, ut supra notavimus. Verum de hisce neque *Vellejus*, neque *Suetonius*, neque *Dio* quicquam loquutus est: de novo autem portu, & item de refecta via solus prodidit *Virgilius.* Ceteroqui re vera Lucrinus per solam ostreorum piscium que causam ab quolibet alio scriptore multum laudatus apparet. Hodie ille magnam partem cum mari confusus est, cujus impetu multis abhinc jam seculis penitus etiam disjecta est via ista, quam sæpius diximus, nec unquam instaurata deinceps. Reliqua Lucrini proximo seculo occupavit mons quispiam, qui recens ad ripas ejus ex terræ visceribus surrexit, quo de agendum erit in sequentibus. Ita ille prorsus evanuit, solo superstite Averno, piscium infœcundo, qui & ipse fortassis pristinam non servat ulterius amplitudinem.

Sed alii negant fuisse istic adeo patentes aditus.

Strabo discors ab Vellejo, Suetonio, & Dione.

Nec etiam videtur istic multum fuisse opus novo ejusmodi portu,

Dio notatus.

la Cerda notatus pluribus modis.

Qui ab Agrippa, & deinceps a Claudio Imperatore instauratus fuit, ut copiosiorem istic redderent piscationem,

Qua de causa Lucrinus multum fuit laudatus.

XVII. *Gaurus mons, vini ferax. Non fuit Campaniæ Felicis mons alius ejusdem nominis. Idem eructavit quondam flammas.*

Jam lacubus istis, de quibus proxime egimus, ante novum istum montem exortum imminebat mons alius, longe illo major, qui hodieque Averno adjacet, quem istic loci superesse lacum diximus. Antiquitus ille dictus fuit *Gaurus*: hodie appellatur *Monte Barbaro*, forsitan ab nomine Saracenorum, qui insuper aliis quoque nominibus fuerunt dicti, velut *Ægyptiorum*, *Hagarenorum*, *Maurorum*, *Vandalorum*, aliisque. Illi autem cum infestarent quondam hanc, & vicinas regiones, aliquandiu istum montem insederunt. Ita vetus amphitheatrum, quod Aquini est, cum istud per aliquot annorum spatium inhabitavisset alia gens ejusdem generis, eodem modo dictum inde fuit *cryptæ paganorum*, (*le grotte de' Pagani*) quod nomen hodieque retinet. Ceterum de propinquitate Gauri & locorum, quæ diximus, separatim habemus testes *Sidonium Carm.* V, & *Lucanum* lib. II. *Sidonii* versus hi sunt:

GAURUS mons dictus hodie M. Barbaro,

Imminebat lacubus, Lucrino, & Averno.

——— ——— ——— *Non sic Barchæus opimam*
Annibal ad Capuam periit, cum fortia bello
Inter delicias mollirent corpora Bajæ,
Et, se Lucrinas qua vergit Gaurus in undas,
Brachia jactaret Massylus nigra natator.

Atque hanc ob causam *Juvenalis Satyra* VIII laudata illa lacus Lucrini ostrea dixit *Gaurana:*

——— ——— ——— *cœnet licet ostrea centum*
Gaurana ——— ——— ——— ———

Versus *Lucani* hi sunt:

Ut maris Ægæi medias si celsus in undas
Depellatur Eryx, nullæ tamen æquore rupes
Emineant; vel si convulso vertice Gaurus
Decidat in fundum penitus stagnantis Averni.

Neque mons alius, quam ille, qui appellatur *monte Barbaro*, isti loco incumbit, ubi olim fuit lacus Lucrinus, & hodie apparet Avernus. De eodem Gauro, qui ab adversa parte multum vicinos habet Puteolos, loquutus etiam est *Silius* lib. XII, ubi Annibalem dixit, cum obsidione cinctam teneret eandem urbem, qua de re narravit *Livius* lib. XXIV, interim speculatum exivisse vicinorum locorum situm:

Ab adverso latere ejus sunt Puteoli.

Quæ postquam perspecta viro, regressus ad altos
Inde Pherecyadum muros, frondentia læto
Palmite devastat Nysea cacumina Gauri:
Hinc ad Chalcidicam transfert citus agmina Nolam.

De eadem propinquitate Gauri montis & Puteolorum testem quoque habemus *Galenum* lib. I cap. III *De antidotis*, verbis istis, quæ ita Latine reddidit interpres: *Contrarias his dispositiones aquosum vinum tulit, Albanum, Sabinum, & quod in Gauro monte nascitur, qua parte Puteolos urbem spectat, quodque in collibus Neapoli vicinis oritur Aminæum.* Insuper *Servius*, ut taceam *Symmachum*, qui lib. VIII *epist.* XXIII villam Gauranam Nicomachi cujusdam vicinam descripsit Baulis, & ipse Gaurum surgere in tractu Puteolano indicavit hisce ad lib. III *Æneidos Virgilianæ* verbis: *Sunt terræ desudantes*

Silius & Galenus collati.

tes sulphur, ut pene totus tractus Campaniæ, ubi est Vesuvius & Gaurus montes, quod indicat odor aquarum calentium. Satis enim noti sunt & vetusti æstus illi sulphurei, quos ex terra prorumpentes videre est, impulsos subterraneis ignibus in territorio ejusdem urbis. Atque hinc *Ausonius* in *Mosella*, sive *Idyllio* III Gaurum diserte dixit *sulphureum:* nisi forte significare nobis voluit quoddam ejus præteritum incendium, quod ab aliis necdum est observatum, cum apud neminem auctorum legatur ille unquam evomuisse, aut sulphura, aut ignes. *Ausonii* versus hi sunt:

Servius & Ausonius collati.

Tales Cumano despectat in æquore ludos
Liber, sulphurei cum per juga consita Gauri,
Perque vaporiferi graditur vineta Vesevi.

Atque hic poëta, ut *Silium* quoque & *Galenum* fecisse videmus, hoc quoque Gauro dedit, ut magnam in eo vinorum copiam provenire innuat, quod memorare non fuit opportunum *Servio*.

Verum de vitibus ejus accuratius egit *Plinius Secundus* lib. XIV cap. III, ubi dixit, illas in Gaurum a Falerno translatas, licet pristinum nomen retineant, (consulto agricolas arbitror hanc appellationem istis conservavisse, ut ita majus ex illis perciperent lucrum) tamen non servare virtutem nativam: *Gauranas*, dixit, *scio a Falerno translatas vocari Falernas; celerrime ubique degenerantes.* Eandem translationem verbis aliquantum obscurioribus idem auctor significare etiam voluit, ut autumat *Cluverius*, sequenti cap. VI ejusdem libri, ubi retulit, quanto in pretio vina fuerint Massica, hisce verbis: *Certant Massica æque, ex monte Gaurano Puteolos Bajasque prospectantia. nam Falerno contermina.* Ad quæ *Cluverius* ita commentatus est: *Nempe vites ex Massico monte in Gaurum translatæ:* quasi *Plinius* dicere voluerit, vites in Gaurum translatas ex Massico, ad cujus radices, ab ista parte, qua ille mari imminet, fuit Sinuessa, prospectare, ut ipsi libuit dicere, Puteolos & Bajas. Sed ille forsan concisis istis verbis significare voluit de prærogativa certamen inter illa vina Massica & Gaurana, quæ nascebantur in duobus diversis montibus, recta sibi oppositis intervallo circiter XXXII milliariorum. Et ad hanc oppositionem videtur mihi respexisse *Statius*, ubi poëtica auxesi amplificavit operarum fervorem, quo Domitiani via dirigebatur a Sinuessa Puteolos usque, & resonare mutuam sonique reduplicatione fractam echo dixit a Massico ad Gaurum hisce versibus:

Vina vitium Falernarum, in Gaurum montem translatarum, quæ dicta etiam Falerna, licet bonitatis essent minoris,

Certabant cum genuinis Falernis.

Plinius Secundus, pluribus locis expositus, & secum conciliatus pluribus modis.

Fervent littora, nobilesque sylvæ,
It longas medius fragor per urbes,
Atque echo simul hinc & inde fractam
Gauro Massicus uvifer remittit.

Plinius Secundus cum Statio collatus.

Seu potius illud credam, si transferebantur vites Massicæ in Gaurum, atque inde inter illorum montium vina certamen oriebatur, utrum esset præstantius, vicissim quoque Gauranas translatas fuisse in Massicum, & certamen inter vina Massica Gauri, & Gaurana Massici montis fuisse geminatum; & hoc dicere voluisse *Plinium* profundo acumine. Atque hoc etiam modo ille loco citato vina Gaurana Falerno adscripsit, qui alio nomine dictus fuit Massicus, ubi de vino Faustiano ita dixit: *Tria ejus genera: austerum, dulce, tenue. Quidam ita distinguunt: summis collibus Gauranum gigni, mediis Faustianum, imis Falernum.* Veruntamen potuerunt etiam vina, in summis collibus, sive Falernis, sive Massicis, utut jam illos appellare libeat, nascentia, propter similitudinem aliquam cum veris Gauranis, accepisse eorundem nomen. Igitur, si quid video, hoc quod *Plinius Secundus* quasi primoribus balbutivit dentibus de vino Gaurano montis Massici, & de Massico Gauri montis, intelligendum est aliquo certe ex istis, quos retulimus, modis. Ceterum breviloquentia ejus decepti sane multi recentiorum, falso dederunt monti Gauro, quem demonstravimus fuisse ad Bajas & Puteolos, nomen Falerni, qui alio nomine dictus fuit Massicus. Contra alii Massico Sinuessæ crediderunt conjunctum fuisse Gaurum. Atque ita utrique non vicissim vites Gauranas & Massicas, sed ipsos adeo montes ab altero ad alterum transtulerunt montem. Denique alii, qui tantum quidem non valere se videbant, sciverunt tamen, ut hac se liberarent molestia, ex uno plures facere Gauros.

Vicissim vina vitium Gauranarum, in Falernum translatarum, cum genuinis Gauranis certabant:

Unde laudata fuerunt vina Gaurana Falerni.

Inter primos fuit *Franciscus Petrarcha*, qui lib. V *epist.* IV *ad familiares* loca quædam describens, quæ viderat prope Bajas & Puteolos, inter cetera memoravit montem Falernum sequentibus verbis: *Vidi Falernum montem, famoso palmite conspicuum, & hic aridam tellurem morbis salutarem, fumum perpetuo exhalantem, illic cinerum globos & ferventes scatebras, aheni instar undantis, confuso cum murmure eructantem.* Atque ejus opinio videtur mihi suo, & item insequenti ævo satis fuisse communis. Nam *Joannes Boccacius* lib. IV *della Amorosa Fiammetta* & ipse non alibi, quam *in medio* (ita Latine habent Itali scriptoris verba) *veterum Cumarum & Puteolorum prope jucundas Bajas* collocavit, quasi re satis certa, *amœnum montem Falernum.* Eundem *Joannes Villanus* Neapolitanus *Chronici* lib. I cap. VI produxit etiam ulterius, & istum fuisse montem dixit, qui Neapoli urbi adjacet, & hodie appellatur *Santo Hermo* (*sanctus eremus.*) Insuper non defuit alius quispiam, qui præ se tulerit credidisse, Falernum fuisse istum montem, sive promontorium, quod hodieque prisco nomine suo *Pausilypus* dicitur. Atque iste fuit auctor vetus, qui nostro sermone scripsit de thermis Puteolanis, & dixit, sinum Puteolanum medium esse inter Misenum montem atque Falernum. Jam hisce auctoribus præter *Plinii* locum, quem retulimus, erroris adeo manifesti occasionem dedisse potuit ille alter *Athenæi* locus lib. I, ubi legitur vinum Faustianum satis esse consimile Falerno, & utrumque horum gigni circa Cumas. Verba ejus ita Latine reddidit interpres: *Gauranum paucum, sed nobilissimum, validum, crassum, Prænestino ac Tiburtino pinguius. Marsicum* (certum est, legendum esse *Massicum*) *valde austerum, stomachum roborat. Circa Cumas Campaniæ nascitur, quod Faustianum vocant, leve, post annum quintum jucundum potui.* Verum nullus dubito, quin iste Græcus auctor, licet oculis suis lustraverit hæc loca, postquam venerat Capuam, ut ipse indicavit lib. XI, tamen deinceps non recte in memoria habuerit Campaniæ locorum descriptionem. Et adeo de nobilibus vinis ostendit se loquutum fuisse secundum trimembrem istam vinorum distinctionem, quam retulit *Plinius*, Gauranorum, Massicorum, quæ & Falerna, & Faustianorum: atque idem nihilo secius a Plinii sententia tantum recessit, quantum ab Sinuessa remotæ fuerunt Cumæ: nisi forte ille, parum curans aliam descriptionem exactiorem, ab celebri nomine hujus urbis voluit aliquanto laxius indicare locum, ubi vinum nascebatur Faustianum. Quod ad cetera attinet, non satis certus sum, an hoc ejus vinum Faustianum idem sit cum Falerno *Plinii*, quo de hic auctor lib. XXIII cap. I ita dixit: *Nec in novitate, nec in nimia vetustate corpori salubre est. Media ejus ætas a quintodecimo anno incipit;* ut adeo in concordiam cum eadem sententia redigenda sint verba *Athenæi*: non satis certus sum, inquam, de eo, quandoquidem alter loquutus fuit de sapido vino Faustiano, alter de salubri Falerno. Sed de hisce

Quidam Falernum montem, qui & Massicus, collocaverunt prope Puteolos, & eundem esse cum Gauro crediderunt.

Petrarcha, Boccacius, aliique refutati.

Athenæus collatus cum Plinio, emendatus, & ambigue notatus.

est istud calentium aquarum Sinuessanarum.

mine duplici convenit in *Flavium Blondum*, cujus nomen nostræ de falso Gauro Sinuessano disquisitionis erit terminus. Primus omnium ille hunc produxit nobis, & idem non aliud de eo exposuit indicium, quam appellationem vicini amnis *Gariliani*, qui olim Liris, & alterum istud aquarum calentium, quæ non longe ab isto loco scaturiunt, ubi olim fuit Sinuessa: quia scilicet *Plinius* dixerit, (supra monuimus, *Servium* hoc dixisse) montem Gaurum æque ac Vesuvium desudare sulphur. Sed non venerat ipsi in mentem multo manifestiorum & copiosiorum cavernarum, quæ ignes subterraneos habent apud Puteolos. Atque hæc exciderant quoque *Capacio*, qui existimavit, Gaurum dictum fuisse *sulphureum* ab *Ausonio* ob scrobes Sinuessanas. Quod si ad literam interpretari velimus istud epitheton, mons iste ex sese quondam sulphureus fuerit oportet: ut adeo hanc ob causam, simul & ob vinorum copiam, & *Servius*, sive *Plinius*, & *Ausonius* commodam inter eum & Vesuvium instituerint comparationem.

Flavius Blondus & Capacius notati & refutati.

Non fuit Gaurus arboribus vitibusque nudatus.

Verum heic jam animadverto, ab recentioribus quibusdam *Juvenalis* interpretibus creditum, inde usque a temporibus istius Satyrici Gaurum prorsus fuisse nudatum arboribus: quod si verum est, falso ista vinorum feracitas tributa illi fuerit. Ad hosce igitur *Satyræ* IX versus:

> *Te Trifolinus ager fœcundis vitibus implet,*
> *Suspectum jugum Cumis, & Gaurus inanis,*

Bernardus Autumnus & Fridericus Cerutus refutati.

Bernardus Autumnus ita commentatus est: *Gaurus mons Campaniæ inanis, superexhausto aut transacto vindemiarum tempore: vel inanis dicitur, quia omni arbore spoliatus est. Fridericus Cerutus* hanc attulit alteram expositionem: *Gaurus Campaniæ mons, omni arbore spoliatus, solis autem vinetis scatens.* Ita hice auctores extranei: qui cum necesse habuerint tractare de locis, quæ nunquam lustraverant, atque ista quasi palpitando obire, non merentur multum reprehendi, si veram assequi istorum versuum expositionem nequiverunt. Verum de *Capacio*, scriptore indigena, qui ante citato capite XXIV *Antiquitatum & Historiarum Campaniæ* arbitratus est, *Juvenalem* voluisse Gaurum nobis demonstrare *ad agriculturam ineptum, nulla arbore consitum, sed nudum: quare non credendum, vitibus fuisse abundantem*, quid dicemus tandem? Forsitan ille in isto libro suo non curavit aliam nobis exhibere descriptionem quam illorum duntaxat locorum, quos delicata liburnica interdum adierat voluptatis causa, ideoque de Gauri inanitate aliquid veri nobis indicare nihilo magis scivit, quam isti scriptores extranei? Verum ille poëta in versibus istis non aliud nobis demonstravit, quam hujusce montis feracitatem vinorum, magnopere laudatam, ut supra vidimus *Silio*, *Ausonio*, *Statio*, *Floro*, & *Plinio*. *Athenæus* enim, qui dixit *Gauranum paucum, sed nobilissimum*, an recte *paucum* hic dixerit, ipse videat. Et adeo jure non poterit excusari *Capacius* de eo, quod observare debuerat, licet musêum suum non egressus. Aliam ingressus est viam multo jam ante istos, quos diximus, quo verum assequeretur de *inani Gauro* sensum, anonymus auctor Latinus *De thermis Puteolanis*, quem notis illustravit *Joannes Franciscus Lombardus*. Existimavit ille, Gauro istud epitheton additum, quia *quasi suffossus extitit.* Atque hæc expositio placuit aliquo modo etiam *Capacio*, qui eam extulit hisce verbis: *Inanem dicit, nam cavernis olim abundabat:* sed mox, quasi illa non acquiescens, protulit alteram illam, pleno jure suam. Neque sane credendum est, poëtam istum de natura hujus montis loquutum fuisse, sed de facie ejus seu forma, quæ licet ex-

Capacius refutatus.

Athenæus notatus.

Idem non habuit multas subterraneas cavernas.

trinsecus videatur esse eadem, quæ aliorum montium, nihilominus ille sinu suo non multas quidem aut occultas cavernas, sed unicam tantum, eamque satis patentem oculis & grandem habet, forma simillima, ac veterum fuisse amphitheatrorum observare est. Profunditas ejus altitudinem ipsius montis æquat, ipsaque caverna superne in planum aperitur agrum multorum jugerum, mirabili præditum fertilitate, quem loci accolæ vulgo appellant *Campiglione*. Descensus in eam cavernam non datur nisi per unum solummodo aditum, quem multo cum labore fuisse apertum quondam apparet ab isto montis latere, quod Orientem versus antiquæ viæ Consulari imminet, quæ Puteolis ducebat Capuam, & inde hodieque appellatur *Campana*. Atque de isto aditu non tantum *Plinius Secundus* dixit, ut in sequentibus demonstrabitur, sed etiam *Heliodorus* in libro *De spectaculis Italicis*, versibus istis, quos retulit *Joannes Stobæus Serm.* XCVIII, quorum hic est sensus:

Verum in eo unica tantum est, satis magna & manifesta, Juvenalis illustratus.

> *Italiæ qui non procul præterit collem*
> *Gaurum, locus quidam ad lævam viatoribus*
> *Inclinat, splendidus, nivosus.* —— ——

Monuit hoc jam *Cluverius*, qui ceteroqui nihil ultra dixit de caverna istac, quæ neque ab aliis scriptoribus, quantum quidem ego sciam, usque adhuc est observata. Ceterum huic consimilis caverna, verum amplitudine longe minor illa est, quæ in isto, quem supra memoravimus, novo monte apparet, qui anno a Servatoris ortu MDXXXVIII nativis ejusdem regionis ignibus ex imo solo propulsus, absorbuit lacum Lucrinum, & omnino solus apparet, quemadmodum etiam solitarius est Gaurus, licet a lateribus alios habeat colles. Et adeo jam non amplius dici poterit, eum inanem fuisse respectu nuditatis, seu raritatis arborum atque vitium, cum e contrario cavernam habuerit fructuosæ adeo agriculturæ, neque etiam de alia inanitate, quam de hac eadem loquutum credemus *Juvenalem*. Verum de quonam monte jam loquutum fuisse dicemus eundem poëtam, quem suspectum esse Cumis dixit? Insuper quam peculiarem suspectionem potuit ille intellexisse? Equidem ad alteram hanc quæstionem non opus est longe abire ad responsionem quærendam, cum satis vicini sint ignes isti in eodem tractu, quos credendum est jam alias isti urbi damnum intulisse, & forsan etiam gravius, quam novo isto monte exorto. Verum hinc quoque videtur mihi posse jam satis intelligi, eundem inanem Gaurum fuisse montem istum, qui suspectus erat Cumis, quæ ad radices ejus erant, qua ille Occidentem spectat: ut scilicet jam antea evomuerit ille quondam flammas, productus & ipse ab iisdem eructationibus, perinde ut mons iste novus. Est enim hoc par montium ex æquo situm in tractu, qui ejusmodi ignium fontibus abundat, & sinu suo habet cavernas adeo consimiles. Neque hæc argumenta visa fore cuiquam infirma & levia arbitror, qui recte observaverit vim eorundem ignium, deque illis novam istam experientiam. Equidem dici possit, *Juvenalem* non obscure Gaurum a monte Cumis suspecto distinxisse, verum hoc nihil impedit, quin verum sit, quod de causa cavitatis suæ diximus. Ecquis autem est, qui ignoret [1] licentiam poëtarum, & metri necessitatem, quæ sæpe tantam accurationem solet negligere? Quod ad cetera attinet, licet mihi persuadeam, longe antiquissimis temporibus

Consimilis isti, quæ apparet in novo monte, qui ad ipsius radices absorbuit Lucrinum lacum.

Formaverunt istam ignium subterraneorum eructationes, quæ & ipsum montem produxerunt.

1. Nimium aliena videtur hæc licentia, quam ut defendi queat, quod sane percuperem, quo commodam haberemus istius *jugi suspecti* expositionem. Equidem varie hic laborant interpretes, sed meo quidem judicio nihil agunt.



PUTEOLI, *Aspectus præclarus*.


Urbium, Oppidorum
cæterorumque locorum, quæ
in haece Tabula reperiuntur,
nomina.
1 Isola di Vivra.
2 Prochyta Insula.
3 Prochytæ Arx.
4 Mons Misenus.
5 Mons Prochytæ.
6 S. Martini.
7 Gavita.
8 Camarum Ruinæ.
9 Promontorium Miseni.
10 Villa M. Luculli.
11 Antrum Tragonariæ.
12 Salinæ.
13 L. Colucius.
14 Piscinæ.
15 Villa Vaciæ.
16 L. Acherusius.
17 Arcus felix.
18 Stagno.
19 F. de Patria.
20 Mercatum Sabathi.
21 Mare Mortuum.
22 Villa Marii et Iulii Cæsaris.
23 Villa et Sepulchrum Agrippinæ.
24 Villa Pompeii.
25 Templum Mercurii.
26 Lacus Avernus.
27 Templum Apollinis.
28 Patria.
29 Promontorium Penatæ.
30 Centum cellæ.
31 Piscina Mirabilis.
32 Via silicibus strata sub aquis.
33 Arx Baiarum.
34 Templum Solis.
35 Templum Veneris.
36 Templum Dianæ.
37 Antrum Sybillæ.
38 Portus.
39 Sudatorium Tritoli.
40 Balneum Navis.
41 Balneum Sergianum.
42 Lacus Lucrinus.
43 Mons novus, vel cinerum.
44 Villa Ciceronis.
45 E. S. Salvatoris.
46 Mons Barbarus.
47 Casione.
48 Circus.
49 Templum Annuntiatæ.
50 Portor. Antiquum Maris.
51 Piscinæ veteres.
52 Puteoli.
53 S. Proculus olim Templ: Iovis.
54 Pilæ.
55 S. Maria Gratiarum.
56 Fons.
57 Templum S. Francisci.
58 Templum Neptuni.
59 Sepulturæ.
60 Portor: Antiquum terræ.
61 Monumenta.
62 Via Capuana.
63 Terminus.
64 Templum S. Iacobi.
65 Balneum.
66 Pons.
67 Templum S. Ianuarii.
68 Amphitheatrum.
69 Templum Dianæ.
70 Promontorium Puteolanum.
71 Sulphitaria, olim Forum Vulcani.
72 Fodina Aluminis.
73 Via Vetus.
74 Fumarolæ.
75 Diversorium.
76 Antrum Canum.
77 Lacus Anianus.
78 Mons Aluminis.
79 Turris Astruni.
80 Arx Nisidæ.
81 Portus Nisidæ.
82 Scopulus Nisidæ.
83 Virgilii Sepulchrum.
84 Crypta Neapolitana.
85 Templum S. Mariæ.
86 Mergillina.
87 Promontorium Pausilypi.
88 Nemus Astruni.
89 Xenodochium.
90 Iesu Maria.
91 Balnea.
92 Via Regia.
93 Promontorium Pausilipi.
94 Piscina.
MARE CUMANUM.
MARE seu SINUS PUTEOLANUS.
MARE NEAPOLI-TANUM.
MONS PAUSY-LIPUS
Amoenissimæ Regionis
PUTEOLI,
Ejusque locorum adjacentium
repræsentatio.
LUGD. BATAV.
Apud PETRUM VANDER AA.

ribus accidisse portentosam adeo nativitatem hujusce montis, quibus etiam, ut subinde demonstrabitur in sequentibus, aliæ vehementissimæ eructationes itidem ex visceribus terræ sursum propulerunt in eadem hac regione alios montes, minores, majoresque; attamen non opinor, P. Decium Murem, tribunum militum, de quo auctor libri *De viris illustribus*, ut supra etiam notavimus, ita narravit: *Exercitu in angustiis Gauri montis insidiis hostium* (Samnitium) *clauso, accepto, quod postulaverat, præsidio in superiorem locum evasit, hostes terruit: ipse intempesta nocte custodias somno oppressas incolumis evasit*; non opinor, inquam, Decium istum fuisse clausum in illa civitate Gauri, quam diximus, sed in angustiis vicinorum montium, qui olim dicti *Leucogæi*, & Neapolim versus prominent, suntque ab altero latere veteris istius viæ Campanæ.

Auctor De viris illustribus illustratus.

XVIII. *Puteoli urbs. Ejus initia. Incrementa ejusdem. Forum Vulcani.*

PUTEOLI, Campaniæ urbs, principio dicta Dicæarchia, incrementa cepit per causam thermarum suarum.

GAuro monti succedit in eadem ora Puteolorum urbs, quam sæpius memoravimus, antiquiori nomine dicta Græcis Δικαιαρχία, *Dicæarchia.* Fuit illa quondam celeberrima, tum quia portum habebat, commune receptaculum navium, quæ ex Ægypto, Alexandria, aliisque locis Orientalibus & Occidentalibus adveniebant; tum propter amœnas suas atque salubres thermas, quibus originem ipsius urbis imputare velle videtur lib. XXXI cap. II *Plinius Secundus.* Atque ille simul nobis indicat, eam ad nostram pertinere Campaniam, dum inter aliarum regionum thermas de Puteolanis ita loquitur: *Augent numerum Deorum nominibus variis, urbesque condunt; sicut Puteolos in Campania, Statiellas in Liguria, Sextias in Narbonensi provincia.* Itidem *Josephus* Puteolos adscribit Campaniæ *Antiquitatum* lib. XIX, in principio; cujus referre verba mihi non videtur esse opus. Verum *Plinius* non debuit ipse animo suo fuisse persuasus de veritate istius opinionis, quod ad conditos Puteolos attinet, sed more isto solemni, quo amplam rerum, de quibus scripsit, imaginem imprimere voluit legentium animis, loquutus fuit ad istum modum. Et adeo dicere ille voluit istius urbis admirabilem frequentiam atque amplificationem, ex iisdem maxime thermis ortam; quamobrem illa dici poterat inde primum fuisse condita. Verum ut hanc disquisitionem omittamus, illud satis certum, quod dicit interpres *Strabonis* lib. V. *Fuit antiquitus navale Cumanorum Dicæarchia, exstructum in supercilio montis.* Et per causam hujusce situs muri ejus dicti fuerunt *alti* Silio, in versibus, quos supra retulimus. Alterum autem quod *Strabo* dixit hisce verbis, conferri potest cum illo *Dionysii Halicarnassensis*, qui lib. VII rationem reddidit de potentia Cumanorum, &, prout Latine reddita sunt ejus verba, hanc illius causam fuisse dixit, *quod totius agri Campani fertilissimam partem possiderent, & opportunissimos circa Misenum portus haberent.* Sane inter hos satis commode locum habet etiam portus Puteolanus, licet ab ipso *Dionysio* non diserte memoratus sit, forte quia respexit ad prima Cumanorum tempora, quibus cum nondum exsisteret urbs Puteolorum, non poterat etiam ortum jam esse istud primum ejus, nedum secundum nomen, quod hodie servat. Atque adeo non assentior *Cluverio*, qui hac in re sequutus est *Capacium*, etsi nomen ejus tacuit: nempe Puteolos credi posse conditos ab iisdem Cumanis, qui istic horreum suum habuerint atque portum. Ille enim locus istis temporibus non potuit habitatus esse in modum urbis: neque habitationibus artificum turbæque maritimæ nomen urbis convenit.

Plinius Secundus illustratus.

Portum habuerunt istic Cumani.

Silius illustratus.

Strabo & Dionysius Halicarnassensis inter se collati.

Dionysius Halic. illustratus.

Cluverius & Capacius refutati.

Sane Puteoli conditi fuerunt Olympiadis LXIV anno quarto, qui est ab Urbe condita CCXXXII. Elapsi tum jam erant ab ortu Cumarum anni DXXXIII: & res Cumanorum, si non cœperant jam satis aperte inclinare qualitercunque tamen frequenter affligebantur tam ab aliis Italiæ populis, qui opes Cumanorum ægris oculis intuebantur, quam ab vicinis Etruscis Campanis, ut indicavimus, ubi de eadem Cumarum urbe fuit actum. *S. Hieronymus* in versione *Chronici Eusebiani* Puteolos conditos notavit isto tempore, quod dixi, id est, ab ortu Abraami anno MCCCCXCVI. Roma autem secundum ipsiusmet verba condita fuit ejusdem epochæ anno MCCLXIV. Idem originem Puteolorum refert ad Samios, utcunque in Græco istius auctoris contextu nihil quicquam hujus occurrat. Attamen hac in re cum *S. Hieronymo Stephanus Byzantinus* consensit. Verba *S. Hieronymi* hæc sunt: *Samii Dicæarchiam condiderunt, quam nunc Puteolos vocant. Stephanus* Latine versus ita habet: *Puteoli, urbs Italiæ, Samiorum opus, quæ & Dicæarchia dicitur.* Verum *Stephanus* alibi videtur in voce Δίκαια ab se ipso, & itidem ab isto gravissimo auctore dissensisse, ubi dixit, præter aliam quandam urbem, istoc modo dictam (& intelligit [1]. Dicæarchiam) *esse & aliam in Tyrrheno mari Ionum coloniam*: ut adeo ab Samiis conditi non fuerint Puteoli. Nihilo tamen secius hæcce *Stephani* verba congruunt cum eo, quod nos docuerat *S. Hieronymus*, & cum istac alia narratione sua. Intellexit enim illos Iones, qui incoluerunt insulas Ionias, inter quas & *Vellejus* noster lib. I, & *Dionysius Africanus*, sive dicendus ille sit *Alexandrinus*, in *Periegesi* numerant etiam Samon. Versus *Dionysii*, Latine redditi & aliquantum contracti a *Prisciano*, hi sunt:

Puteoli conditi fuerunt ab Samiis, qui erant Iones,

Stephanus Byzantinus secum & cum S. Hieronymo conciliatus.

> *Ast Asiæ partem, qua tangunt æquora primam,*
> *Delon circumdant: has dicunt Cycladas esse.*
> *Continuo Sporadas, ceu stellas aspicis almas,*
> *Ionidasque simul, quas inter Caunus, & altæ*
> *Sunt Samus, atque Chius, celebratæ nomine claro.*

Vellejus ita habet: *Iones duce Ione profecti Athenis, nobilissimam partem regionis* (Asiæ) *maritimæ occupavere, quæ hodieque appellatur Ionia; urbesque constituere, Ephesum* &c. *multasque in Ægæo atque Icario occupavere insulas, Samum, Chium, Andrum, Tenum, Pharum, Delum, aliasque ignobiles.* Igitur Iones Samii condiderunt Puteolos in portu Cumanorum, relicta patria sua, ut conjecit *Josephus Scaliger* in *Animadversionibus ad Chronicon Eusebii*, metu Polycratis, qui sex annis ante cum duobus fratribus tyrannidem istic occupaverat. Atque heic jam credere mihi libet, hoc non fuisse factum sine consensu, magnoque etiam commodo Cumanorum, qui eodem tempore multum negotii habebant cum hostibus illis, quos diximus, ita ut circa eadem tempora similiter in auxilium advocaverint contra Tyrrhenos, sive dicamus Etruscos, Hieronem Syracusanorum regem, ut refert *Diodorus Siculus* lib. XI. Igitur illis apprime debuit fuisse gratus etiam hic Samiorum adventus, quæ gens erat insulana & maritima. Atque ita duplici isto auxilio subnixi, Olympiadis LXXVI anno III, qui fuit ab Urbe condita annus CCLXXIX, insignem victoriam navalem re-

Et profugerant ob tyrannidem, quam Polycrates occupaverat in Samo.

Cupide autem illos commodo suo receperunt Cumani.

M 2

1. Nescio, quid heic sibi velit auctor in re plana. Sed ne quis erret, per illam *priorem* non intellexit Strabo Puteolos nostros, sed Dicæam, Thraciæ urbem: per illam vero *aliam in Tyrrheno sinu Ionum coloniam* significavit Puteolos.

reportaverunt ab iisdem Tyrrhenis, ut narrat idem *Diodorus*, & ab auctore *Olympiadum* notatur. Juvat credere, ducem horum Samiorum, novæ urbis conditorem, sive eam jam condiderint Cumani; credere, inquam, juvat, quisquis tandem ejus fuit auctor, eum dictum fuisse *Dicæarchum*, nomine apud Græcos satis usitato, & inde ipsam urbem appellatam fuisse *Dicæarchiam*. Veteres Grammatici crediderunt, etymologiam hujus vocabuli ortam fuisse ab justi regiminis forma, quæ apud cives ejus urbis fuerit. *Festi* verba sunt: *Dicæarchia vocabatur, quæ nunc Puteoli, quod ea civitas quam justissime regebatur.* Verum hoc de urbe olim condita, & satis jam fortunata atque magna consentiri possit: non item de hac, quæ tum primum nascebatur, & multos per annos, ad ipsum usque bellum Punicum secundum, exigui tantum, oppidi fortunam obtinuit. Sane Dicæarcho, sed non per licentiam poëticam, ut suspicatus est *Cluverius*, tribuit hanc urbem *Statius* lib. II *Silvarum*, *Carm.* II, ubi metri necessitate adactus *Dicarchum* eum dixit hisce versibus:

Eorum dux Dicæarchus fuit dictus, unde ipsa urbs Dicæarchiæ nomen accepit.

Festus refutatus.

Cluverius refutatus & notatus.

> *Macte animo, quod grata probas, quod grata frequentas*
> *Arva, nec invideant, quæ te genuere Dicarchi Mœnia.* —— —— ——

Ejusdem iterum quoque mentionem fecit *Silvarum* lib. III *Carm.* I, & item tertium lib. IV *Carm.* VIII. Atque hæc loca itidem produxit *Cluverius*, nec tamen aliud quid novi inde elicuit. Quod ad cetera attinet, non video, quam recte *Silius*, sive proprium loquendi genus spectemus, sive metaphoricum, Puteolos dixerit urbem *Pherecyadum* versibus istis lib. XII, quos alibi retulimus supra:

Dicta etiam fuit urbs Pherecyadum, sed modo loquendi satis alieno.

> *Quæ postquam perspecta viro, regressus ad altos*
> *Inde Pherecyadum muros, frondentia læto*
> *Palmite devastat Nysea cacumina Gauri.*

Forte hic loquendi modus non minoris fuerit licentiæ, quam aliæ nonnullæ denominationes, ab eodem usurpatæ *Silio*; inter quas & illa referri meretur, quæ ex sententia *Joannis Baptistæ Pii* cap. CLVI *Annotationum secundarum* ballistam *Phocaicam* dixit pro *Saguntina*: quia scilicet Saguntus condita fuerat ab comite quodam Herculis Thebani, Phocis autem regioni accensebatur Thebanæ. Ejusdem generis sunt, quibus Romanos varie appellavit *Rhœtæos*, *Sigeos*, *Æneidas*, *Dardanios*, *Laurentes*, *Idæos*, & *Hectoreos*; Carthaginienses autem *Cadmeos*. Atque adeo credere etiam licet, *Pherecyadum* nomine dictos ab eo fuisse primos Dicæarchæos, qui oriundi erant ex Samo insula, multum inclyta *Pherecyde* philosopho, qui cognomento dictus fuit *Samius*. Equidem hanc expositionem propius ad *Silii* mentem accedere arbitror, quam istam aliorum, quos retulit *Capacius* principio disquisitionis *De Cumis*. Hi dixerunt, *Cumanos & Neapolitanos Pherecyades dici a Pherecyde eorum duce*; cujus expositionis non alium habuerunt auctorem, quam suam duntaxat ipsorum opinionem: ut ne hoc addam, *Silium* istic loqui de Puteolanis, non autem de Cumanis aut Neapolitanis. Mitto etiam Capacium, qui duplici errore eosdem versus accommodavit ad falsum suum Gaurum Massicum, quo de actum a nobis est supra.

Silius illustratus, & notatus.

Capacius dupliciter notatus.

Ad Samios igitur, qui communi nomine dicti etiam fuerunt *Iones*, cum relata fuerit Puteolorum exstructio, aliter hac de re videtur sensisse *Pausanias*, qui lib. IV & VIII narrans aquas atque thermas ejus urbis, eam dixit *Tyrrhenorum*, sive *Etruscorum* urbem; quasi scilicet ab eadem gente illa etiam fuerit condita. Sed erroris eum facile

Puteoli urbs fuit non Etruriæ, sed Etruscorum,

A accusaret *Hadrianus Turnebus*, qui *Adversariorum* lib. XXII cap. XIX falsi damnat quorundam *Lucretii* versuum lib. VI lectionem, ubi conjunguntur Cumæ, lacus Avernus, & montes Etrusci: *Quis enim*, inquit ille, *in Etruria putet esse Avernum, quem in Campania uno ore omnes fatentur?* Secus faceret *Janus Parrhasius*, qui in *Commentariis* ad *Claudianum* defendere studuit controversam istam *Lucretii* lectionem testimonio *Tibulli*, qui lib. III *Elegia* V *fontes Etruscos*, & *lymphas Etruscas* dixit thermas istas, quæ sponte nascuntur iisdem in locis circa Puteolos. Et de sinceritate lectionis *Lucretianæ* adhuc certius ille sibi persuasit ex his B ipsis *Pausaniæ* verbis, & item aliorum auctorum, qui scripserunt, hosce Tyrrhenos integram incoluisse Campaniam, de quo dubitari certe non potest. Verum itidem dubitari nequit, ipsorum nomine communi fuisse nonnunquam denotatam peculiarem Tyrrhenorum, sive Etruscorum Campanorum gentem, quod monuit nos *Polybius* lib. II, nosque alibi copiosius ostendemus. Atque hi cum subjecissent sibi Cumas, debuerunt etiam occupavisse Puteolos, quæ proinde hinc potuit ipsorum urbs dicta fuisse, si non aliam ob causam. *Capacius*, ubi de lacu Averno agit, satis absurde credidit, lacum istum potuisse *Etruscum* dici *a* C *Gigantum parte, quæ in Etruriam in Phlegræa illa pugna* (cum Hercule) *ejecta est.* Nimirum non reputavit ille, quonam pacto possit intelligi locus aliquis nomen accepisse ab alterius loci nomine, in quem incolæ ejus fuga evaserint. Omitto, de isto Gigantum nostrorum in Etruriam transitu nihil quicquam dixisse quenquam veterum. nam *Strabo* quidem, ut notavimus, ubi de Literno actum est, lib. VI prodidit, Gigantes illinc fugisse ad Salentinos, quæ regio e diametro opposita est Etruriæ. Puteoli igitur propter rationem, allatam a *Parrhasio*, *Turnebo* autem non consideratam, & item propter alteram istam magis pecu- D liarem, quam nos indicavimus, licet non condiderint eam Tyrrheni, tamen eorum urbs fuit habita. Ceterum voluissem eundem *Parrhasium* *epist.* XXXVII ex illarum numero, quibus titulum fecit *De rebus per epistolam quæsitis*, non restrinxisse significationem vocis *Tyrrheni* ad solos incolas locorum, quæ sunt mare Tyrrhenum versus, ubi dixit: *Tyrrheni maris accolas omnes appellare Tyrrhenos Græci solent.* Sane enim *Stephanus Byzantinus*, quem ille pro sua sententia allegat, Picentiam quoque & Suessam, quæ mediterraneæ erant, urbes dixit Tyrrhenorum. Atque horum nomine sæpius non tantum omnes Itali, sed latis- E simo sensu etiam omnes promiscue homines Occidentales fuerunt appellati, ut solerter observavit *Cluverius* lib. II cap. I *Italiæ suæ antiquæ*, cujus nobis frequens est citatio.

Qui tenuerunt Campaniam.

Et speciatim illa fuit urbs Etruscorum Campanorum.

Parrhasius laudatus. Turnebus refutatus.

Quorum nomine latiori sensu sumpti etiam dicti fuerunt omnes promiscue Occidentales.

Parrhasius refutatus. Cluverius laudatus.

Ceterum subjugatio Cumanorum, quæ accidit annis circiter C post conditos Puteolos, quæ urbs cummaxime *Dicæarchiæ* nomen servabat, non sinit me credere, hanc urbem circa eadem, id est, circa prima tempora sua jam fuisse provectam ad amplam admodum fortunam. Neque etiam videntur mihi victores Campani debuisse isto portu uti ad negotiationes maritimas, ex quibus ipsi F multo facilius utilitatem capere poterant non minorem navigando Volturnum flumen, ut suo loco indicavimus. Atque hujus opinionis certum me reddit istud, quod dixit *Livius* lib. XXV & XXXIV, cujus verba retulimus in disquisitione de Volturno urbe. Ex istis apparet Puteolos ad tempus usque secundi belli Punici exiguum fuisse oppidum, & primo instauratum atque frequentari cœptum ab Romanis occasione ejusdem belli. *Livii* de Q. Fabio verba sunt lib. XXIV: *Ex auctori-*

Puteoli, quæ dicebatur Dicæarchia, & diu mansit in humili fortuna:

Nempe usque ad bellum Punicum secundum, cujus occasione

ve Romani cœperunt eam frequentare, eique Puteolorum nomen indiderunt.

ctoritate Senatus Puteolos, per bellum cœptum frequentari emporium, communiit. Paucis annis post auctum illud fuit colonia Romana trecentarum familiarum, quando etiam nomen suum accepit, quod hodieque habet. Testis hanc in rem non tantum *Livius* nobis est, sed & *Strabo* lib. V, cujus verba Latine reddidit ejus interpres ad hunc modum: *Sub tempus Annibalicæ expeditionis eo coloniam* (Romani) *deduxerunt; urbique Putiolos nomen indiderunt a puteis. alii a fœtore aquarum totam istam regionem sic dici censent ad Bajas usque & agrum Cumanum, quod sulphuris plena sit, ac ignis, & calidarum aquarum.* Ad hunc igitur modum hæc urbs novis aucta civibus; & tam per causam thermarum suarum, quibus plurimum delectati fuere Romani, & *Plinius* unice ortum ejus adscripsit, quam etiam portus sui, qui præter naturalem situs opportunitatem insuper multa cum cura atque industria & capacior, & tutior effectus est; semper magis magisque frequentata, ad magnam existimationem famamque processit, simul & variarum gentium commune evasit emporium, ut idem ille geographus, & *Diodorus Siculus* lib. V, ubi de Æthalia insula narrat, aliique nonnulli veterum, quos memoravit *Festus*, prodiderunt: *Urbs ea*, dixit *Strabo*, *emporium est facta maximum, & habet stationes navium manu constructas.* *Festus* ita: *Minorem Delum Puteolos esse dixerunt, quod Delos aliquando maximum emporium fuerit totius orbis terrarum, cui successit postea Puteolanum, quod municipium Græcum antea Dicæarchia vocatum est; unde Lucilius:* (vixit hic poëta post bellum Punicum tertium, & ipse interfuit Numantino.)

Atque ita deinceps maximum facta est variarum gentium emporium,

Inde Dicæarchûm populos, Delumque minorem.

Et ab isto tempore illa, quæ olim exstructa erat *in supercilio littoris*, eoque satis angusto, quasi in scopulo quodam, ubi & sita visitur hodieque, cœpit extendi per vicinos colles & subjectam planitiem. Amplitudinis ejus manifestum nobis indicium faciunt ædificiorum rudera, quæ magnam partem locorum, quos diximus, occupant; incolarum autem frequentiæ sepulcra magno numero, variique pro diversitate temporum atque personarum operis, quæ cummaxime supersunt ab utroque latere Consularis viæ Campanæ, cujus supra mentionem fecimus. Eorum per quatuor millia passuum tanta copia est, ut plebejum vulgus pro certo habeat, illa non cellas mortuorum, sed partem quondam urbis, & domicilia atque officinas fuisse viventium. Neque de alio Campaniæ nostræ portu, quam de Puteolano, arbitror speciatim dicere voluisse *Polybium* lib. III, ubi, ut interpres ejus habet, ita scripsit: *Est Campanus ager & copia rerum, & fertilitate regionis, & amœnitate ac pulchritudine loci excellentissimus; nam & in littore maris positus est, & eo ex universo terrarum orbe venientes in Italiam innumeræ gentes confluunt.* Atque huic insigni ex omnibus undique mundi partibus advenarum frequentiæ non contradicit *Vegetius*, ut videri quidem possit, ubi *De re militari* lib. V cap. I de classe, quæ stationem agere solebat in Miseni portu, ita narrat: *Galliam, Hispaniam, Mauritaniam, Africam, Ægyptum, Sardiniam, atque Siciliam habebat in proximo:* quasi scilicet negotiantes non fuerint soliti ex aliis provinciis perinde ad portum navigare Puteolanum, qui Misenensi adeo erat vicinus. Verum ille loquutus est non de onerariarum, sed de bellicarum navium itineribus, quæ ut ad repentinos belli casus possent esse tanto expeditiora, idem Augustus, qui Miseni collocaverat ejusmodi classem, Ravennæ quoque alteram ordinaverat ad necessitates Epiri, Macedoniæ, Achajæ,

Et totius orbis terrarum portus,

Polybius illustratus, cumeoque conciliatus Vegetius,

Propontidis, Ponti, Orientis, Cretæ, & Cypri, ut idem auctor narravit. Atque heic istud monere non omittam, Augustum, ne mercatoribus impedimento forent milites, neve militibus mercatores, pro varietate conditionis diversos portus assignavisse singulis. Verum *Antonius Caracciolus* in libro *De sacris monumentis Neapolitanis* cap. XVII istud dictum *Polybii* ad suam accommodavit urbem, quæ cum omni ævo fuerit laudatissima, nihil opus habebat alienam usurpare laudem. Et usus ille est teste *Strabone*, apud quem nihil quicquam legitur de ejusmodi communi extraneorum confluxu Neapolim. nam istud quidem apud eum habetur, Romanos lubentes egisse Neapoli, ut fruerentur istic vitæ tranquillæ otio, & studiis atque vitæ ratione Græcorum. *Vitæ autem Græcanicæ rationem* (verba sunt interpretis Latini) *Neapoli augent, qui eo Roma secedunt in otium, sive qui ab ineunte ætate laboribus defuncti sunt, sive alioquin ob imbecillitatem aut senectutem cupiunt vitam faciliorem degere.*

Non turbatus negotiis militaribus.

Antonius Caracciolus refutatus.

Et sane nonnihil inæquali comparatione memoravit *Petronius Arbiter Satyræ* suæ cap. LXXX Neapolim & Puteolos in versibus istis, quibus describens infernam Plutonis sedem ita dixit:

Puteolis magnæ urbis encomium tributum fuit.

> *Est locus exciso penitus demersus hiatu*
> *Parthenopen inter magnæque Dicarchidos arva,*
> *Cocyta perfusus aqua. nam spiritus extra*
> *Qui furit effusus, violento spargitur æstu.*
> *Non hæc autumno tellus viret, aut alit herbas*
> *Cespite lætus ager, aut verno persona cantu*
> *Mollia discordi strepitu virgulta loquuntur.*
> *Sed chaos, & nigro squalentia pumice saxa*
> *Gaudent, ferali circumtumulata cupresso.*
> *Has inter sedes Ditis pater extulit ora,*
> *Bustorum flammis & cana sparsa favilla.*

Nisi forte per *magnam Dicarchidem* heic intelligantur Cumæ. Hoc enim sensu glossa vetus, quæ est ad oram manu exarati codicis cujusdam Petroniani, qui penes *Bongarsium* fuit, exponit istud vocabulum. Et retulit eam quoque in notis suis ad istos *Petronii* versus *Christophorus Riccardus.* Neque vero existimandum videtur, eam esse hominis adeo imperiti, qui nesciverit, *Dicæarchiam* proprium esse Puteolorum nomen. Et potuerit sane Satyricus ille usurpavisse istud nomen ad hunc modum, forsan illorum accedens sententiæ, qui apud *Strabonem*, quem supra retulimus, *a fœtore aquarum totam istam regionem* (igitur non ipsam solummodo urbem) *Putiolos dici censent ad Bajas usque & agrum Cumanum.* Atque adeo *magna Dicarchis* possit significare omnium istius regionis urbium maximam, id est, Cumas; & *Petronius* per licentiam poëticam istud usurpavisse nomen, quod proprium fuit Puteolorum, eodem modo, quo idem hoc *Puteolorum* nomen adhibebatur ad denotandam integram istam regionem. Atque ita jam ab ipso demonstratus foret lacus Avernus,

Nisi forte hoc intelligendum sit de Cumis.

Glossator vetus Petronii Arbitri defensus.

Petronius Arbiter ambigue illustratus.

> —— —— *quando hic inferni janua regis*
> *Dicitur, & tenebrosa palus Acheronte refuso;*

ut *Virgilius* dixit Æneidos lib. VI, quocum alii consentiunt scriptores. Et per hanc forte causam vulgatæ adeo opinionis idem quoque lacus consecratus fuit Proserpinæ, qua de re testem habemus *Diodorum Siculum* lib. IV. Certe igitur ab hac interpretatione haud temere ego recesserim, cum in mentem venit, *Cornelium* quoque *Severum*, ubi in *Ætna* sua descripsit quendam horum locorum, ignes aut sulphur exhalantium, qui sunt apud Puteolos, collocavisse cum inter Neapolim & Cumas hisce versibus:

M 3 — *Nea-*

——— ——— ——— *Neapolim inter*
Et Cumas locus est, multis jam frigidus annis,
Quamvis æternum pinguescat ab ubere sulphur
In mercem legitur. ——— ——— ———

Cornelius Severus illustratus.

Quod si hic poëta forte intellexisset Forum Vulcani, hodie dictum *la Solfataia*, quo de mox agemus, potuisset loco Cumarum memorare Puteolos, multo propiori & exactiori demonstratione. Verum quicquid tandem hujus sit, quod ad cetera attinet, non videtur mihi audiendus esse *Cluverius*, qui lib. IV cap. II, cum antea demonstravisset, vulgarem olim fuisse famam, per Avernum ad sedem Plutonis esse transitum, existimavit, *Petronium* in versibus, quos adduximus, intellexisse cavum istum montem, qui vulgo dicitur *Astruni*, & alio modo *gli Struni*. Jam manifesta res est, eum loquutum fuisse de eadem Plutonis sede. Insuper si maxime ille non intellexisset Avernum lacum, non videtur tamen potius in istum locum, quam in Forum Vulcani convenire posse illa ejus integra descriptio. Forum enim Vulcani *Strabonis* ætate cummaxime flammas exhalabat, quod in *Astrunis* ætate *Petronii* factum prorsus ignoramus. Sed forsan isti poëtæ in unam solam descriptionem conjecerunt illa, quæ pluribus ejusmodi locorum conveniebant.

Cluverius refutatus.

Creverunt Puteoli reipublicæ Campanæ ruina.

Verum amplificatio Puteolorum, tantaque portus ejus frequentia, quæ cœpit, ut dictum est, a tempore belli Punici secundi, videtur mihi credi posse ad tantum evecta esse fastigium per Campanæ reipublicæ ruinam. Per hanc enim cum usus ejus urbis cœpisset desinere, ex parte desiit etiam Volturni fluminis navigatio: & Casilinum, quod fuerat quoddam quasi Campanorum telonium, sive emporium, paulatim cœpit deficere, ita ut ætate *Plinii Secundi* rara istic incolarum frequentia esset, ut ipse affirmat lib. III cap. V. Contra Puteolis interim per opportunitatem portus, & magis adhuc per amœnitatem salubritatemque thermarum ejus, frequentia hominum ex omnibus undique mundi partibus indies augebatur. Atque hinc, ut hoc obiter moneam, jam illud quoque videtur mihi posse colligi, veteres Campanos oportere non multum Puteolanas frequentavisse delicias, quæ deinde tantopere fuerunt laudatæ; neque Annibalem thermarum istarum deliciis imminuisse nativum animi sui vigorem, ut multi auctorum longe serioris ætatis scriptum nobis reliquerunt, qua de re copiosius agetur alibi. Heic illud tantum afferre argumentum sufficiat, *Diodorum Siculum* lib. XXVI apud *Constantinum Porphyrogenitum*, ubi singulas enumeravit causas fractæ Carthaginiensium fortitudinis per delicias Campanas, tacuisse de voluptatibus ad mare. Nam, ut versio habet *Valesii*, ita dixit: *Annibalis copiæ, cum Campanorum bonis diutius se ingurgitassent, prorsus in diversa mutatæ sunt: continuæ enim deliciæ, molles lectuli, & unguentorum ac dapum omnis generis apparatus, fortitudinem eorum atque in perferendis laboribus constantiam fregerunt, corpusque adeo ac mentem in muliebrem mollitiem luxumque solverunt.* De iisdem tacuit etiam *Valerius Maximus* lib. IX cap. I, ubi tantummodo hæc retulit: *Tum demum fracta & contusa Punica feritas est, cum Seplasia ei* (Annibali) *& Albana* (nobiles urbis Capuæ vici) *castra esse cœperunt.*

Campani autem non frequentaverunt thermas Puteolanas, quibus neque Annibal fuit usus.

Diodorus Siculus & Valerius Maximus inter se collati.

Inconstanter veteres municipii & coloniæ nomen Puteolis indiderunt.

Jam vero de conditione Puteolorum, id est, an hæc urbs, ex quo primum eo deducta est colonia Romana, perpetuo statum & jus coloniæ conservaverit, nec ne, veteres non ad eundem modum loquutos fuisse nonnulli recentiorum observaverunt. *Lipsius* ad hæc *Taciti* verba *Annalium* lib. XIV: *Vetus opidum Puteoli jus coloniæ & cognomentum a Nerone adipiscuntur*, monet, temporibus *Ciceronis* illam fuisse *municipium*, ut colligitur ex ejus *Oratione pro M. Cœlio*; contra *Frontinum* in libello *De coloniis* eam dixisse *coloniam Augusti*: ut adeo videatur conditio ejus pluries fuisse mutata, eodem modo, quo *Gellius* dixit, idem accidisse civitatibus aliis. Ad ultimum autem animum induxit credere hoc potissimum, *Tacitum* voluisse dicere, ut ipsius verbis utar, *universum opidum incolasque*, (*plures autem inquilini ejus loci ob commercia & mare*) præter eos, *qui restabant ex colonis Augustëis, colonico jure donatos.* *Stephanus Pighius* in *Hercule Prodicio* suo itidem animadvertens hanc varietatem, existimavit, in textu historici illius unam desiderari vocem, & integre legendum esse ita: *Puteoli novum jus coloniæ.* Verum ille *Lipsio* hoc non persuasit, nec mihi persuadere unquam poterit. Arbitror enim, si maxime hæc ratio, quæ mihi videtur poëticæ simillima machinæ, pro legitima ejusmodi nodi solutione recipienda sit, nihilominus adhuc alium ipsi restare solvendum, quæ necessitas perinde etiam *Lipsio* incumbit: nimirum quo pacto Puteoli *Ciceronis* tempore potuerint esse municipium, cum de illis idem Orator in *Oratione* II *contra Rullum* loquutus fuerit ad hunc modum: *Puteolos, qui nunc in sua potestate sunt, suo jure libertateque utuntur, totos novo populo atque adventitiis copiis occupabunt.* Insuper idem *Tacitus*, narrans de Neronis amicis, qui ejus impietati applaudebant, qua Agrippinam matrem sustulerat, eodem libro aliquanto ante ita dixerat: *Amici dehinc adire templa: & cœpto exemplo proxima Campaniæ municipia victimis & legationibus lætitiam testari.* Jam illum nonne heic per *municipia* oportet intellexisse Cumas, Neapolim, & Puteolos; quandoquidem Nero illo ipso tempore morabatur Bajis? Hoc amplius ubi *Historiarum* lib. III vehementissimas contentiones inter Puteolanos & Campanos narrat, quorum hi Vitellii, illi sequebantur Vespasiani partes, nonne satis ostendit, itidem *municipii* nomine se Puteolos intellexisse? Verba ejus hæc sunt: *Præerat classi* (Misenensi) *Claudius Apollinaris: & Asinius Tiro, prætura functus, ac tum forte Minturnis agens, ducem se defectoribus obtulit: a quibus municipia coloniæque impulsæ, præcipuo Puteolanorum in Vespasianum studio, contra Capua Vitellio fida,* (erat Capua certe colonia) *municipalem æmulationem bellis civilibus miscebant.* Neque etiam *Ulpianus Jurisconsultus*, ubi *Digestorum* lib. L Tit. I l. I declarare voluit, *municipum* jam commune nomen evasisse omnium cujuscunque urbis civium, non fuisset usus exemplo eorundem Campanorum & Puteolanorum, nisi urbes eorum fuissent diversæ istius, quam diximus, conditionis. *Proprie quidem*, dixit, *municipes appellantur muneris participes, recepti in civitatem, ut munera nobiscum facerent; sed nunc abusive municipes dicimus suæ cujusque civitatis cives, ut puta Campanos, Puteolanos.* Sed ego vellem, *Lipsium* hoc animadvertisse, nimis utique rem fore alienam, *Tacitum* novos intelligentem Puteolanos, non autem veteres, dixisse: *Vetus opidum. Puteoli jus coloniæ, & cognomentum a Nerone adipiscuntur.* Porro autem, quænam fuit alta ista Puteolanæ urbis antiquitas, ut illa quasi proprio epitheto debuerit ab ipso cognominari *vetus*? Potius igitur credi possit, istud fuisse illius Puteolorum partis cognomen, quæ principio condita fuit in supercilio non admodum spatiosi montis: contra autem *novorum Puteolorum* cognomento dictas fuisse posteriores ejus oppidi accessiones. [1] Atque adeo

Componere hunc dissensum nonnulli recentiorum studuerunt.

Sed frustra.

Stephanus Pighius refutatus.

Tacitus illustratus.

Tacitus denuo illustratus, & collatus cum Ulpiano.

Lipsius refutatus.

Neque etiam tolli potest eorum discordia, si maxime Puteolos credamus in duo oppida fuisse divisos.

1. Frustra conatur auctor hasce de Puteolis plane diversas auctorum sententias inter se conciliare. Nam hoc quidem

adeo illo in duas partes, quasi in duo oppida diviso, ad duplices hosce Puteolos etiam *Cicero* respexerit in verbis istis, quæ supra retulimus: *Puteolos totos novo populo occupabunt*; & jus veteris coloniæ, jam dudum in urbe veteri adductum in desuetudinem, (& possit illius deductio prorsus etiam negari, cum de ea *Vellejus* noster lib. I scripserit *apud quosdam ambigi*) restitutum fuerit ab Nerone; Augustus autem illud solummodo novis Puteolis concesserit. Atque hæc cum *Lipsii* verbis, licet alia ratione, satis conveniunt. Ceterum illa quidem, quæ de duplicibus Puteolis diximus, cum satis videri possint esse vera, quomodo jam illud potest esse verum, eam urbem, sive integram, sive partem duntaxat ejus adhuc fuisse municipium temporibus Vespasiani, & etiam *Ulpiani*? Videri possint discordes hæce veterum opiniones de Puteolorum conditione quodammodo redigi posse in concordiam, si dicamus, neque Liternum, neque Volturnum deductas fuisse colonias Romanas eodem modo, quo aliæ deduci solebant, unde nihil impedimento fuit, quo minus illæ fuerint isto tempore etiam præfecturæ, quales ab *Festo* nobis descriptæ fuerunt. Atque ea de causa apud *Vellejum* nostrum nonnulli dubitaverunt de colonia Puteolana. Sed nihil ambigens *Valerius Maximus*, *Livium* sequutus, diserte Puteolis coloniæ nomen tribuit, lib. IX cap. III narrans de Sulla, qui *Puteolis ardens indignatione, quod Granius, princeps ejus coloniæ, pecuniam a decurionibus ad refectionem Capitolii promissam cunctatius daret, animi concitatione nimia, atque immoderatæ vocis impetu, convulso pectore, spiritum cruore ac minis mistum evomuit.* Contra *Plutarchus* in *Sulla*, si eam urbem non descripsit, ut præfecturam, certe non loquutus est de ea, ut de colonia. Nam de eodem, morti jam vicino, ut interpres ejus habet, ita dixit: *Ab negotiis publicis non abstinuit: quippe decem ante exitum diebus, cum Puteolanorum dissensiones composuisset, scripsit iis leges, quibus rempublicam moderarentur. Pridie nunciato, Granium, qui magistratum gerebat, reipublicæ quod debebat, non exsolvere, sed diem suum supremum exspectare, accivit eum in cubiculum, ubi ministris suis circumfusum præcepit strangulari.* Igitur Puteolos oportet fuisse municipium *Ciceronis*, & Neronis Imperatoris temporibus, quo tertium Consule, id est, ab Urbe condita anno DCCCX, qui fuit ab ortu Servatoris annus LX, ut *Tacitus* narrat *Annalium* lib. XIII, *auditæ Puteolanorum legationes, quas diversas Senatorius ordo plebsque ad Senatum miserant; illi vim multitudinis, hi magistratuum & primi cujusque avaritiam increpantes. Dumque seditio ad saxa & minas ignium progressa necem & arma perliceret, C. Cassius adhibendo remedio delectus. quia severitatem ejus non tolerabant, precante ipso ad Scribonios fratres ea cura transfertur, data cohorte prætoria, cujus terrore, & paucorum supplicio rediit opidanis concordia.* Biennio post, ut idem auctor testatur libro sequenti, *vetus opidum Puteoli jus coloniæ, & cognomentum a Nerone adipiscuntur.* Igitur aut colonia tantummodo illa fuit per aliquam prærogativam, denuo impetratam, aut post mortem Neronis abolita ista lege ejus, cummaxime municipium erat imperante Vespasiano, & itidem *Ulpiani* temporibus. Mittimus itaque hoc argumentum: at non item prætermittendum hoc loco videtur grata prosequi memoria clementissimi

Tacitus, & Cicero ambigue illustrati.

Vellejus illustratus. Valerius Maximus ab eo dissentiens, & concors cum Livio.

Plutarchus a Valerio Maximo dissentiens.

Cicero, Tacitus, & Ulpianus inter se conciliati.

dem prorsus est nihili, quod de veteribus & novis Puteolis commentatur: ut adeo hic statuenda sit potius in re nec multum antiqua, nec multum recondita aut difficili satis magna scriptorum discordia, nisi forte dicere libeat, *municipii* & *coloniæ* vocabula veteribus nonnunquam promiscue fuisse usurpata.

A cœli Puteolani remedium, quod anno MDCXXXVII expertus sum integram hyemem. Isti secessui acceptum refero hoc vitæ spatium, quod post illud tempus ætati meæ accessit. Contra asperitati Cumani cœli, quod perbrevi temporis spatio satis insalubre sum expertus, ipsam autem loci solitudinem diutius animo meo deploravi, istud debeo, quod menti meæ viva imago inhæret certissimi cujuscunque rerum humanarum magnitudinis interitus. Sed progredi tempus est.

Locus ad Puteolos, qui hodie dicitur *la Solfataia*, cujus paulo abhinc mentionem fecimus, adeo celeber est ejusque adeo notus est situs, ut B non aliud, quam de prisco nomine ejus dicere, mihi sit reliquum. Situs ille est Orientem & mediterranea versus, exiguo spatio supra Puteolos, & hodieque visitur exhalare perpetuas, licet non uberes admodum flammas. Ipsum autem loci solum sulphure scatet. Atque adeo dubium non est, quin aut hunc, aut nullum alium locum *Strabo* intellexerit lib. V, ubi interpres ejus ita habet: *Recta super hanc urbem situm est Forum Vulcani, campus circumquaque inclusus superciliis ignitis, quæ passim, tanquam e caminis, incendium magno cum fremitu exspirant. Campus autem sulphure tractili est plenus. Post Dicæarchiam est Neapolis.* Fuit C itaque *la Solfataia* locus proprio nomine dictus *Forum Vulcani*, certe ab nomine hujus dei, qui creditus fuit igni præsidere. Et hujus quidem appellationis ejus non alium habemus auctorem, quam unum istum geographum. Verum hinc jam argumentum ego peto, a veteribus huic loco non fore inditum istiusmodi peculiare nomen, si eodem tempore e quoquam alio vicinorum locorum visæ fuissent prodire flammæ: simul & constantius assevero, *Cornelium Severum*, qui suppar fuit *Straboni*, in versibus istis, quos supra adduximus, non de hoc Foro loquutum fuisse, sed de alio loco, qui ab ipso fuit dictus

D —— —— *multis jam frigidus annis*,

& de cujus incendiis aut levis tantum fama, aut potius incerta erat opinio.

FORUM VULCANI, quod hodie dicitur la Solfataia;

Assidue flammas ejecit.

XIX. *Campus Phlegræus, Latinis dictus* Leboriæ. *Situs ejus. Ejusdem mensura. Item fœcunditas. Antiquissimis temporibus eructavit flammas; ut & locus ille, qui dicitur* gli Struni; *& item ille, ubi hodie lacus* Anianus *est.*

VErum *Cluverius*, ubi & ipse retulit verba E *Strabonis*, quæ modo vidimus, & ex quibus intelleximus situm atque ingenium Fori Vulcani, mox subjunxit integram versuum seriem ex *Silii* lib. XII, qui sic incipiunt:

> —— —— *Tum sulphure & igni*
> *Semper anhelantes, coctoque bitumine campos*
> *Ostentant.* —— —— ——

Finiuntur autem hisce:

> *Tradunt, Herculea prostratos mole Gigantes*
> *Tellurem injectam quatere, & spiramine anhelo*
> *Torreri late campos; quotiesque minantur,*
> *Rumpere compagem impositam, expallescere cœlum.*

F In his versibus loquitur ille de Annibale, qui ejus regionis admiranda lustrabat, videturque poëta describere voluisse idem istud Forum Vulcani. *Ergo* (ita *Cluverius* conclusit, collatis inter se duobus hisce auctoribus) *Forum Vulcani Phlegræus etiam erat campus. in hoc quippe veteres fabulati sunt Herculem vicisse Gigantes.* Et ut suam confirmaret sententiam, *Plinium Secundum* allegavit, dixitque: *Plinius sane sic intellexit lib.* III *cap.* V. *Cumæ*,

CAMPUS PHLEGRÆUS, creditus esse Forum Vulcani,

mæ, *inquit*, *Misenum*, *portus Bajarum*, *Bauli*, *lacus Lucrinus*, *& Avernus*; *dein Puteoli colonia*, *Dicæarchia ante dicta*; *postque Phlegræi campi*, *Acherusia palus*, *Cumis vicina*: *littore autem Neapolis.* Verum nonne supra ex *Polybio* intelleximus, campos Phlegræos late fuisse patentes, sitosque fuisse circa Capuam, & circa Nolam? Item *Diodorus Siculus* nonne eodem nomine appellavit campos, qui sunt circa Vesuvium? Denique idem *Strabo* nonne retulit quorundam sententiam, qui nomen istud agro Cumano indebant? Verba ejus Latine ita habent: *Nec desunt*, *qui Cumanum agrum ideo Phlegram judicent appellari*, *& gigantum ibi occisorum fulminibus inflicta vulnera ignem istum aquasque ebullire.* Porro nonne idem quoque geographus, quantum quidem hanc ad rem attinet, fuit in eadem sententia? Nam ubi dicere voluit, Cumanos bello victos a Campanis de felicitatis fastigio in miserrimam calamitatem præcipitatos, qua de re diximus suo loco, ad historicam narrationem retulit fabulam istam de gigantibus hoc modo: *Quæ de Phlegræis campis fabulantur*, *ac re ibi cum gigantibus gesta*, *non aliunde videntur orta*, *quam quod eam regionem ob soli virtutem multi certatim sibi vindicarent.* Campus itaque Phlegræus non fuit re vera Forum Vulcani, sive *la Solfataia.* Verba autem *Polybii*, & *Diodori* retulimus, ubi de Cumis actum fuit.

Alius fuit major campus.

Cluverius refutatus.

Nihilo tamen secius *Cluverii* sententia posse vera esse videbitur: idque sive hanc ob causam, quod Hercules proprie in Foro Vulcani cum gigantibus pugnavisse ferebatur, quam fuisse *Silii* opinionem dubium non est; ut ita cum iste locus fuerit campus Phlegræus, proprie dictus, nomen ejus deinde extenderit sese per vicinos etiam tractus, in quibus itidem apparebant consimilium eructationum signa: sive ob hanc aliam, quod contrario modo ad solum Vulcani forum speciatim restrictum fuerit idem illud nomen generalius: ut adeo aut hoc, aut illo modo, & istud Forum, & campus iste nonnisi unus tantummodo locus fuerit. Sane vero & ipse opinor, campum Phlegræum, arctiore sensu sumptum, neque ad Vesuvium, neque ad Nolam pertinuisse: item eum fuisse minorem integro agro sive territorio Cumano. Veruntamen eundem campum, qui segetum feracissimus erat, unde poëtæ Græci, ut notavit *Polybius*, ejusdem nomine appellaverunt alios maxime excellentes campos, perinde potuisse eodem tempore flammis abundare, atque inde dictum fuisse *Forum Vulcani*, nullum unquam poterit esse argumentum tam idoneum, quod istud mihi credere persuadeat. Neque non *Cluverius* ad hoc etiam debuerat ipse attendisse, monitus non tantum a poëtis, qui *Phlegræum* dixerunt quemlibet campum nobilem, sed etiam satis aperte a *Plinio Secundo* verbis istis, quæ ipsi satis fuerunt nota, lib. XVIII cap. XI: *Quantum autem universas terras campus circumcampanus antecedit*, *tantum ipsum pars ejus*, *quæ Leboriæ* (alii *Laboriæ*) *vocantur*, *quem Phlegræum Græci appellant.* Igitur verus campus *Phlegræus* alio nomine dictus fuit *Leboriæ*, non autem *Forum Vulcani.* Atque ejus jam situm investigare non abs re erit.

Attamen campi Phlegræi *nomen possit quodammodo fuisse inditum* Foro Vulcani.

Nihilo tamen secius fuit ille campus satis fœcundus, *Latinis dictus Leboriæ.*

Polybius & Plinius Secundus collati.

Verum idem *Plinius* facile & huic nos eximit labori, ubi verbis istis, quæ modo retulimus, incontinenti hæc subjecit alia: *Finiuntur Leboriæ via ab utroque latere Consulari*, *quæ a Puteolis*, *& quæ a Cumis Capuam ducit.* Situs igitur erat campus hic Capuam versus, citra Cumas & Puteolos, ut & cuncti volunt recentiores auctores, persuasi *Pliniana* hac descriptione. Verum indidem illi crediderunt, campum Leborium (de Phlegræo enim hoc tacent) integrum illum fuisse campum, qui inter easdem istas urbes interjacet. Neque aliud cogitavit *Cluverius*, qui *Plinium*, quod improprie definierit Leborias, reprehendit hisce verbis: *Mira quidem definitio. Sed hoc voluit*: *Leborias esse inter Capuam & Puteolos*, *ab utroque latere viæ Consularis*, *quæ inter ea opida strata erat.* Verum si *Plinius* memoravit tres urbes, Puteolos, Cumas, Capuam; duasque vias, quæ a Puteolis & Cumis progrediebantur in ulteriora; & insuper dixit, [1] unam duntaxat esse illam viam, quæ Capuam ducebat; quæso quam ob causam primum istis, & novissime *Cluverio* placuit ista *Plinii* verba restringere ad duas tantummodo urbes, id est, ad Capuam & Puteolos; & itidem ex duabus istis per totum illum tractum viis unam facere solam, quæ per aliquantum loci spatium omnimodo debebant esse duæ? Nunquid forte verum esse nequibat, campum Leborium, ab uno latere clausum via Puteolana, quæ illa est, quam supra diximus conspici ad Orientales Gauri montis radices, dicique Campanam; ab altero autem latere via clausum Cumana, quæ ad Occidentale ejusdem Gauri latus erat, progrediens a Cumis; nunquid, inquam, nequibat ille campus, situs inter duas hasce vias, extendi ad bivium usque, ubi duæ istæ in unam concurrebant viam, quæ ad ultimum Capua terminabatur urbe? Sane poterat. Hoc itaque, & nihil aliud, voluit dicere *Plinius* nulla omnino obscuritate aut alogia: & adeo campus Leborius a Capua satis longe abfuit. Omnia hæc evidentissime confirmantur ex ipso earundem viarum situs adspectu, ut & trium istarum, quas diximus, urbium. A Cumis enim veterem ad Capuam via ducebat rectissima, strata silice, cujus etiamnum bona pars, licet hic illic interrupta, superest. Incidit illa in Clanium flumen, quod hodie *il Lagno*; & ad dextrum latus, extra muros *Aversæ*, qua hi Orientem æstivum respiciunt, habet templum S. Laurentii martyris una cum monasterio monachorum Benedictinorum Congregationis Casinensis. Templum istud in priscis archivii sui scriptis cognominatum legitur *Ad Septimum*, videlicet quod septem millia passuum ab eadem Capua vetere aberat. Inter hanc itaque Cumanam viam, atque illam, quæ exadversum a Puteolis producta cum Cumana conjungebatur, clausas fuisse Leborias dicere voluit *Plinius.* Proinde existimandum est, eundem esse campum, qui, quoniam quatuor millia passuum distat a Puteolis, vulgo vocatur *Quarto*, nata aliquot abhinc seculis appellatione, & situs est ad radices Gauri montis Septentrionem versus: ut adeo per duas istas vias & eundem Gaurum quasi triangulo includatur.

CAMPUS LEBORIUS, *qui inter Capuam*, *Cumas*, *& Puteolos erat situs*,

A Capua satis magno intervallo distabat.

Plinius Sec. defensus, & illustratus. Cluverius refutatus.

Fuit autem Leborius ille campus, *qui hodie dicitur QUARTO.*

Et licet deprehendere, prorsus in istum convenire campum omnia quoque alia, quæ de Leboriis idem auctor proximis ante illa verbis, quæ paulo ante retulimus, multa cum diligentia nobis indicavit, dummodo non difficilis inter hosce campos instituatur comparatio. *Plinius* de Leboriis ita dixit: *Campus est*, *subjacens montibus nimbosis*, *totus quidem* XL *millia passuum planitie. Gratia terræ ejus*, (*ut protinus soli natura dicatur*) *pulverea summa*, *inferior bibula*, *& pumicis vice fistulans. Montium quoque culpa in bonum cedit*: *crebros enim imbres percolat atque transmittit*, *nec dilui aut madere voluit propter facilitatem culturæ. Eadem acceptum humorem nullis fontibus reddit*; *sed temperat*, *& concoquens intra se vice succi continet. Seritur*

Qualitates campi Leborii, *ejusque mensura* XL *millium passuum*,

1. Intelligit auctor concursum illarum viarum, quæ ex ipsius sententia modico a Capua intervallo in unam committebantur.

ritur toto anno, panico semel, bis farre: & tamen segetes, quæ interquievere, fundunt rosam odoratiorem sativa: adeo terra non cessat parere; unde vulgo dictum: plus apud Campanos unguenti, quam apud cæteros olei fieri. Ita *Plinius* de Leboriis. Neque ego aliis verbis sciam vero convenientius, quam iisdem *Plinianis*, enarrare & fœcunditatem, & formam, & naturam, & maxime omnium mensuram istius campi, qui hodie dicitur *Quarto.* Hic enim forma quasi oblonga, & exiguis collibus, imo uno eoque perpetuo colle circumquaqne cinctus, in cujus quasi gremio jacet, mensuram habet non multum distantem a mille trecentis triginta tribus jugeribus nostris cum parte tertia, quot jugera fiunt ex quadraginta millibus passuum, quibus usi ad mensuram veteres. Istam autem rationem inivi ego ex relatis prædiorum mensuris, quæ istic sunt Puteolanorum, a quibus ille divisim hodie possidetur. Jam vero de fœcunditate ejus adeo referuntur mira, quæ nihil concedant illis, quorum de Leboriis *Plinius* alique mentionem fecerunt.

Conveniunt campo Quarto, cujus non diversa est amplitudo.

Leboriæ a mirabili fertilitate laudatæ fuerunt.

Neque de alio campo, quam de Leborio, loquutum fuisse oportet eundem scriptorem ejusdem lib. XVIII cap. XXIII, ubi non magis illi, quam illi Campaniæ campo nominatim tantam fertilitatis laudem tribuit, atque ita dixit: *Si fuerit illa terra, quam appellavimus teneram, poterit sublato hordeo milium seri: eo condito raphanus: his sublatis hordeum vel triticum, sicut in Campania: satisque talis terra aratur, cum seritur.* Et quo de alio campo credimus loquutum fuisse *Dionysium Halicarnassensem* lib. I? *Cui enim frumentariæ terræ* (ita verba ejus Latine reddidit interpres) *cedunt campi, qui vocantur Campani? qui non fluviis, sed aquis cœlestibus rigantur: in quibus ego vidi* (oportet eum in hac regione egisse minimum unius æstatis atque auctumni spatium continuum) *arva vel trifera, sementem æstivam post hybernam, & autumnalem post æstivam sementem nutrientia.* Etiam *Strabo*, qui lib. V narravit, campi cujusdam Campani percelebrem esse eandem fertilitatem, nonne itidem loquutus videtur de Leboriis? *Traditum memoriæ est*, (ita verba ejus Latine habent) *quædam Campaniæ arva toto anno conseri: bis zea, tertium panico. quædam etiam quarto satu olera producere.* Veruntamen non est tacendum, magna ex parte hanc laudem aliis quoque Campaniæ campis esse communem, & maxime omnium illi, qui Leboriis sive *Quarto* proximus est, & hodie appellatur *il Gaudo.* Neque etiam silebo, quod ibidem solum incultum sponte rosam producit, hoc commune quoque esse campo amplissimo, qui præteritis seculis dictus inde fuit Francorum sermone *Maggione delle rose*, unde hodie corrupte vocatur *il Mazzone*, nomine absoluto.

Plinius Secundus, Dionysius Halicarnassensis & Strabo collati inter se & illustrati.

Atque hac non minor est fertilitas aliorum aliquot Campaniæ nostræ camporum.

Jam vero de situ campi Phlegræi, proprie dicti, eandem, quæ *Plinii Secundi*, suam fuisse opinionem ostenderunt illi, qui apud *Strabonem* lib. V, quem supra retulimus, ubi de Foro Vulcani disputatum est, existimaverunt, (& videtur iste geographus in eadem fuisse sententia) Phlegræum non alium fuisse campum, quam Cumanum, neque in alio tractu Campaniæ Herculis pugnam cum gigantibus accidisse. Neutiquam autem hoc intelligendum est de integro agro, sive territorio Cumano; sed de ejus duntaxat parte, deque hoc ipso campo Leborio, quæ ejus agri pars fuit præstantissima. Sed *Diodorus Siculus* etiam, si sublato ex ejus verbis errore, quem admisit Cumanam cum Vesuvii regione confundendo, ad cetera attendamus, quæ de ista pugna nobis exposuit lib. IV, an alibi locorum, quam apud Cumas, campum Phlegræum collocavisse videtur? Narratio ejus Latine est ejusmodi: *A Tiberi* (Hercules) *profectus per littus Italiæ ad Cumæum devenit campum, in quo tradunt fuisse homines admodum fortes, & ob eorum scelera gigantes appellatos. Campus quoque ipse Phlegræus a colle, qui olim plurimum ignis instar Ætnæ Siculi evomens, nunc Vesuvius vocatur, multa servans ignis antiqui vestigia. Cognito Herculis adventu gigantes instructis copiis omnes ei obviam profecti sunt; acrique commissa pugna (pollebant enim viribus) ferunt, diis adjutoribus superiorem Herculem, multis illorum interfectis, eam regionem omni feritate purgasse.* Mox ita pergit: *Ab his locis versus mare profectus, opus exegit juxta lacum, quem Avernum appellant, inter Misenum & Dicæarchias, prope calidas aquas, Proserpinæ sacrum.* Hucusque *Diodorus.* Igitur Hercules, postquam pugnaverat cum gigantibus in campo, quem non longe a Cumis abfuisse oportet, ad mare descendit, atque ibi ad arcendos undarum impetus juxta lacum Avernum exstruxit aggerem illum, qui deinde dictus est *viæ Herculeæ* nomine: & adeo *Plinius* non ex sua duntaxat singulari opinione affirmavit, Leborias fuisse campum Phlegræum. Sed non possum non mirari eundem *Plinium*, qui adductis variis aptisque rationibus de singulari feracitate hujus campi, solam tacuit istam, quæ ab ignibus subterraneis peti potest. Certe enim his calefactum ejus solum, valuit, & hodieque valet temperare, ut credendum est, & concoquere conceptum ex pluviis aquis humorem, ita ut per varias anni tempestates officio solis non habeat opus ad varias sementes uno eodemque anno producendas. Et auget admirationem meam, quod ille argumentum eam in rem petere potuit ab ipso Græco *Phlegræi* campi nomine. Hoc enim ab ista campi hujus amplitudine, quam crediderunt alii, qui eum ad Vesuvium usque produxerunt, ab ipso *Plinio* retractum ad campum duntaxat quadraginta millium passuum, sive mille & trecentorum jugerum nostrorum, non potuisset convenire speciatim in eundem campum, nisi temporibus antiquissimis ejecisset ille quoque flammas, perinde ut vicina loca illas ejecisse novimus.

Phlegræus peculiaris fuit campus prope Cumas ex sententia plus unius auctoris.

Plinius Secundus, Strabo, & Diodorus Siculus inter se collati.

Ejus fertilitas adscribenda est ignibus subterraneis, qui ipso nomine ejus indicantur,

Plinius Secundus duplici nomine notatus.

Quo proinde non fuit appellatus alius campus major.

Verum quonam jam solidiori aliquantum argumento, quam hoc est, a Græca etymologia hujus vocabuli petitum, quod est a verbo φλέγω, *comburo*, demonstrare poterimus, campum istum, a Græcis *Phlegræum*, ab Latinis autem dictum *Leborias* origine ignota, & ipsum quondam ejecisse flammas? *Diodorus* enim ad incendia Vesuvii evagatus est: *Strabo* autem, ab eoque citati auctores possunt, imo videntur intellexisse integrum tractum Cumanum, cummaxime mari vicinum. Insuper idem geographus nihil omnino dixit de eructationibus ejusmodi aut incendiis, & inter fabulas retulit Herculis pugnam cum gigantibus, eamque sensu allegorico interpretatus est ad hunc modum: *Quæ de Phlegræis campis fabulantur, ac re ibi cum gigantibus gesta, non aliunde videntur orta, quam quod eam regionem ob soli virtutem multi certatim sibi vindicarent.* Atque adeo *Eustathius*, *Dionysii Alexandrini* Scholiastes, ubi istos versus ejus exponit, in quibus agitur de Campania, sequutus ejusdem *Strabonis* sententiam, apertius adhuc & omnino negavit campum hunc fuisse dictum *Phlegræum* per causam suorum ignium, atque eum exemplo campi Phlegræi in Thracia istud accepisse nomen voluit. Verba ejus Latine ita reddi possunt: *Æmulatur hæc tellus* (intelligit Campaniam) *ob sui præstantiam, ac propterea de ea contenditur. Hinc fertur, in ea Phlegræum esse campum, quemadmodum est in Thracia; eademque, qua de gigantum pugna in Thracia, ibidem,*

Nihil omnino sciverunt veteres de incendiis campi Phlegræi, sive Leborii, qui fuit juxta Cumas.

Imo alii prorsus illa negaverunt.

Eustathius, Dionysii Alexandrini, & Scholiastes Pindari inter se collati.

dem, *quod opportunus oppugnationi locus sit*, *contigisse fabulantur. Et est Phlegra in Sicilia, non ob similem causam ita dicta, sed quod igne & calidis aquis abundat.* Itidem vetus *Scholiastes Pindari* ad primam odam *Pythiorum*, ubi poëta iste fingit sepultum jacere Typhonem gigantem isto tractu, qui ab Sicilia Cumas usque pertinet; eumque per eadem, quæ occupat loca, spirare flammas; non existimavit, *Pindarum* proprie loquutum fuisse de territorii Cumani eructationibus igneis, de quibus videbat apud omnes alios auctores altum esse silentium; sed recurrit ad incendia vicinæ Pithecusarum insulæ, hodie *Ischiæ*, quam ille non distinxit a vicinissima insula *Prochyta*. Verba ejus, si Latine reddantur, hæc sunt: *Constat, non ipsam Cumam ignem emittere, sed quæ Prostyla* (legendum est *Prochyta*) *vocatur, quam etiam Pithecusas appellant. Polybius* quoque ut sæpius notavimus, etiamne nos admonuit lib. III, *Phlegræorum* nomine a poëtis dictos fuisse campos juxta Capuam atque Nolam, communi cuilibet nobili campo vocabulo? Igitur peculiarem nostrum campum Phlegræum, sive Leborium, antiquissimis temporibus flammam quondam emisisse, quod veteribus prorsus fuisse incognitum præfati sumus, ex sola nominis sui etymologia satis juste nequit demonstrari. Sed re vera illi, quos diximus, auctores, quorum alii quidem admiserunt, alii autem sensu allegorico exponere voluerunt fabulam de Herculea cum gigantibus pugna, non tamen propterea animo perpenderunt aut hoc, omnimodo hunc campum non fore dictum fuisse *Phlegræum*, nisi quondam flammis abundavisset; aut hoc aliud, præteriti cujusdam incendii sui cummaxime aliquod apparere indicium. Atque de hoc, ut verum dicam, nisi per recentem experientiam *Novi* montis, cujus facta nobis mentio sæpius, fuissem admonitus, fortasse neque de ipso campo Phlegræo, neque de monte Gauro, neque de aliis, de quibus idem dicturus ero in sequentibus, tale quid unquam cogitavissem. Indicium igitur, de quo loquor, est cavitas ejus, Gauri, nedum *Novi* montis cavitate immane quantum patentior: unde & incendia ejus debuerunt prorupisse ex majoribus multo spiraculis. Atque isto modo itidem accidit, ut ille circumquaque clausus sit, ut supra notavimus, colle perpetuo, cui ab latere Puteolos versus in Occidentem idem Gaurus in Orientem colles Leucogæi sunt conjuncti, de quibus paulo post agemus. Et adeo ab isto latere intrari in eum non potest, nisi per unum duntaxat aditum, qui ab loci accolis appellatur *Vadiserra*, pro eo, quod plenius dicendum erat *Vado di Serra. Vado* enim apud illos notat aditum angustum, *Serra* autem ejusmodi summitas est montis, quæ in longum directa formam *serræ* exhibet. Et oportet hunc aditum istic fuisse apertum, cum primum ibidem directa fuit, quam supra diximus, via Campana, quæ ab isto loco incipit cingere campum hunc Leborium, sive Phlegræum ab uno latere. Ceterum adiri ille quoque potest ab reliquis lateribus, quæ nonnisi illo ipso colle suo clauduntur. Nempe descenditur in illum ex vicinis agris, quorum frequens cultura pluribus modis istic aperuit alios aditus. Hanc itaque formam habet campus juxta Puteolos, cui nomen *Quarto*, qui certe est *Leborius Plinii*, & Græcis fuit *Phlegræus*. Et apprime illi convenit & *campi* & *Phlegræi* nomen, quod conjunctim neque de campo Nolano, neque de Campano cum *Polybio*, neque de Cumano cum *Diodoro*, neque de monte Vesuvio, neque de Foro Vulcani, sive *Solfataia*, neque de Gauro monte, neque de ullo alio loco, qui sciatur aut cre-

Pindari Scholiastes notatus.

Sed non observaverunt illi indicia, quæ de istis supersunt.

A datur flammas unquam emisisse, satis apte potest affirmari. Ceterum cum *Leborius* campus non fuerit amplior, quam eum nobis indicavit *Plinius*, nomen ejus, quod deinde corruptum est in *Liburiæ* nomen, per integrum istum campum sese diffudit, qui cum Clanio flumine, cui hodie *il Lagno* nomen, ab Acerris mare versus descendit, cujusque Atella aliquandiu quasi caput fuit.

Verum si montis *Novi*, & item Gauri, atque campi Phlegræi mutua & adeo consimilia exempla nos edocuerunt, de locis istis eorumque incendiis unum idemque esse sentiendum, quid jam B dicemus non tantum de Foro Vulcani, quod hodie dicitur *la Solfataia*, cujus cavitas peræque monte clausa est perpetuo, qui superari non potest, nisi per unum duntaxat aditum, opere factum humano; perpetuæ autem, licet exiguæ flammæ ejus non aliud nos de ipso, quam de istis, quæ modo diximus, locis cogitare sinunt; quid, inquam, dicendum videtur de loco, qui appellatur *gli Struni*, & *Astruni*, & est inter Neapolim atque Puteolos, ubi venationes sunt regiæ, ac itidem apparet cavitas consimilis, solumque est sulphureum, surguntque fontes aquarum calidarum? Et de virtute hujusce balnei, quod, ut C verbis utar auctoris *De thermis Puteolanis*, quem alibi citavimus, *a Strumis nomen accepit*, ipsum quoque locum dictum fuisse oportet, de quo idem auctor insuper addidit hæc verba: *Hic duo sunt fontes, sed aqua eadem rheumatibus & phlegmatis semper adversa, quæ cerebrum confortat, læsis oculis subvenit, gingivas stringit, dentes roborat, fauces aptat.* Certe *Bartholomæus Facius* abhinc annis ducentis, cum istud *Novi* montis documentum necdum appareret, omnibus heic sagacior antiquis de *Astrunis* in eadem nobiscum fuit opinione, ubi *De regis Alphonsi I gestis* lib. IX ita dixit: *Locus Neapoli ad quatuor millia passuum proxi-* D *mus, quem vulgo Listrones vocant; nos unum e Phlegræis campis ab ardore nuncupandum putamus.*

Locus, cui nomen GLI STRUNI, *ubi hodie sunt venationes regiæ, etiam emisit flammas.*

Bartholomæus Facius laudatus.

Jam de lacu quoque *Aniano* nonne idem dicendum videtur? Proxime enim ille adjacet *Astrunis*; & haud secus ac lacus Avernus, quo de *Strabo* ita dixit: *Includitur superciliis recta sursum enatis & undique præterquam in aditu imminentibus*; continetur sinu montis, qui ad interiores radices suas aquas effundit sulphureas atque calidas. Equidem ego de utroque hoc lacu unum idemque sentio, nimirum illud ipsum, quod modo dixi de *Astrunis*, & aliquantum ante de campo Phlegræo, Gauroque monte sum opinatus. Sane enim per- E suadeo mihi, utrumque lacum diversis temporibus apertum fuisse singulari quadam ejectione atque impetu ignium subterraneorum, unde imi soli leviores partes longius ejectæ fuerunt, propius autem graviores, quibus illi fuerunt clausi. Atque ita deinceps aquæ, terræmotibus agitatæ, & in convexa ista propulsæ, utrobique perinde in lacum coaluerunt. Et ad confirmandam hanc sententiam, ut ne utar exemplo uberrimarum aquarum, quas nuperrime effudit Vesuvius anno MDCXXXI, quæ si decurrissent in locum aliquem conclusum, peræque lacum effecissent; haud admodum dissimili modo & *Pithecusas* (verba sunt F *Plinii Secundi* lib. II cap. LXXXVIII) *in Campano sinu ferunt ortas: mox in his montem Epopon, cum repente flamma ex eo emicuisset, campestri æquatum planitie: in eadem & opidum haustum profundo, alioque motu terræ stagnum emersisse, & alio, provolutis montibus, insulam exstitisse Prochytam. Timæus* apud *Strabonem* lib. V dixit, accidisse istud novi in Pithecusarum insula aliquanto ante ætatem suam. Vixit autem ille regnante in Sicilia Agathocle, id est, circiter annum ab Urbe condita

LACUS ANIANUS, perinde ut Avernus ignium quadam ejectione fuit apertus.

Timæus cum Plinio Secundo collatus.



INSULÆ ISCHIÆ Novissima atque Accuratissima Delineatio.
LUGD. BAT. Excudit PETRUS VANDER AA.
PARTE DEL MARE TIRRENO OVERO INFERIORE
PARTE DEL CAMPAGNA FELICE, O TERRA DI LAVORA
Ischia Citta
Prochita
Prochita Isola
Isola di vivara
Monte Miseno
Monte di Prochita
Fumo Antico
Fumo Nuovo
Piscina
Lago
Isola di S. Martino
Gavita
Cuma Citta rouinata
Prom. et Monte S. Angelo
Capo di Pedora
Capo di Falconara
Capo di Scanella
Capo del Vecchio
Capo del Schiavo
Capo di Caballo
Capo Marontino
Capo della Scrofa
Capo di S. Pietro
Scoglio del Gigant
Carufo Scoglio
Scogli delle Formighe
Gemetta
Sasso Rossa
Casa delle Noci
Il Gran Monte Epomeo
Monte della Custodia
Monte di Cognolo lungo
Pansa Casale
Fontana Casale
Barano Casale
Lo lacco Casale
Casa Cumana
Annunciata
S. Paulo
Scala di Miglia due.



1. LACUS AGNIANI cum proximo 2. CANUM ANTRO repræsentatio.

Nomen autem ejus, quod hodie obtinet, sic satis est antiquum.

S. Gregorius Magnus illustratus, & emendatus.

dita ccccxl. Porro autem huic lacui *Aniano* tribuenda est satis alta antiquitas, licet apud antiquiores nomen ejus omnino non occurrat. Normannorum nostrorum temporibus Latine dictus ille legitur *Anglanis*. Eodem fere, aut parum diverso modo videtur illum dixisse *S. Gregorius Magnus Dialogorum* lib. iv cap. xl, ubi narrat, ab S. Germano, Capuæ nostræ cive atque episcopo, visam Paschasii animam *in thermis Angularibus*. Atque hæ vulgo collocantur juxta hunc lacum, & in aliis *S. Gregorii* codicibus dicuntur *Angulanæ*, quod nomen propius accedit ad illud, quod olim usurpaverunt Normanni, & hodieque est in usu. *Herchempertus* quoque in *Historia principum Longobardorum* Num lxi Latine *Anglenam* dixit rivum quendam exiguum, qui ab latere Septentrionali Capuæ ultra Volturnum flumen currit, & vulgo appellatur *l'Agnena*. Ceterum si ad istum modum, ut narravit *Plinius*, montes nasci solent, & postea subsidere, ita ut campis prima nonnunquam redeat facies, credere etiam licet, in campo Phlegræo, sive Leborio, principio ingentem quendam fuisse montem; & eodem modo posse alios quoque ejusdem generis montes omnino evanescere. Atque de his aliisque, quæ ad hoc argumentum spectant, conjecturis meis de Campaniæ nostræ naturalibus incendiis, egi jam alias in *Dissertatione* quadam subitanea, quam non indignam judicavit applausu suo, qui neque fictus esse, neque ex cœco animi affectu provenire solebat, laudatissimus ab insigni virtute nobilique eruditione *Petrus la Sena*. Sed jam tempus est Campaniæ descriptionem persequi.

XX. *Montes Leucogæi. Sepulcrum Virgilii. Crypta Puteolana, in quam obscurum lumen descendebat.*

MONTES LEUCOGÆI inter Puteolos atque Neapolim

JUxta Puteolos & ab *Strabone*, & *Plinio Secundo*, quos alia occasione supra adduximus, & ab omnibus aliis scriptoribus collocatur Neapolis itidem ad littus. Ad hanc ducebat a Puteolis via duplex, quarum una per montium Leucogæorum directa latus, quod est meridiem versus; altera in visceribus excisa montis, qui olim Græco vocabulo Παυσίλυπος, *Pausilypus*, hodie *Posilipo* appellatur. Et in harum alterutra sepulcrum fuit celeberrimi poëtæ *Virgilii*. Quare primum de montibus istis, deinde de ista Pausilypi crypta agemus. De sepulcro autem *Virgilii*, quia de situ ejus ambigo, medio loco dicere conveniet. Igitur veterem viam a Puteolis ad Neapolim, qua de alias diximus occasione viæ Domitiani, Leucogæos attigisse montes pronunciamus. Et indicium hanc in rem nobis facit idem *Plinius Secundus*, qui lib. xxxi cap. xi montes istos inter easdem collocavit urbes, ubi narrans de fontibus quibusdam, qui ab ipsorum nomine itidem dicti fuere *Leucogæi*, ita dixit: *Leucogæi fontes inter Puteolos & Neapolim oculis & vulneribus medentur.* Et lib. xviii cap. xi, ubi alicæ conficiendæ modum refert, scripsit ad hunc modum: *Postea admiscetur creta, quæ transit in corpus, coloremque & teneritatem affert. Invenitur hæc inter Puteolos & Neapolim, in colle Leucogæo appellato.* Et mox: *In eodem reperitur & sulphur, emicantque fontes Oraxi*, (*Cluverius* legit *emanantque*, & procul exterminare vocem *Oraxi* gestit, quæ nulli est usui) *oculorum claritati, & vulnerum medicinæ, dentiumque firmitati.* Etiam hice montes, sive cuncti, sive magna ex parte, ad territorium pertinebant Neapolitanum, & in ditione quoque fuerunt eorundem Neapolitanorum, a quibus Au-

Fuerunt in ditione Neapolitanorum.

gustus certo numerato pretio obtinuit, ut Campanis ad conficiendam alicam creta ista liceret uti, quam iidem montes producebant, ut idem auctor loco citato narrat hisce verbis: *Extatque Divi Augusti decretum, quo annua vicena millia Neapolitanis pro eo numerari jussit e fisco suo, coloniam deducens Capuam, adjecitque causam, quoniam negassent Campani alicam confici sine eo metallo posse.* Atque hinc jam credi possit per istam causam pars quædam horum collium in ditionem concessisse Campanorum; & propterea idem *Plinius* lib. xxxv cap. xv, ubi loquitur de sulphure, quod in iisdem reperiri dixerat inter Neapolim & Puteolos; fines eorum descripsisse hoc alio modo: *In Italia quoque invenitur in Neapolitano, Campanoque agro, collibus, qui vocantur Leucogæi.* Verum *Cluverio* heic legere placet *Puteolanoque* pro *Campanoque*, quæ sane nimium aliena est mutatio. Quin ego potius credam, sine ullo incommodo legi posse: *in Neapolitano Campaniæ agro*, ejecta particula *que*, quam certe addiderunt librarii, postquam vocem *Campaniæ* mutaverant in *Campano*. Ceterum hosce colles eosdem esse cum illis, qui hodie vulgo dicuntur *la Lumera*, conjuncti istis, qui vocantur *gli Struni*, & ad lacus *Aniani* Septentrionale sunt latus, sapienter monuit in sua *Descriptione Campaniæ* nostræ *Antonius Sanfelix*, ubi loquutus de collibus, qui Forum Vulcani cingunt, Neapolim versus oratione sua progrediens, subjunxit hæc verba: *Post hos montes albicant Leucogæi, aluminosi colles, a candore nomen adepti, apud quos teste Plinio scatebant balneæ, oculis opem ferentes & vulneribus. Subjacet parvus lacus*, (hic est lacus ille Anianus) *sterilibus omnino aquis.* Atque hinc intelligere possumus, non de aliis montibus intellexisse *Heliodorum*, relatum a *Stobæo*, ubi de Gauro monte fuit actum. Nam Puteolos euntibus per viam Campanam, & inde pergentibus ad Neapolim, primum iste mons ad dextram erat, deinde ad sinistram hice colles, quos albicare ille dixit nivis instar, atque aquas habere, medentes oculorum morbis. Veruntamen si recte attendatur ad situm quoque atque albitudinem Fori Vulcani collium, quod ab sulphure suo, cujus color ad album accedit, hodie appellatur *la Solfataia*, istos itidem oportet intellexisse eundem auctorem, ut adeo & ipsi dicti fuerint *Leucogæi*, nomine communi. Atque hos, quandoquidem admodum sunt Puteolis vicini, non ausim certo asseverare, perinde ut *Lumeræ* colles, qui Neapoli sunt propiores, in Neapolitanorum fuisse ditione. Istud equidem satis sum certus, nihilo propterea probabiliorem esse antedictam *Pliniani* loci emendationem, quam protulit *Cluverius*. Potuit enim ille isto loco intellexisse sulphur, non horum Fori Vulcani collium, sed eorundem illorum, quos alibi dixerat Augustum emisse ab Neapolitanis in gratiam novorum suorum Capuæ colonorum.

Cluverius refutatus. Plinius Secundus emendatus.

Antonius Sanfelix laudatus.

Heliodorus illustratus.

Nihilo magis de Virgiliani sepulcri situ novæ subscribere possum opinioni, quam idem produxit *Cluverius*. Hic fidem negavit esse habendam *Donato*, qui poëtam istum jussu Augusti sepultum fuisse dixit juxta viam, quæ a Neapoli Puteolos ducebat. Igitur sepulcrum ejus non ad os Orientale Puteolanæ montis Pausilypi cryptæ, ubi ab omnibus recentioribus, *Donati* testimonio persuasis, illud fuisse creditum fuit usque adhuc, sed ab opposito Neapolis urbis latere montem Vesuvium versus fuisse existimavit. Atque hoc colligi posse arbitratus est ex sequentibus *Statii* versibus *Silvarum* lib. iv *carm.* iv, ubi ille ad Marcellum scribens de se ipso loquutus est ad hunc modum:

SEPULCRUM VIRGILII, quod nove quidam credidit ad radices fuisse Vesuvii.

N 2 — *En*

— *En egomet ſomnum & geniale ſequutus*
Littus, ubi Auſonio ſe condidit hoſpita portu
Parthenope, tenues ignavo pollice chordas
Pulſo; Maroncique ſedens in margine templi
Sumo animum, & magni tumulis accanto magiſtri.

Et mox:

Hæc ego Chalcidicis ad te, Marcelle, ſonabam
Littoribus, fractas ubi Veſbius egerit iras.

Ad quæ ita ille commentatus eſt: *En ut diſerte teſtatur, ſub Veſbio, ſive Veſuvio monte, qui ab Orientali urbis parte eſt, Virgilii fuiſſe monumentum cum templo appoſito. Notandum autem maxime, quod Statius ait, ſe littus ſequutum, & in littore magni tumulis accantaſſe magiſtri, ſedentem in margine templi ejus; non vero per juga montium reptaſſe. Quin via Puteolana non per jugum montis, neque per littus tendebat, ſed introrſus per cryptam Neapolitanam.* Ita *Cluverius*. Verum ille heic quidem nimis ſeverum ſe interpretem poëticarum loquutionum oſtendit, & a poëtis nimium rigide narrationes exigit hiſtoricas, quas apud ipſos etiam hiſtoricos deſiderari nonnunquam videmus. Num forte *Statius* nequiverit etiam congruenter loquutus fuiſſe ad iſtum modum, ſi *Virgilii* ſepulcrum fuerit iſtic loci, ubi illud collocavit *Donatus*? Verba ejus hæc ſunt: *Voluit ſua oſſa Auguſtus Neapolim transferri, ubi diu vixerat.* Et mox: *Tranſlata igitur juſſu Auguſti ejus oſſa Neapolim fuere, ſepultaque via Puteolana intra lapidem ſecundum.* Certe *Statius*, ſicut more poëtico *ſonare* dixit pro *carmina componere*; & ut oſtenderet, ſe ſcripſiſſe agentem Neapoli, urbe patria, ſonare ſe dixit apud Veſuvium, quod utique facere debebat domi ſuæ muſêo incluſus, cum ne quidem ſatis ſecurus eſſe poſſet ab omni metu montis iſtius flammivomi; ita etiam metaphora poëtica, levique immutatione, non vero hiſtorica ſeveritate, dicere potuit, ſcripſiſſe ſe verſus iſtos, ſedentem ad tumulum *Virgilii*, cujus diſcipulum ſe atque imitatorem ſimplici ſermone dicere voluit. Equidem miror, *Cluverium* non eadem audacia, imo aliquantum etiam minore, ex *Statio* etiam collegiſſe apud *Donatum* eſſe legendum *via Herculanea*, quandoquidem apud *Plinium* mera tantum conjectura ductus *Puteolanoque* pro *Campanoque* ſubſtituerat. Etiam illud miror, cum dixiſſe, viam iſtam Puteolanam, juxta quam habuiſſe monumentum creditur *Virgilius* non fuiſſe directam mari tenus, cum iſtud, quod ſupra diximus, os Orientale cryptæ ſuæ iſtic aperiatur, ubi Pauſilypi promontorium continenti conjungitur, & per littus ab iſta parte Neapolim fuerit iter. Quod ſi contra conſtantem aliorum opinionem de hujus ſepulcri ſitu videtur dubitandum, potius illud dici poſſit, nec *Donatus* falſi arguatur, ſitum eum fuiſſe juxta illam viam, de qua in præcedentibus egimus, quæ a Puteolis per *Antignanum* & mediterranea Neapolim ducebat, quamque oportet admodum fuiſſe frequentem, ſiquidem refecta fuit ſæpius intra ſpatium haud multorum annorum. Atque adeo ſatis apte videtur credi poſſe celeber adeo poëta iſtic potiſſimum habuiſſe monumentum. Ecquis enim nos reddet certos, iſto jam tempore cryptam illam fuiſſe perfectam, cujus ſane neque ipſe *Donatus* fecit mentionem? Verum quieſcant per me, ubicunque crediderint alii, *Maronis* oſſa: non ſinam ego certe, deludi gloriam *Jacobi Sannazarii*, quem merito dixit *Bembus* peræque *Maroni* proximum eſſe ſtylo, quam ſepultura.

Fuit ab oppoſito Neapolis urbis latere Puteolos verſus.

Donatus Grammaticus defenſus. Statius illuſtratus. Cluverius refutatus, & notatus.

Ceterum poteſt de ejus ſitu dubitari alia ratione.

CUNICULUS A PUTEOLIS AD

Verum de eadem crypta Puteolana videntur & a ſe invicem, & a vero diſſenſiſſe *Strabo*, *Seneca*, & *Petronius Arbiter*: atque ideo recentiores revera falſam de ea conceperunt opinionem. Interpretes geographi iſtius, *Guarinus Veronenſis*, & *Gulielmus Xylander*, crediderunt, eum non aliam, quam hanc intellexiſſe cryptam lib. V, & verba ejus, quibus narravit de Cimmeriis, qui credebantur inhabitaviſſe loca ſubterranea ad lacum Avernum, Latine reddiderunt ad hunc modum: *Noſtra tempeſtate* (hæc eſt *Xylandri* verſio, probata *Caſaubono*) *cum ſilvam, quæ circa Avernum fuit, cecidiſſet Agrippa, & loca ædificiis occupata eſſent, actuſque infra Avernum Cumas uſque cuniculus, omnia iſta fabulas eſſe liquido apparuit; cum quidem Coccejus, qui cuniculum iſtum duxit, & alium a Putiolis ad Neapolim ſuper Bajas tendentem,* (*Guarinus* alio hic loquendi modo uſus eſt: *Quæ ex Dicæarchia extat Neapolim ad Bajas*) *fere ſequutus ſit fabulam iſtam de Cimmeriis, modo relatam; ac fortaſſe etiam loco huic antiqua conſuetudine putaverit convenire, ut per foſſas viæ ducantur.* Verum *Cluverius*, ubi & ipſe loquitur de lacu Averno, pro certo habet, hoc comma: *Et alium a Putiolis ad Neapolim ſuper Bajas tendentem*, eſſe ab aliena manu, & a librario quodam additum. *Quippe*, dicit ille, *quum Bajæ citra Puteolos ſint, qui hic cuniculus eſſe potuit a Puteolis verſus Neapolim ſuper Bajas tendens?* Inſuper aliis rationibus idoneis demonſtravit, iſtud dictum non potuiſſe a *Strabonis* calamo profectum eſſe. *Quapropter*, ſubjungit, *omnino ſtatuendum, locum illum a ſciolo exſcriptore gloſſematio eſſe fœdatum.* Nihilominus ego arbitror, etſi abunde verum eſt, non poſſe iſtum geographum tale quid dixiſſe de cuniculo Puteolano, tamen non eſſe exiſtimandum, textum ejus ab aliis quicquam fuiſſe immutatum. Loquutus enim ille fuit de alio cuniculo, qui non a Puteolis ad Neapolim, ſed a Puteolis ad novam urbem, quæ eodem auctore teſte illo ipſo tempore Bajis cummaxime parabatur, fuit ductus a Coccejo, cryptæ Cumanæ auctore. Atque hoc quomodo latere potuerit *Cluverium*; non video, cum ille hoc utique obſervaverit: *Ipſe Strabo in deſcriptione urbis Neapolis ubique habet* unica voce ἡ Νεάπολις, τῆς Νεαπόλεως, τῇ Νεαπόλει: *at illic eſt:* ἐπὶ νέαν πόλιν. Verum de nova urbe, quæ iſtius auctoris temporibus condita fuit Bajis, & non niſi ſumptuoſiſſimas habuit villas, quas etiam deſcripſit nobis *Joſephus*, quem ſuo loco adduximus, ipſe loquutus eſt, ubi de Neapoli egit, ad hunc modum: *Apud Bajas nova urbs conſtruitur, non minor Puteolis, aliis ſubinde ſupra alias regiis villis ibi ædificatis.* Et cum hiſce ſatis conveniunt verba ejus, quæ proxime retulimus, quandoquidem illa dicunt, circa lacum Avernum factos fuiſſe cuniculos iſtos a Coccejo. De eadem hac Bajana urbe, cui Bauli villa erat proxima, intellexit *Dio* lib. LIX, ubi ita loquitur de ponte Caligulæ: *Ponte injecto ei maris parti, quæ eſt inter Puteolos ac Baulos. Is locus eſt e regione urbis ſitus, & diſtant inter ſe Bauli ac Puteoli millibus paſſuum tribus, & quadrante.* Atque heic *Leunclavius* exiſtimavit integre legendum eſſe ita: *Is locus e regione* τῆς νέας πόλεως ἐςί. Equidem ego illi aſſentior, quod ad lectionem, non item quod ad ſenſum attinet. Nimis enim abſone, quia non ſatis exactam horum locorum habuit notitiam, opinatus ille fuit, novam iſtam urbem, Baulis vicinam, fuiſſe Neapolim, quæ, ut modo vidimus, Bajæ fuerunt.

Neapolim, creditus eſſe ſuper Bajas,

Cluverius laudatus.

Alius fuit cuniculus a Puteolis ad ipſas Bajas.

Strabo illuſtratus. Guarinus Veronenſis, Gulielmus Xylander, & Cluverius refutati.

Dio illuſtratus, & emendatus. Leunclavius laudatus, & alio nomine refutatus.

Igitur hac quidem ratione ſatis liquido expoſuimus *Strabonis* ſententiam, quæ ab interpretibus ejus, non ſecus ac tractus Cumanus ab iſto Coccejo, intricatis cuniculis, cum inde eam expedire molirentur, fuit involuta. Jam vero quid faciemus aliis ejus verbis, quibus ille nulla prorſus

Veteres cryptam Puteolorum, quæ & Neapolitana, majori deſcripſerunt

longitudine, quam hodie illa est.

ſus ambiguitate loquens de notiſſima Puteolorum crypta, quæ etiam appellatur *Neapolitana*, longitudinem ejus multorum dixit eſſe ſtadiorum, quam *Capacius* ſexcentorum non amplius eſſe paſſuum affirmavit, qui conficiunt quinque tantummodo ſtadia, neque ea quidem integra? Verba ejus Latine ita habent: *Eſt & ibi foſſa occulta, per montem, Putiolis ac Neapoli interpoſitum, acta, eodem modo, quo aliam Cumas verſum diximus fuiſſe ductam; viaque ſtadiorum multorum longitudine aperta eſt, in qua decedere occurrentia, invicem jumenta.* (Græca habent ζεύγεσι, quod alii vertunt *currus*) *poſſint*, [1] *lumenque paſſim, inciſis in montis ſuperficiem imminentem feneſtris, juſtam ſatis altitudinem demittitur.* Addatur *Seneca*, qui *epiſt.* LVII dixit: *Nihil illo itinere longius.* Hoc amplius *Benjaminus Tudelenſis*, gente Hebræus, licet errore aut ſuæ memoriæ, aut exſcriptoris ſui, (neque enim hoc credere poſſum de eximio *Benedicto Aria Montano*, ejus interprete) in *Itinerario* ſuo nimis incongruum illi milliariorum numerum aſſignaverit, tamen non ſinit nos credere, longitudinem ejus olim non amplius quinque fuiſſe ſtadiorum. Verba ejus, ubi narrat a Puteolis perveniſſe ſe Neapolim, ex verſione interpretis, quem modo diximus, ita habent: *Illinc profectis quindecim milliariorum via ſub montibus conficitur; eſtque opus a Romulo, Romanorum primo rege, factum propter metum Davidis, regis Iſraël, & Joab, Davidici exercitus ducis ſummi.* Verum hic quidem Romuli metus ab rege Davide mera eſt fabula, quam hujuſce regionis anus Judææ in ore ſolebant habere. Utique enim nimium longo temporis ſpatio hice reges ab invicem remoti fuerunt; utcunque etiam omnes aliæ, tam ſacræ, quam profanæ priſci temporis hiſtoriæ non convincerent iſtam narrationem falſi. Verum *Seneca*, quem modo diximus hac quidem in re cum verbis *Strabonis* oppido conſentire, en quantum mox ab eodem diverſus eſt in omnibus aliis? Narrans ille in epiſtola, quam citavimus, per hanc cryptam iter ſuum a Bajis ad Neapolim prorſus eam dixit eſſe obſcuram hiſce verbis: *Cum Bajis deberem Neapolim repetere, facile credidi tempeſtatem eſſe, ne iterum navem experirer. Sed tantum luti tota via fuit, ut poſſem videri nihilominus navigaſſe. Totum athletarum factum mihi illo die perpetiendum fuit. A ceromate nos haphe excepit in crypta Neapolitana. Nihil illo carcere longius: nihil illis faucibus obſcurius; quæ nobis præſtant, non ut per tenebras videamus, ſed ut ipſas. Ceterum etiamſi locus haberet lucem, pulvis auferret, in aperto quoque res gravis & moleſta. quid illic, ubi in ſe volutatur, & cum ſine ullo ſpiramento ſit incluſus, in ipſos, a quibus incitatus eſt, recidit? Duo incommoda inter ſe contraria ſimul pertulimus, eadem via, eodem die, & luto, & pulvere laboravimus. Aliquid tamen illa obſcuritas, quod cogitarem, dedit.* Et mox eandem obſcuritatem magis adhuc exaggerans, cum evaſiſſe ſe denique ex crypta illa dixiſſet, ita ſubjunxit: *Rurſus ad primum conſpectum redditæ lucis alacritas incogitata rediit.* Neque hæc duntaxat ſola incommoda videtur illa habuiſſe, ſupra quam *Strabo* illam nobis deſcripſit. Creditur enim, quod admodum fuerit humilis, loquutus de ea fuiſſe *Petronius Arbiter* in fragmento quodam ad hunc modum: *Satis conſtaret, eos, niſi inclinatos, non ſolere tranſire cryptam Neapolitanam.* Igitur non ſine offendiculis, quæ alii objiciunt ſcriptorum veterum, procedit illud, quod iſte geographus de hac crypta dixit: videlicet eam luminis quantum ſatis eſſet, & item viam habere ſatis ſpatioſam. Hoc animadvertens *Lipſius*, ubi commentatur ad hæc verba *Senecæ*: *Nihil illis faucibus obſcurius*, ad aſſerendam auctoris ſui ſententiam ita eam expoſuit, & cum *Strabonis* narratione conciliare ſtuduit: *Fauces anguſti tranſitus etiam vocabantur: ne quis de aditu capiat, qui certe illuſtris. Obſcuritas autem hic tempore Senecæ, & denſæ tenebræ, ut oſtendit; non æque Strabonis, id eſt, Tiberii. Oportuit hæc luminaria obſtructa ævo aut neglecta fuiſſe, ſi tam denſæ tunc tenebræ.* In eadem opinione fuit & *Cluverius*: neque alius quiſquam recentiorum, qui ad hanc varietatem attenderit, de alia, quam de hac, quæ ſatis eſt facilis ſcriptores hoſce conciliandi via, quicquam cogitavit. Et adeo *Capacius* etiam judicavit eodem modo de iſto *Petronii* dicto, atque illud expoſuit hiſce verbis: *Quæ ſi vera judicanda fuerint, cryptæ eo tempore tantam cernimus humilitatem, ut niſi inclinati tranſire adeuntes non poſſent.* Sed mirum ſane, tantam ſequentibus temporibus fuiſſe curam, ut tanto cum labore redderetur iſta crypta ſpatioſior, ſimul autem neglectum fuiſſe, ut lumen illa acciperet, quod multo erat factu facilius. Verum neque de *Petronii* ſententia, ego ſi quid video, neque de priſca Neapolitanæ ſive Puteolanæ cryptæ altitudine aliquid dubitandum eſt. Nimirum non ſolebat illa tranſiri niſi capite inclinato, quod perperam dixit *Capacius* non potuiſſe alio modo fieri. Et iſtius rei cauſam videor mihi deprehendiſſe ex illis *Senecæ* verbis quibus de concitati pulveris turbine dixit: *In ipſos a quibus incitatus eſt, recidit.* Igitur caput inclinandum erat, quo minor vultui ab iſto incommodo inferretur moleſtiæ. Porro idem *Seneca* inter denſiſſimas, non quidem cryptæ hujus, ſed notitiæ ſuæ tenebras, idoneam faciet lucem, quæ non ſinat nos credere, eam medio inter *Strabonis* atque ſuam ætatem tempore, id eſt, paucorum annorum ſpatio factam fuiſſe prorſus obſcuram, atque omnem curam, ut clariſſimis illis temporibus lux illi redderetur, fuiſſe neglectam. Quibus enim de faucibus aliis, ſive oribus, voluit ille dicere, quam de feneſtris, quas dixit *Strabo*, per quas lumen in cavernam ejus deſcendebat? *Quæ nobis præſtant*, (ſunt verba ejus) *non ut per tenebras videamus*, (igitur ad uſum utique feneſtrarum inſerviebant) *ſed ut ipſas.* *Lipſius*, qui hæc capit de ipſius anguſtia tranſitus, multumque laborat, ut *Senecam* conciliet cum iſto geographo, eundem adhuc magis ab illo diſſentire cogit: quandoquidem *Strabo* dixerat, amplitudinem ejus duo capere poſſe vehicula. Quod ſi videatur Seneca hiſce verbis: *Etiamſi locus haberet lumen, pulvis auferret*, negaviſſe, per feneſtras ejus lumen ullo pacto demitti, in quo re vera contradixit *Straboni*, apparet, eum omnia hæc dixiſſe per amplificationem, & ex more ſuo, ut inde materiam elegantiis atque argutis dictis poſſet deſumere. Atque ita denſas iſtas tenebras cauſam ſibi altæ cogitationis ſuppeditaviſſe, in ſequentibus ejus epiſtolæ expoſuit. Verum alter ille verbis planis, & argumento, quod tractabat, convenientibus, aperuit nobis ſuo lumine iſtud aliud, quod ceteroqui propter altitudinem profundi montis iſtius aliquantum debile, & multo pulvere obtuſum relucere in cryptam illam e cœlo oportuit. Exaggeravit quoque amplius vero *Seneca*, nimirum ad eundem finem, ut elegantiis uti poſſet, lutum viæ iſtius, quam a Ba-

Strabo, Seneca, & Benjaminus Tudelenſis collati.

Eoſdem apparet diſſenſiſſe de eo, an lumen aliquod in eam deſcenderit:

Item, num commodum per eam fuerit iter.

Et adeo recentiorum quidam crediderunt, principio eam fuiſſe luminoſam, poſtea obſcuram.

Iterum alii, eam deinde quoque commodiorem fuiſſe effectam.

Sed revera ſemper illa fuit perinde capax:

Petronius Arbiter illuſtratus. Capacius refutatus.

Item ſemper luminoſa;

Seneca pluries illuſtratus. Lipſius refutatus. pluribus de cauſis.

Licet incerto, ſive obſcuro aliquantum lumine.

1. Satis vitioſa eſt hæc verſio Xylandri. Græca ita habent: Τὰ δὲ φῶτα ἐκ τῆς ἐπιφανείας τοῦ ὄρους, πολλαχόθεν ἐκκοπεισῶν θυρίδων, διὰ βάθους πολλοῦ καθάγεται. Rectius itaque illa interpretatus eſt Caſaubonus in *Notis* ad Senecæ *epiſt.* LVII: *Lumen vero e ſuperficie montis, pluriſariam feneſtellis inciſis, per multam altitudinem demittitur.* Et adeo in ſequentibus recte concludit auctor, hoc lumen propter altitudinem profundi montis iſtius debile & obtuſum relucere in cryptam illam debuiſſe.

Bajis confecerat. Et adeo persuasit eidem *Lipsio*, non aliam quoque intellexisse *Statium*, quam eandem hanc, refectam deinde ab Domitiano. Sed oportet hunc poëtam potissimum de ista parte ejus fuisse loquutum, quæ a Cumis usque Sinuessam pertinebat, quo tractu arenoso, ut ille dixit:

Et plebs in mediis Latina campis
Horrebat mala navigationis:

nimirum per causam Literni fluminis paludium, lacunarumque Volturni, & stagnationum Savonis. Atque hæc jam ratio, quam *Seneca* instituit in amplificando præter modum incommodo istius itineris sui, quod integrum ne quidem duodecim fuit milliariorum, non finit quoque nos dubitare, quin ille per hyperbolen non minorem de eadem crypta dixerit: *Nihil illo carcere longius.* Satis enim apparet, eam principio unius fuisse milliarii: ut adeo *Strabo* potuerit eam multorum dicere stadiorum, quandoquidem bona ejus pars a latere Puteolos versus diruta esse animadverti potest. Solus autem *Benjaminus Tudelensis*, nisi forte Hebraicæ mensuræ nimium quantum Latinis fuerint minores, aut suæ memoriæ, aut certe codicis sui vitio, eam quindecim fuisse milliariorum scripsit nimis incongrue.

Sed longitudo quidem ejus aliquantum deinde fuit imminuta.

Benjamimus Tudelensis refutatus.

XXI. *Palæpolis & Neapolis, duæ quidem urbes, at unus populus. Palæpolis primitus dicta* Parthenope, *quod nomen deinde etiam Neapolis cum illa habuit commune. Conditores earum, & situs. Neapolis amœnum Romanorum otium, & honoraria eorundem colonia.*

NEAPOLIS, licet magnæ ætatis, usque tamen juvenilior & magnificentior,

JAm igitur, sive per hanc cryptam, sive per alteram istam viam apertiorem ad Neapolim urbem pervenimus, quæ mirabili suæ fortunæ convenientia cum nominis significatione post plurimorum etiam seculorum cursum nunquam senium est experta. Quin etiam illo ipso tempore, quo illa, peræque ut multæ aliæ ejusdem hujus regionis urbes, potuisset longo ævo jam esse facta decrepita, & forte etiam exstincta penitus, idque simillimo Cumarum exemplo, matris suæ, cujus urbis diu quondam duravit celebritas, potentia, atque magnitudo; illo, inquam, ipso tempore primum bona fide vigere cœpisse juventa ejus dici potest. Abhinc enim annos quadringentos ad illud fastigium evecta ea est, ut metropolis integri constitueretur regni: eamque dignitatem incomparabili cum splendoris atque magnificentiæ incremento cummaxime feliciter tuetur. Igitur & hæc quoque adeo urbs fortunata Campaniæ nostræ Felici fuit adscripta, (nam alia occasione vidimus, eam non pertinuisse ad specialem illam & angustiorem Campanorum Campaniam) ut indicavit *Livius* istis verbis lib. XXIII, quibus narrat de Nucerinis, qui cum pacta incolumitate urbem suam tradidissent Annibali, *dilapsi omnes, quocunque hospitia, aut fortuitus animi impetus tulit, per Campaniæ urbes, maxime Nolam Neapolimque.* Sed disertius idem affirmavit *Plinius Secundus* lib. XV cap. XXIII, ubi scripsit, præstantissimas esse castaneas, quæ nascuntur Tarenti, *& in Campania Neapoli*; & denuo lib. XXXII cap. II, ubi loquitur de coralliis, quæ gignuntur apud *Graviscas*, *& ante Neapolim Campaniæ.* Et adeo de hac, utpote re certissima, aliorum auctorum adferre testimonia supersedebimus; tantum illud monentes, eam nonnunquam fuisse dictam *Opicorum urbem*, nimirum isto sensu, quem exposuimus, ubi de Cumis fuit actum.

Urbs fuit Campaniæ Felicis, *non vero* Campanorum.

A Verum de ortu Neapolis urbis ne quisquam sibi persuadeat posse admodum liquido exponere: atque id tum propter varias narrationes, quas ea de re scriptas reliquerunt antiqui, tum propter discordiam opinionum, quæ de eadem orta est inter recentiores per causam istius varietatis. Et insuper hi, refutantes alius alium, dum pro sua quisque sententia multa eam in rem congesserunt, quæ nihilo sunt prioribus certiora, eo redegerunt hoc argumentum, ut integrum de illo conscribi volumen queat. Hac igitur duntaxat vice simplici meum immutare scribendi morem induxi animum, & ex narrationibus antiquiorum istas B tantummodo seligere, quæ plurimum videbuntur rationi esse consentaneæ, simul & componere, quantum fieri per me possit, dissensiones illorum; silentio præteritis, quæ de istis judicaverint recentiores illi. Igitur præcipuum disquisitionis nostræ caput erit illud, quod *Livius*, ubi de conditoribus hujus urbis narrat, scriptum reliquit his ce verbis lib. VIII: *Palæpolis fuit haud procul inde, ubi nunc Neapolis sita est. duabus urbibus populus idem habitabat. Cumis erant oriundi. Cumani ab Chalcide Euboica originem trahunt. Classe, qua advecti ab domo fuerant, multum in ora maris ejus, quod accolunt, potuere. Primo in insulas Ænariam* C *& Pithecusas egressi; deinde in continentem ausi sedes transferre.* Et aliquanto post, ubi narrat, Q. Publilium Philonem, ipso secundum, & L. Cornelio Lentulo consulibus, qui fuit ab Urbe condita annus CCCCXXVI, obsidione cinxisse eandem urbem geminam, ita habet: *Jam Publilius, inter Palæpolim Neapolimque loco opportuno capto, diremerat hostibus societatem auxilii mutui; qua, ut quisque locus premeretur, inter se usi fuerant.* Reliqua de progressu hujus obsidionis afferemus in sequentibus alia occasione. Multum etiam faciet ad illud, quod dicendum nobis erit, hoc quod itidem de ista urbe notavit *Solinus* cap. VIII, ubi D ita de ea scripsit: *Parthenope a Parthenopes Sirenis sepulchro appellata, quam Augustus Neapolim esse maluit.* Atque hic satis notus epitomator *Plinii Secundi*, dubium non est, quin illud desumpserit ex ejusdem verbis lib. III cap. V, ubi ille postquam dixerat de campis Phlegræis, & Acherusia palude, quæ a mari aliquantum recedebant introrsus, retrogressus est ad exponenda loca maritima, dixitque ita: *Littore autem Neapolis, Chalcidensium & ipsa*: (jam ante dixerat, Cumas quoque fuisse urbem Chalcidensium) *Parthenope a tumulo Sirenis appellata.* Verum hoc quidem de suo addidit *Solinus*, quod hodie eadem urbs no- E men habet, (si tamen ille hoc, non vero aliud quid, voluit dicere) recens fuisse inventum ab Augusto, quo nomine ab omnibus recentioribus acriter est objurgatus. Sane enim *Neapolis* nomen jam occurrit apud *Polybium*, qui ante Augustum vixit annis circiter centum. Primum itaque hoc dicimus, Neapolim diversis temporibus tria habuisse nomina. Et de nomine quidem *Parthenopes* cum *Plinio* & *Solino* multi consentiunt alii: de *Neapolis* nomine constat inter omnes: tertium autem istud *Palæpolis* ab solo proditum est *Livio*. Atque hoc secundum verba ejusdem, quæ paulo ante retulimus, non fuit proprie integræ ur- F bis nomen, sed tantummodo partis ejus, quæ principio fuit potissima. Atque hanc ob causam in narratione duntaxat istius obsidionis, nec unquam alias, sæpius ille loquutus est de eadem integra urbe, simplici usus nomine *Palæpolis*: quasi scilicet hæc ejus pars & ipsa deinde concesserit in nomen *Neapolis*; sive ipsa Palæpolis exstincta fuerit, qua de re agemus paulo post, nisi tamen ille, utraque relicta incolumi, alio quopiam arcano

Satis controversum & amplum est de conditu Neapolis argumentum.

Nos de eo acturi, capitis loco proponimus, quod de eodem quidam veterum dixerunt.

Atque inprimis de primum colligimus, eam diversis temporibus tria habuisse nomina.

Livius ambigue illustratus.

cano consilio potissimum voluit memorare Palæpolitanos in istius argumenti tractatione, eosque facere auctores illius belli cum Romanis, quibus deinde Neapolitani semper fuerunt amicissimi.

Neapolis divisa fuit in duas urbes, Palæpolim *&* Neapolim, *tanquam in duas regiones, quæ perinde & a variæ conditionis civibus habitatæ fuerunt.*

Verum Palæpolis & Neapolis, si *Livio* fides, nonnisi duæ fuerunt partes, sive duæ regiones unius urbis integræ, uniusque tantum populi. Atque hunc oportet non in utraque urbe duplices habuisse domos; neque in altera separatim, verbi caussa, viros nobiles & militares, in altera homines literatos & pacis artibus deditos habitavisse oportet, ad exemplum scilicet duarum istarum in alio orbe civitatum, quas somniavit *Theopompus Chius* apud *Ælianum Variæ Historiæ* lib. III cap. XVIII: sed more usitatiore, & omnibus temporibus observato in regionibus cujuscunque urbis, perinde utraque habitata fuit cujuslibet generis atque ordinis civibus. *Non solum* (ita Latine reddita sunt *Aristotelis* verba *Politicorum* lib. II cap. I) *ex multitudine hominum constat civitas, verum etiam ex eorum multitudine, qui specie differunt: non fit enim civitas ex similibus.* Et lib. IV, ubi refutat *Platonis Rempublicam*, quæ *duas cuique domos attribuit*, inquit: *Difficile est, duas habitare domos.* Nihilominus nonnisi una tantum fuit ista urbs duplex, siquidem duplex ejus populus fuit unus idemque, qui alioqui videri deberet, & re vera fuisset duplex, nisi simplex tantummodo magistratus, atque unum duntaxat consilium publicum perinde utriusque populi administravisset regimen; & nisi sacrorum solennitas, jusque connubiorum, atque omnia alia generis ejusdem non fuissent utrique populo communia. Atque adeo inter illos non alia fuit differentia, quam quæ solet esse inter varias unius ejusdemque urbis regiones, sive quæ futura erat inter Romam atque Vejos, si pars Romanorum relicta urbe patria Vejos habitatum concessisset, qua de re *Livius* lib. V scripsit multum fuisse deliberatum', deque ea loquutus est ad hunc modum: *Quin illa quoque actio movebatur, quæ post captam utique Romam a Gallis celebratior fuit, transmigrandi Vejos. Ceterum partim plebi, partim Senatui destinabant habitandos Vejos; duasque urbes communes reipublicæ incoli a Romano populo posse.* Verum nostro huic fere omnino consimile est illud Syracusarum exemplum, quod nobis proposuit idem *Livius* lib. XXV, ubi de Marco Marcello, qui jam expugnaverat unam ejus urbis partem, ita narrat: *Inter Neapolim & Tycham, (nomina partium urbis, & instar urbium sunt) posuit castra; timens ne, si frequentia intrasset loca, contineri a discursu miles, avidus prædæ, non posset.* Nam & hæc urbs, ut narrat *Plutarchus* in *Vita Timoleontis*, fuit *quodammodo ex pluribus* (verba sunt Latini interpretis) *composita & constructa urbibus.* Atque hæ teste *Cicerone* lib. IV *contra Verrem*, quatuor numero fuerunt, licet *Strabo* lib. IV eam dixerit *Pentapolin.* Neque etiam multum est a nostro diversum illud exemplum, quod nobis exhibet *Polybius* lib. I, ubi de Panormo narrat, cujus dicit ab Romanis consulibus A. Aquilio & C. Cornelio primum illam fuisse partem occupatam, quæ dicebatur *Neapolis*, & deinde alteram, cui nomen Παλαιὰ, id est, *Antiqua*, seu *Vetus.* Verba ejus Latine ita habent: *Panormum Siciliæ profecti, quæ præcipua Carthaginiensium civitas erat, cum magna vi obsidere aggrediuntur; appositisque duplicis generis structuris, aliisque paratis ad eam rem, turrem ad mare sitam facile sternunt, atque illac ingressis cum impetu militibus, eam urbis partem capiunt, quæ Neapolis appellatur: quo facto reliqua pars urbis, quam urbem Veterem vocant, metu exanimatis civibus, consulibus deditur.* Huc usque *Polybius*.

Atque hoc ad exemplum aliarum urbium, quæ itidem divisæ fuerunt simili modo.

Et in regiones eorundem nominum.

Neapolis itaque nostra in duas urbes, quasi in duas regiones fuit divisa, quarum una hoc ipso nomine fuit appellata, quod apud Græcos notat idem, quod apud Latinos *nova urbs*; alia autem *Palæpolis* nomen habuit, quæ vox apud Græcos idem valet, quod apud Latinos *urbs antiqua.* Nam istud quidem nihil est, quod quidam nullo idoneo cujusquam veteris auctoris testimonio, sed ex suo duntaxat cerebro produxerunt, *Palæpolis* nomen derivatum ab Latino *Pales*, quæ pascuorum & pastorum dea credita, sive a Græco verbo παλαίω, *luctor.* Sed non attenderunt illi ad formam Græcæ scripturæ Παλαίπολις; neque ad illud, alteram istam non fore appellatam *urbis novæ* nomine, nisi hæc fuisset *urbs vetus.* Et cum omnia hæc manifeste sint abunde vera, dicendum est, ipsum hujus urbis primitivum nomen neque *Palæpolim* fuisse, neque *Neapolim.* Horum enim prius oportet fuisse cognomen urbis antiquioris, postquam condita fuit urbs nova: alterum vero recens conditæ urbis fuisse nomen convenit, quando prior ista jam inde usque a principio debebat habuisse, ut dixi, suum peculiare nomen. Primum itaque nomen, quod habuit Palæpolis, erit illud nomen tertium, cujus *Plinius*, *Solinus*, aliique nonnulli fecerunt mentionem, nempe *Parthenopes.* Quod si alii scriptorum veterum dixerunt, Neapolim primitus dictam quoque fuisse *Parthenopen*, tacentes de Palæpoli, oportet illos intellexisse de urbe integra, quæ complectebatur utramque istam, quam diximus, regionem, quæque novissime dicta conjunctim fuit recentioris unico nomine. Certe *Plinius Secundus*, verbis istis, quæ supra retulimus, distinguens *Neapolim* a *Parthenope*, non potuit alias intellexisse urbes, quam *Neapolim* & *Palæpolim Livii*, ut ex situ Palæpolis, quem post demonstrabimus, liquido apparet. *Solinus* autem mea quidem sententia illud dicere voluit, Augustum, cum ipsi placuisset, solum relinqui nomen, solamque urbem Neapolitanam, prorsus in desuetudinem adduxisse nomen *Parthenopes*; imo penitus etiam desolavisse eandem hanc urbem, quæ alio nomine dicebatur *Palæpolis.* Hinc *Livius* dixit: *Palæpolis fuit haud procul inde, ubi nunc Neapolis sita est:* at non itidem dixit, nomen ejus in desuetudinem abiisse, quandoquidem ille publicavit historiam suam eodem Augusto imperante. Atque hac ratione videtur mihi *Solinus* satis esse defensus, & illustratus. Neque enim suspicari unquam potui, istum auctorem adeo admisisse errorem manifestum, cujus nomine eum dixi fuisse notatum recentioribus omnibus. Ceterum multo adhuc minus persuadere mihi possum, eum reliquisse scriptum ad hunc modum: *Augustus postea Enneapolim esse maluit:* quasi scilicet Augustus eandem urbem eo evexisset, ut illa caput esset aliarum urbium, numero novem, (has autem quasnam posse jam fuisse credimus?) ut video nuper placuisse nonnullis, qui præter meram opinionem suam nihil aliud eam in rem attulerunt argumenti; atque ejus opinionis primum manifestare auctorem noluerunt. *Joannem* dico *Villanum Neapolitanum*, qui *Chronici* sui lib. I cap. XVII ita scripsit: *Per sagacitatem* (ita Latine habent Italica hujus Neapolitani) *Marcelli*, (intelligit Augusti nepotem) *precesque Virgilii*, *Augustus Neapolim appellavit novem urbium dominam.* Equidem sicut hoc lubens concedo, (qua de re jam aliquid dictum fuit in *Dissertatione* præcedenti) post imperii Romani occasum ejusmodi fuisse aliquandiu Neapolis urbis prærogativam supra multas urbes vicinas; ita videtur mihi non posse aliud dixisse *Solinus*, quam jussu Augusti oblivioni fuisse traditam, & ipsam veterem Parthe-

Palæpolis, *id est*, urbs antiqua, *quæ ita dicta respectu* Neapolis, *id est*, novæ urbis,

Proprio nomine appellata fuit Parthenope.

Plinius Secundus illustratus.

Atque hac jussu Augusti desolata, sola remansit Neapolis.

Solinus illustratus, & defensus.

Joannes Villanus Neapolitanus refutatus.

thenopen, quæ & Palæpolis, & una nomen ejus. Alii dixerunt, *Palæpolitanos* jam mutavisse nomen suum in *Neapolitanorum* nomen inde usque a tempore icti cum Romanis fœderis, id est, ab anno usque obsessæ urbis suæ, qua de paulo ante diximus: atque adeo re vera istud accidisset ante ætatem Augusti annis circiter CCCXXX. Ad confirmandam hanc sententiam utuntur verbis *Livii*, deditionem, quam deinde Palæpolitani fecerunt Romanis, se narravisse testantis eo modo, quo illam descripserant auctores, *quibus dignius credi est: tum fœdus Neapolitanum (eo enim deinde summa rei Græcorum venit) similius vero facit, ipsos in amicitiam rediisse.* Verum ipsi videant, quam pulchre illud, quod sibi persuaserunt, demonstretur hisce verbis, quæ ipsi aliquanto post vero sensu interpretati sunt. Ceterum hoc quidem verum est, post illud tempus non jam nomen cessavisse Palæpolis urbis, sed dignitatem, qua illa Neapolim antea superaverat. Hinc si tum Charilaus deditionem Romanis fecit Palæpolitanorum nomine: *Quod bonum, faustum, felixque Palæpolitanis, populoque Romano esset, tradere se, ait, mœnia statuisse*; fœdus, quod deinde subsequutum est, non fuit dictum *Palæpolitanum*, sed *Neapolitanum: eo enim summa rei Græcorum venit.* Et in hac sententia oportet quoque fuisse *Sigonium*, qui in *scholiis* suis ad ista verba *Livii* ita dixit: *Græcorum rei summa a Palæpoli Neapolim deinde translata est.* Idem *Livius* in reliquis *Historiarum* suarum libris, id est, lib. XXII, XXIII, & sequentibus, nunquam usus est, ut supra etiam notavimus, alio, quam *Neapolis* nomine. Idem fecerunt quoque *Polybius*, *Dionysius Halicarnassensis*, *Dio*, *Vellejus* noster, & denique omnes alii. Verum hoc non potest esse argumento, penitus in desuetudinem abiisse, aut *Palæpolis*, aut *Parthenopes* nomen ab isto usque tempore, quod supra dictum est. Nam & ita vicissim, quia *Neapolis* dicta reperitur *Parthenopes* nomine, & Augusti ætate, & post ejusdem tempora, maxime a poëtis, id est a *Virgilio* lib. IV *Georgicorum*, ab *Ovidio* lib. XV *Metamorphoseon*, ab *Statio Silvarum* lib. I carm. II, & etiam alibi, ab *Silio* lib. VIII, aliisque, a *Columella* in *Horto*, sive lib. X *De agricultura*, ab aliisque; propterea non est dicendum, *Parthenopen*, id est, *Palæpolim*, tum adhuc fuisse incolumem, & *Neapolim* quotidiano sermone etiam isto alio nomine fuisse demonstratam. Igitur tria hæc nomina fuerunt inter se promiscua, quia duarum erant urbium, quas unus idemque incolebat populus, licet unum ex illis proprie non significaret idem, quod alterum. Atque ea de causa factum quoque fuisse arbitror, ut de *Palæpoli* urbe, strictius sumpta pro integræ hujus urbis parte, præter unicum istum *Livii* locum, quem ante retulimus, ne verbum quidem legamus apud alios scriptores. Nimirum ad eam rem ille solus in narratione obsidionis istius commodam habuit occasionem. Atque adeo *Neapolis* nomen jam ante Augusti ætatem oportet usurpatum fuisse latiore sensu, quam alioqui conveniebat: tum quia hujus nominis urbs, sive regio, ad majorem jam provecta erat dignitatem, quam ista altera, ita ut Augustus quoque potiorem ejus habuerit rationem: tum etiam per ipsorum auctorum anticipationem. Interea vero non est credendum, apud solos poëtas in usu fuisse *Parthenopes* nomen, quo appellata fuit, quæ in eodem littore post Neapolim urbs erat, ut ex *Plinio Secundo* intelleximus. Atque omnia hæc ideo dicta sunto, ut viam nobis aperiamus ad cognoscendos, quantum fieri possit, & conditores, & tempus atque ordinem conditæ utriusque urbis.

Sed eadem quoque nomina fuerunt usus promiscui, ad denotandam conjunctim utramque urbem.

Livius & Sigonius illustrati.

Igitur de populo, qui habitabat duas istas urbes *Palæpolim*, & *Neapolim*, ita nobis dixit *Livius: Cumis erant oriundi.* Atque hos addidit fuisse eosdem illos Cumanos, qui ab Chalcide Euboica originem trahebant. Jam hæc sententia an *Vellejo* quoque nostro tribui possit, non satis scio.[1] Ille lib. I, postquam narraverat, a Chalcidensibus conditas fuisse Cumas, ita subjunxit: *Pars horum civium magno post intervallo Neapolim condidit.* Sed ambiguum est, an ille proprie intellexerit Neapolim, urbem novam, an vero latiore sensu simul novam urbem atque veterem, ut apparet fecisse *Livium*. Sed *Plinius Secundus* aperte tantum Neapolim, distinctam a Parthenope, sive Palæpoli, Chalcidensium dixit urbem: *Littore autem hoc Neapolis, Chalcidensium & ipsa: Parthenope a tumulo Sirenis appellata*; de Palæpolis autem, sive Parthenopes conditoribus tacuit. Atque adeo ille prorsus in contraria abiit a *Livio*, & cum ipso potius, quam cum *Livio* consensisse videri posset *Vellejus*, nisi *Strabo*, de iisdem Cumanis atque Chalcidensibus loquens, nobis exposuisset duplicem Neapolis ortum, (Neapolim dico, non Parthenopen, aut conjunctim Palæpolim & Neapolim) antiquiorem unum, alterum recentiorem. Verba ejus Latine ita habent: *Post Dicæarchiam est Neapolis Cumanorum. Postea temporis & Chalcidenses immigrarunt, & Pithecusæorum nonnulli, & Atheniensium, unde Neapolis dicta quoque est. Ostenditur ibi monumentum Parthenopes, unius Sirenum, & jussu oraculi gymnicum certamen celebratur.* Et hujus itaque sententia Neapolis semel iterumque condita fuit temporibus diversis a Cumanis & Chalcidensibus: & ipsius adhuc ætate, id est, imperante Tiberio, ostendebatur ibi monumentum Sirenis Parthenopes, a cujus nomine *Parthenope* urbs, ut ex *Plinio* & *Solino* intelleximus, fuit appellata, quæ tunc temporis jam erat desolata: unde & idem geographus Neapolim tantummodo memoravit. Etiam de hoc duplici

1. Non satis causæ video, cur hic de mente Velleji magnopere dubitare necesse habeamus. Certe enim ille voluit dicere de Neapoli, qualis illa suis temporibus erat. Neque tamen propterea necesse est dicere, eum aut ignoravisse Palæpolim, aut non ab Cumanis conditam significare voluisse. Nempe ille familiari sibi brevitatis studio solam Neapolim memorare satis habuit, quo nomine vulgo tota urbs appellata, etiam integra adhuc Palæpoli. Atque adeo mea quidem sententia non opus etiam erat nostro, ut multum laboraret de verbis Plinii & Strabonis. Ecquis enim ista Plinii alio sensu acceperit, quam Neapolim dictam quoque fuisse Parthenopen? Nam quos mihi quidem videre contigit, editi libri non colo hanc periodum, ut fecit auctor, sed commate distinguunt. Certe si Plinius duas hic urbes referre voluisset, procul dubio Parthenopes quoque conditores, perinde ut Neapolis, memoravisset. Præterea, cum hoc utique certum sit, eum nomine Parthenopes non aliam posse intellexisse urbem, quam Palæpolim; ut jam concedamus eum istoc nomine voluisse diversam ab Neapoli urbem dicere; quid obsecro potest excogitari causæ, cur eum potius Parthenopes, quam Palæpolis nomine fuisse usum dicamus; cum utique hoc saltem addere debuisset, ne legentibus negotium facesseret, aut eos in errorem induceret? Nam hoc quidem ille ignorare non poterat, quod extra omnem controversiam est, Neapolim dici quoque *Parthenopen*, quicquid tandem de proprio usu ac prima origine nominum Parthenopes ac Neapolis statuamus esse verum. Itaque Plinium eodem sensu dixisse Neapolim, quo Vellejum diximus, eumque solam illam urbem, non vero simul etiam diversam ab ea Parthenopen aut Palæpolin describere voluisse, jure mihi videor posse pronunciare; cum præterea ipsius ævo Palæpolis jam fuerit exstincta, atque ipse nihil addiderit de ejus interitu, prout eum de aliis urbibus intermortuis aut deficientibus fecisse videmus: ut adeo jam non opus sit quicquam discordiæ inter Livium, Plinium, & Vellejum statuere. Quod ad Strabonem attinet, neque illum diverso sensu, quam isti fecerunt auctores, Neapolim urbem dixisse credibile est, etsi ille de vera origine urbis ac nominis ejus, & nova ista Chalcidensium, Pithecusæorum, Atheniensiumque immigratione singularem aliquam videtur fovisse opinionem, quam ego in medio relinquo.

Denique alii, eos Parthenopen condidisse, & dein instaurasse indito Neapolis nomine.

plici Cumanorum atque Chalcidensium opere, quos separatim memoravit *Strabo*, videtur intellexisse *Lutatius*, quem refert *Junius Philargyrus ad Georgica Virgilii* circa finem lib. IV; licet ille utrosque solo *Cumanorum* nomine dixerit, atque eos primum Parthenopen, deinde Neapolim condidisse voluerit, non autem semel iterumque Neapolim. Verba *Philargyri* hæc sunt: *Lutatius lib.* IV *dicit*, *Cumanos incolas a parentibus digressos Parthenopen urbem condidisse, dictam a Parthenope Sirena, cujus corpus* (heic arbitror magnam esse in textu lacunam, quandoquidem cœptus erat sermo de corpore atque monumento Parthenopes; hæc autem quæ proxime sequuntur, alium habent, & nihilo sensum perfectiorem) *etiam postquam ob locorum ubertatem amœnitatemque magis cœptum sit frequentari, veritos ne Cymæam desererent, iniisse consilium Parthenopen diruendi: post etiam pestilentia afflictos ex responso oraculi urbem restituisse, sacraque Parthenopes cum magna religione suscepisse; nomen autem Neapoli ob recentem restitutionem impositum fuisse.* Atque adeo *Lutatius* primum accedens quodammodo ad *Strabonis* sententiam, deinde autem manifeste ab eodem dissentiens, inconstanter etiam verbis assentitur *Livii*. Hic enim ad Cumanos, a Chalcide Euboica advectos, retulit perinde veteris ac novæ urbis originem, id est, & Palæpolis, sive Parthenopes, & Neapolis; sed priorem dixit adhuc incolumem exstitisse etiam post conditam illam urbem alteram. Nec minus ille dissentit a *Plinio Secundo*, qui hac quidem in re [1] adstipulatur *Livio*, Parthenopen fuisse diversam a Neapoli urbem, ab eaque exiguo loci intervallo remotam. Igitur potius quam *Plinio*, quam *Livio*, quam *Straboni*, fidem, si diis placet, habebimus uni Lutatio, qui non jam fuit ille, quem satis laudavit *Cicero* in Bruto, sed alius ævi serioris, cujus cum nihil nobis sit reliquum præter istud ex *Philargyro* fragmentum, certo statuere omnino non possumus, eum majore uti solitum in scribendo cura atque diligentia, quam isti, quos diximus, auctores. Sane si Parthenope, ut ipse voluit, non diversa fuit a Neapoli urbs, & Neapolis non diversa a Parthenope restituta; item si oraculo jussa fuit ejus instauratio, ac cives ejus adeo solicite curaverunt celebrare sacrificia, sive ludos in honorem Parthenopes Sirenis; cur etiam instaurata urbs non fuit dicta *Parthenope*, aut *Parthenope restituta*, sive *nova*, perinde ut Campani nostri Longobardi novam Capuam nostram dixerunt Καπάννην, id est, *Capuam novam*, non vero *urbem novam*, cum ab Saracenis incendio exstincta esset Capua vetus? Certe *novæ urbes* dictæ fuerunt Syracusarum, & Panormi regiones quædam, recens ædificatæ, cum ipsæ quoque veteres adhuc durarent integræ. Itaque ita pronunciandum videtur, Parthenopen non fuisse priorem istam urbem, conditam a Cumanis, sed aliam antiquiorem, ab alia conditam gente, quæ per caussam hujusce antiquitatis suæ, tam respectu prioris, quam posterioris eorundem Cumanorum, atque Chalcidensium exstructionis, Palæpolis deinde cognomen acceperit, contra autem hanc alteram ejus respectu dictam fuisse *Neapolim*, & *novam urbem*. Atque hoc satis bene procedit cum illorum quoque sententia, qui Parthenopes, sive Palæpolis alios dicunt fuisse auctores, quam Cumanos istos, qua de re mox agemus. Nec obstare videtur, quod hac ratione illud in obscuro manet, quodnam fuerit prioris urbis nomen, quam condiderunt Cumani, quoniam neque ab *Strabone* illud fuit indicatum. Jamque si diceremus, fuisse hoc ipsum *Neapolis* nomen, respectu nimirum antiquæ & vicinæ Parthenopes, sive ipsarum Cumarum, qua ratione illud videtur posse refutari? siquidem ita quoque plenissime satisfactum foret oraculo, quod priorem istam urbem jubebat instaurari.

Lutatius a Strabone & Livio discors.

Lutatius a Plinio Secundo discors, & refutatus.

Verum neque una eademque urbs fuit Parthenope & Neapolis, neque eosdem utraque habuit conditores.

Verum dixit *Livius*: *Duabus urbibus populus idem habitabat.* Neque hoc ego aut mirum, aut novum esse arbitror, in unam urbem diversorum populorum diversarumque civitatium factam hujusmodi esse conjunctionem, quod antiquioribus temporibus satis accidit frequenter: & supra jam intelleximus, parum abfuisse, quin idem factum fuisset de Roma ac Vejis. Sed nostro simillimum est istud Emporiarum exemplum, de quibus *Strabonis* interpres lib. III, postquam dixerat: *Urbs ea a Massiliensibus condita*; deinde subjunxit ad hunc modum: *Habitarunt Emporienses ante insulam quandam oppositam*, *quæ nunc vetus urbs dicitur*; *modo in continente degunt. Est autem in duas urbes divisa, muro ducto, cum olim accolerent Indigetum quidam; qui etsi sua uterentur reipublicæ forma, tamen, quo essent tutiores iisdem cum Græcis* (Massilienses erant originis Græcæ) *voluerunt includi mœnibus, muro tamen intus ab iis distincti. Tempore in unam coaluerunt civitatem, mixtam ex Græcis & barbaricis constitutionibus, quod & multis aliis evenit.* Ita *Strabo*, cui addatur *Livius*, qui lib. XXXIV itidem de Emporiis, sed distinctius, ita narrat: *Jam tunc Emporiæ duo opida erant, muro divisa. unum Græci habebant: a Phocæa, unde & Massilienses, oriundi: alterum Hispani. Sed Græcum opidum, in mare expositum, totum orbem muri minus quadringentos passus patentem habebat. Hispanis retractior a mari trium millium passuum in circuitu murus erat. Tertium genus Romani coloni ab Divo Cæsare post devictos Pompeji liberos adjecti. Nunc in corpus unum confusi omnes, Hispanis prius, postremo & Græcis in civitatem Romanam ascitis.* Huc usque *Livius*. Et videri possit de hac ipsa confusione Græcorum atque indigenarum, quæ accidit Neapoli & Parthenopæ, sive Palæpoli, in unam urbem conjunctorum, intellexisse idem ille geographus lib. V, ubi primum loquutus de Neapolitanorum initiis, postea de iisdem narravit ad hunc modum: *Aliquanto post obortis dissidiis, Campanos quosdam in urbem civium loco receperunt.* (per hos intelligi possint Palæpolitani Parthenopæi, e Campania oriundi) *coactique sunt inimicissimis loco familiarissimorum habere, cum suos a se abalienassent.* (hi potuerint fuisse Cumani) *Argumento sunt nomina magistratuum, principio Græca, posterioribus temporibus Campanica, Græcis permixta.* Atque adeo videri posset hoc esse unum ex illis exemplis, quæ ipse innuerat verbis proxime allatis, quibus de Emporiis narrat. Verum Palæpolitani, seu Parthenopæi, fuerunt & ipsi ex Græcis. Hoc amplius in alia *Dissertatione* demonstraturi sumus, Campanos istos fuisse Nolanos, qui dicti *Campani* communi nomine regionis. Atque his Neapolitanos utriusque urbis amicitia conjunctos fuisse scimus illo tempore, quo a Publilio Romanorum consule, ut aliquanto ante notavimus, obsidione cincti erant. Neque vero quicquam adjuvare eos jam poterant Cumani, parentes ipsorum, qui jam subacti erant a Campanis. Hoc enim dicere *Strabo* voluit: Ἐπειδὴ τὰς οἰκείας ἀλλοτρίας ἔσχον: *postquam domesticos alienos haberent*; non vero, ut *Xylander* interpretatus est: *a se abalienassent*. Atque isti narrationi, ut hoc obiter attingam, geographi hujus; & item illis, quæ mox idem incontinenti subjunxit de eadem Neapoli:

Palæpolis, seu Parthenope, & Neapolis, etsi non ab una conditæ gente, in unam non sine exemplo conjunctæ sunt urbem.

Non autem Campanorum fuit altera, altera Græcorum urbs,

Strabo illustratus.

Xylander refutatus.

Sed utraque Græcorum.

[1] Hanc fuisse Plinii mentem, quam illi heic affingit auctor, nimium videtur a vero alienum, ut ex illis, quæ modo diximus, intelligi potest.

poli: *Plurima tamen ibi Græcorum institutorum supersunt vestigia, ut gymnasia, ephoborum cœtus, fratriæ, & Græca nomina Romanis imposita*; crederem nostrum contradixisse *Vellejo*, qui lib. I dixit: *Neapolitanis diligentior ritus patrii mansit custodia: Cumanos Osca mutavit vicinia*; nisi pariter etiam ille mihi videretur satis recte potuisse judicare atque dicere, nullam omnino Nolanos egisse Neapoli moram, quandoquidem illam sane non admodum diuturnam fuisse oportet: quam ob causam, ut & comparatione illorum, quæ Cumis acciderant, satis exigua debuit fuisse ista patrii ritus mutatio. Et satis benevolam quoque hujus urbis, quæ merito suo gratissima semper literatis fuit, mentionem fecit in sequentibus idem auctor, ubi ita scripsit: *Utriusque urbis* (simul loquitur de Cumis) *eximia semper in Romanos fides facit eas nobilitate atque amœnitate sua dignissimas.* Et mox: *Vires autem veteres earum urbium hodieque magnitudo ostentat mœnium.* Et de hisce jam sufficiat.

Et duraverunt ibi diu ritus Græcorum, duntaxat leviter immutati.

Strabo & Vellejus inter se conciliati.

Ita igitur cum mihi jam videar probabiliter aliquantum disputavisse de Neapolis conditoribus in genere, nimirum strictius sumptæ pro parte ejusdem urbis integræ, pergam nunc, & distinctius inquiram in tempus ejus ortus, qualiscunque ille jam fuit, sive simplex, sive duplex. Cumque jam demonstraverimus, a capta Troja anno CXXXI Cumas fuisse conditas, & ad Cumanos uno ore omnes Neapolis urbis natales referant, *Vellejus* quoque noster huic historiæ consona scripsit hisce verbis lib. I: *Pars horum civium magno post intervallo Neapolim condidit.* Sed magnum hoc intervallum quot annorum comprehendisse spatium judicabimus? Quidam illud non amplius viginti aut triginta fuisse annorum voluerunt, hoc unico utentes argumento, *Livium* dixisse de Chalcidensibus, Cumarum conditoribus: *Classe, qua advecti ab domo fuerant, multum in ora maris ejus, quod accolunt, potuere.* Atque hinc colligunt, iisdem navibus, ideoque non multo post tempore, progressos ulterius Neapolim condidisse. Neque vero, ne cum ipsis pugnet *Vellejus*, quem retuli mus modo, verentur: cum sane maximum sit in hominis ætate, quæ non solet excedere sexaginta, aut ut longissimum octoginta annorum spatium, viginti aut triginta annorum intervallum.

Neapolis condita fuit a Cumanis magno post conditas Cumas intervallo.

Verum ego arbitror, si auctoris citati volumus stare verbis, non unam, sed multas hominum ætates inter Cumas conditas Neapolimque effluxisse. Voluit ille nobis dicere multorum annorum intervallum, & etiam aliquanto post, ubi de Capua narrat, urbium ætatem æstimavit ex magnitudine rerum gestarum, non autem ex hominum ætatibus, qua in re sequuti eum fuerunt *Julius Florus* in principio historiæ suæ, & *Ammianus Marcellinus* lib. XIV. Verba ejus hæc sunt: *Ajunt a Tuscis Capuam Nolamque conditam ante annos fere* DCCCXXX, (id est, ut alibi indicabimus, post Trojam captam anno CCCLXXXIV) *quibus equidem assenserim. Sed M. Cato quantum differt? qui dicat, Capuam ab eisdem Tuscis conditam, ac subinde Nolam; stetisse autem Capuam, antequam a Romanis caperetur, annis circiter* CCLX. *Quod si ita est, cum sint a Capua capta anni* CCXL; *ut condita est, anni sunt fere* CCCCC. *Ego (pace diligentiæ Catonis dixerim) vix crediderim, tam mature tantam urbem crevisse, floruisse, concidisse, resurrexisse.* Sed ut pressius nostrum de Neapoli argumentum persequamur, quæ colonia fuit Cumanorum, qui a Chalcidensibus originem trahebant, (hic fuit integer sensus *Livii*, cujus verba auctor opinionis, quam cummaxime refutamus, trunca retulit) nonne omnino oportuit Cumanos

Atque hoc non fuit viginti aut triginta annorum,

Quod nimis est spatium breve, quam ut intra illud emittere potuerint colonias:

A in magnum excrevisse numerum, antequam novam possent emittere coloniam? Ad hanc rem sane non potuerunt sufficere aut viginti, aut triginta anni. Insuper ineptum est, Cumanos dicere velle non alias instituisse navigationes, quam iisdem navibus, quibus ex Eubœa advecti erant in Italiam, atque hoc modo eam, quæ mari erat ipsorum potentia, ad tempus referre adeo exiguum: quasi scilicet aut arte postmodum, aut materia ad fabricandas naves destituti fuissent. Omitto dicere, a Cumis & levibus navigiis, & terrestri paucorum millium passuum itinere satis facile potuisse eos ad Neapolim condendam progredi. B Fuit itaque, ego si quid video, condita hæc urbs annis circiter ducentis post Cumas, quod temporis spatium ipsi facto adæquatum est, tum per sese, tum propter rationes etiam, quas paulo post afferemus; id est, circiter annum CCCXXX post bellum Trojanum. Non autem speciatim intelligimus magis priorem, quam posteriorem ejus ædificationem, inter quas itidem haud multum effluxisse temporis oportet: unde & *Vellejus* non curavit utramque notare separatim.

Sed fuit annorum circiter ducentorum.

Jam vero quod ad cetera attinet, dubito nonnihil, an ejus instauratio ad solos debeat referri Cumanos, ut videtur voluisse *Lutatius* apud *Philargyrum*, C an vero ad Chalcidenses, & simul ad Pithecusanos atque Athenienses, sive eodem tempore, atque agmine uno, sive temporibus diversis, pluribusque agminibus profectos, ut videtur *Strabonis* indicari verbis. Licet enim ipsius testimonio lib. V, & insuper *Livii*, Cumani Pithecusas incoluerint, perque suam e Chalcide originem fuerint Athenienses, tamen istum geographum variis istis nominibus solos intellexisse Cumanos, non possumus credere, nisi duorum eum arguamus vitiorum, quæ satis gravia, & a prudentia ejus multum aliena. Horum alterum foret, inaniter eum accumulavisse trium populorum nomina, D *Chalcidensium*, *Pithecusanorum*, & *Atheniensium*, quæ per compendium nonnisi unius solummodo fuissent populi; alterum, dixisse eum Cumanos potius quolibet alio jam obsoleto nomine suo, quam proprio istius temporis, quo ipsi non amplius erant, neque Chalcidenses, neque Pithecusani, neque Athenienses jam inde a longo tempore. Certe igitur ille posteriorem Neapolis ædificationem & sequentia ejus incremenra referre voluit ad triplex populorum genus, non vero ad unum solummodo, sicut prioris quidem auctores solos memoraverat Cumanos, ad quam respiciens dixit: *Post Dicæarchiam est Neapolis Cumanorum*; E ad posteriorem vero: *Postea temporis & Chalcidenses immigrarunt*, & quæ sequuntur. Jam quod ad alia attinet, non videtur narrationi *Lutatii* fides deroganda. Verum quicquid jam hujus sit, de eo dubium non est, Chalcidenses, Pithecusanos, & Athenienses instauravisse Neapolim, aliosque post alios eam auxisse magno post conditas Cumas intervallo; & siquidem eo advenerunt separatim pluribus agminibus, ultimos fuisse Athenienses, Pithecusanos autem secundos, & primos omnium Chalcidenses. Jam vero etiamne forsitan arbitrari lubet, Chalcidenses, quibus primum locum dedimus, fuisse illos, qui Pithecusas reli- F querunt aliquanto ante incendium ejus insulæ, intestinis seditionibus expulsi; Pithecusanos autem fuisse illos, qui terræmotus atque ista patriæ insulæ incendia fugientes, adacti fuere novas quærere sedes; denique Athenienses fuisse Diotimi Atheniensis socios, qui classe sua Neapolim delatus sacrificium istic celebravit Parthenopæ Sireni, inque ejus honorem ludos quosdam instituit, & facile etiam relinquere istic potuit quosdam ex suo-

Veruntamen ambiguum est, an Cumani, an vero Chalcidenses, Pithecusani, & Athenienses uno aut pluribus agminibus refecerint Neapolim.

Maxime videtur probabile, eos fuisse Chalcidenses, Pithecusanos, & Athenienses, eosque diversis temporibus advenisse Neapolim.

suorum numero? Sane harum rerum gestarum tempus atque ordo cum rebus Neapolis urbis, quas jam narravimus, apprime conveniunt. Equidem *Strabo*, ubi de Prochyta & Pithecusis agit, ex Latini interpretis versione ita habet: *Ante Misenum sita est Prochyta, pars a Pithecusis avulsa. Pithecusas Eretrienses atque Chalcidenses habitaverunt; & cum ob agri feracitatem ac metalla auri rebus uterentur prosperis, insulam deseruerunt; initio ob seditionem coortam, post etiam terræmotibus exturbati, ignisque & maris, & calidarum aquarum eruptione.* Ita *Strabo* de duplici isto Chalcidensium & Pithecusanorum ex ea insula excessu. Et ut tempus ejus intelligamus, quod ad nostrum quadret argumentum, idem subjunxit ad hunc modum: *Missi eo a tyranno Syracusanorum Hierone, una cum muro a se exstructo* (urbem conditam intelligit per hanc loquutionem, quam & ipse alias, & alii quoque veterum usurpaverunt) *insulam dereliquerunt. Supervenere his Neapolitani, & eam obtinuerunt.* Hiero senior, de quo *Strabo* loquens etiam lib. VI non aliam addidit distinctionem, ex *Eusebii* calculo regnare cœpit anno MDXXXVIII ab ortu Abrahami, ad cujus annum DCCCXXXV ille retulit excidium Trojæ, quod Romam conditam antecessit annis CCCCXXXII: ut adeo regnum ejus cœperit anno CCLXXI post Romam conditam. Igitur si dixerimus, Chalcidensium adventum Neapolim e Pithecusis insula, quam dereliquerant propter seditiones intestinas, accidisse postquam hæc urbs circa annum CCCXXX ab eversa Troja condita erat a Cumanis, jam elapso isto ducentorum annorum intervallo, quos *Vellejum* indicavisse credimus; alter Pithecusanorum adventus, incendiis & terræmotibus expulsorum, subsequutus fuerit paulo post, id est, non multo ante Hieronis ætatem, & annum a Roma condita CCLXXI; & denique Diotimus Atheniensis ultimus omnium istac appulerit circa annum CCCXX ejusdem epochæ. De hoc Diotimo dixit *Timæus Siculus*, quem retulit *Isacius Tzetzes*, Scholiastes ad *Lycophronis Alexandram*, ubi dixit, si verba ejus Latine vertantur, *Diotimum Atheniensis classis præfectum, cum præter Neapolim classem duceret, ex oraculo sacra fecisse Parthenopæ, & cursum instituisse lampadiferum, quem deinde cursum Neapolitani quotannis perfecerunt.* Atque hunc Diotimum ad istam ego ætatem refero, quia arbitror, esse illum ipsum, qui Archon fuit Athenis, cum Romæ Consules essent, ut refert *Diodorus Siculus* lib. XII, Cajus Julius, & Proculus Virginius Tricostus, id est, anno ab Urbe condita CCCVIII. Neque enim videtur ille mihi rejiciendus esse ad ætatem altiorem, (nam de serioribus quidem temporibus nemo cogitabit, opinor) siquidem Athenienses, antequam eos ad rem navalem acuit Themistocles, qui mortem obiit, cum Romæ consules essent A. Servilius Tricostus, & C. Servilius Structus, eodem *Diodoro* referente lib. XI, id est, anno ab Urbe condita CCLXXVII, nihil attenderunt magnas instruere classes, ut lib. VII scribit *Herodotus*, & idem *Diodorus* loco citato. Et videri quoque hac de re potest *Sigonius De republica Atheniensium* lib. IV cap. V. Et re vera, si cum æmulatione ista, quam Syracusani cum Atheniensibus exercuerunt temporibus Diotimi, quæ diximus, conferamus illa, quæ *Strabo* dixit de iisdem Syracusanis, missis ab Hierone, ut vacuas incolerent Pithecusas; & item de Neapolitanis, qui simul ac vidissent, hanc insulam ab illis derelictam, ipsi eam occupaverunt; animadvertemus, apprime hæc cohærere, & fuisse illum ipsum Diotimum, de quo dixit *Timæus* apud *Tzetzem*. Diotimus *Timæi* cum ad hæc littora appelleret, Neapolim offendit jam frequentatam incolis: & adeo sacra istic fecit Parthenopæ, ludumque illum instituit lampadiferum, cujus solennitatem Neapolitani lubentes amplexi sunt, tum per causam religionis, quam veterum superstitio omnibus ludis immiscuit publicis, (& erat hoc quoque mandatum ab oraculo) tum etiam voluptatis causa, atque auctorum ejus, qui erant Athenienses, ab ultima origine progenitores ipsorum. Atque hujus cognationis non minorem debebant habere notitiam, ac ipsi Athenienses suæ cum Leontinis in Sicilia cognationis, quorum idcirco defensionem susceperunt contra Syracusanos, proximo post istius Diotimi præfecturam anno, ut narrat idem *Diodorus*. Scripsit *Timæus* inter alia duos libros, quorum uno memoriæ prodidit Siculorum suorum res gestas cum Græcis, altero eorundem gesta cum Italiæ gentibus ad ætatem usque Agathoclis Siciliæ regis, cujus tempore ipse vixit, ut notavit *Suidas*. Atque adeo alterutro istorum librorum commode potuit narravisse istum Diotimi adventum ad urbem Neapolim, qui, ut ego rationem ineo, CXX circiter annis ante acciderat. Quod ad cetera attinet, satis illud est certum, incendium istud cum terræmotu, quod idem *Timæus* apud *Strabonem* dixit accidisse in Pithecusis insula aliquanto ante ætatem suam, quodque fugientes etiam vicini littoris in continente accolæ, se receperunt ad interiora Campaniæ loca; multo fuisse recentius isto altero, cujus metu Pithecusani, ut dictum est, dereliquerunt istam insulam ante majoris Hieronis tempora. Nam ab uno ad alterum usque incendium seculum cum dimidio circiter effluxit, quantum inter eundem Hieronem atque Agathoclem medium fuit annorum spatium.

Sed quam ob causam denique non facimus palam, quænam nobis in universum sit sententia de primis rebus Neapolis urbis atque Cumarum, quæ illius fuit mater? Sane vero tanto magis id facere ideo lubet, ut ita excitemus ingenia excellentium literatorum Neapolitanorum, quo denuo hoc pertractent argumentum, atque inde eruant quasdam alias antiquitates, quæ usque adhuc in occulto latent. Igitur, ut ego arbitror, Chalcidenses sociis Eretriensibus atque Cumanis Asiaticis ex Eubœa ad Pithecusas delati, deinde transierunt in continentem, servantes sibi nihilo secius istius insulæ possessionem, & Cumas condiderunt anno CXXXI ab eversa Troja, observata pactorum inter se fide, quæ nobis ita descripsit *Strabo*: *Ductores classis*, (verba sunt interpretis) *Hippocles Cumæus & Megasthenes Chalcidensis, inter se pepigerunt, ut alterius colonia esset, alterius appellatio coloniæ: itaque urbs Cumæ nomen gerit, videtur autem a Chalcidensibus condita*: id est, a Chalcidensibus videntur leges urbi constitutæ. Sed post multorum annorum, id est, circiter ducentorum intervallum, ab eversa Troja anno CCCXXX cum inter Euboicos atque Asiaticos orta esset intestina discordia quædam, altera factio, (*civium pars* scripsit *Vellejus*: neque potest ille aliud dixisse, quam partium factiones, in quas divisi erant iidem hice Cumani Cumarum Italicarum) id est, Asiatici abierunt novam urbem conditum, nempe Neapolim, a Cumis distantem paucis passuum millibus, & viciniffimam Parthenopæ, quæ jam condita erat, sive majorem in modum aucta, ut paulo post indicabo, ab Rhodiis, medio inter annum CCLXIV & CCLXXXVII ab eversa Troja intervallo. Nimirum videntur Asiatici oppressi fuisse legibus, quas suopte arbitrio administrabant Euboici, sive Chalcidenses; non secus ac Hebræi, olim Josephi temporibus humanissi-

Strabo illustratus.

Quam in rem sigillatim satis idonea sunt argumenta;

Et Diotimum quendam fuisse ducem Atheniensium,

Timæus apud Isacium Tzetzem illustratus.

Qui non excoluerunt rem navalem longe ante ejus ætatem.

Insuper de

Hujus Diotimi ætate atque adventu Neapolim non desunt alia indicia.

Per illa, quæ diximus, Neapolis credi potest fuisse condita ad hunc modum:

Post conditas in Italia Cumas

Cumani Asiatici primum eam condiderunt, facta secessione a Chalcidensibus.

nissime ab Ægypti rege accepti, cum deinde in amplissimum excrevissent numerum, non post minus annorum spatium duce Mose subtraxerunt se illi imperio, quod jam in acerbissimam verterat tyrannidem. Jam forte etiam *Strabo*, qui postquam Cumas adscripserat Chalcidensibus & Cumanis Asiaticis, Neapolim primum Cumanorum urbem dixit; non intellexit in genere Cumanos Italicos, sed transmarinos duntaxat; & deinde subjunxit de Chalcidensibus, Pithecusanis, & Atheniensibus, qui successu temporum Neapolim advenerunt. Atque hujus distinctionis cum neque *Plinius*, neque *Livius*, neque *Vellejus* habuerint rationem, conditam Neapolim integro jure ad Chalcidenses, qui jam facti erant Cumani Italici, retulerunt: qua de causa etiam dicta fuit hæc urbs, & maxime a poëtis, *Euboica*, & *Chalcidica*, perinde ut Cumæ. Interim vero, cum hoc modo Cumæ incolis infrequentes essent redditæ, cives earum odio atque æmulatione novæ urbis accensi, quæ in ipsorum surgebat invidiam, cœperunt ejus exstructionem impedire, eamque funditus tollere moliti sunt: Sed afflicti pestilentia, consulto oraculo eam instauraverunt, quod narravit *Lutatius*. Et post hanc pacem, inter Cumanos Asiaticos, qui jam erant Neapolitani, nostrosque Cumanos, qui Chalcidenses erant origine, confectam oportet accidisse Chalcidensium transitum e Pithecusis ad Neapolim, itidem per seditionem inter ipsos ortam. Multis annis post, id est, aliquanto ante Hieronis ætatem, circiter annum a Roma condita CCL, qui ex calculo *Dionysii Halicarnassensis* post bellum Trojanum fuit annus DCLXXXI, reliquiæ Pithecusanorum, coactæ suam relinquere insulam, & fugientes incendia, quæ narravit *Strabo*, Neapolim se receperunt, quæ loci intervallo satis amplo ab incommodo isto atque metu incendiorum Cumis erat tutior. Sed hoc malum cum desivisset, insulam istam occupaverunt missi ab Hierone circiter annum CCLXXX post Romam conditam, qui & ipsi paulo post novis incendiis adacti fuerunt ex ea excedere. Iisdem fere annis, id est, circiter annum ejusdem epochæ CCCXX, Neapolim advenerat Diotimus, Atheniensium classis præfectus, qui monitus oraculo sacra fecit Parthenopæ Sireni, inque ejus honorem ludos istic instituit, quos memoravit *Strabo*. Et adeo cum nova hac religione ille amorem sibi atque gratiam Parthenopæorum conciliare debuerit, simul quoque facilius potuit istorum ludorum oblectamentis mitigare ipsorum atque Neapolitanorum feritatem. Sane enim inter hos primis istis annis quidem nonnullas aliquando contentiones fuisse credendum est: tum vero cum utrique pariter ad novum confluerent spectaculum, jucundum atque sacrum, amicitiam eos inter se iniisse, & mutuas etiam contraxisse affinitates oportet. Hoc amplius cum multum eam ad rem facere posset suarum urbium vicinitas, si, quemadmodum de Emporiis dixit *Strabo*, non includerunt sese iisdem mœnibus, certe dicendum est, eodem modo eos se conjunxisse in unum eundemque populum, *quo essent tutiores*; cum etiam Diotimus abiens reliquisset Neapoli quosdam ex suorum Atheniensium numero. Et ab hoc tempore Parthenope urbs fortasse cœpit dici vulgo *Palæpolis* cognomine, & non multo post, ut ex versibus *Lycophronis* in *Alexandra*, quos aliquanto post afferemus, videtur posse colligi, *Neapolis* nomine utraque urbs denotari cœpit. Ad hunc igitur modum rebus Neapolitanorum undiquaque auctis, visum est ipsis non esse negligendum tempus ad recuperandas Pithecusas: atque adeo sine mora illuc transierunt, eamque occupaverunt in-

Atque hi cum eam disturbavissent, deinde instauraverunt oraculi jussu.

Postea successu temporum e Pithecusis transiverunt eo Chalcidenses, & Pithecusanorum reliquiæ.

Denique Diotimus istic reliquit quosdam ex suis Atheniensibus.

Et ab hoc tempore illa in unam conjuncta est urbem cum Parthenope, quæ inde cognominata fuit Palæpolis:

Item utraque solo Neapolis *nomine fuit appellata.*

A sulam, quam antea tenuerant ipsorum majores, Chalcidenses & Pithecusani. Hoc igitur modo arbitror non omnino inepte conciliari posse præcipuas discordias, quæ videntur inter antiquos fuisse scriptores, qui de condita Neapoli egerunt. Solam prætermisimus illam opinionem, quam de ea protulit *Marcianus Heracleota* in *Descriptione orbis*, versibus istis, qui Latine ita habent:

> *Tum Massiliensium Phocæensiumque Neapolis,*
> *Quam condiderunt fugientes Persica arma*
> *Phocæenses.*

Non fuerunt autem Massilienses & Phocæenses hujus Neapolis conditores.

Et ne dubitemus eum nostram intellexisse Neapolim, incontinenti hæc subjunxit:

B

> *A Cuma, quæ apud Avernum sita est,*
> *Condita ex oraculi responso fuit Neapolis.*

Verum non arbitror, mereri nos eo nomine reprehensionem, quæ in ipsum convenit, siquidem errore gravissimo nostræ Neapolis ortum confudit cum historia Phocæensium, qui condiderunt Massiliam, & item Massiliensium, qui in parva insula condiderunt urbem suam, quam ipsi dixerunt *urbem veterem*, postquam in continente ad Emporias exstruxerant aliam novam, quam dicere possemus *Neapolim*; ut intelleximus ex *Strabonis* verbis lib. III, quæ supra retulimus. Atque ex hoc, & item ex aliis erroribus ejus, quos demonstravimus, ubi de Cumis fuit actum, ut & ex illis, quos præterea notavit *Cluverius* lib. II cap. IV *Italiæ antiquæ*, judicent alii, quidnam de ejus diligentia sit existimandum. Itidem omisimus illud, quod *Scholiastes Isacii Tzetzis* dixisse *Diodorum Siculum* & *Appianum* refert: nimirum Neapolim fuisse conditam ab Hercule. Verum ille hic aperte falsus est, ut notavit idem *Cluverius*, cujus verba referre supervacuum.

Marcianus Heracleota refutatus.

C

Scholiastes Isacii Tzetzis refutatus.

Cluverius laudatus.

Jam vero quod ad conditam Parthenopen attinet, illa certe alios habuit auctores, & aliquantum etiam antiquior fuit antiquissimo Neapolis ortu, quem jam indicavimus. Atque hoc manifeste apparet, si fidem habere libet illis, quæ de Rhodiis lib. XIV scripsit *Strabo*, cujus verba Latine ita habent: *Narrantur & hæc de Rhodiis: res eorum mari secundas fuisse, non ab eo demum tempore, quo urbem, quæ exstat hodie, condiderunt, sed etiam ante Olympiorum institutionem permultis annis eos procul a patria classem eduxisse, hominum servandorum causa. Ita & usque ad Hispaniam eos navigasse, & Rhodum condidisse, postmodum a Massiliensibus occupatam, & in Opicis Parthenopen, & in Dauniis Coum auxilio Elpias. Quidam post reditum e bello Trojano Gymnasias ab iis ferunt conditas.* Ita *Strabo*. Atque hanc sententiam, quantum quidem ad Parthenopen attinet, repetiit *Stephanus Byzantinus*, si verba ejus Latine reddantur, ad hunc modum: *Parthenope urbs Italiæ in Opicis, Rhodiorum opus.* Jam vero ista Rhodos, quæ adhuc exstabat temporibus *Strabonis*, condita est, ut ipse narrat eodem libro, tempore celebris istius belli Peloponnesiaci, quod descripsit *Thucydides*, quodque cœptum est anno post Romam conditam CCCXX, & duravit paulo minus annis XXVIII. Olympiadum autem institutio duplex fuit: prior Herculis, ideoque aliquantum antiquior bello Trojano: altera Iphiti, qui eas in usum revocavit post aliquot annorum secula. Harum novarum Olympiadum prima circiter XXV annis antecessit Romæ ortum, qui non antiquior sexta, nec septima Olympiade fuit serior. Porro maris imperium, quo potentes Rhodii sine impedimento & victores navigaverunt ad Hispaniam usque, penes ipsos fuit per annos XXIII, ut in *Chronico* suo affirmat *Eusebius Cæsariensis*, qui primum ejus annum retulit ad annum MC ab ortu Abrahami, qui fuit post bellum Trojanum annus

PARTHENOPE *condita fuit a Rhodiis.*

D

E

F

Pag. 218.


PETRUS LA-SENA
Vir ergo Doctrinam
magnoque Ingenio
excellentissimus.

Isto annorum intervallo, quo maris imperium obtinuerunt aliquanto ante conditam Neapolim.

nus CCLXIV. Parthenopes itaque conditores fuerunt Rhodii, eosque hanc urbem condidisse oportet isto temporis intervallo, quo maris imperium obtinuerunt: ut adeo ista circiter LXV annis fuerit antiquior Neapoli, Cumanorum opere, quæ deinde cœpta est ædificari circiter annum CCCXXX ab eversa Troja, & postmodum variis temporibus aucta fuit ab aliis. Veruntamen non silebo, *Strabonem* citato lib. XIV dixisse: *Rhodii maris imperium diu tenuerunt*, quod videri possit accipiendum esse de majori, quem XXIII annorum spatio. Idem videtur quoque colligi posse ex eo, quod lib. I scripserat de iisdem Rhodiis, qui *maris imperium tenentes* nihil dubitaverunt ingredi exiguam quandam duodecim stadiorum in circuitu insulam, quæ post quatridui incendium recens enata erat e mari inter insulas Theram & Therasiam. Atque hæc res insolita accidit multo serioribus temporibus, quam ad quæ *Eusebius* retulit istam mari potentiam Rhodiorum. Ita enim eadem de re scripsit *Plinius Secundus* lib. II cap. LXXXVII: *Produntur enatæ inter Cyclades Olympiadis* CXXXV *anno quarto Thera & Therasia. Inter easdem post annos* CXXX *Hiera, eademque Automate. Et ab ea duobus stadiis post annos* CX *in nostro ævo, M. Junio Silano, L. Balbo Coss.* (fuerunt hi consules anno ab Urbe condita DCCLXXI, qui fuit a Christo nato annus XXI. Igitur heic apparet esse aliquid vitii in uno ex istis numeris, quoniam ex eorum calculo Roma condita foret tertiæ Olympiadis anno primo, quod minimum accidit demum sextæ anno primo) *ad* VIII *Idus Julias, Thia.* Etiam non me latet, e diverso quosdam hanc Rhodiorum coloniam voluisse ultra ætatem removere Herculis, qui primus fuit auctor ludorum Olympicorum, atque hoc modo Parthenopen facere antiquiorem bello Trojano. Atque hoc non tantum non impugnat meam de altiore ejus, quam Neapolis, antiquitate sententiam, sed etiam illi favet. Tamen vellem eos observavisse, quo nomine ab aliis etiam reprehensi sunt, temporum supputationem per Olympiades cœpisse ab earundem instauratione, ut abunde certum est, & insuper eos hoc animadvertisse, Rhodum, quæ eodem geographo notante *Homeri*, nedum belli Trojani, tempore necdum in unam erat conjuncta urbem, & in potestate Heraclidarum erat, non videri jam ante illa tempora foras emittere potuisse colonias, qua de re pluribus agere supervacuum est. Parthenopes itaque conditores fuerunt Rhodii, Græca gens. Dicta illa fuit hoc nomine, ut supra ex *Plinio Secundo* ejusque epitomatore *Solino* didicimus, a Parthenope Sirene, istic loci sepulta, cujus sepulcrum *Strabo* dixit etiamnum suo tempore exstare, & jussu oraculi celebrari istic (certe in honorem ejus) ludos quosdam, quos credere possumus fuisse eosdem illos, quos ibidem instituit Diotimus Atheniensis.

Strabo & Eusebius Cæsariensis ex collatione Plinii Secundi discordes inventi.

Plinius Secundus propter vitium in textu suo notatus.

Nec displiceret, eam fuisse conditam ante Herculis ætatem, dummodo hoc admitti posset.

Parthenope Siren monumentum habuit ad turrim, sive oppidum PHALERI.

Jam si lubeat antiquitatem hujus sepulcri investigare, deprehendemus, Parthenopen urbem habuisse etiam aliud nomen, & una cum nomine forte alios etiam conditores. *Dionysius Alexandrinus*, ubi in *Periegesi* sua de Campania agit, loquutus de eo est ex interpretatione *Prisciani* ad hunc modum:

> *Post hos pingue solum sequitur, Campania dives,*
> *Hic ubi Parthenopes domus est castissima, frugum*
> *Fertilis; hanc pontus propriis exceperat undis.*

Neque dubium est, quin ille per domum intellexerit monumentum ejus, de quo itidem intellexit *Lycophron* in *Alexandra*, qui illud appellavit altare, sive templum. Græca habent σῆμα. Verum hic ille fuit, qui iisdem verbis Parthenopes urbis, ut dicebamus, aliud nobis novum nomen prodidit. Versus ejus, quibus ille loquitur de eadem Sirene, ab *Scaligero* in Latinos redacti, hi sunt:

> *Unam Phaleri turris ejectam foras,*
> *Glanisque capiet, flumine irrorans humum;*
> *Qua pusæ acerram construentes incolæ*
> *Vitulatuum strepente Parthenopen sono*
> *Solennia deam jubilabunt alitem.*

Atque ex illo fortasse eandem narrationem hausit *Stephanus Byzantinus*, qui, si verba ejus reddantur Latine, ita scripsit: *Phalerum est urbs in Opicis, ad quam Parthenope Siren maris æstu ejecta fuit, quæ appellatur Neapolis.* Eadem de re alibi quoque loquutus erat ad hunc modum: *Neapolis, urbs Italiæ illustris, in qua Parthenope excepta fuit, una ex Sirenibus.* Igitur antequam naufraga Parthenope ejecta fuit ad hoc littus, & urbs Parthenope potuit appellata esse ab ejus nomine, jam fuit istic turris, sive oppidum Phaleri, cujus incolæ & solennia, sive, ut Græca voce ἔτεια exprimitur, annua illi perfecerunt sacrificia, (ita *Lutatius* dixit de lampadifero Diotimi ludo) & magnificam præstiterunt sepulturam. Credere igitur nos oportet, Diotimum Atheniensem nova solennitate sua cultum ejus auxisse veterem, quem olim instituerant Phaleræi, (atque hoc ipsum dicit quoque idem *Lycophron* versibus istis, quos jamjam afferemus) & Rhodios istud oppidum in suam mutavisse Parthenopen. Atque adeo verissima erit acuta & erudita observatio insignis amici mei *Petri la Sena* in libro suo *de Veteri gymnasio Neapolitano*, quem moriens imperfectum reliquit, quo scilicet perinde nobis ingens desiderium sui relinqueret, quam admirationem. Ille credebat, Phalerum illum posse fuisse unum ex Argonautis, qui eodem nomine fuit dictus. Dicimus igitur, Parthenopen & diversa nomina temporibus diversis, & variam habuisse, quod idem de Neapoli quoque intelleximus, originem. Quod si prius illud non libet admittere, Phalerus Rhodiorum fortasse dux fuerit, atque urbs & ipsius, & Sirenis nomine aliquandiu fuerit appellata. Versus *Lycophronis*, de quibus modo diximus, hi sunt:

Quod conditum fuit ante urbem Parthenopen

Petrus la Sena laudatus.

A Phalero Argonauta,

Et deinde ab ipsius nomine dictum Parthenope.

> *Primæ sorores ante cognatas Deæ*
> *Classis vetustus imperator Atticæ*
> *Certamen ardens lampadum nautis aget,*
> *Jussis deorum, plebs quod augebit dehinc*
> *Neapolitis.* —— ——

Loquitur de Diotimo. Ceterum secundus versus Græce ita habet:

Κραίνων ἁπάσης Μόψοπος ναυαρχίας,

quæ, si verbum de verbo exprimamus, respondent hisce Latinis:

Imperator totius Atticæ classis.

Verum *Scaliger* in sua interpretatione magis habuit curæ plenum nobis exhibere versum, quam integram istius poëtæ sententiam: atque adeo labefactavit, quod de Diotimo nos concluseramus. Itaque *Phaleri* oppidum, conditum a Phalero Argonauta, deinde dictum fuit *Parthenope* a nomine Sirenis, quæ istic habuit monumentum, &, perinde ut alii gentilium dii, ab Neapolitanis diu culta fuit honoribus eximiis: primum quidem victimis boumque sacrificiis a Phaleræis atque Rhodiis, deinde vero a Diotimo Atheniensi ludo lampadifero, qui itidem quotannis celebratus fuit, non secus ac de primo isto sacrificio dixit *Lycophron.* Atque heic non esse prætermittendum arbitror, eundem poëtam videri nos admonuisse, suo jam ævo (vixit autem ille circa annum post Romam conditam D) Neapolis nomen cœpisse usurpari ad denotandam veterem simul urbem atque novam, id est, Parthenopen, quæ deinde dicta

Josephus Scaliger notatus.

Fuit autem hæc Siren usque majoribus culta honoribus, maxime ab Neapolitanis,

Quorum nomine novissime ap-

pellati quoque fuerunt Parthenopæi, qui dicti etiam Palæpolitani, & principio vocati fuerant Phaleræi.

dicta Palæpolis, & Neapolim. Tribuit enim ille istius solennitatis incrementa populo Neapolitano, qui teste *Livio* jam in unum conflatus erat cum Palæpolitano. Neque vero arbitror, posse mihi heic moveri controversiam, & vel ex *Stephano Byzantino*, vel ex quolibet alio scriptore objici, Parthenopen & Neapolim fuisse duas urbes diversas, licet ipsi de utraque loquuti fuerint, tanquam de una sola. Monuimus enim, tractu temporis duas istas in unam fuisse conjunctas urbem, quæ ab earum peculiaribus nominibus promiscue fuit dicta *Parthenope*, *Palæpolis*, & *Neapolis*, (Phaleri nomen taceo, quod jam temporibus satis antiquis prorsus in desuetudinem abierat) & ad ultimum solius Neapolis & nomen & urbem mansisse reliquam. Atque hoc modo videtur mihi commode extricari posse hic nodus, qui ex ista nominum atque originum varietate nascitur, ita ut non habeamus opus accusare veteres, quod alioqui faciendum esset, multo graviorum errorum. Certe vetus statua marmorea pectore tenus, credita Parthenopes esse Sirenis, cujus re vera Neapoli fuit statua, de quo non sinit nos dubitare *Suidas*, licet non credam, eum de hac ipsa loquutum fuisse: *Neapolis*, (ita verba ejus Latine habent) *urbs Italiæ insignis, in qua Parthenopes Sirenis statua collocata est*; ista, inquam, statua vulgo vocatur *Caput Neapolis*, (*Il capo di Neapoli*) & appellanda utique esset *Caput Parthenopes*. Item superioribus seculis *Campus Neapolis* dicebatur locus ille, ubi fuit urbs *Parthenope*, quæ deinde *Palæpolis* accepit cognomen. Porro quod ad nomen & conditorem turris Phaleri attinet, fuit in Attica oppidum, itidem Phaleri nomine, & ab eodem isto Phalero Argonauta dictum, qui & ipse fuit Atheniensis, ibidemque habuit aram, ut narrat *Pausanias* lib. I. Abfuit illud ab Athenis, ut idem auctor testatur lib. VIII, non amplius viginti stadiis, id est, duobus millibus passuum & quingentis; & Atheniensibus præstitit usum portus ad commercia exercenda & navigationes vicini maris, antequam ejus loco Themistocles exstruxisset Piræeum, qui multo erat opportunior. Itaque arbitrari fortasse liceat, ex eodem hoc loco, unde & Mnestheus ad Trojam, & Theseus ad Cretam navigavit, eodem *Pausania* teste lib. I, illam quoque exivisse coloniam, quæ nostram Phalerum condidit, eodem forsan Argonauta duce. Atque hoc satis consonum foret *Petri la Sena* sententiæ, quam retulimus paulo ante, & pro verosimili admisimus. Insuper nonnemo crediderit, *Lycophronem* istis verborum involucris non tam demonstrare voluisse primum Neapolis urbis nomen, quam primam & antiquissimam Cumarum, aliarumque Græcarum in hoc tractu coloniarum originem, quas ipse innuere voluerit Clanii fluminis nomine. Ad Chalcidenses enim, qui teste *Vellejo*, quem supra audivimus, genus duxerunt ab Atheniensibus, consensu refertur Neapolis & Cumarum ortus, ut adeo ultima earum origo concedi debeat Atticæ, ejusque oppido Phalero. Jam iste heros Phalerus, Jasonis comes, ab *Apollonio Rhodio* lib. I, & item *Orpheo*, *Argonauticorum* scriptoribus, quos etiam *la Sena* adduxit, dicitur filius Alconis, & nepos Erechthei. De hoc Alcone dixit *Scholiastes Apollonii*, *Proxenum* sequutus auctorem, *ch' egli fuggissi* (ita *la Sena* Italice reddidit *Scholiastæ* istius verba Græca) *dal paese Attico, tenendo dietro à sua figliuola Calciope nell' Eubea, & che nè al padre, che la ricercava, havessero i Calcidesi voluto restituirla.* id est: *eum excessisse ex Attica, ut persequeretur Chalciopen filiam in Eubœam, & neque ipsi patri, qui eam quærebat, Chalcidenses eam voluisse reddere.* Atque adeo videri possit ille hoc modo nobis indicavisse primum istud tempus, quo istuc ex Attica factus est transitus, aut saltem proximam hujus occasionem. Verum haud sane temere ego hisce acquieverim, quæ asseverare non possumus, nisi pariter etiam Cumarum nostrarum ortum, secus atque ex *Eusebii* atque *Strabonis* auctoritate asseveravimus, removeamus ultra belli Trojani tempora, prout alii fecerunt, non alia instructi auctoritate, quam ejusdem duntaxat geographi, minus recte intellecti. Atque his ipse *Lycophron* contradiceret, si ille per Glanim, sive Clanium flumen regionem Cumanam intellexisset. Hac enim ratione Cumæ nondum fuissent conditæ Parthenopes Sirenis temporibus, quæ aliquantum junior fuit Argonautis. Præterea cuncti crediderunt usque adhuc, quæ apud istuc poëtam turris Phaleri dicitur, eam deinde proprie fuisse Neapolim nostram. Item cuncti dixere, Neapolim fuisse conditam a Cumanis nostris Chalcidensibus post aliquot annorum spatium ab ipsarum Cumarum ortu, & Sirenem istam circiter belli Trojani tempora facto naufragio ejectam fuisse non ad Cumas, sed ad Neapolim, quæ tunc temporis erat Phalerus, ubi diu superstitiosa ista lampadiferi ludi religione culta, & celebri fuit affecta sepultura. Si Chalcidenses Eubœæ orti fuerunt ab Atheniensibus ante gesta ad Trojam, convenit nihilominus, eorum initia multo fuisse antiquiora illis, quæ ipsi Cumis nostris dederunt: quemadmodum etiam *Vellejo* teste Cumarum multo fuit antiquior, quam Neapolis ortus. Atque adeo, quod ad originem *turris Phaleri*, quæ deinde in *Parthenopen* transiit urbem, novissime dictam *Palæpolis* nomine; item quod ad originem ipsius *Neapolis* attinet, videntur mihi in universum magis cum veterum auctorum testimoniis congruere illa, quæ supra ea de re pronunciavimus. Sed jam tempus est, ut de situ utriusque urbis exponere incipiam.

Lycophron illustratus.

Petrus la Sena laudatus.

Apollonius Rhodius, Orpheus, & Proxenus inter se collati.

Parthenope, sive Palæpolis & Neapolis, duæ urbes, quarum hæc Occidenti, illa Orienti propior.

Plinius Secundus, ubi lib. III cap. V maritima Campaniæ nostræ loca describit, ut itidem supra notavimus, postquam Acherusiam paludem, camposque Phlegræos memoraverat, quæ a mari aliquantum recedunt, progrediens oratione sua ab Occidente Orientem versus, quod & usque a principio observaverat, persequutus est descriptionem suam ad hunc modum: *Littore autem hoc Neapolis, Chalcidensium & ipsa: Parthenope a tumulo Sirenis appellata: Herculaneum: Pompeji.* Satis itaque certum est, [1] Parthenopen fuisse post Neapolim, Orientem & Herculaneum versus, ubi hodie castellum est, quod appellatur *La torre del Greco*, cui mox, ut suo loco demonstrabimus, succedebant Pompeji. Et cum illa non diversa fuerit a Palæpoli urbe, non erraverunt quidam recentiorum scriptorum, qui Palæpolim, itidem collocaverunt ad latus Neapolis, quod Orientem versus est: licet illi dixerint, se hoc colligere ex ista narratione *Livii*, qua proditur, quemadmodum ipsa Palæpolis, & cum ea Neapolis post obsidionem, quam alibi supra memoravimus, fuerit per voluntariam deditionem occupata a Publilio Philone, tum proconsule Romanorum. Neque tamen video, quomodo illi simul etiam hoc non animadverterint, Palæpolim debere fuisse Parthenopen *Plinii*. Sed istam *Livii* narrationem, quæso, aliquantum accuratius inspiciamus. Ille postquam dixerat: *Palæpolis fuit*

Sed unus

1. Iterum hic loquitur auctor ex ista opinione sua, qua Plinium credidit separatim describere voluisse Palæpolim & Neapolim, cum verosimilius sit, eum hoc duntaxat voluisse dicere, Neapolim urbem dictam quoque fuisse Parthenopen, qua de re supra dictum, quantum satis est.

fuit haud procul inde, ubi nunc Neapolis sita est. duabus urbibus populus idem habitabat, subjunxit ad hunc modum: *Hæc civitas*, (non speciatim distinguit, utra hæc fuerit illarum urbium: sed quandoquidem in illis *populus idem habitabat*, procul dubio intelligit conjunctam earum rempublicam) *cum suis viribus, tum Samnitium infida adversus Romanos societate freta; sive pestilentia, quæ Romanam urbem adorta nunciabatur, fidens, multa hostilia adversus Romanos, agrum Campanum Falernumque incolentes, fecit. Igitur L. Cornelio Lentulo, Q. Publilio Philone iterum Coss. Fetialibus Palæpolim ad res repetendas missis*, (intelligit conjunctim eandem rempublicam sub nomine hujus unius urbis, quam antiquitate sua, simul & Parthenopes sepulcri veneratione oportebat esse Neapoli celebriorem: nisi potius de industria *Livius*, ut supra monui, illa hostilia prorsus retulit ad solos Palæpolitanos, & de Neapolitanis omnino tacere voluit) *cum relatum esset a Græcis*, (ex ipsius sententia perinde Palæpolitani atque Neapolitani fuerunt Cumani, origine Chalcidenses, ideoque etiam utrique perinde Græci) *gente lingua magis strenua, quam factis, ferox responsum, ex auctoritate patrum populus Palæpolitanis* (iterum hos tantummodo memorat, ut supra) *bellum fieri jussit.* Non multo post ita pergit: *Publilius duo millia Nolanorum militum, & quatuor Samnitium, magis Nolanis cogentibus*, (hi seorsum in auxilium jam recepti fuerant a civitate, qua de re supra diximus dixisse *Strabonem*) *quam voluntate Græcorum recepta Palæpoli, miserat.* Hic itidem nomen Græcorum accipiendum, ut supra. ceterum de nomine Palæpolis aliquantum incertus sum, ut mox exponam. In sequentibus narrationem persequutus est ad hunc modum: *Publilius inter Palæpolim Neapolimque* (heic iterum manifeste duas hasce urbes ab invicem distinxit, & peculiaribus nominibus suis appellavit: & aliquanto post forsan tertium quoque dicet de Palæpoli proprie dicta) *loco opportuno capto diremerat hostibus societatem auxilii mutui, qua, ut quisque locus premeretur, inter se usi fuerant.* Et igitur illæ non claudebantur ejusdem muri ambitu, & inter eas nonnihil terrarum interjacebat. Denique, postquam dixerat: Præter mala obsidionis *fœdiora aliquanto intra muros iis, quibus hostis territabat, patiebantur*, subjunxit, duos ex principibus civitatis iniisse consilium urbis tradendæ Romanis. Igitur alter illorum, nomine Charilaus, *ad Publilium Philonem venit; &, quod bonum, faustum, felixque Palæpolitanis, populoque Romano esset*, (solennis præfandi formula in publicis edictis, aliisque majoris momenti rebus, ad leges & pacta spectantibus. Atque hic Palæpolitani non alii sunt, quam illi ipsi, ad quos Fetiales erant missi, quibusque deinde indictum erat bellum: id est, conjuncta duarum urbium respublica) *tradere se ait mœnia statuisse.* Atque hoc factum est ad hunc modum: *Nymphius* (ita appellabatur alter istorum principum) *prætorem Samnitium arte aggressus perpulerat, ut, quoniam omnis Romanus exercitus, aut circa Palæpolim*, (nisi forte Romanorum proconsul Publilius, quo veri speciem dolo adderet, exercitum suum isto tempore de industria contra Palæpolim converterat, oportet omnem vim istius obsidionis directam fuisse contra Palæpolim, urbem situ multo planiore, ut paulo post demonstrabo, quam Neapolis erat. Verum qua de causa non possit etiam heic Palæpolis accipi latiori ista significatione, quam paulo ante diximus? Dixerat enim *Livius*, eundem Publilium jam a principio *inter Palæpolim Neapolimque loco opportuno capto, diremisse hostibus societatem auxilii mutui, qua, ut quisque locus premeretur, inter se usi fuerant*) *aut in Samnio esset; sineret se classe circumvehi ad Romanum agrum: non oram modo maris, sed ipsi urbi propinqua loca depopulaturum. Sed ut falleret, nocte proficiscendum esse, extemploque naves deducendas. Quod quo maturius fieret, omnis juventus Samnitium præter necessarium urbis præsidium* (non distinguit, utrius duarum urbium. Quod si de una tantum illarum loquitur, intellexit Palæpolim, quam etiam intellexisse eum credere oportet, ubi dixit, Palæpoli receptum fuisse præsidium quatuor millium Samnitium, & duorum millium Nolanorum. Veruntamen Neapolim oportebat & ipsam instructam esse istoc præsidio, & antea, & isto etiam tempore. Et de Nolanorum quidem præsidio dubitare non possum, qui, ut ego arbitror, fuerunt illi Campani, qui per moram, quam egerunt Neapoli, id est, in integra urbe, quæ composita erat ex duabus, reliquerunt istic, ut *Strabo* dixit quædam nomina suorum magistratuum) *ad littus missa. Ubi dum Nymphius in tenebris & multitudine, semet ipsa impediente, sedulo aliis alia imperia turbans, terit tempus, Charilaus ex composito ab sociis* (nempe consilii de facienda deditione) *in urbem receptus*, (neque heic declarat, de utra duarum urbium loquatur, verum ex istis, quæ sequuntur, deprehenditur istud nomen usurpavisse latiore sensu) *cum summa urbis Romano milite implesset*, (idem igitur generale nomen urbis, & hic, & in verbis antecedentibus ad solam Neapolim restringitur, quæ in colle sita erat) *tolli clamorem jussit; ad quem Græci* (intelligit Palæpolitanos simul & Neapolitanos, ut supra) *signo accepto a principibus* (nempe Charilao & Nymphio) *quievere. Nolani per adversam partem urbis via Nolam ferente effugiunt.* Altior pars urbis erat Neapolis. Igitur altera, quæ huic erat opposita, fuit Palæpolis: atque hoc modo illa fuit Occidentem versus, hæc Orientem versus. Neque ego ex aliis *Livii* verbis, nisi ex hisce, hanc duarum harum urbium situs diversitatem intelligere possum, utcunque nonnulli recentiorum etiam ex aliis Livianis eam cognovisse crediderint, qua de re penes lectores esto judicium. Igitur Nolani, sive jam eos tantummodo Palæpoli, sive in utraque urbe præsidium egisse credamus, ista nocte omnes Palæpoli cum se conjunxissent, ocyus patriam repetiverunt urbem, quæ ab ista parte sita erat. Inter Neapolim enim & Palæpolim non majus erat loci intervallum, quam inter collem & subjectam planitiem Orientalem: & ipsa Neapolis ab aliis partibus undique cincta erat abruptis, ut adeo Nolani isti, qui Romanorum manibus elapsi sunt, cum illi Neapolim occupavissent, non aliam potuissent invenire viam evadendi, quam per Palæpolim. Pergit *Livius: Samnitibus exclusis ab urbe*, (intellige utramque urbem; & tam istos Samnites, qui decepti erant ficta expeditione ista, quam istos etiam, qui exiguo numero relicti erant ad præsidium Palæpolis, sive urbis utriusque) *ut expeditior in præsentia fuga, ita fœdior, postquam periculo evaserunt, visa: quippe qui inermes*, nam & illi, qui in expeditionem abierant, depopulaturi agrum Romanum, abjecerant arma) *nulla rerum suarum non relicta inter hostes, ludibrium non externis modo, sed etiam popularibus*, (quid? anne perinde Nolanos postea ludibrio habitos a popularibus suis credimus? Verum auctor risum in solos convertit Samnites, perpetuos Romanorum hostes, cum deinde Nolani eorundem non pœnitendi fuerint amici bello Punico secundo) *spoliati atque egentes domos rediere.* Atque hæc est integra narratio istius obsidionis, relicta nobis

Marginal notes: *tantummodo populus*; Livius prolixe illustratus; *Obsidio cinctæ ab Romanis*; *Per liberam deditionem in eorum potestatem concessere*; *Dolo decepto Samnitium atque Nolanorum militum, quod habebant, præsidio*; *Ceterum prior Neapolis est occupata, & tum postea Parthenope, sive Palæpolis*; *Atque inde tum Nolani Nolam evaserunt*; *Samnites autem turpiter fuerunt exclusi*; Livius notatus.

bis a *Livio*, qui insuper rationem reddidit, cur sequutus non fuerit alteram opinionem, *qua hæc proditio ab Samnitibus facta traditur*; quam in rem verba ejus supra retulimus. Verum qua ratione ex diversis adeo narrationibus hæc Liviana vi istius argumenti, quod ipse attulit, verisimilior sit existimanda, quam ista altera, alia declarabimus occasione.

Neapolis fuit eodem in colle, in quo illa hodie, sed aucta undique versum, est sita:

Jam si opus esse arbitrarer, pergerem de situ Neapolis accuratius agere, de quo satis possumus esse certi ex manifestis ejus ædificiorum reliquiis. Equidem quod ad amplitudinem ejus attinet, ipsa loci facies, & diligens observatio recentiorum, qui de ea scripserunt urbe, demonstrant, eam non multis post seculis jam occupavisse collem istum, qui hodie quasi æqualiter cinctus undique est novis habitationibus, quibus postmodum aucta fuit urbs, quique leniter declinans Orientem versus, in planum admodum exit campum. Igitur de situ Palæpolis, cujus nullum superest amplius vestigium, quamque multi auctores sine idoneo argumento dixerunt pluribus passuum millibus a Neapoli remotam fuisse Herculaneum versus, ultra ostium Sebethi amnis; apprime conveniet ut exponere incipiam, alio allato manifestiori indicio, quod non pugnet etiam cum illis, quæ de eadem urbe prodidit *Livius*.

Et ad ejus radices Orientem, versus non ultra Sebethum, fuit Palæpolis in plano campo.

Equidem cum neque Liviana ista narratio mihi videatur, neque alia necessitas nos adigere, ut Palæpolim ultra Sebethum fuisse credamus, hoc amplius arbitror, eam citra eundem amnem, & non longe remotam fuisse ab ista porta Neapolis urbis, quæ Capuam euntes dimittens, jam antiquitus appellata fuit, & hodieque dicitur *Capuana*; item fuisse eam isto in loco sitam, qui multis abhinc seculis vulgo dictus fuit *campus Neapolitanus*, & *campus de Neapoli*, & absolute *Neapolis*, certe eam ob causam, quod istic loci fuerat eadem Palæpolis, quæ, licet suum habuerit peculiare nomen, nihilominus etiam communi Neapolis nomine fuit designata.

Falco Beneventanus illustratus.

Campi hujus apertam fecit mentionem *Falco Beneventanus* in *Chronico* suo ad annum MCXL, ubi narrat, quemadmodum Rogerius rex ab civibus nobilibusque Neapolitanis primum deductus fuerit Neapolim magna cum pompa. *Cives igitur* (hæc sunt verba ejus) *cum militibus civitatis foris portam Capuanam exierunt in campum, quem Neapolim dicunt*; *& regem ipsum honore & diligentia multa, ultra quam credi potest, amplexi sunt*; *& sic usque ad prædictam portam Capuanam perductus est.*

Ignotus Monachus Casinensis illustratus.

Neque de alio campo loquutus fuit incertus *Monachus Casinensis* in *Historia temporum suorum*, quæ edita a nobis est *Historiæ Principum Longobardorum* lib. I. Ille *Num.* XXVIII de Sedoano rege Saracenorum ita scripsit: *Quodam tempore* (nempe circiter annum a Christo nato DCCCLX) *egressus a mari totam devastabat Capuam, Caucias, Leborem*; *& suum nequissimum thronum posuit in campo de Neapoli*: id est, cum primo deprædatus esset terras circa Capuam, mox illas, quæ sunt citra, & denique illas, quæ sunt ultra flumen Clanium.

Joannes Diaconus Neapolitanus illustratus.

Verum *Joannes Diaconus Neapolitanus*, ætate suppar *Casinensi* auctor, ubi in *Chronico Episcoporum* suæ urbis, quod nondum in lucem editum est, de S. Athanasio, Episcopo Neapolitano, qui vixit eodem tempore, quo rex ille Saracenus, ita narravit: *In ecclesia S. Januarii foris sita monachorum collegium sub Abbatis regimine ordinavit, offerens ei unum hortum, in campo Neapolitano positum*; itidem loquutus est de illo campo extra portam *Capuanam*, ubi hodieque plurimi sunt horti, qui, ultimis hisce temporibus urbe mirum in modum incolis aucta, latius ab utraque Sebethi ripa coluntur. Igitur aut concedendum erit, istic loci fuisse Parthenopen, quæ postea dicta Palæpolis, aut, si quis illud negaverit, ratio illi erit reddenda, cur commune Neapolis, & Neapolitani campi nomen speciatim huic campo fuerit inditum, loco nominis proprii.

Ceterum non adeo certum est, eam attigisse mare.

Quod si ego satis essem certus, veterem illam urbem attigisse mare, ut quidem abunde sum persuasus, novam eo usque non pertinuisse, sicut ex antiquis auctor mihi est *Philostratus De imaginibus* lib. I; & ex mediæ ætatis scriptoribus *Herchempertus* in *Historia Principum Longobardorum Num.* XLIV, cujus verba retulimus, ubi de Miseno fuit actum; dicerem, commune corpus utriusque urbis civium ad modum Athenarum distinctum etiam fuisse secundum diversitatem regionum, quarum altera in monte, altera ad mare erat, in Hyperacrios & Paralios, & forte etiam perinde in factiones, ut de Athenis notavit *Sigonius* lib. I cap. II *De republica Atheniensium.*

Ut quidem satis est probabile, prope illam fuisse conditam Neapolim.

Verum nonnullis fortasse parum videbitur verisimile, adeo vicinam Parthenopæ urbi fuisse conditam ab alia gente Neapolim. Quibus ego, ne longiore disputatione opus habeam, satisfacere possum Emporiarum, quod etiam supra retulimus, exemplo: ubi cum similis difficultas habeat locum, tollit illam *Livius*, ubi de Massiliensibus, conditoribus earum loquitur ad hunc modum: *Miraretur quis, cum cerneret, aperto mari ab altera parte, ab altera Hispanis, tam feræ & bellicosæ genti, objectos, quæ res eos tutaretur.* Respondet: *Disciplina erat custos infirmitatis, quam inter validiores optime timor continet.* Et pergit aliquanto uberius exponere, quænam fuerit illa eorum disciplina. Idem dicere licet de Neapoli, quæ hoc quoque, plusquam nova Massiliensium urbs, habuit commodi, quod exstructa fuit in colle, ac proinde in loco multo tutiore, quam Parthenope, quæ deinde dicta Palæpolis. Postea vero duæ istæ urbes per occasionem vicinitatis, ut supra monui, in unam se conjunxerunt, quo tutiores essent a vicinis & communibus inimicis, quos arbitramur potissimum fuisse Nolanos, expositionem illam sequentes, quam supra dedimus narrationi *Strabonianæ*. Ita igitur duæ hæce urbes nostræ, admodum inter se vicinæ, & a variis populis conditæ temporibus diversis, ad ultimum in unam coaluerunt urbem.

Solinus illustratus.

De illis dixit *Solinus*: *Parthenope a Parthenopes Sirenis sepulcro appellata, quam Augustus Neapolim esse maluit.* Atque ille, ut supra hæc verba ejus exposuimus, non de mutato unius nomine in nomen alterius est loquutus, sed de Parthenope jussu Augusti desolata, quo scilicet Neapolis evaderet concinnior, cultior, & speciosior.

Propter ejus incrementa illa injussu Augusti fuit desolata.

Eodem plane modo, cum idem Imperator veterum Syracusarum, urbis itidem Græcæ, & in quatuor vel quinque regiones divisæ, quæ per situs distantiam totidem urbium speciem exhibebant, partem illam nova augeret colonia, quæ certe & frequentius, & procul dubio præstantioribus e populo habitabatur, cogere eum quoque & conjungere reliquos Syracusanos in istam partem solam oportuit, solo æquatis ceteris.

Consimili Syracusarum exemplo.

Nostra tempestate (ita verba *Strabonis* lib. VI Latine reddidit interpres ejus) *cum inter alias urbes Pompejus Syracusas quoque male tractasset, missa Augustus Cæsar colonia magnam veteris structuræ partem restituit. Olim enim Syracusæ quinque urbibus constabant, contentæ muro CXXC stadia longo. Neque opus putavit esse Augustus, totum istum complere circuitum, sed eam, quæ habitabatur pars ad insulam Ortygiam, censuit majori habitantium copia instruendam, cum ea pars ambitu suo minime contemnendæ urbis aream includeret.* Atque alio adhuc Nicopolis urbis exemplo, for-

formatæ ex Ambraciæ urbiumque circumjacentium reliquiis, quod refert idem geographus lib. VII, abunde certi sumus, Augusto ita placuisse, ut instauraret atque augeret urbes, supervacua earum vastitate ad justum contracta modum. De amore autem ejus erga Neapolim, quo inductum credimus cum adjecisse animum ut novum illi ornatum adderet, itidem pluribus argumentis satis possumus esse persuasi.

Quia Neapoli ratio vivendi, aliaque instituta Græcorum observabantur, cupide eo secesserunt Romani.

Sane vero quodnam eam in rem majus argumentum desideramus, singulari ista atque frequenti voluptate, quam Romani ex secessu eam in urbem petere solebant? nimirum per causam jucundorum studiorum atque exercitiorum Græcorum, quæ proinde istic fuerunt frequentissima; imo quædam illorum ad id fastigium processerunt, ut cum nobilissimis Græcorum de præstantiæ laude contenderint. *Plurima* (dixit Latinus interpres Strabonis lib. V) *ibi Græcorum institutorum supersunt vestigia; ut gymnasia, epheborum cœtus, phratriæ, & Græca nomina Romanis imposita. Hoc tempore sacrum quinquennale certamen musicum & gymnicum per aliquot dies agitur, ludis Græcorum nobilissimis æmulum.* Et mox: *Vitæ autem Græcanicæ rationem Neapoli augent, qui eo Roma secedunt in otium; sive qui ab ineunte ætate laboribus defuncti sunt, sive alioquin ob imbecillitatem aut senectutem cupiunt vitam faciliorem degere. Et Romanorum nonnulli hoc vitæ genere gaudentes, ubi vident multitudinem hominum, qui ejus instituti causa ibi versantur, lubentes locum eum amplectuntur, ibique victitant.*

Hinc illa præter alias laudes potius fedes esse solatii calamitosis, quam majorum dolorum irritamentum, credita fuit;

Certe cum hisce verbis Strabonis satis consentiunt illa *Ciceronis in Oratione pro P. Sulla*, ubi Neapolim dixit esse locum *non tam ad inflammandos calamitosorum animos, quam ad consolandum accommodatum.* Equidem a studiis atque otiis literarum, & grata quiete magnificis laudibus illa celebrata est ab *Horatio*, *Ovidio*, *Columella*, *Statio*, *Martiale*, *Silio*, & omnium maxime a *Virgilio*, quorum versus ab aliis sunt notati. Item de multa in literis, exercitiisque gymnasticis diligentia Neapolitanorum legi potest *Philostratus* lib. I *De imaginibus*, *Dio Chrysostomus* *Orat.* XXVIII, *Aulus Gellius* lib. IX cap. XV, aliique. Quare illa heic referre nihil attinere arbitror. Verum illud dicam, ex omnibus hisce videri posse colligi, temporibus illorum scriptorum, quos diximus, & item maxime florentis imperii Romani, Neapolitanorum dignitatem in satis amplo fuisse positam fastigio.

Et hac de causa, ut & propter constantem erga Romanos fidem, omnium amorem, magnamque promeruit existimationem.

Adde meritum constantis illorum fidei, quæ a *Vellejo* nostro celebrata, & apud eundem, quem supra diximus, Augustum in magno pretio fuit, ut video colligere posse ex illis, quæ de eo dixit *Dio* lib. XLVIII: nempe illum, cum dubitaret, ne Liparenses se adjungerent Sexti Pompeji partibus, transtulisse eos Neapolim. Atque adeo scriptores perinde suopte ingenio atque animi instinctu, quam ut principum affectibus subscriberent, urbem illam magnificis istis laudibus ornaverunt. Jamque ego firmius credam, *Livium*, ne splendorem ejus obscuraret, tacuisse Neapolis nomen, &, ut supra notavimus, causam belli istius, quo Romani eam oppugnaverunt, speciatim retulisse ad Palæpolitanos. Verum idem mox Neapolitanum dixit fœdus bello confecto initum, quod per tot secula duravit inviolatum.

Neapolim Romani coloniam non deduxerunt, ideo ne Græci ritus in ea urbe obsolescerent;

Igitur cum multum delectati fuerint Romani Græca vivendi ratione, studiisque Græcorum, quæ Neapoli diu duraverunt, facile inde colligi potest, eos nullam unquam civium suorum coloniam deduxisse Neapolim. Hac enim ratione mutati forent ejus urbis ritus patrii, quandoquidem nihil aliud erant coloniæ, quam expressæ Romæ urbis imagines. Atque hujus sententiæ auctorem insuper habeo *Plinium Secundum*, qui lib. III cap. V integram se descripturum præfatus Italiam, atque ejus oppida, *coloniarum mentione signata*, postea coloniæ nomen Neapoli non addidit.

Strabo cum Plinio Secundo collatus & illustratus.

Cum *Plinio* satis consentit *Strabo*, qui lib. VI narrans de Græcis, per hanc Italiæ partem atque Siciliam satis late dispersis, dixit, postmodum ætate sua *Tarento*, *Rhegio*, & *Neapoli exceptis*, *omnia* Græcorum *in barbariem redacta.* Utcunque enim populis avita sua manerent nomina, tamen reapse jam facti erant Romani: quod intelligendum est de coloniis Romanorum ad ipsos deductis. *Aliaque* (subjunxit *Strabo*) *a Lucanis, & Bruttiis, alia a Campanis obtinentur: ab his quidem verbo, reapse ab Romanis. sunt enim & ipsi Romani.*

Veruntamen dederunt illi nomen atque jus coloniæ.

Equidem non ignoro, in veterum quorundam marmorum *Inscriptionibus* Neapolim appellari coloniam. Neapolim, inquam, non vero prorsus ignotam coloniam aliquam Neapolitanam, sicut nonnulli procul omni sano intellectu hoc exponere non dubitaverunt, quasi adspernantes nomen coloniæ, quod propter populi Romani majestatem honoratum fuit præter cetera. Sed neque me fugit, *Asconium Pædianum* in *Tullii Pisonianam* de Pompejo, qui colonias quasdam ultra Padum flumen deduxerat, ita scripsisse: *Non novis colonis eas constituit; sed veteribus incolis manentibus jus dedit Latii, ut possent habere jus, quod ceteræ Latinæ coloniæ: id est, ut petendi magistratus gratia civitatem Romanam adipiscerentur.* Igitur nihil dubito, quin eodem modo coloniæ nomen honoris loco datum quoque fuerit Neapoli, cum interim tamen salvum illi relictum fuerit nonnihil suæ libertatis, qua de commodius & prolixius acturus ero in fine harum *Dissertationum.* Et de origine tam fortunatæ urbis tantum dixisse sufficere potest.

XXII. *Sebethus amnis. Mons Vesuvius. Antiquissima ejus incendia ignota. Forma ejus mutata pluries. Idem ab ignibus subterraneis, qui olim illum ex terræ visceribus ejecerunt, imminutus. Jovi Vesuvio consecratus.*

Post Neapolim succedebant aliæ urbes in eodem littore,

JAm licet *Antoninus Pius* in *Itinerario* suo non ultra Neapolim extenderit viam, quam per maritimas nostras directam urbes, Minturnas, Sinuessam, Volturnum, Liternum, Cumas, & Puteolos, incipere dixit a Tarracina: quasi scilicet reliqua hujus littoris aut deserta fuerint, aut ignobilibus obsita castellis; nihilominus satis est certum, temporibus antiquioribus nonnullas istic fuisse urbes, satis frequentatas atque celebres. Et adeo cœptam persequentes descriptionem, de illis quoque tractare nos conveniet. Sed opus est, ut prius dicam paucis de Sebetho amne, & copiosius aliquantum de monte Vesuvio.

Ubi in mare exit SEBETHUS,

Ille ultra Neapolim minus mille passibus viam nostram ex transverso interrumpit, & in mare se exonerat: Vesuvius paucis passuum millibus surgens ulterius, quo de situ ejus nunquam fuit dubitatum, nullo prorsus impedimento sese nobis objicit, & intuentium oculos mentesque voluptate sui perfundit atque admiratione. Sebethum esse amnem illum, quem diximus, non sinit nos dubitare *Vibius Sequester*, ubi in *Catalogo fluminum* nomen ejus notavit hisce verbis: *Sebethus Neapoli in Campania.*

Lycophron notatus.

Atque hunc amnem sub nomine *Glanis* intelligere quoque *Lycophronem* debuisse in versibus, quos supra allegavimus hic jam liquere potest multo manifestius, quam forte tum vi-

viſum fuit, ubi alias illud monuimus de Clanio agentes. Neque de hoc fluvio, qui tenui alveo brevem conficit curſum, & nullius fere nominis eſt, quique non tantum ab *Lycophrone*, ſed & ab *Auctore De viris illuſtribus*, ut paulo poſt videbimus, alio quam Sebethi nomine fuit appellatus, aliud majoris momenti ſupereſt, quod obſervetur.

Exiguus fluvius, qui ab nonnullis dictus etiam fuit alio nomine.

Verum de Veſuvio, quem *Suetonius* in *Tito*, ſive lib. VIII cap. VIII etiam Campaniæ noſtræ adſcribit in hiſce verbis: *Quædam ſub eo fortuita ac triſtia acciderunt, ut conflagratio Veſevi montis in Campania*; ſatis prolixe mihi foret dicendum, niſi ultima ejus conflagratio, quæ accidit a. d. XVII Cal. Jan. anno a Servatoris ortu MDCXXXI, excitaviſſet ingenia multorum inſignium literatorum, ut de hoc monte ſcriberent voluminibus integris. Atque hi de natura incendiorum ejus, ut & de numero illorum, quæ præteritis ſeculis acciderant noviſſima; & non minus, quam antiquiſſima, prope jam venerant in oblivionem; quod ſcire deſideremus, nihil reliqui fecerunt. Titi tempore dixit *Suetonius*, atque idem alii quoque veterum auctorum affirmant, Veſuvium magna copia flammas ejeciſſe, quæ amœniſſimam iſtam oram, ſatis frequentem colentibus, in horridam mutaverunt faciem, cum illæ per multa ante ſecula inde non prodiiſſent amplius, ita ut mons ille magis ex indiciis, quam ex certis hiſtoriarum documentis, ejus eſſe naturæ ſciretur. Ex indiciis duntaxat cognovit prima ejus incendia *Diodorus Siculus*, cujus verba retulimus, ubi de Cumis actum fuit. Nec certiorem ejus notitiam habuit *Strabo*, qui lib. V, ut interpres ejus habet, ita ſcriptum reliquit: *Veſuvius mons agris cinctus eſt optimis, dempto vertice, qui magna ſui parte planus, totus ſterilis eſt; adſpectu cinereus, cavernaſque oſtendens fiſtularum plenas, & lapidum colore fuliginoſo, utpote ab igni exeſorum; ut conjecturam facere poſſis, iſta loca quondam arſiſſe, & crateres ignis habuiſſe; deinde materia deficiente reſtincta fuiſſe.* De Pithecuſarum incendiis diſerte hic auctor narraverat, numero quoque eorum atque temporibus indicatis, & de Veſuvianis quod dicat aliud neſcit, niſi quod ipſi perſuadebat conjectura. Et *Vitruvius* quoque per conjecturæ modum de illis loquitur lib. II cap. VI *De architectura*, licet oſtendat, quomodocunque de illis aliquam eſſe famam. *Ardores autem eſſe in his locis*, dicit ille, poſtquam in proximis memoraverat tractus circa Bajas & Veſuvium, *hæc res poteſt indicare, quod in montibus Cumanorum & Bajanis ſunt loca, ſudationibus excavata, in quibus vapor fervidus, ab imo naſcens, ignis vehementia perforat eam terram, per eamque manando in his locis oritur, & ita ſudationibus egregias afficit utilitates. Non minus etiam memoratur, antiquitus creviſſe ardores, & abundaviſſe ſub Veſuvio monte, inde evomuiſſe circa agros vicinos flammam; ideoque nunc qui ſpongia, ſive pumex Pompejanus vocatur*, (Pompeji oppidum quaſi ad radices fuit Veſuvii, ab latere ejus meridiem verſus, ut poſtea oſtendemus) *excoctus ex alio genere lapidis, in hanc redactus eſſe videatur generis qualitatem.* Atque hæc eſt cauſa, cur *Plinius Secundus*, qui lib. II cap. CVI catalogum fecit locorum, quæ ſponte flammas exhalabant, & lib. III cap. V mentionem fecit hujus montis; ne verbum quidem fecerit de ejus incendiis, quod certe feciſſet, niſi per iſtam, quam diximus, conflagrationem ejus, quæ Titi temporibus accidit, vita ipſi fuiſſet erepta, nedum ſcribendi de ea atque differendi poteſtas. De iſta alta atque obſcura antiquitate primorum ejus incendiorum volens nos admonere *Tacitus* lib. I *Hiſtoriarum*, ubi de illo ipſo loquitur, quod modo memoravimus, quocum etiam fortuitum Romæ incendium, fuit conjunctum, ita ſcripſit: *Jam vero Italia novis cladibus, vel poſt longam, ſeculorum ſeriem repetitis, afflicta. hauſtæ, aut obrutæ urbes: fœcundiſſima Campaniæ ora, & Urbs incendiis vaſtata.* Cum igitur per tot jam ſecula prorſus ceſſaviſſet hæc ejus flammarum eructatio, credidit *Strabo*, ut ex ipſius verbis intelleximus, prorſus quoque earum fuiſſe exſtinctam materiam; quem illi errorem eximere ſane debuiſſent calidarum aquarum fontes, qui ſuis temporibus ad radices ejus ſurgebant, & de quibus ipſemet loquutus fuiſſe, credi poteſt, ubi ita dixit: *Habet Neapolis calidarum aquarum ſcaturigines, & balneorum apparatus, Bajanis non deteriores.* Certe de illis *Lucretius* intellexit ſequentes lib. VI verſus: ad quorum priorem quod attinet, neque una ejus eſt lectio in libris manu exaratis, neque criticorum eadem ſententia, utrum in eo Veſuvii nomen legendum ſit, an vero alia verba. Sed quoniam nihil heic mihi cum iſtis litibus, qui ad opinionem meam poſteriorem duntaxat accommodo verſum, de quo dubitatum nunquam eſt, quin de calidis fontibus *Pompejanis* in eo fiat mentio; priorem ita referam, quemadmodum ille legebatur, antequam *Turnebus* ob rationem, quam retulimus, ubi de Puteolis diſputabamus, eum ſine cauſa ſollicitaviſſet:

Mons VESUVIUS, qui paucis abhinc annis flammas ſuas, diu intermiſſas, denuo protulit,

Ante incendium ſuum, quod Tito imperante contigit, quibuſdam vix cognitus fuit ejus eſſe naturæ.

Prima enim incendia ejus antiquiſſimis acciderunt temporibus, & credita fuerunt funditus eſſe reſtincta,

Strabo notatus pluribus modis.

Cum tamen de perpetuis eorum ardoribus indicium facere poſſent fontes ejus aquarum calidarum.

> *Is locus eſt Cumas apud, Etruſcos & montes,*
> *Pompeji calidis ubi fumant fontibus aucti.*

Antonius Caracciolus De ſacris monumentis Neapolitanis cap. XVII exiſtimavit, de iiſdem fontibus loquutum eſſe *Dionem* lib. LXVI, verbis iſtis, quæ aliquanto poſt afferemus; non animadvertens ſcilicet, eum diſerte iſtic non de Veſuvianis aquarum, ſed flammarum fontibus dixiſſe. Jam igitur poſtquam incendia Veſuvii, re ipſa comprobata temporibus Titi, non tantum certiora, ſed & frequentiora evaſiſſent, nomen hujus montis, licet ceteroqui etiam ſatis notum, multo tamen cœpit eſſe celebrius. Atque hoc nos admonuit *Galenus*, qui vixit Hadriani, & Antonini Pii temporibus, ubi *Methodi* lib. V cap. XII, ſi verba ejus Latine reddantur, ad hunc modum ſcripſit: *Celebre nunc & novum nomen eſt Veſuvius, omnibus mortalibus notum propter ignem, qui in eo ex terra in ſublime emittitur.* Atque hac de cauſa *Solinum* quoque arbitror, qui multa illorum amputavit, quæ in ſuis libris ſcripſerat *Plinius Secundus*, tacuiſſe quidem de Pithecuſarum incendiis, quæ ſuus auctor quodammodo memoraverat lib. II cap. LXXXVIII, & non item de Veſuvii eructationibus, atque hunc montem dixiſſe *flagrantis animæ ſpiritum vaporantem.* Quo in loquendi genere videor mihi agnoſcere iſtam ejus incendiorum frequentiam, quam deinde ſubſequutam eſſe diximus: de qua eadem manifeſte nos reddidit certos *Dio*, quem ſupra memoravimus, ubi ita de illis affirmavit: *In eo quotannis fieri ſolent*, unde etiam hoc concluſit de Veſuvio: *Habet fontes ignis maximos.* Jamque arbitror jure poſſe credere, poſt manifeſtos iſtos & certos ignes ejus factum fuiſſe, ut Neapolitani fabulas de eo confinxerint, ſimiles iſtis, quæ de aliis ejuſdem naturæ montibus vulgo ferebantur. *Neapolitani autem* (dixit interpres *Philoſtrati* in *Heroicis*) *Italiam habitantes, Alcyonei oſſa mira fuiſſe memorant, ajunt enim de gigantibus multos illic fuiſſe ictos, Beſbiumque montem* (etiam hoc modo dictus fuit Veſuvius) *ſuper ipſos flagrare.* Sed mirum hoc, ſi prima ejus incendia parum cognita fuerunt, & nihilominus certo credita oriri ab ſepultis iſtic gigantibus. Verum hac de re ſatis.

Antonius Caracciolus notatus.

Verum deinde illa adeo fuerunt frequentia, ut nomen ejus admodum celebre evaſerit,

Solinus illuſtratus.

Et de ardoribus ejus fabulas confinxerint Neapolitani.

Philoſtratus illuſtratus.

Jam

In cacumine Vesuvius primum magna ex parte planus fuit,

Jam si antiquissima Vesuvii montis incendia ex indiciis, quæ inde supererant, veteribus, licet aliquantum inperfecte, cognita fuerunt, neutiquam diffido itidem ex recentiorum ejus incendiorum indiciis, quæ nobis ostenderunt scriptores, posse colligere illud, quod usque adhuc aliis observatum esse nescio. *Strabo*, ut supra vidimus, ita dixit: *Vesuvius mons agris cinctus est optimis, dempto vertice, qui magna sui parte planus, totus sterilis est; adspectu cinereus, cavernasque ostendens fistularum plenas, & lapidum colore fuliginoso.* Hæc ejus facies erat istius auctoris temporibus. Atque de harum, quas ille dixit, cavernarum nonnulla intellexit forte *Florus* lib. III cap. XX, ubi de Spartaco, aliisque fugitivis, illum ducem sequutis, qui in Vesuvio obsessi erant a Clodio Glabro multis ante Strabonis ætatem annis, ita dixit: *Per fauces cavi montis vitigineis delapsi vinculis, ad imas ejus descendere radices*; licet *Plutarchus* in *Crasso*, & *Frontinus Stratagematum* lib. I cap. V, ubi itidem de illorum fuga scripserunt, de ejusmodi cavis faucibus nihil dixerint. Ceterum *Dionis* ætate in vertice hujus montis nihil quicquam erat plani, sed apparebat ejus loco cavitas amplissima in amphitheatri formam, certe ejusdemmodi, ut supra diximus fuisse cavitatem Gauri, aliorumque montium, qui sunt circa Puteolos. Verba *Dionis*, sive *Xiphilini* lib. LXVI Latine ita habent: *Olim quidem ex omni parte pariter excelsus erat, & tunc* (nimirum tempore conflagrationis, quæ Tito imperante contigit) *ex medio ejus ignis exstitit. nam ea parte tantum exustus est: extrinsecus enim intactus integerque permanet ad hæc tempora. ex quo fit, ut, cum ignis externas partes non exurat, vertices, qui circum sunt, usque adhuc veterem altitudinem habeant; & quæ pars igni consumpta est, dum in se coit, concava facta sit: ita ut totus mons, si licet parva cum magnis conferre, formam habeat amphiteatri.*

Deinde concavus in amphitheatri formam.

Atque hæc cavitas tempore in profundam voraginem cum esset mutata,

Procopii, id est, Justiniani majoris temporibus, eadem cavitas ejus non tam repræsentabat amphitheatri formam, quam profundam voraginem, consumptis jam majorem in modum & expulsis procul per novas eructationes partibus ejus interioribus. Hac de re ita habet Latinus ejus interpres *Gothicorum* lib. II: *Inferiora ejus densis arboribus opaca sunt; superiora prærupta, mirumque in modum aspera. In ipso autem vertice altissimum est in medio antrum, ita ut vero sit simile, ad ima montis penetrare atque ignem hic videre liceat, si quis prolato capite introspicere audeat.* Ita hic auctor. Atque adeo nihil temere mihi facere videor, si dicam, per frequentes eructationes ejus, quæ post ætatem *Procopii* acciderunt, consumpta ad ultimum magna ex parte summitate ejus exteriore, eum inde exstitisse, qualem hodieque videmus, divisum quasi in duos montes, altitudine non dispares, quibus ista vorago clauditur in modum satis amplæ profundæque vallis: etsi hoc ultimo incendio alterius istius, qui meridiem versus mari imminet, tanta pars absumpta & disjecta est, ut ejus altitudo non amplius assurgat ad cacumen alterius. Et igitur oculis nostris videmus, quod per testimonia auctorum, quos retulimus, non poterat esse nobis in obscuro.

Novissime ille divisus fuit in duos montes, altitudine pares,

Qui ultimo incendio facti sunt inæquales.

Cassiodorus notatus.

Jamque intelligimus etiam, *Cassiodorum*, ubi Theodoricum regem introducit, ad Faustum lib. IV epist. L scribentem, hanc esse singularem Vesuvii naturam, *sic suam substantiam ubique dispergere, ut non videatur damna sentire*, qua de causa *tot seculis mons habetur, qui erogationibus tantis expenditur*; (*Tertullianus* in libro *De pœnitentia* usus est eadem loquutione in argumento religioso) non attendisse ad verum, sed per occasionem tanti damni atque terroris, quæ ipse in eadem epistola etiam in majus extulit, ex more suo dictionum flosculis atque argutiis non abstinuisse. Ceterum non absimiles Ætnæ montis in Sicilia factas fuisse mutationes, notavit *Strabo* lib. VI, & item *Ælianus Variæ Historiæ* lib. VIII cap XL. Et *Seneca* epist. LXXIX non dubitavit, quin ille quotidie magis magisque imminuatur. Et quis est, qui sciat, Vesuvium, qui olim ab suis incendiis est productus, novissime ab iisdem non exstinctum iri penitus?

Tertullianus illustratus.

Et forsan ille quandoque penitus evanuerit per futuras conflagrationes.

Jam quod ego dixi, natum fuisse hunc montem ex ignium eructationibus, ne quis putet, me justis rationibus temeritatis argui posse. Sane enim sententiæ nostræ argumentum esse potest *Mons novus*, qui eodem plane modo natus est juxta Puteolos, anno a Servatoris ortu MDXXXVIII: quo exemplo persuasus, idem judicavi de Gauro, aliisque ejus oræ montibus. Non parum etiam me adjuvat illud, quod supra intelleximus dictum fuisse a *Plinio Secundo* lib. II cap. LXXXVII & LXXXVIII, & item *Strabone* lib. I, de montibus atque insulis, quæ subito comparuerunt variis in locis post ejusdemmodi eruptiones ignium. Admirabilis igitur, non vero impossibilis est res, Vesuvium, qui longe sejunctus ab aliis montibus, surgit ad littus maris, temporibus antiquissimis prodiisse ex sinu terræ, impulsum nativis ignibus suis; per quos aut maris pars quædam continenti subito adjecta, aut campus iste planus in montem satis amplum atque altum sublatus, sive maris, sive campi perdiderit naturam simul & nomen.

Hic mons potest fuisse productus ab iisdem incendiis suis;

Cineribus ignium ejus, quos idem geographus credidit, jam antiquissimis temporibus fuisse consumptos, non ausus est ille multum audacter adscribere insignem ejusdem montis & proximorum illi agrorum fertilitatem. *Fortasse* (verba sunt interpretis lib. V) *hæc etiam causa est fertilitatis locorum circumjacentium, quemadmodum Catanæ perhibent partes, quæ cineribus ab Ætnæo igne sursum egestis fuerunt intectæ, fuisse vini feraces redditas.* Sed frequentia incendia ejus, quæ post conflagrationem, Titi temporibus factam, acciderunt, unde sæpius vicina loca cooperta fuerunt iisdem cineribus, abunde illud esse verissimum docuerunt. Nam, ut heic quoque verbis utar *Cassiodori* in eadem epistola, quam supra citavimus, *vomit fornax illa perpetua pumiceas quidem, sed fertiles arenas: quæ magna quadam celeritate reparant, quod paulo ante vastaverant.* Atque adeo etiam hanc ob causam prisci Christiani nostri non absurde existimaverunt, per has Vesuvii fauces viam esse ad inferos, quia hic regnum possidet Lucifer, sive Pluto, quem ethnici perinde atque nos crediderunt terrestribus præsidere divitiis. Atque idem de Vesuvio judicavissent isti gentiles, qui dixerunt, eandem viam esse per Avernum, si incendiorum ejus certiorem habuissent notitiam.

Quorum cineribus & ipse & vicini agri facti sunt admodum fœcundi.

Non eundem cum Vesuvianis, sed contrarium plane effectum sortiti sunt ignes itidem contrarii, id est, cœlestes in campis abominandarum Judææ Pentapolis urbium, qui cum fertilissimi fuissent, prorsus evaserunt infœcundi. *Tacitus* lib. V *Historiarum*, perinde ut alibi aliud miraculum, ab Deo editum in gentis Hebrææ gratiam, etiam hoc non sine impietate refert ad causam naturalem, & fœtentem lacus vicini spiritum, simul tamen concedit, urbes istas conflagrasse cœlo delapsis ignibus: quasi scilicet ista infœcunditas hoc modo non possit etiam referri ad eandem pœnam divinam, cum & Lacus iste itidem productus sit per justam divini numinis iram. Quod si ille hoc negasset, quomodo jam ex ejus opinione potuisset esse verum, campos istos quondam fuisse fœcundos? *Ego*, dixit ille, *sicut Judaicas quondam ur-*

Contrariis autem fuit cœlestium ignium effectus in Sodomæ campis.

Tacitus notatus.

urbes igne cœlesti flagrasse concesserim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi perfusum spiritum, eoque fœtus segetum & autumni putrescere reor, solo cœloque juxta gravi.

Prisci gentiles, qui putaverunt, sacra esse loca illa, quæ flammas emittebant,

Verum iidem prisci gentiles in ea fuerunt opinione, ignes hosce subterraneos aliquid habere divinitatis, & esse sacros, atque ideo Græca voce *Hieram*, id est, *sacram* dixerunt insulam illam, quæ recens emersa ardebat in mari Siculo. Hinc & auctor anonymus, in *Descriptione orbis* narrans de Sicilia cap. LVI, ut habet editio *Gothofredi*, ita dixit: *In hac insula est mons, qui vocatur Ætna, in quo monte, si qua fides, divinitas est; quandoquidem die noctuque in vertice montis ignis est, unde etiam fumus ascendere videtur.* Ita etiam arbitror, eosdem gentiles, postquam certi fuerunt, Vesuvium consimilis esse naturæ, perinde illi suum adjunxisse numen, quod mihi videtur, imo manifeste apparet fuisse Jovis, cujus nomini olim Capuæ dedicatum est marmor, ex duabus compositum partibus, quod hæc verba continet:

Montem Vesuvium Jovi consecraverunt.

IOVI
VESVVIO
SAC
D D

Sculptura ejus haud admodum elegans ostendit, illud sequioris esse ævi, quando ejusdem montis eructationes propter frequentiam suam ab ignibus nasci perpetuis credebantur, & ipsorum adeo cinerum manifesta erat utilitas. Major ejus pars in vico est, pone publicam bibliothecam archiepiscopalem: minor, quæ solummodo continet duas ultimas literas secundi versus, & ultimam quarti, in pago *Marcianensium*, in isto tractu, qui appellatur *la Croce*, & adverso casu disjuncta fuit ab altera jam satis antiquitus. Minime autem velim quenquam credere, ad Vesuvium Jovi consecratum alludere voluisse *Florum*, ubi de fugitivo Spartaco narravit, quem haud ita multo ante diximus e Capua in hunc se montem recepisse cum sociis suis, quoniam scilicet de illis ita dixit: *Prima velut ara viris mons Vesuvius placuit*; jam vero satis sit notum, ad aras, templa, aliaque loca religiosa confugere solitos, qui nimia aliorum sævitia erant oppressi. Sed ex more suo voluit ille hoc verbo uti, & eorum fugam dicere similem illi, quæ ab ejusmodi hominibus [1] ad aras fieri solebat. Simili modo *Martialis* in epigrammate quodam lib. IV, ubi de eodem Vesuvio hosce versus scripsit:

Florus illustratus.

Martialis illustratus. Raderus & Ramirez refutati.

> *Hæc Veneris sedes, Lacedæmone gratior illi:*
> *Hic locus Herculeo nomine clarus erat;*

non intellexit templum aliquod, neque Veneris, neque Herculis, ut crediderunt interpretes ejus, *Matthæus Raderus*, *Laurentius Ramirez de Prado*, aliique: Sed poëtico colore tantum demonstrare voluit insignes delicias atque amœnitatem ejus oræ, antequam accidisset temporibus Titi montis ejus incendium. In eadem vero ora urbs fuit Herculaneum, ab Herculis nomine appellata, qua de mox agendum erit.

1. Forte quis probaverit Freinshemii conjecturam, qui pro *ara* substituere voluit *arena*: ingeniose, si non vere. Sed vulgatam lectionem defendit, & *aram* hic pro perfugio dictam vult ad hunc locum Grævius, quem vide.

A

XXIII. *Veseris oppidum, & flumen, non diversum a Sebetho. Herculaneum urbs, portus, & promontorium. Taurania oppidum. Cosa oppidum. Pompeji oppidum, & portus: hic obstructus ejectionibus Vesuvii; illud obrutum terræmotu.*

JAm si ejectiones ignium hujusce montis adeo immutare potuerunt, ut modo indicavimus, pristinam ejusdem faciem, quidnam cogitandum videtur de locis illi vicinis? Sane ego arbitror, imo abunde sum certus, cineribus ejus, qui vicinos agros fœcundaverunt, multas urbes, quæ circa erant, in solitudinem fuisse redactas, & quasi uno sepultas tumulo. Harum una fuit ista urbs, quæ nomine *Veseris* dicta, &, ut recte observavit *Cluverius*, ad Vesuvii radices fuit, ab ista parte, qua ille Capuam respicit. Memoratur illa multis veterum, licet *Auctor De viris illustribus* nos aliquantum faciat incertos, utrum illa fuerit urbs, an vero flumen istius nominis. *Cicero* lib. III *De officiis*, & *De finibus* lib. I, item *Valerius Maximus* lib. VI cap. IV, & præter ceteros *Livius* lib. VIII, loquentes de prælio Romanorum cum Latinis, quo P. Decius consul, se ipsum devovens tanquam victoriæ victimam, cæsus est, non aliud dixerunt, quam accidisse illud *apud Veserim*, & *ad Veserim*. Veruntamen *Livius* quodammodo innuere videtur, eam fuisse urbem, dum ita scripsit: *Pugnatum est haud procul radicibus Vesuvii montis, qua via ad Veserim ferebat.* Et propter hæc verba idem *Cluverius* non tantum credidit, de Veseri, tanquam de urbe loquutos fuisse istos etiam alios duos auctores, quos memoravimus, (*neque vero*, dicit ille, *in flumen aliquod certa aliqua via duci poterat*) sed insuper existimavit, *Auctorem De viris illustribus*, de quo diximus, falso Veserim dixisse flumen, cum neque alius quisquam scriptor de eo loquutus fuerit, neque in istis circa Vesuvium locis alia currant flumina, quam Sarnus, Clanius, & Sebethus. Veruntamen ego, sicut non video ullam necessitatem, qua *Livium* credamus dicere nequivisse, viam istam tulisse ad Veserim flumen, quod etiam animadvertens ipse Cluverius ita subjunxit: *Caput disputationis est, quod heic fluvius præter prædictos est nullus*; ita arbitror, ex narrationibus auctorum, quos modo diximus, non posse nos esse certos, Veserim fuisse urbem: sive jam concedamus, sive negemus, fuisse etiam flumen aliquod appellatum eodem nomine. Sed per me quidem utrumque verum esto. Equidem de urbe Veseri omnem nobis dubitationem eximet nomen gentis *Veseriæ*, quæ a flumine non potuit esse denominata. Ex ista fuit ortus quispiam M. Veserius, in cujus honorem Capuæ marmor exstat apud monasterium Fratrum Augustinianorum Congregationis Carbonaræ, quod exhibet hæc verba:

Veseris ab aliis dicta fuit urbs, ab aliis flumen:

Cluverius laudatus, & dein refutatus.

Neque potest ex illorum verbis colligi, utrum sit ta aliqua verius.

Sed fuit illud simul urbis nomen & fluminis, quod idem cum Sebetho.

B C D E F

D. M. S.
M. VESERIO
M. FIL. PAL.
IVCVNDIANO
PRAEF. FABRVM
ADCENSO VELATO
PROC. ALIM. VIAE. FLAM.
II VIR. DESIG.
SACRIA IVCVNDA
MATER.

Ad

Ad fluvium autem Veſerim quod attinet, quam ob cauſam non liceat credere, eum fuiſſe illum ipſum, qui vulgatius *Sebethi* nomine fuit dictus; quique ab iſto latere Veſuvii currens, ubi *Cluverius* rationi convenienter collocavit urbem Veſerim, propter hujus vicinitatem ſatis potuit ejuſdem quoque nomine appellari ab incerto iſto auctore? Sane eodem modo Liris dictus fuit *Minturnus*, & item Volturnus *Caſilinus*, ut ſuis locis demonſtravimus. Item *Auctor Hiſtoriæ miſcellæ* lib. v Frentonem amnem dixit *Teanum*, ab nomine Teani, olim notiſſimi Apuliæ oppidi, ut indicabo, ubi erit opportunius.

Auctor De viris illuſtribus illuſtratus, & defenſus.

HERCULANEUM oppidum inter Sebethum atque Sarnum fuit ſitum, in colle, qui in mare porrigebatur;

Verum ſive jam hoc mihi concedere, ſive negare libeat, Veſerim & Sebethum fuiſſe unum idemque flumen, certe inter hunc amnem atque Sarnum in exiguo promontorio ſitum fuit Herculaneum oppidum, ab utroque haud admodum inæquali intervallo diſſitum paucis paſſuum millibus. De hiſce fluviis, deque hac urbe loquutus eſt *Siſenna* apud *Nonium Marcellum* in cap. *De indiſcr. generib.* ubi notans hic grammaticus, antiquos Latinum *flumen* ſolitos efferre genere fœminino, in exemplum adduxit hæc *Siſennæ* verba, quæ erant lib. IV *Hiſtoriarum: Quod opidum tumulo in excelſo, loco propter mare, parvis mœnibus, inter duas fluvias, infra Veſuvium collocatum.* Neque dubitari poteſt, quin hanc urbem intellexerit *Siſenna*, cum & *Strabo* non aliter nobis deſcripſerit ejus ſitum lib. v, ubi ita interpres ejus: *Neapolim Herculaneum inſequitur; cujus extremitas in mare porrigitur, & Africo mirifice perſpiratur, ut ſalutaris inde ibi fiat habitatio.* Creditur illa fuiſſe iſtic loci, ubi hodie caſtellum eſt, quod appellatur *La torre del Greco*; cum qua opinione ſatis conveniunt illa, quæ modo intelleximus ex *Siſenna* & *Strabone*, & aliquanto ante ex *Plinio Secundo*, qui itidem collocavit hanc urbem inter Neapolim atque Pompejos, quod in oſtio Sarni fluminis fuit oppidum. Multi addunt, in iſto tractu repertas fuiſſe varias *Inſcriptiones* antiquas, & monumenta, quæ pertineant ad Herculanenſes: ut adeo ſitus ejus abunde ſit certus, utcunque eructationes Veſuvii, quæ cineribus ſuis, ut ſupra indicavimus, integræ iſti oræ aliam dederunt faciem, occultaverint & collem, & promontorium iſtud, in mare porrectum, quod digito nobis monſtravit *Strabo*. Cum hac deſcriptione Herculanei videntur mihi convenire etiam illa, quæ de ejus portu dixit *Dionyſius Halicarnaſſenſis*, lib. I, ubi de Hercule, ad quem referebatur ejuſdem urbis exſtructio, ut interpres ejus habet, ita narravit: *Omnibus Italicis rebus ex animi ſententia compoſitis, quum & navalis exercitus incolumis ex Hiſpania veniſſet, decimas prædæ, facto ſacrificio, diis obtulit: & ibi, ubi claſſis ejus ſtativa habebat, opidulum de ſuo nomine condidit, quod nunc quoque a Romanis incolitur, & inter Pompejos & Neapolim eſt ſitum, & portus omni tempore tutos habet.* Jam quicquid tandem veri ſit de hac exſtructione, quam pro fabula quidem habet *Cluverius*, ſed neutiquam in dubium vocaviſſe Herculanenſes credimus, alioſque loci accolas, qui forte etiam ſibi perſuaſerunt, ab ejuſdem herois nomine *petram Herculeam* dictum fuiſſe iſtum ſcopulum in mari Stabiano, quo de loquutus eſt *Plinius Secundus* lib. XXXII cap. II; certe *Plinius Cæcilius* de eodem hoc portu nos edocuit lib. VI epiſt. XVI, ubi mentionem facit claſſiariorum, qui Retinæ erant, qui locus exigua mutatione hodie dicitur *Reſina*, & a *Turri Græci* ſpatio abeſt breviſſimo. Refert, eundem *Plinium Secundum*, patruum ſuum, a Miſeno iſtuc voluiſſe tranſire, quo propius contemplaretur novum Veſuvii montis incendium, nunquam antea viſum, & auxilium ferret accolis iſtius oræ, cum ipſe eſſet claſſis Miſenenſis præfectus. *Egrediebatur domo: accipit codicillos. Retinæ claſſiarii imminenti periculo exterriti,* (nam a Retina Miſenum fugerant ad præfectum ſuum. Sed *Catanæus* credidit, locum iſtum in ipſo Miſeni promontorio fuiſſe, non attendens ad illud, quod mox idem auctor de eo ſubjunxit) *nam villa ea ſubjacebat,* (nempe Veſuvio) *nec ulla, niſi navibus, fuga. ut ſe tanto diſcrimini eriperet, orabant. Non vertit ille conſilium: ſed quod ſtudioſo animo inchoaverat, obit maximo. Deduxit quadriremes: adſcendit ipſe, non Retinæ modo, ſed multis (erat enim frequens amœnitas oræ) laturus auxilium.* Subjungit, cum denique ad medium uſque ſinum proceſſiſſet, neque recta ad montem ſuccedere poſſet propter ſaxorum tempeſtatem, quæ eructationis impetu in ſublime ejecta navem opplebant, imperaſſe eum gubernatori, ut ſe ad Pomponianum deduceret, qui iſto tempore *Stabiis erat, diremptus ſinu medio: nam ſenſim circumactis curvatiſque littoribus mare infunditur.* Fuit itaque Herculaneum in colle, qui formabat promontorium in mari, ita ut portus eo clauderetur ſatis amplus, in quo olim ſtativa egerat claſſis Herculea, & ſerioribus temporibus commorari ſolebat pars claſſis Miſenenſis. Atque hoc cum ſit veriſſimum, non poſſum non mirari, Annibalem, cum poſt victoriam ad Cannas admodum ſtuderet maritimum aliquem Campaniæ portum tenere, & maxime portum Neapolis, non vertiſſe cogitationes ad Herculanei portum, cui occupando fortaſſe non multum immorari neceſſe habuiſſet propter iſtius oppidi tenuitatem. *Per agrum Campanum,* dixit *Livius* lib. XXIII, ubi eum ex Apulia in Campaniam conceſſiſſe narrat, *mare inferum petit, oppugnaturus Neapolim, ut urbem maritimam haberet.* Et denuo de eodem ita ſcripſit: E finibus Nolanorum *ad mare proxime Neapolim deſcendit, cupidus maritimi opidi potiundi, quo curſus navibus tutus ex Africa eſſet.* Idem repetiit *Silius* lib. XII, & addidit, eum non aliam ob cauſam cupidum fuiſſe hujus urbis tenendæ:

Ibique portus fuit, in quo ſtativa habuit claſſis Herculis, qui conditor ejus urbis creditus.

Ibidem commorari ſolebat pars claſſis Miſenenſis.

Plinius Cæcilius illuſtratus. Catanæus refutatus.

Atque adeo mirum eſt, Annibalem non curaviſſe, ut eum occuparet; Livius notatus.

> *Prima inſtaurantem ſenſit certamina mitis*
> *Parthenope, non dives opum, non ſpreta vigoris:*
> *Sed portus traxere ducem, ſecura volentem*
> *Æquora, quæ peteret veniens Carthagine puppis.*

Atqui idem *Livius* non tacuit lib. XXIV, ducem iſtum ſtuduiſſe etiam potiri portu Cumarum, item Puteolorum. Quod ad cetera attinet, legitur Herculaneum noſtrum ab *Ovidio* lib. XV *Metamorphoſeon* dictum *Herculeæ urbis* nomine: certe propter metri legem. Deſcribens ille iter Æneæ in Italiam, ita de eo dixit:

Atque idem oppidum fuiſſe creditum eſſe Tibur.

> *Inde legit Capreas, promontoriumque Minervæ,*
> *Et Surrentinos generoſo palmite colles,*
> *Herculeamque urbem, Stabiaſque, & in otia natam*
> *Parthenopen* —— ——

Hanc metri neceſſitatem non animadvertens *Franciſcus Juretus*, & multo minus illud, *Ovidium* loqui de noſtri maris urbibus, dixit in notis ad *Symmachi* lib. VII epiſt. XIX, eum in verſibus allatis per *urbem Herculeam* intellexiſſe *Tibur*, quæ hodie *Tivoli*, urbs mediterranea, quoniam hæc olim dedicata fuit Herculi. Adeo ſcilicet cupiditas proferendi novas expoſitiones, conjuncta cum frequenti conſuetudine conjecturis utendi, poteſt, imo ſæpe ſolet in inconſiderantiam abripere etiam ſapientiſſimorum & eruditiſſimorum virorum ingenia. Sed perſequamur noſtram deſcriptionem.

Franciſcus Juretus refutatus.

Julius Cæſar Capacius cap. X *Antiquit. & Hiſtor. Cam-*

TAURANIA non videtur fuiſſe ad latus Veſuvii, in loco, qui hodie dicitur Civita, *niſi majus aliquod ea de re appareat indicium.*

Campaniæ Fel. memoravit locum quemdam, qui eſt ab iſto latere Veſuvii, quod Sarnum verſus eſt, quique vulgo dicitur *Civita*. Atque hoc nomen, ſimul & rudera priſcorum ædificiorum, quæ itidem iſtic conſpici ille affirmat, ſatis ſuperque oſtendunt, ibidem quondam fuiſſe aliquod oppidum, cujus nomen hodie obliteratum, quod ille merito negat fuiſſe Stabias, ut alii volebant. Verum nequeo illi aſſentiri, illud fuiſſe *Tauraniam*, quam *Plinius Secundus* lib. III cap. V numeravit inter exſtincta Campaniæ noſtræ oppida, niſi ille ſententiæ ſuæ aliud attulerit potius argumentum, quam verba citati auctoris, quæ hæc ſunt: *In Campano agro Stabiæ opidum fuere. Intercidit ibi & Taurania. Sunt & morientis Caſilini reliquiæ.* *Plinius* enim cum Stabiarum ſitu non magis conjunxit ſitum Tauraniæ, quam Caſilini, quod a Stabiis abeſt multis paſſuum millibus, & notare tantum voluit commune illarum urbium infortunium. Ego potius Tauraniam collocaverim in tractu Nolano, aliove loco, adhuc propiore Samnitibus. Hi enim & eandem Nolam tenuerunt, ut ſuo loco demonſtrabimus in hac *Diſſertatione*, & copioſius in quarta; & alia exigua Campaniæ oppida condiderunt, ut affirmant nonnulli apud *Strabonem*, quem poſt afferemus. Credere quis poſſit, de noſtræ Tauraniæ civibus loquutum *Livium* lib. XL, in hiſce verbis: *Ager publicus populi Romani erat in Samnitibus, qui Tauraninorum fuerat:* quaſi ſcilicet idem credi poſſit de Taurania, quod de Nola legitur, quæ perinde Samnio atque Campaniæ fuit adſcripta. Verum *Cluverius* lib. IV cap. VIII *Italiæ* ſuæ jure apud *Livium* legit *Tauraſinorum*, qui fuerunt cives Tauraſii, oppidi in Hirpinis. Neque tamen in eo illi aſſentire poſſum, quod lib. I cap. II unquam in Italia exſtitiſſe negat urbem *Tauraniæ* nomine dictam: unde apud *Stephanum Byzantinum* non legi vult, ut Latine habent ejus verba: *Taurania opidum Italiæ. gentilitium Tauraninus, ut Placentinus; & Tauranianus*, ſed *Tauraſia:* ut adeo appareat, illi excidiſſe Tauraniam noſtram, cujus utique mentionem fecit *Plinius Secundus*. niſi forte ille diceret, quod jure tamen dicere non poſſit, *Stephanum* non poſſe loquutum eſſe de urbe, quæ ante tot jam annos erat exſtincta. Manebit itaque hujus oppidi ſitus majore etiam, quam prima ejus ruina illatum eſt, infortunio prorſus & æternum in occulto.

Capacius laudatus, & alio nomine refutatus.

Forte illa fuit una ex Samnitium urbibus in Campania, ſitus ignoti, diverſa a Tauraſio in Hirpinis.

Cluverius laudatus, & alio nomine refutatus.

In loco iſto, cui nomen Civita, *fuit oppidum* Thora, *ſive* Cora,

Verum iſtud *Civitæ* nomen ad quam denique aliam noſtrarum urbium referre poterimus conjectura non improbabili? Equidem arbitror, iſtic loci eam fuiſſe urbem, de qua loquutus eſt *Florus*, quem alias citavimus ſupra, lib. III cap. XX, ubi narrat de Spartaco ejuſque ſectatoribus, qui ex Veſuvii montis faucibus elapſi, *exitu in uno nihil tale opinantis ducis ſubito impetu caſtra rapuere: inde alia caſtra. deinceps Thoram, totamque pervagantur Campaniam.* Itaque ubi nunc *Civita*, ibi, ni fallor, olim fuit oppidum *Thora* nomine, quod *Elias Vinetus* in notis ad allata verba *Flori* ex quodam libro manu exarato rectius dicendum eſſe *Choram* credit, ſeu potius *Coram*. Atque de hac loquutos fuiſſe ſibi perſuaſit *Strabonem*, alioſque Græcos auctores, qui ejus nomen ſine adſpiratione ſcripſerunt: etiam loquutos fuiſſe de Coranis, ejuſdem urbis civibus, *Plinium Secundum*, *Solinum*, *Propertium*, & *Silium:* item de Cora conditore ejus dixiſſe etiam *Virgilium*. Verum ſi *Thora*, ſive *Cora Flori* fuit in Campania, certe non fuit eadem, quam dixerunt auctores, a *Vineto* citati, quandoquidem hæc fuit Latii ſive Volſcorum urbs: quod multo eſt manifeſtius, quam ut multis demonſtrare neceſſe habeam. Nihilominus inſiſtens lectionis ab ipſo allatæ veſtigiis, adducor ut credam, *Florum* ſcripſiſſe *Coſam*, non vero *Coram*, aut *Thoram*. Atque arbitror, hanc fuiſſe illam urbem, quam *Vellejus* noſter collocavit in ipſo circa Veſuvium montem tractu, non longe ab Herculaneo & Pompejis, ubi lib. II de Minatio Magio, atavo ſuo, narrat hiſce verbis: *Nepos Decii Magii, Campanorum principis celeberrimi, & fideliſſimi viri, tantam bello Italico Romanis fidem præſtitit, ut cum legione, quam ipſe in Hirpinis conſcripſerat Herculaneum ſimul cum T. Didio caperet, Pompejos cum L. Sulla oppugnaret, Coſamque occuparet.* Quod ſi tantum mihi licere videatur, dixerim etiam, conditores ejus fuiſſe illos Etruſcos, qui teſte *Strabone* lib. V tenuerunt eaſdem urbes, Herculaneum, & Pompejos eoſque ad ſimilitudinem urbis Etruſcæ, quæ appellabatur *Coſa*, & ſita erat in loco prorſus conſimili, atque illa noſtra, eam quoque appellaviſſe eodem nomine. *Strabonis* hanc in rem verba eodem lib. V ita Latine reddidit interpres: *Poſt Populonium Coſſæ urbs eſt*, (& hoc modo, & item *Coſſa*, & *Coſa* varie dicta legitur hæc urbs) *paullum ſupra mare ſita in ſublimi colle, qui in ſinu jacet. Infra urbem Herculis portus eſt, & proxime lacus marinus, & ad promontorium, quod ſinui imminet, ſpecula, ad captandos thynnos comparata.* Nihilominus de ſitu & conditoribus Coſæ noſtræ quicquid tandem veri ſit, multum ego ſuſpicor, non ſemper & ubique veteres iſtos loquutos de Coſa Etruriæ, ut hucuſque creditum fuit ab omnibus, qui ad hanc Campaniæ quæ *Vellejo* certe negari nequit, necdum ullo modo mentem attenderant.

Vinetus refutatus.

Quæ rectius dicta fuit COSA,

Florus cum Vellejo collatus, & emendatus.

Condita forte ab Etruſcis ad ſimilitudinem Coſæ in Etruria.

POMPEII, urbs ad radices Veſuvii, in oſtio Sarni,

Poſt Herculaneum pergens idem geographus deſcribere reliquum Campaniæ littus, hæc verba habet: *Hoc, & quod proxime ſequitur, & Sarno amne alluitur, Pompejos tenuerunt olim Oſci, deinde Etruſci, ac Pelaſgi: poſt Samnitæ, qui & ipſi inde ſunt expulſi.* (nempe ab Romanis) *Eſt autem hoc commune navale Nolæ, Nuceriæ, & Acerrarum, Sarno amne merces ſimul excipiente atque emittente. Super hæc loca ſitus eſt Veſuvius mons.* Fuit itaque Pompejorum urbs ad radices Veſuvii montis, in oſtio Sarni fluminis, quaſi emporium, ſive telonium omnis generis negotiationum atque mercium, tam terreſtrium, quam mari advectarum, ad uſum Nolæ, Nuceriæ, atque Acerrarum. Non ſecus Volturni, quæ ad oſtium fluminis cognominis urbs fuit, atque hinc ulterius Caſilini telonium, ſive emporium fuit ad uſum Campanorum: & Minturnis ad Liris oſtium aliud fuit ad uſum civitatium finitimarum. Ceterum Pompejos idem auctor etiam alibi nobis deſcripſit, tanquam urbem maritimam, nempe in fine ejuſdem libri, ubi dicit, a Marcina, urbe in ſinu Pæſtano, (qui hodie *Il golfo di Salerno*, id eſt, *ſinus Salernitatus*) *per Nuceriam Pompejos uſque iſthmum eſſe, non longiorem* CXX *ſtadiis.* Eundem ſitum ejus indicavit etiam *Plinius Secundus* in reliqua deſcriptione ejuſdem noſtri littoris: *Littore autem hoc Neapolis, Herculaneum, Pompeji, haud procul ſpectante monte Veſuvio, alluente vero Sarno amne.* Et ab his auctoribus nihil diverſus eſt *Pomponius Mela* lib. II cap. II: etſi ordine contrario, & confuſis inter ſe Herculanei atque Pompejorum nominibus, eadem loca hujus oræ deſcripſit ad hunc modum: *Surrentum, Herculaneum, Veſuvii montis adſpectus, Pompeji, Neapolis.* Itidem *Florus*, conſentiens cum iſtis, quos jam retulimus, lib. I cap. XVI numeravit Pompejos inter alias Campaniæ noſtræ maritimas urbes: atque adeo heic quidem nihil ille nos fefellit, utcunque ab omnibus aliis diſſentiens, Capuam

Celebrem habuerunt portum.

Strabo, Plinius Secundus, Pomponius Mela, Florus, & Livius concordes.

puam quoque ad mare collocaverit. Verba ejus hæc sunt: *Urbes ad mare*, *Formiæ*, (alibi caussam indicavimus, cur ille nobis adscripserit Formias, quæ hodie *Mola* dicitur) *Cumæ*, *Puteoli*, *Neapolis*, *Herculaneum*, *Pompeji*, *& ipsa caput urbium Capua.* Denique *Livius*, cum lib. IX mentionem fecerit portus ejus, & ipse credi debet de hac urbe loquutus fuisse perinde, ut ceteri: *Per idem tempus*, inquit, *& classis Romana a P. Cornelio*, *quem Senatus maritimæ oræ præfecerat*, *in Campaniam acta*, *cum appulsa Pompejos esset*, *socii inde navales ad depopulandum agrum Nucerinum profecti.* Igitur de maritimo situ hujus urbis non est quod dubitemus. Sed *Cluverius*, fidem habens *Itinerario*, quod primum a *Peutingero* vulgatum, ab ejusdem nomine demonstrari solet, heic non accedit nobis, arbitratus eam esse collocandam istic loci, ubi hodie ad Sarnum quidem flumen, sed fere duobus passuum millibus a mari, castellum est, quod olim ab navigiorum seu scapharum trajectu *Scafato* nomen accepit. Neque illi contradicere mihi animus est, quandoquidem & Volturnum, & Minturnæ, quæ urbes itidem descriptæ fuerunt a veteribus juxta mare, proprie non fuerunt in littore, sed aliquantum introrsus a mari. Verum *Seneca*, lib. VI cap. I *Nat. Quæst.* loquens de terræmotu, quo Regulo & Virginio Consulibus, qui fuit annus a Christo nato LXV, ista urbs exstincta est, descripsit loca illa ad hunc modum: *Pompejos, celebrem Campaniæ urbem, in quam ab altera parte Surrentinum Stabianumque littus, ab altera Herculanense conveniunt; mareque ex aperto conductum amœno sinu cingit; desedisse terræmotu, vexatis, quæcunque adjacebant, regionibus audivimus.* Insuper si illud observare libet, quod nobis dixit *Cæcilius Plinius* in verbis, quæ haud ita multo ante attulimus: Ibi *sensim circumactis curvatisque littoribus mare infunditur*; & item illud, quod de isthmo a Pompejis ad Marcinam dixit *Strabo*, forsitan inde colligere liceat, urbem istam principio non fuisse in aperto mari, neque etiam omnino remotam a littore: sed fuisse illam ad exiguum sinum, sive isthmum, ubi Sarnus amnis cursum terminabat: eoque sinu novissime frequentibus vicini Vesuvii eructationibus obstructo, eam ætate auctoris *Itinerarii Peutingeriani* fuisse dissitam a mari. Hanc in rem non leve mihi suppeditat indicium idem ille tractus, qui est inter *Scafato* locum, & vicinum littus, quæ palus est infœcunda, qua leviter subruta, usti cernuntur pumices, surguntque aquæ salsæ. Jam ad demonstrandum, hanc sententiam meam non abesse nimis longe a veri specie, non utar, neque Circeji montis exemplo, qui, cum antea fuisset insula, nisi erravit *Varro* apud *Servium* ad lib. III *Æneidos*, continenti conjunctus est, paludibus, quæ intermediæ erant, humana industria exsiccatis; imo neque illo, quod ingentis miraculi loco habuit *Cassiodorus* lib. IV epist. L, quam alibi etiam citavimus, nempe cineribus ejusdem Vesuvii subito usque ad arborum cacumina dorsa intumuisse camporum: sed adducam lacus Lucrini exemplum, qui adimpletus fuit eadem ista eructatione, unde natus est mons *Novus*, cujus supra pluries mentionem fecimus. Hoc amplius isto utar altero, per ejusdem Vesuvii ejectiones nihil quicquam apparere amplius aut promontorii, aut portus Herculanensis. Verum qua tandem ratione sententia nostra visa fuerit improbabilis, si omnia hæc diserte affirmavit *Statius Silvarum* lib. IV carm. IV? Narrans ibi poëta de eodem Vesuviano incendio, quod accidit temporibus Titi, hosce versus habet:

Sed alii collocaverunt hanc urbem in mediterraneo tractu:

Nempe quia portu ejus, qui fuit in interiore sinu maris istius,

Seneca, Plinius Cæcilius, & Strabo collati.

Frequentibus Vesuvii eructationibus obstructo;

Itinerarium Peutingerianum illustratum.

Quod aliis exemplis abunde certum est;

Mira fides! credetne virum ventura propago,
Cum segetes iterum, cum jam hæc deserta virebunt,
Infra urbes populosque premi? proavitaque toto
Rura abiisse mari? —— ——

Ita igitur, ut ego arbitror, Pompejorum urbs olim maritima fuit, & deinde evasit mediterranea, postquam Vesuvii eructationibus adimpletus fuit exiguus iste sinus, qui portum ejus formabat: & interim Sarnus amnis aquarum cursu apertum conservavit in mare, quod recesserat, exitum. Forte etiam possit esse verum, cum istorum locorum prisca sit mutata facies per spissas & frequentes Vesuvii montis ejectiones, Pompejos, non vero Cosam, aut aliam nostrarum urbium, fuisse illo in loco, cujus supra mentionem fecimus *Civitæ* nomine, quique eidem monti aliquantum adjacet citerior, quam hodie *Scafato* castellum: ita ut perinde integer Sarni amnis cursus, minus remoti a Vesuvio, citerior effluxerit, eodem modo, quo hodie brachium ejus, eductum ad molæ frumentariæ usum in castello, cui nomen *La torre dell' Annuntiata*, mox ibidem in mare exit. Ceteroquin autem judicari queat, principio unum solummodo ejus fuisse ostium, quandoquidem non proditum a veteribus, illud fuisse duplex.

Illa evasit mediterranea.

Verum si aliquanto exactius istius urbis infortunia considerare, quæ primum oppressa est terræmotu, quem descripsit nobis *Seneca*, & item proprie de illis loqui libet, ea ante subterranea, quam mediterranea evasit, imo prius suis ipsa ruinis, quam Vesuvianis sepulta est cineribus. *Pompejos*, *celebrem Campaniæ urbem*, dixit *Seneca*, *desedisse terræmotu audivimus. Nonis Februarii fuit motus hic*, *Regulo & Virginio Consulibus*, id est, anno post Christum natum LXV. Incendium autem montis istius, ut *Cæcilius Plinius* affirmat lib. VI epist. XVI, accidit nono Kal. Septembris, hora diei fere septima, imperantis Titi anno primo, vel tertio, ut in *Chronicis* suis diverse notaverunt *Eusebius Cæsariensis*, & *Georgius Cedrenus*; id est, anno ejusdem epochæ LXXX, vel LXXXII. Scripsit *Dio* lib. LXVI, & videtur in eadem fuisse sententia *Tertullianus* in libro *De pallio* cap. II, & *Apologetici* cap. XL, qui vixerunt eodem tempore, cinerem istius incendii *Herculaneum & Pompejos*, (verba sunt *Xiphilini*, qui contraxit *Dionem*, ita Latine reddita) *hujus populo sedente in theatro*, *penitus obruisse.* Verum his esse fidem habendam, minime ausim pronunciare. Neque enim mihi videntur Pompejani sedere otiosi potuisse in theatro ad spectandos ludos, & nihil intelligere de vicino incendio, quod affirmante eodem *Plinio* ab avunculo suo inde usque a Miseno protinus est visum. Sed nonnemo forte crediderit, non cineres, sed aut illum terræmotum, qui præcessit illud incendium, urbem istam ejusque theatrum evertisse: *Præcesserat* (dixit idem auctor lib. VI epist. XX) *per multos dies tremor terræ*, *minus formidolosus*, *qui Campaniæ non solum castella*, *verum etiam opida vexare solitus*; aut istum alium majorem, qui *illa nocte* (nempe quæ insequuta est primum conflagrationis diem) *ita invaluit*, *ut non moveri omnia*, *sed everti crederentur.* Verum de primis levioribus terræmotibus, & per sese, & per silentium scriptorum hoc satis apparet improbabile; de posteriore autem, qui multo fuit vehementior, multo minus est credibile: nisi pariter etiam credere libeat, funestissima ista nocte adeo intempestive & secure populum illum voluptatibus suis fuisse intentum. Potius itaque arbitror, Pompejanos sedisse in theatro tempore terræmotus istius, quem nobis descripsit *Seneca*, quo

Pompejorum urbs terræmotu obruta est, cum necdum accideret incendium Vesuvii Tito imperante.

Neque sedebat populus ejus in theatro, hujus incendii,

Dio & Tertullianus refutati.

Sed prioris istius calamitatis tempore.

quo certum est eorum urbem funditus interiisse. Cumque ab ejus anno ad annum Vesuvianæ conflagrationis anni non amplius sedecim effluxerint, non possum mihi persuadere, paucos istos incolas, qui forte ex illa calamitate evaserunt, potius ad instaurandum theatrum suum, cujusmodi fere temporum felicium solent esse opera, quam ad exstruenda domicilia animum convertisse. Hanc sententiam meam cum juxta cupide atque humaniter probaverit *Petrus la Sena* cap. IV *Gymnasii* sui *Neapolitani*, inde quoque impulsus est, ut crederet, Pompejos fuisse eversos, sedente populo ejus urbis non quidem in suo theatro, sed in theatro Neapolitano ad spectaculum Neronis Imperatoris, quo tempore idem quoque theatrum terræmotu concussum fuit. Et acumen sane hujus interpretationis dignum est nobili ejus ingenio. Quod si possemus esse certi, eversionem Pompejorum, & spectaculum Neronis accidisse uno eodemque anno, quo Campania non plus unum terræmotum senserit, cum illa ceteroquin hoc incommodo satis frequenter affligeretur, non aliud hac de re judicari posset. Veruntamen per illam quoque loquendi formam *Dionis: sedente populo in theatro*, non Pompejani, qui Neapoli erant, quantocunque etiam numero se illi contulerint ad spectaculum Neapolitanum, sed in universum populus Pompejanus, qui Pompejis erat, proprie demonstrari videtur. Sed ut revertamur, unde digressi sumus, nova cinerum Vesuvianorum calamitas, quibus ista urbs adhuc profundius est sepulta, simul etiam istud prius infortunium ejus perinde *Dionem* celavit atque *Tertullianum*, qui crediderunt, uno eodemque fato exstinctum Herculaneum & Pompejos, quæ urbes olim creditæ eosdem quoque habuisse natales. *Hoc loco* (dixit *Martianus Capella* lib. VI cap. XV *De nuptiis Philologiæ*) *possem etiam urbium percurrere conditores. Ab Hercule Herculaneum ad radicem Vesuvii, a quo haud procul, Pompejos*, (*Solinus* tantum Pompejos Herculi tribuit, contra Herculaneum tantummodo *Dionysius Halicarnassensis*) *cum boum pompam duceret Iberorum.* Jam licet ego de hac illarum urbium origine nihil affirmare ausim, non tamen potest illis negari satis alta antiquitas. Fuerunt enim, ut *Strabo* narrat, ab Oscis habitatæ, qui antiquissimis temporibus Campaniam tenuerunt. Ceterum illas magno tempore post nondum fuisse plane restitutas; unde *Antoninus* in *Itinerario* suo, ut supra notavimus, non ultra Neapolim descripsit viam istam mari tenus, quam incipere dixit a Tarracina, videor mihi colligere posse itidem ex *Tertulliano*, & insuper ex *Cassiodoro*, qui in epistola, quam alibi citavimus, loquens de resarciendis damnis, quæ ipsius ævo vicinis campis inflixerat conflagratio Vesuvii, tantum illa memoravit, quæ Neapolitanis atque Nolanis erant facta. *Tertulliani* autem verba in fine libri *De pœnitentia*, ubi tacite intelligit ejusdem montis ignes, hæc sunt: *Quid illum thesaurum ignis æterni æstimamus, cum fumariola quædam ejus tales flammarum ictus suscitent, ut proximæ urbes, aut jam nullæ exstent*, (nempe Herculaneum, Pompeji, Cosa, Veseris, & aliæ quædam minoris nominis) *aut idem sibi* (nimirum Neapolis, & Nola, & item aliæ remotiores) *de die sperent?* Verum ab hac calamitate usque adhuc illæ per tot secula sunt eruntque per Dei gratiam semper immunes. *Dissiliunt*, subjunxit ille, *superbissimi montes ignis intrinsecus fœtu: &, quod nobis judicii perpetuitatem probat, cum dissiliant, cum devorentur, nunquam tamen finiuntur.* Ita Christianus ille scriptor ad æternæ pœnæ divinæ terrorem sceleratis incutiendum divinavit, nunquam defecturum Vesuvium montem, qui ignes fovebat perpetuos, & erat quasi fumariolum aliquod sive spiraculum ignium infernalium; sed forte in æternum illi superfuturum istud, quod ipsæ ejus eructationes emittunt.

Petrus la Sena laudatus, & alio nomine refutatus.

Atque adeo ipsius & Herculanei confusa sunt fata: quarum utraque Herculis opus esset credita,

Nec unquam deinceps plane restituta est.

Tertullianus illustratus.

Tertullianus denuo illustratus.

XXIV. *Sarnus amnis, dictus etiam* Draco. *Nuceria urbs. Sarrastes populi. Stabiæ oppidum.* Vicus, *olim pagus, nunc oppidum. Surrentum urbs in promontorio Minervæ.*

JAmque ego expediissem integræ littoralis oræ, quæ Campaniæ nostræ prætenditur, descriptionem, si istum observare vellem terminum, quem ab hac parte, quæ Orientem versus est, statuit illi *Ptolemæus*. Pervenimus enim usque ad Sarni fluminis ostium, ultra quod ille Picentinos collocavit. Verum principio hujus *Dissertationis* rationem reddidimus de instituto *Ptolemæi*. Verba ejus Latine ita habent: *Campanorum similiter juxta Tyrrhenum pelagus, Liris fluminis ostia, Soessa*, (lege *Sinuessa*) *Volturnum, Cumæ, Liternum, Misenum, Puteoli, Neapolis. Picentinorum similiter juxta Tyrrhenum pelagus, Sarni fluminis ostium, Surrentum, Minervæ promontorium, Salernum. Lucanorum similiter juxta Tyrrhenum pelagus, Silari fluminis ostium*, &c. Hinc apparet, geographum istum, cum sciret fluminum ostiis satis apte terminari regiones, eodem voluisse modo uti in describenda Campania, quæ exiguo tractu ultra Sarnum ad vicinum usque sequentis promontorii latus pertinebat, neque ultra extendebatur. Nihil itaque nos impediet hic amnis, qui sæpe iter impedivit integris exercitibus, quo minus aliquantum ulterius excurramus, ducibus iisdem auctoribus, quibus usi sumus, ubi de eodem Orientali Campaniæ termino fuit actum. Veruntamen ut brevem heic agamus moram, ille amnis nos invitat; non quidem ad aquas suas, quæ amœnæ quondam fuerunt atque gratæ; unde *Statius* hujus fluminis laudavit otia *Silvarum* lib. II carm. II, hoc versu:

Nec Pompejani placeant magis otia Sarni;

hodie autem parum frequentantur; sed quo sui nominis originem investigemus. Fuisse illud ortum a nomine montis, ex quo ille decurrit, quique olim dictus *Sarus*, arbitror non esse negandum *Vibio Sequestro*, qui illud videtur indicavisse his verbis: *Sarnus Nuceriæ*, (Nuceria est ab ulteriore ejus ripa) *ex Saro monte oriens, per Campaniam decurrens.* Ab ipsius postea fluminis nomine denominati fuerunt *Sarrastes*, vicini tractus incolæ, ut affirmat *Servius*, quem aliquanto post afferemus. Atque hic refert etiam *Cononis* opinionem, historici veteris, qui dixit, hanc gentem & se ipsam, & nostrum flumen ita dixisse de nomine fluminis sui patrii. Verum hæc multum curare non libet, quandoquidem illa foret de re prorsus ambigua inutilis disceptatio.

Secus faciemus de *Cluverii* censura, qui jure *Paulum Orosium* reprehendit, quod is *Historiæ* suæ lib. IV cap. XV nostrum Sarnum confuderat cum Arno, Etruriæ flumine. Ceterum idem quoque autumat, jure negari posse illud, quod legitur apud *Procopium*, libro ultimo *Gothicorum*, nempe fluvium, qui non longe a Nuceria currit, (jam ex *Vibio* intelleximus, hunc esse Sarnum, quod & verum est) Δϱάκων, *Draco* nomen habuisse: atque adeo hunc esse errorem & oscitantiam librariorum censet. Verum hæc foret similis illi inertia, quam ipse quoque librariis imputavit, dum illos apud *Plinium Secundum* lib. XXXV cap. XV vocabulum

SARNUS amnis, creditus esse commodus Campaniæ nostræ terminus,

Ptolemæus illustratus.

Quæ aliquanto ulterius pertinuit,

Nomen accepit a Saro monte, & nomen dedit Sarrastibus: nisi forte ab his ipse nomen accepit.

Per errorem Sarnus fuit confusus cum Arno: sed nullo errore Draco legitur. Cluverius refutatus. Procopius defensus.

bulum *Puteolano* in *Campano* mutaviſſe vult, quorum utique nominum nulla eſt inter ſe convenientia. Atque adeo vereor ego, ne nonnunquam æque facile credamus, aliorum fuiſſe illam, quæ noſtra eſt negligentia, quam difficile eſt credere, admiſſos eſſe errores adeo enormes. Liberet itaque & ipſius *Procopii*, & ejus deſcriptorum fidem ab omni ſuſpicione falſi *Draconcellus* nomen, i-

Item Dracontius.

tem *Dracontius*, & *Draconteus*, prout varie dictum fuit, quo multis abhinc jam ſeculis illud flumen appellatum legitur in pluribus monumentis vetuſtis archivi Cavenſis monaſterii, & in Riſi, epiſcopi Sarni urbis *Diplomate*, quod illi conceſſit Alphanus, archiepiſcopus Salernitanus, anno a Servatoris ortu MLXVI. Atque hoc nomen reponendum etiam eſt in *Capitulari*, ſive pacto Sichardi, principis Beneventani, quod in lucem edidimus in *Hiſtoria Principum Longobardorum*, lib. I, ubi illud quoque monere non negleximus. Leguntur in eo corrupte hæc verba: *De fluvio diu concello*, quæ reſtitui debent ad hunc modum: *De fluvio Draconcello*. Pertinet autem illud ſcriptum ad annum a nato Chriſto DCCCXXXVI: ut adeo abunde verum ſit, Sarnum fuiſſe etiam appellatum *Draconis* nomine, a quo deinde formata eſſe iſta alia nomina ejus oportet. Ceterum credere libet, *Procopii* tempore illum amnem Græce dictum fuiſſe perinde *Draconem* & *Dracontium*, cum etiam utroque hoc tanquam uno eodemque nomine dictus fuerit unus idemque homo, ut ſagaciter obſervavit *Antonius Caracciolus* cap. XX *ſect.* VII *De ſacris monumentis Neapolitanis*. Atque hoc inde mihi factum videtur, quia nomen *Draco* ex illis eſt nominibus, quæ in caſibus obliquis una augentur ſyllaba, unde eadem in recto caſu utroque modo pronunciari ſolent, qua de re egimus in emendationibus ad *Chronicon Falconis Beneventani*. Et de Sarno quidem hæc ſufficiant.

Capitulare Sichardi, principis Beneventani emendatum.

Antonius Caracciolus laudatus.

NUCERIA urbs fuit mediterranea, ejuſque fines ad mare uſque patuerunt.

Ad Sarni oſtium, mari tenus collocavit *Plinius Secundus* agrum Nucerinum, id eſt, territorium Nuceriæ, quæ urbs, ut itidem ille affirmat, erat mediterranea, novem millibus paſſuum a mari remota. Verba ejus lib. III cap. V hæc ſunt: *Herculaneum, Pompeji, haud procul ſpectante Veſuvio monte, alluente vero Sarno amne, ager Nucerinus, & novem millia paſſuum a mari ipſa Nuceria, Surrentum cum promontorio Minervæ*. Neque alio modo intelligi debet loquutus fuiſſe *Polybius*, qui lib. III itidem collocavit Nuceriam in ultimo iſto Campaniæ noſtræ littoralis angulo. Verba ejus ita Latine reddidit interpres: *Oram maritimam Sinueſſani, Cumani, Puteolani colunt; item Neapolitani: ad extremum gens Nucerina.* Nuceriam igitur ad Campaniam pertinuiſſe, ſatis poſſumus eſſe certi & horum auctorum, & item *Strabonis* teſtimonio, qui eam conjunctim memoravit cum aliis Campaniæ urbibus. Inſuper non ſinit nos de eo dubitare *Cicero*, qui *Orat.* II *in Rullum* diſſerens de comparatione urbium, quæ circa Romam erant, cum hujuſce regionis urbibus, inter noſtras ultimo loco Nuceriam repoſuit, reſpiciens ad ſitum ejus, quem jam deſcripſimus. Verum *Livius* illam in Samnio collocaviſſe videtur hiſce verbis lib. IX: *Conſules partiti provincias. Etruria Decio, Samnium Fabio evenit. Is profectus ad Nuceriam Alphaternam*, (cognomine hoc, cujus origo incognita, Nuceria noſtra fuit inſignita ad differentiam alterius in Umbria Nuceriæ, quæ dicta *Camellaria*) *jam tum pacem petentes, quod uti ea, cum daretur, noluiſſent, aſpernatus, oppugnando ſubegit.* Atque adeo neceſſe eſt, vel ut intelligamus, eum loquutum fuiſſe eodem modo, quo Nolam quoque ad Samnites nonnulli retulerunt,

Proprie autem ad Campaniam illa pertinuit, non ad Samnium.

Livius duobus modis ambigue

quam nullum eſt dubium Campaniæ fuiſſe urbem, qua de re poſt agemus; vel ut dicamus, conſulem iſtum profectum ad Nuceriam contra Samnites, quia cum his cives ejus urbis fere octo annis ante ſocietatem inierant, ut notavit *Diodorus Siculus* lib. XIX: *Nuceriæ incolæ*, (ita habet interpres *Diodori*) *quæ Alphaterna vocatur, inducti a quibuſdam, amicitiæ Romanorum renunciarunt, & cum Samnitibus ſocietatem fecerunt.*

illuſtratus.

Ad hunc itaque modum cum fines Nucerinorum & *Polybii*, & *Plinii Secundi* ævo, quo temporis intervallo anni effluxerunt circiter CCXX, ad mare uſque patuerint, judicari poteſt, eam urbem diu obtinuiſſe gradum illum, ut ampliſſima eſſet atque prima aliarum iſtius tractus urbium, quam illi prærogativam olim detulerant Sarraſtes, conditores ejus, quorum ante fecimus mentionem. De his populis, deque hac Nuceriæ origine ſcripſit *Servius* ad illud hemiſtichium *Virgilii*, lib. VII *Æneidos*:

Nuceria condita eſt ab Sarraſtibus, origine Pelaſgis, qui eam conſtituerunt metropolim ſuam.

Sarraſtes populos, —— ——

ad hunc modum: *Populi Campaniæ ſunt, a Sarno fluvio. Conon in eo libro, quem de Italia ſcripſit, quoſdam Pelaſgos, alioſque ex Peloponneſo convenas ad eum locum Italiæ veniſſe dicit, cui nullum antea nomen fuerat, & flumini, quem accoluerunt, Sarno nomen impoſuiſſe, ex appellatione patrii fluminis, & ſe Sarraſtes appellaſſe. Hi inter multa opida Nuceriam condiderunt.* Jam cum ex omnibus oppidis, quæ illa gens ibi condidit, ſolius tantum Nuceriæ mentionem fecerit *Servius*, videor mihi inde colligere debere, eam fuiſſe Sarraſtum metropolim. Et in hac ſententia me confirmant iſta *Polybii* verba, quæ jam retulimus, in quibus ille uſus eſt nomine *gentis Nucerinæ*, (Græca habent τῶν Νυκερινῶν ἔθνος) conjungens cum nomine ſpeciali aliud nomen commune, ut denotaret hanc prærogativam ejus inter reliquam illam gentem, quæ alio modo dicta *Sarraſtes*. Et in hunc ſenſum *Stephanus* quoque *Byzantinus* oſtendit ſe accepiſſe eadem *Polybii* verba, ubi, ut Latine habent ejus verba, ita ſcriptum reliquit: *Nucerini, gens Italiæ. Polybius lib.* III. *Ipſorum prototypum* (nempe, unde ſic dicti) *Nuceria*. Atque huic, quam nos illi tribuimus, excellentiæ, ſatis conveniens fuit ſitus ejus mediterraneus, ut declarabimus alia occaſione. Illud autem velim obſervari, *Virgilium* antedicto lib. VII *Æneidos*, & una ejus imitatorem *Silium* lib. VIII, ubi mentionem faciunt horum Sarraſtum, prorſus tacuiſſe de nominibus urbium gentis ejus. De Oebalo, qui temporibus Æneæ Capreas inſulam tenebat, *Virgilius* ita dixit:

Polybius collato Stephano Byzantino illuſtratus.

> —— —— *late jam tum ditione premebat*
> *Sarraſtes populos, & quæ rigat æquora Sarnus.*

Virgilius & Silius collato Polybio illuſtrati.

Non alio modo de iiſdem loquutus eſt *Silius*, ubi populos recenſet, qui ante prælium ad Cannas in partibus Romanorum ſteterant:

> *Sarraſtes etiam populos, totaſque videres*
> *Sarni mitis opes.* —— ——

Atque adeo hæc eodem ſenſu ſunt accipienda, quo ſupra accepimus iſta *Polybii*, qui etiam univerſale gentis nomen Nucerinis indidit, intelligens ipſos Sarraſtes populos; quia ſpeciatim loquendo *Virgilii* & *Silii* Sarraſtes & ipſi non erant alii, quam Nucerini. Verum hice ſcriptores non ſatis ſciam dicere, num forte etiam de induſtria loquuti fuerint ad iſtum modum, (equidem de *Polybio*, qui, cum eſſet hiſtoricus, plus cauſæ ad eam rem habuit, hoc in dubium vocare non poſſe videor) quo nobis indicarent regiminis formam, quam hæc gens qualibet alia diutius obſervavit, nempe ut multæ civitates unum tan-

Diuque morem iſtum conſervarunt, ut multæ ipſorum civitates unum ſolummodo

 tum-

populum constituerent. tummodo populum constituerent. Quod si hoc verum fuerit, itidem crediderim ipso locorum istorum ingenio hodiernam quoque Nuceriam *esser composta da casamenti, ò villaggi, fino forse al numero di quaranta, col proprio nome di ciascheduno distinto*: id est, *compositam esse e vicis, sive pagis, numero circiter quadraginta, qui suo quisque nomine ab invicem distincti*; ut in epistola ad *Alcibiadem Lucarinum* de origine ejusdem urbis scripsit episcopus ejus *Lunadorus*. Jam quod ad illud attinet, an hi Sarrastes fuerint ex istis Pelasgis, qui *Strabone* teste Herculaneum tenuerunt atque Pompejos; adducor, ut istud affirmem, affinitate illa ipsorum Pompejorum suique Sarni cum Nuceria, quam sigillatim ex eodem geographo, & *Vibio Sequestro* supra intelleximus. Ceterum heic illud in suspenso relinquimus, quia aliquanto copiosius ea de re agendum erit in ultima harum *Dissertationum*, ubi de hoc argumento, & item de tempore illorum imperii in alios etiam Campaniæ tractus, tractare erit opportunius.

Ceterum hic in suspenso relinquimus eorum stirpem, & tempus, quo in Italiam advenerunt.

STABIÆ oppidum, ultra Sarnum, Jam ex istis, quæ diximus, intelligi potest, Stabias pertinuisse ad Nucerinos. Teste *Seneca*, quem supra adduximus, & item *Galeno*, *Methodi* lib. v cap. XII, urbs hæc, ut interpres ejus habet, *intimo maxime sinu sita est, inter Surrentum & Neapolim; magis tamen in latere Surrentino*, ideoque ultra Sarnum. Veruntamen in *Itinerario Peutingeriano* collocatur illa ad citeriorem hujus amnis ripam, quod non animadversum *Cluverio*: qui propterea forte credidisset, eam fuisse citra Sarnum. Verum tum quidem ego non suscepissem hoc aliud negotii, ut lectoribus persuaderem, Stabias ab una in alteram Sarni ripam transiluisse eodem modo quo Vettii Marcelli olivetum in Marrucinis ab una ad alteram partem publicæ viæ transiit. Fuerunt itaque, ut diximus, Stabiæ in territorio Nucerino, pertinueruntque ad Nucerinos, sive Sarrastes, qui integrum illum tractum, ab ipsorum urbe usque ad mare patentem, tenuerunt, non tantum *Plinio Secundo*, sed & *Polybio* teste. Posset enim *Plinius* loquutus fuisse de istis temporibus, quibus Stabiæ jam deletæ erant ab Sulla, qua de re ipse lib. III cap. v ita scripsit: *In Campano agro Stabiæ opidum fuere, usque ad Cn. Pompejum, & L. Carbonem Consules*, (scribo *L. Catonem*, qui consul fuit cum Cn. Pompejo anno ab Urbe condita DCLXIV) *pridie Kal. Maji; quo die L. Sulla legatus bello sociali id delevit; quod nunc in villas abiit.* Atque heic illud notetur, *Plinium* Stabias, quæ ultra Sarnum fuerunt, agro Campano adscripsisse, id est, Campaniæ Felici, ut suo loco ostendimus. Et adeo secum ipse consentit, dum proximos Picentinos a Surrento capere initium dixit: *A Surrento ad Silarum amnem XXX millia passuum ager Picentinus fuit.* Igitur integer cis promontorium Surrentinum tractus ad nos pertinuit. Et eodem ille modo lib. XXI cap. II Campaniæ nostræ aquam Stabianam, quæ dicta fuit *Dimidia*, adscripsit: item lib. XXXII cap. II *petram Herculis* ad mare Stabianum, quæ hodie appellatur *Orlandi scopulus*. Sed aliter *Ovidius*, qui *Metamorphoseon* lib. XV, in versibus, quos aliquanto ante adduximus, forsan metri necessitate adactus Stabias collocavit inter Herculaneum & Neapolim, ut adeo hac ratione illæ longe citra Sarnum fuissent. Porro autem ex novo nomine oppidi, quod hodie dicitur *Castello à mare di Stabia*, (*Castellum ad mare Stabianum*) apparet, veteres Stabias istic loci non fuisse sitas: & contra quam Volturnum oppidum, de quo tantum superest *il castello à mare di Volturno* (*castellum ad mare Volturni*) e castello Stabiarum factam urbem temporibus, quæ non satis sunt nota. *Plinii Secundi* ævo, ut ex ejus verbis intelleximus, dispersa illa erat in villas, sive castella exigua: quam ob causam *Strabo*, nulla ejus habita ratione, lib. V ita dixit: *Pompejis contiguum est Surrentum Campanorum, unde prominet Athenæum promontorium.* *Galeno* autem florente unum ex istis castellis, quod ad mare erat, forte propter excellentiam suam nomen sibi Stabiarum sumpserat. Belisarii tempore, quod antea Stabiæ, tum *Villa* erat, quæ vox itidem exiguum castellum notat. atque isto nomine appellatur hoc oppidum *Historiæ Miscellæ* lib. XVI. Sed occurrit memoria cujusdam episcopi Stabiarum non multo post annum a Christo nato DC, qua de re heic prolixius disserere non est nostrum.

Pertinuit ad Nucerinos, & deletum est a Sulla.

Plinius Secundus secum consentiens, & illustratus.

Ovidius illustratus.

Deinde autem e castello exiguo denuo illud evasit oppidum.

Strabo illustratus.

Jamque pervenimus ad promontorium usque Minervæ, qui hanc partem versus extremus est Campaniæ nostræ terminus, circa quem non est, quem observemus, alius locus, quam Surrentum. Ad hanc urbem a Stabiis ducebat via antiqua, quam non tantum ex ipso harum urbium situ, verum etiam ex nomine *Vici*, quæ hodie urbs episcopalis, olim pagus erat medius inter istas, videor mihi posse cognoscere. Ubi de Literno diximus, ab Latinis *Vicos* esse dictos indicavimus villas istas, sive pagos, qui erant ab utraque parte viæ cujusdam publicæ. Atque adeo multum ego illud probo, quod nostro *Vico* adjungi soleat peculiare suum cognomen, ne ille confundatur cum aliis locis, qui eodem nomine fuerunt appellati. *Silius* lib. V mentionem fecit regionis *Æquanæ* apud Surrentum, vini feracis, hisce versibus:

VICUS, olim pagus in via, quæ a Stabiis ad Surrentum ducebat, hodie urbs episcopalis.

——— ——— ——— *felicia Baccho*
Æquana, & Zephyro Surrentum molle salubri.

Silius illustratus.

Fuit illa ab ista parte Surrenti, quæ *Vicum* versus est, ut manifeste apparet ex nomine pagi, qui hujus urbis est, & hodieque dicitur *Equa*: unde & nomen accepit iste alius ejusdem urbis pagus, qui ibidem loci appellatur itidem *Massaquano*, quasi *Massa Equana*. In eodem promontorio est *Massa Lubrensis*. Et fuerunt aliæ quoque *Massæ*, de quibus dicebat *Capitulare* Sichardi, principis Beneventani, quæ nobis sunt *pagi*. Ceterum non appellanda est hæc urbs *Vicus Æquensis*, ut a multis fieri videmus, sed *Vicus Æquanus*. Jamque hac de re, aut de hoc Vico non superest, quod dicam, aliud.

De Surrento autem lubens vellem adeo haberem copiosam dicendi materiam, ut dissererede hac urbe pro ea, quæ nunc est, ejus dignitate possem. Verum tanto de ea apud veteres silentio, quid aliud de hoc argumento possum, quam parum, aut fere nihil dicere? Equidem nomen ejus, Græca lingua, nescio quid, de Sirenibus indicat: & Parthenope Siren, quæ in ipsius conspectu monumentum habuit, item insulæ Sirenusæ, quæ juxta ejus promontorium in sinu Pæstano jacent, tanquam humeris ipsius insidentes, eidem etymologiæ nonnullum addunt colorem, unde, tanquam in incerto lumine, aliquod factum potest agnosci, quod ad Sirenes pertineat. Excepta duntaxat insigni & frequenti vinorum Surrentinorum laude, non video, & id mihi dolet, ab antiquis scriptoribus in re majoris momenti hujus urbis factam mentionem. Atque hoc etiam questus sum in emendationibus ad *Chronicon Anonymi monachi Casinensis*, ubi itidem apprime cupidus insignem aliquem casum referre ad hanc urbem, facile credidi, Robertum II, Capuæ principem, matre natum Surrentina, (& idem repetii in *Genealogia* principum Campanorum Normannici sanguinis) istic fuisse moratum

SURRENTI, hodie nobilis urbis, cujus nomen alludit ad Sirenes, nec occurrit insignis quæpiam memoria apud veteres:

Neque in illam se recepit Robertus II, Capuæ princeps, matre natus Surrentina:

post

post annum a Christo nato MCXXXIX, cum isto tempore se reconciliavisset cum Summo Pontifice, Innocentio II, Rogerius rex, cui tum Innocentius eundem Capuæ principatum concessit.

Auctor illud refutat, quod in alio libro dixerat.

Sed ab isto tempore verius est Robertum se in Germaniam recepisse, ubi ab Imperatore Conrado III benigne acceptus fuit; eumque ibi moratum usque ad Friderici Barbarossæ Imperatoris in Italiam transitum, ut narrat *Otho Frisingensis* lib. I cap. XXIII & XXIV; item lib. II cap. VII, XI, & XXIV *De gestis Friderici Barbarossæ*. Fuit etiam tempus, cum allectus eodem desiderio crederem, *Livium* unica tantum voce, tanquam brevissimo compendio, nobis indicavisse priscam Surrentinorum dignitatem atque potentiam: nimirum ubi lib. XXII recensens Italiæ populos, qui post commissum ad Cannas prælium relicta Romanorum amicitia Pœnorum partes amplexi sunt, illis annumeravit quoque Surrentinos hisce verbis: *Defecere autem ad Pœnos hi populi: Atellani, Calatini, Hirpini, Apulorum pars, Samnites præter Pentros, Bruttii omnes, Lucani. Præter hos Surrentini, & Græcorum omnis ferme ora: Tarentini, Metapontini, Crotonienses, Locrique, & Cisalpini omnes Galli.*

Neque etiam fuerunt Surrentini, qui amicitiam inierunt cum Annibale,

Sed deinde animadverti, situm atque ordinem regionum & populorum, quos recensuit *Livius*, non permittere, ut post Atellanos & Calatinos, Campaniæ populos omissa Surrentinorum mentione, *Livium* hos adeo incongrue ordine suo deturbavisse credamus, & inter illos collocavisse, qui longissimo intervallo remoti erant a nostra Campania. Considerans itaque, *Livium* in ista recensione, postquam percurrerat Hirpinos, Apuliam, Samnites, Bruttios, Lucanos, & antequam pervenerat in Magnam Græciam, ad Tarentinos, Metapontinos, Crotonienses, & Locrenses, memoravisse Surrentinos, judicavi nihil esse dubitandum, quin hic fuerit error librariorum, qui *Surrentini* scripserunt pro *Sallentini*, quo nomine dicti fuerunt istius regionis incolæ, quæ Tarentinis est contigua, & hodie appellatur *Terra di Otranto.* (*Hydrunti regio*)

Sed Sallentini.

Livius emendatus.

Verum hoc levius utcunque malum est, de Surrento altum apud veteres esse silentium, illius comparatione, quod nonnulli de ea loquuti fuerunt, ut *Strabo* fecit, sane obscure admodum. Hic lib. V non aliud de hac urbe dixit, quam hæc verba, prout illa Latine reddidit interpres: *Pompejis contiguum est Surrentum Campanorum.* Usus fuerat iste geographus jam eodem loquendi modo semel iterumque, ubi aliquanto ante de Cumis, & mox de Neapoli scribens, hanc Cumanorum, illam autem Cumanorum & Chalcidensium urbem dixerat: sed manifeste indicavit, eosdem populos fuisse illarum conditores.

Fuit autem illa Campanorum urbs,

Igitur ex hoc quidem stylo ejus dicendum videtur, idem sibi velle istud de Surrento non dissimile dictum, & Campanos primum condidisse Surrentum, aut saltem eam tenuisse. Veruntamen ego hoc affirmare nolim, & aliorum hoc relinquo curæ, ut meliorem investigent, si forte possit inveniri, rationem verborum gravissimi istius auctoris.

Strabo ambigue illustratus.

Ceterum conditam Surrentum nonnulli referre ad Sirenes, alii Herculem ejus auctorem facere volunt. Et illi quidem, pro sententia sua *Plinium Secundum*, hi *Strabonem* adducunt. *Plinii* verba lib. III cap. V hæc sunt: *Surrentum cum promontorio Minervæ, Sirenum quondam sede.* *Strabo* autem lib. V, ut interpres ejus habet, ita dixit: *Pompejis contiguum est Surrentum Campanorum, unde prominet Minervæ promontorium,* (Græca habent Ἀθηναῖον, quod tantundem valet) *quod alii Prenussum vocant.* (*Casaubono* legere placet, idque satis cum ratione: *Sirenusanum*) *Eo in promontorio fanum est Minervæ, ab Ulysse conditum; indeque in Capreas insulam brevis est trajectus.*

Quam aliis credere placuit a Sirenibus conditam, aliis ab Ulysse,

Verum de utraque harum opinionum per me cuique liberum esto pro captu suo judicium. Certe non procul ab isto loco, in quo credi potest templum istud sive delubrum Minervæ fuisse, hodie urbs est, quæ appellatur *Massa Lubrensis.*

Qui in ejus promontorio Minervæ fanum exstruxit, ubi Massa Lubrensis *oppidum est,*

Alioquin autem *Massæ* nomen corruptæ Latinitatis temporibus commune fuit aliis etiam locis significatione ista, quam declarabimus *Dissertatione* sequenti. Hinc in trunco *Capitulari* Sichardi, principis Beneventani, quod etiam supra citavimus, quodque pacis leges continet, factæ inter ipsum, & episcopum, Ducemque Neapolis, quorum alter Joannes, alter Andreas appellabatur, *Massæ* nomen legitur in *rubricis* una cum nominibus locorum, quæ istis temporibus erant in eodem Minervæ promontorio ad hunc modum: *De Lavari,* (fortasse: *De Lactari,* quæ hodie *Lettere,* urbs Episcopalis, denominata a monte, qui *Lactis* dictus, sive *Lactarius,* de quo loquuti fuerunt *Procopius Gothicorum* libro ultimo, & *Cassiodorus* lib. XI epist. XIX) *& de aliis Massis.* Et mox: *De Angre.* (castello, hodie satis noto) *De Stabi. De ponte lapideo, & de Plagia.* (hic locus *Historiæ miscellæ* lib. XVI dicitur *Plaja*) *De fluvio diu concello.* (hic est Sarnus, qui dictus etiam *Draconcellus*) *De monte Vesuvio, & de Colonis.* (fortasse: *de Cosanis,* a *Cosa* urbe) *De colonis Trasmontanis,* (intelligi possunt istius loci incolæ, cui hodie nomen *Tramonti,* in interiore parte isthmi, qui inter Pompejos & Marcinam est, quo se, quia ipso situs ingenio permunitus erat, tanquam in asylum, receperunt exsules & fugitivi, tam Longobardi, quam Græci) *ut a partibus revocentur.* Huc usque hac de re *Capitulare* istud.

Capitulare Sichardi, principis Beneventani pluribus locis illustratum.

Nihilominus conveniens est, istud fanum, quod diu fuit in magna veneratione, pertinuisse ad Surrentum, cui adeo erat vicinum, quicquid tandem veri sit de Sirenibus, ipsiusque exstructione, quam diximus. *Atque his locis* (ita concludit *Strabo* narrationem suam) *finitur sinus, qui Crater appellatur, duobus ad meridiem spectantibus promontoriis inclusus, Miseno & Athenæo.* (de Miseno hoc verum est: sed alterum prominet Occidentem hybernum versus.) *Totus autem adornatus est cum iis, quas dixi, urbibus inter se continentibus,* (nempe Miseno, Bajis, Puteolis, Neapoli, Herculaneo, Pompejis, & Surrento) *tum ædificiis & plantis,* (nempe amplarum & amœnarum, quæ inter illas urbes sunt, villarum) *ita inter se continentibus, ut unius urbis præ se ferat adspectum.*

Et ambitus finitur hujusce sinus, qui satis nobilis fuit & frequens,

Jam quod ad loca attinet, quæ ad radices sunt Vesuvii, jam intelleximus ex *Plinio Cæcilio,* ante incendium illud, quod ipsius tempore contigit, *fuisse frequentem amœnitatem oræ.* Jamque de maritimis Campaniæ nostræ locis non aliud mihi, quod dicam, superest. Atque adeo, ut me convertam ad mediterranea, convenit, quæ citra Nuceriam sunt, & progrediar oppositum terminum Orientalem versus, ut ita hujus *Dissertationis* absolvatur periodus.

Et item finitur Campania nostra littoralis.

XXV. *Nola urbs, Samnitibus habitata, & varie collocata modo in Samnio, modo in Campania. Habitata Chalcidensibus. Condita ab Etruscis. Dicta etiam urbs Ausonum. Avella oppidum. Suessula oppidum.*

ET in hac via, quæ, secus ac hucusque factum est, ab Oriente Occidentem versus erit instituenda, Nola omnium urbium prima nobis occur-

NOLA, Picentinis adscripta, cum re-

ctius Hirpinorum urbs dici potuisset,

currit, quæ digna sit memoria. Ceterum hæc cum perinde fuerit citra fontes ac citra ostium Sarni, *Ptolemæum* retulisse eam ad Picentinos oportet aliam ob rationem, quam illam, qua adductum retroëgisse eum Campaniam diximus ad ostium ejusdem fluminis, & Nuceriam, quæ itidem mediterranea est, & ultra Sarnum, in iisdem collocavisse Picentinis. Verba ejus Latine ita habent: *Picentinorum urbes mediterraneæ sunt: Nola, Nuceria colonia. Lucanorum mediterraneæ: Ulci, Compsa, Potentia, Blanda*, &c. Certe ab Occidentali & Septentrionali Nolæ latere, quo versus integra extendebatur Campania, nullus est mons, quem geographus iste commode potuerit nostræ regionis statuere terminum. Sed ab oppositis quidem lateribus suos montes Nola habet: quorum qui ad meridiem sunt, ab ipsis Picentinis, atque Nuceria; qui autem Orientem versus exsurgunt, ab Hirpinis Nolam distinguunt, quorum urbs fuit Abellinum, cui ipsa vicina est. Facile igitur potest ille hic aliquid erroris admisisse: & ego quidem crediderim, eum non sine ratione in animo habuisse ad Hirpinos, non autem ad Picentinos referre Nolam. Ceterum Hirpini, ut satis est notum, proles fuerunt Samnitium, & auctor *epitomes Livianæ* Nolam collocavit in Samnio, ubi in *epitome* lib. LXXXIX ita dixit: *Sulla Nolam in Samnio recepit.* Neque aliter loquutus est *Diodorus Siculus* lib. XIX, ubi narrat de prælio quodam, quo pugnatum fuit inter eosdem Samnites & Romanos, L. Papirio quintum & C. Junio consulibus, qui fuit ab Urbe condita annus CCCCXLII. Verba ejus Latine ita habent: *Hæc dum geruntur, Romanis in Italia bella adversus Samnites gerentibus, continentes fiebant in agrum excursiones.* Et mox: *Exercitu assumpto Q. Fabius Fretomanorum* (*Cluverius* legit *Fregellanorum*, & recte) *urbem expugnat.* Et denuo: *Deinde cum paucis in hosticum ingressus, Celiam*, (idem *Cluverius* recte legit *Calatiam*, ut & habet *Livius* lib. IX, ubi eadem gesta exposuit) *& Nolanorum arcem expugnat, & prædæ multitudinem venundat, militibusque magnam agri partem sorte dividit.* Etiam *Strabo*, qui lib. V, ut interpres ejus habet, ita dixit: *Post Campanos & Samnites usque ad Lucanos* (ita lego cum eodem *Cluverio* pro *ad Frentanos*) *ad mare Tyrrhenum Picentina gens habitat*; nisi Samnitibus quodammodo Nolam, regionemque Nolanam adscripsisset, non subjunxisset sequenti lib. VI, viam, quæ ab Rhegio ducebat in Campaniam, per Samnium fuisse directam: *Tertia via a Rhegio per Brutios, Lucanos, & Samnium in Campaniam ducens, atque in Appiam per Apennini montana.* Nam inter urbes, quæ in hac via erant, quasque descripsit *Antoninus* ab Roma incipiens, in *Itinerario* suo, quantum quidem ad nostrum argumentum attinet, numeravit ille nulla alia interposita Capuam, Nolam, Nuceriam, Salernum. Quo pacto igitur ex opinione ejusdem geographi ista via per Samnium duxisse potuit in Campaniam, si pariter ille non existimavit, Nolam fuisse sitam in Samnio? Ceterum quo loco jam hæc via conjuncta fuerit Appiæ ad Capuam, non multo abhinc ostendam loco opportuniore. Insuper Samnites, qui eodem *Strabone* teste Herculaneum tenuerunt atque Pompejos, hac quoque ratione oportet regionem obtinuisse Nolanam, ut per istam ex Samnio & Hirpinis ad mare descendere possent. Hoc amplius idem lib. V, postquam dixerat, Suessulam, Atellam, Nolam, Acerras, & Avellam Campaniæ urbes fuisse, subjunxit, in eadem regione alia fuisse *etiam his minora opida, quorum nonnulla Samnitibus attribuunt*; quæ urbes minores certe fuerunt in

Qui proles fuerunt Samnitium, a multis in Samnio collocata est.

Cluverius pluries laudatus.

Strabo illustratus collato Diodoro Siculo, & epitome Liviana.

Strabo denuo illustratus duobus locis.

A regione Nolana. Denique *Livius*, ubi lib. VIII indicat, magnam quondam inter Nolanos & Samnites intercessisse amicitiam, ad omnia hæc respicere voluit, quæ nobis disertius dixerunt auctores isti, quos retulimus: nos autem in *Dissertatione* quarta demonstrabimus, Nolam proprie fuisse in Samnitium ditione. *Ptolemæus* itaque, ut in principio diximus, hanc urbem collocare debuerat in Hirpinis, qui etiam fuerunt Samnites; licet illa ceteroquin ad Campaniam Felicem pertinuerit, qua de re termini hujus regionis, quos suo loco in genere ostendimus, non sinunt nos dubitare. Verum *Livius* diserte Nolam attribuit Campaniæ hisce verbis lib. IX: *In Campaniam reditum, maxime ad Nolam armis repetendam*: & item lib. XXIII, ubi de Nucerinis, quorum urbs ab Annibale capta erat, ita loquitur: *Dilapsi omnes, quocunque hospitia, aut fortuitus animi impetus tulit, per Campaniam, maxime Nolam, Neapolimque.* Etiam *Polybius* lib. III, cujus verba alibi retulimus, Nolam collocavit in Campania ab isto Capuæ latere, quod meridiem versus est. Igitur in tanta auctorum varietate, quam satis intellexit *Blondus*, num forte illud dicere libet, quod ipse, exponens verba ista, quæ ex auctore *Livianæ epitomes* adduximus, quo illa conciliaret cum aliorum auctorum verbis, sibi persuasit? *nimirum eo in sociali bello, quod is tunc scribebat, Nolam vicinis Samnitibus adeo obstinate consensisse, ut ex ea regione haberi potuerit*: minime gentium. Etenim temporibus multo antiquioribus illa jam adscripta erat itidem Samnio. Itaque dicam potius, omnem illam varietatem accidisse per caussam varietatis inter Campaniam Felicem, & Campaniam Capuanam, quam demonstravimus in *Dissertatione* prima. Atque adeo Nola fuit in Samnio, & extra minorem illam Campaniam, quamdiu major ista necdum descripta erat ab Romanis, qui postea neque Nucerini, neque Nolani tractus retinuerunt imperium flagrante bello sociali, quod & Marsicum dictum, sicut illud observari potest vel ex solo *Appiano Alexandrino* lib. I *De bello civili.* Sed Capuæ quidem, ideoque etiam Campaniæ Capuanæ non interruptum illi tenuerunt imperium, qua de re non sinit nos dubitare *Cicero* in Orat. II *in Rullum.* Atque hac jam ratione conciliari queunt & illustrari multa veterum auctorum loca, nosque intelligere possumus, quam ob caussam in *epitome* ista, quam diximus, Nola fuerit adscripta Samnio: item, ista *Livii* verba: *In Campaniam reditum, maxime ad Nolam armis repetendam*, quæ ad ista tempora conveniunt, quibus necdum descripta erat Felix Campania, stricte accipienda esse de Capuana, e qua Romani Nolam regionemque Nolanam impugnaverunt. Verum heic silentio prætereundum non est, Oratorem istum, ubi in eadem *Oratione* recenset easdem illas urbes, quas *Polybius* libro supra citato circa Capuam descripsit, injuste, si non negligenter, omisisse Nolam: nisi tamen aliis hoc adscribere libeat humili, quæ isto tempore fuerit, hujus urbis conditioni, in quam non multis post annis deducta fuit colonia a Vespasiano, ut notavit *Frontinus* in libello *De coloniis*, unde & *Plinius Secundus* lib. III cap. V inter colonias eam numeravit. *Ciceronis* autem verba hæc sunt: *Opidorum finitimorum copiam cum hac per risum ac per jocum contemnent. Labicos, Fidenas, Collatiam, ipsum hercle Lanuvium, Ariciam, Tusculum cum Calibus, Teano, Neapoli, Puteolis, Cumis, Pompejis, Nuceria comparabunt.* Et aliquanto ante simili prorsus occasione itidem tacuerat ejus nomen, loquens de novis colonis, quos Rullus emitti volebat, ad hunc modum: *Calenum municipium*

Livius illustratus.

Ptolemæus, si non defensus, saltem excusatus.

Deinde autem illa fuit in Campania Felici,

Blondus refutatus.

Nunquam vero in Campania Capuæ. Postea illa denuo erasit urbs Samnii.

Livius, ejusque epitomator illustrati.

Ceterum quod ejus nomen, ubi minime conveniebat, silentio præteritum fuit ab nobili quodam scriptore veteri,

Cicero notatus.

cipium complebunt : Teanum opprimeut : Atellam, Cumas, Neapolim, Pompejos, Nuceriam ſuis præſidiis devincient. Puteolos, vero, qui nunc in ſua poteſtate ſunt, ſuo jure libertateque utuntur, totos novo populo atque adventitiis copiis occupabunt. Ita ille *Orator*, quem nullum eſt dubium, ſi Nolæ etiam feciſſet mentionem, una cum majore numero harum urbium noſtrarum majorem etiam invectivæ ſuæ fuiſſe vim additurum. Neque heic dici poſſe ſine temeritate arbitror, perinde principem Latinorum oratorum, & *Virgilium* poëtarum principem, ſive cenſores illorum, aſpernatos fuiſſe, ut in ipſorum libris ejus nomen legeretur: niſi forte hoc fuerit ejus infortunii loco, nemini caram fuiſſe literato, cum eorum fœcunda mater ipſa fuerit proximis hiſce ſeculis, & ab *Joanne Baptiſta Attendolo*, qui in præſtantioribus omnium linguarum poëtis & oratoribus, & item in qualibet excellentiore doctrina adeo fuit eruditus, ut ſui ævi hominibus miraculo fuerit, inprimis fuerit amata. Ita etiam non ſatis ſcio, qua fati iniquitate nomen ejus ne quidem legatur in *Capitulari*, quod principatus Beneventani continet diviſionem & ad annum a Chriſto nato DCCCLI pertinet, atque a nobis in lucem editum eſt lib. I *Hiſtoriæ principum Longobardorum.* Verum ejus loco iſtic eſt *Cimiterii* nomen, qui pagus fere mille paſſuum ab eadem diſtans urbe, vulgo appellatur *Cimitino*, quemque propter templi ſui venerationem oportet multo fuiſſe celebriorem: unde & *Herchempertus Num.* II itidem loco Nolæ ejus fecit mentionem.

Videtur conſuetum ejus fuiſſe infortunium:

Et ita ſerioribus quoque temporibus magis Cimitini, quam Nolæ facta eſt mentio.

Jam ſi in cauſam placet inquirere arctæ illius amicitiæ, quæ Nolanos inter atque Samnites fuit, nullum credo fore, qui non cogitet, eam fuiſſe hanc, quod utrique erant orti ab Græcis. Verum in quarta harum *Diſſertationum* aliam ejus rei cauſam afferemus, prorſus novam, per quam pariter certus demonſtrabitur ordo rerum inter Samnites atque Nolanos, huc uſque incognitus. Ceterum de Græca Nolanorum origine dixit *Juſtinus*, epitomator *Trogi Pompeji*, hiſce verbis lib. XX: *Jam Faliſci, Japygii, Nolani, Abellani, nonne Chalcidenſium coloni ſunt* ? Et cum eo conſentiens *Silius* Nolam dixit urbem *Chalcidicam*, ubi ita dixit de Annibale lib. XIII:

Nolani tum aliam ob cauſam, quam heic tacemus, tum quia a Chalcidenſibus, id eſt, Græcis, erant orti, amici fuerunt Samnitium,

> *Hinc ad Chalcidicam transfert citus agmina Nolam.*

Atque hinc jam credere licet, eo tempore quo Nolani ab Neapolitanis in urbem recepti ſunt, qua de re ſupra dictum eſt, viciſſim aliquem Neapolitanorum numerum, qui origine Chalcidenſes erant, tranſiiſſe Nolam: aut tranſiiſſe eo quoſdam ex illis Chalcidenſibus, qui civilibus agitati diſcordiis e Pithecuſis inſula exceſſerunt: aut denique hoc intelligendum erit de Cumanis, qui & ipſi Chalcidenſes, & diu hujuſce regionis tenuerunt imperium. Ceterum Samnites itidem originis eſſe Græcæ gloriabantur, ut ipſis perſuaſerant Tarentini, & ipſi Græci, nimirum a Spartanis oriundi, qua de re ita *Strabonis* interpres lib. V: *Quidam Spartanos etiam cum his* (Samnitibus) *habitaſſe dicunt; ideoque Græcis ipſos faviſſe, quoſdamque ipſorum Pitanatas dictos eſſe. Hoc figmentum apparet eſſe Tarentinorum, ut præpotentibus adularentur, eoſque ſibi conciliarent.* Verum quicquid tandem hac de re ſit veri, quod ad cetera attinet, admodum aſſeveravit *Dionyſius Halicarnaſſenſis*, inſignem fuiſſe Nolanorum amorem erga Græcorum gentem, qua de re in quadam *Legationum* ſuarum ex interpretatione *Henrici Stephani* legitur ad hunc modum: *Forte autem ad Neapolitanos eodem tempore legati a Tarentinis miſſi venerant, viri illuſtres, & cum Neapolitanis hoſpitii neceſſitudinem, jam a ſuis majoribus contractam, habentes; nec non alii a Nolanis finitimis, & Græcæ gentis ſtudioſiſſimis, ut a Neapolitanis contraria peterent, ne ullam cum populo Romano, aut cum iis, qui ejus imperio parerent,* (intelligit Campanos, qui infeſtati & damno affecti erant ab ipſis Neapolitanis) *conventionem facerent, neque ſuam cum Samnitibus amicitiam diſſolverent.* Atque omnia hæc incidunt in tempus inimicitiæ, quæ inter Neapolitanos, qui Palæpolitani ſunt *Livii*, atque Romanos interceſſit, quam declaravimus, ubi de Neapoli fuit actum. Et adeo ſingularis ille Nolanorum erga Græcos amor, quem deſcripſit *Dionyſius*, peculiaris fuit erga Neapolitanos, quorum, prout *Strabonis* expoſuimus verba, magnum numerum in urbem ſuam receperant. Sed deinde rupta inter illos eſt amicitia per cauſam Romanæ obſidionis, & quia *fœdiora aliquanto intra mœnia iis, quibus hoſtis territabat, patiebantur*: unde *leviſſimum malorum deditio ad Romanos viſa.* Ad hæc non attendit animum *Cluverius*, & exiſtimavit, eandem iſtam *Livianam* narrationem pugnare cum iſtis, quæ de Nolanis dixit *Juſtinus*, cum quo omni modo conſentire videtur *Dionyſius*, quod nec ipſi fuit ignotum.

Qui & ipſi originis eſſe Græcæ crediti.

Et eadem ratione Nolani Neapolitanorum fuerunt amici.

Dionyſius Halicarnaſſenſis illuſtratus.

Cluverius notatus.

Ceterum antequam Chalcidenſes recepti fuerunt in urbem Nolam, (ſive jam illi fuerint Cumani, ſive Pithecuſani, ſive ſeriorum temporum Chalcidenſes, id eſt, Neapolitani) oportet eam fuiſſe jam conditam ab Etruſcis, ſi non fefellit nos *Vellejus* noſter hiſce verbis lib. I: *Quidam hujus temporis tractu ajunt a Tuſcis Capuam Nolamque conditam ante annos fere* DCCCXXX; *quibus equidem aſſenſerim.* Scripſit *Vellejus Hiſtoriam* ſuam M. Vinicio Quartino, C. Caſſio Longino conſulibus, qui fuit a Chriſto nato annus XXXII, ab Urbe condita DCCLXXXII. Et adeo Nola ante Romam condita fuit anno XLVIII, poſt excidium Trojanum anno CCCLXXXIV. Etruſcis, ſive Tuſcis, ſive Tyrrhenis, licet certum non definierit tempus, adſcripſit eam quoque *Polybius* lib. II, cujus verba Latine ita habent: *Campos omnes, quos Apennino atque Adriatico mari terminari diximus, olim habitavere Tyrrheni, quo tempore Phlegræos etiam campos, qui circa Capuam & Nolam ſunt, tenebant.* Jamque poſſumus eſſe certi, *Solinum*, in cujus exemplaribus vulgatis legimus conditas fuiſſe *ab Aſcanio Longam Albam, Fidenas, Antium: Nolam a Tyriis: ab Euboenſibus Cumas*, ſcripſiſſe debere: *Nolam a Tyrrhenis*, ſive: *a Tuſcis.* Ceterum de manifeſto adeo indicio nihil cogitans *Salmaſius* legere volebat *a Thuriis*, id eſt, Thurii, quæ urbs Magnæ Græciæ, civibus, quos nihilo magis unquam in hanc adveniſſe regionem novimus, quam Tyrios.

Etruſci Nolæ fuerunt primi conditores.

Solinus emendatus. Salmaſius refutatus.

Ita igitur Nolani fuerunt & Samnites, & Græci, & Etruſci. Verum *Hecatæus Mileſius*, hiſtoricus Græcus, citatus ab *Suida* & *Stephano Byzantino*, Nolam dixit urbem Auſonum, qui fuerunt antiquiſſimi hujus regionis populi. Verba *Stephani* Latine ita habent: *Nola civitas Auſonum: Hecatæus in Europa. Nolen ipſam Polybius dicit. Derivatum: Nolius. Polybius autem: Nolanus.* Nihilominus illum oportet non intellexiſſe Auſones proprie dictos, ſed Samnites iſtos, de quibus ſupra, qui alio nomine dicti quoque fuerunt *Sabelli.* De his ita *Junius Philargyrus* ad iſta *Virgilii* verba *Georgicorum* lib. II, *gentemque Sabellam: Hi ſunt autem, qui olim Auſones dicebantur.* Et ut nobis oſtenderet, ſe intellexiſſe Samnites, qui, ut etiam *Strabo* lib. V, & *Plinius Secundus* lib. III cap. XII affirmant, *Sabellorum* nomine fuerunt dicti, ita ſubjunxit: *De Sabellis Varro in Age modo ſic ait: Terra culturæ cauſa attributa olim particulatim*

Nonnulli Nolam dixerunt urbem Auſonum, intelligentes de Samnitibus.

Hecatæus Mileſius illuſtratus.

latim hominibus, ut Etruria Tuscis, Samnium Sabellis. Atque heic silentio præterire non possum,

Cluverius notatus

Cluverium lib. III cap. IX non debuisse ista *Hecatæi* verba in argumentum afferre, ut probaret Ausones incoluisse Campaniam, dum illum cum aliis contulit auctoribus, qui dixerunt Cales, quæ hodie *Calvi*, urbem fuisse Ausonum. Hæc enim non Samnitibus, eorum prole, de quibus dixit *Hecatæus*, sed ipsis primis & antiquissimis Ausonibus fuit habitata. Itidem non arbitror prætermittendum, quod idem *Cluverius* dixit, Nolam hodie fere prorsus esse desertam, id quodam ejus errore factum, eumque forsitan dicere voluisse Avellam aut Acerras. Nihilo enim minus, quam alia ejusdem ordinis oppida, incolis illa frequentatur. Ceteroquin autem hoc quidem verum est, eam non esse cinctam muris.

AVELLA, sive Avellanum oppidum, a quo credita nomen accepisse nuces avellanæ,

Aliquantum ultra Nolam Avella est, sita Septentrionem versus, sed nonnihil ad Orientem æstivum declinans. Hæc ab omnibus scriptoribus eodem *Avellæ* nomine appellatur, excepto duntaxat *Servio*, qui ad *Georgicorum* lib. II eam dixit *Avellani* nomine, eodem isto modo, quo etiam *Cales* Latine dicta fuit *Calenum*, ut suo loco ostendemus. *Sane*, inquit ille, *coryli proprie dicuntur: nam avellanæ ab Avellano, Campaniæ oppido, ubi abundant, nominatæ sunt.* Sed *Plinium Secundum* lib. XV cap. XXII affirmare scimus, nuces avellanas, quas nos appellamus *nocciuolas*, principio fuisse dictas *Abellinas*, ab nomine loci, in quo abundabant. Verba ejus hæc sunt: *Cæteris, quicquid est, solidum est: ut in avellanis, & ipso nucum genere, quas antea Abellinas patrio nomine vocabant.* Atque adeo videri possit apud *Servium* corrupta esse vox *Avellano* ex sincera *Abellino*, eumque de Avella non fuisse loquutum. Equidem a *Plinio* sane non est quod dissentiamus, quandoquidem multo uberior avellanarum proventus circa Abellinum est, quæ proxima in Hirpinis urbs, quam Avellam. Veruntamen *Servius* omnino loquutus est de Avella. Nam deinde ad lib. VII *Æneidos* diserte *Abellam* dixit (promiscuæ sunt *B* & *V* literæ, ut satis est notum) urbem istam, quæ ex ipsius sententia sive nomen dedit avellanis, quæ antea *Abellinæ*, sive ab illis ipsa nomen accepit: & in hanc rem verba ejus jamjam afferemus.

Quæ ab Abellini nomine dictæ fuere,

Servius refutatus, ejusque lectio defensa.

Avella itaque, si fidem habere *Justino* libet, cujus verba supra retulimus, perinde ut Nola, conditores habuit Chalcidenses: nec improbabile est, duo hæc oppida, quod admodum vicina invicem essent, plus semel communem subiisse fortunæ mutationem. Verum de ortu ejus idem *Servius* loco citato, ut *Danielli* codex reliquis libris aliquanto copiosius habet, scripsit ad hunc modum: *Quidam hanc civitatem a rege Murano conditam, Mœram nomine vocatam ferunt: sed Græcos primo eam incoluisse*; (intelligit Chalcidenses, quibus eam adscripsit *Justinus*,) *quæ ab nucibus Abellanis Abella nomen accepit. Alii, quod imbelle vulgus & otiosum ibi fuerit, ideo Abellam appellatam. Hujus cives cum loca circa Capuam possiderent*, (intelligit Etruscos, qui, ut prodidit lib. IV *Livius*, cum ab Samnitibus in Capuam urbem essent recepti, deinde ab ipsis una nocte trucidati fuerunt omnes) *orto tumultu interiisse*; *aliosque fugientes Mœranum abiisse, & ejus incolis struxisse*; (hic nonnulla desiderantur) *& quod imbelliores fuerint, Abellanos dictos.* Hucusque *Servius.*

Primum Mœra dictum fuit & conditum a Græcis Chalcidensibus.

Deinde autem dictum fuit Avella ab imbellibus hominibus, qui eo confugerunt.

Ceterum licet altera hæc etymologia pro commento grammaticorum sit habenda, qui etiam notaverunt, *inter bellum & avellum hoc interesse, quod bellum inter exteras gentes, avellum inter cives; dictum quod avellantur in duas partes*; nihilominus in ea latere oportet ignotam aliquam historiam,

A unde illi ad utramque hanc sententiam proferendam habuerint occasionem. Et videor mihi inde quoque posse colligere, Avellam sese recepisse istos minus bellicosos cives, qui patria sua expulsi fuerant per qualemcunque seditionem, motam ab aliis, qui ipsis erant fortiores: qua de re prolixius & clarius alibi erit agendum.

SUESSULA oppidum, inter Capuam & Nolam, Campaniæ Capuanæ inclusum fuit,

In adverso montium latere, qui Avellæ imminent, Samnites fuerunt Caudini, collocati a *Polybio*, quem principio hujus *Dissertationis* retulimus & correximus, ad Orientalem Campaniæ terminum, perinde ac Nolani. Ad hos igitur, quo commodius descriptionem nostram exequamur, non per aliam nos conferemus viam, quam B per istam, quæ a Nola Capuam ducebat, viginti sive unius & viginti millium passuum longitudine, prout metri forsan necessitate notavit *S. Paulinus Nolanus* carm. XIII *ad Citerium*, dissentiens ab *Itinerario Antonini.* In hac via sita fuit Suessula, cis Clanium amnem, & pari fere intervallo ab utraque istarum urbium, loco silvoso & palustri. Atque hujus oppidi nonnisi nudum nomen & exigua haud sane magnificorum ædificiorum rudera supersunt. Eadem stricte ad Campaniam Capuæ pertinuit, & in extremis ipsius fuit sita finibus, ut in *Dissertatione* prima a nobis de- C monstratum est. Hinc illa a vicinis Samnitibus, tam Caudinis, (ab hac enim parte ex Samnio in Campaniam, qualicunque modo sumptam, erat aditus) quam etiam Nolanis, omnibus illis affecta fuit damnis, quæ perpeti fere solent loca, in extremis regionum finibus collocata. Atque hoc incommodo conflictata illa fuit per omne istud tempus, quo Etrusci Campani oppugnati fuerunt ab iisdem Samnitibus, qua de re satis parce, nec plus uno verbo solus dixit *Livius*; *Strabo* autem in genere tantum dixit, ab Samnitibus imperio Campaniæ dejectos eosdem Etruscos Capuæ: & item per illud annorum spatium, quo D inde usque a M. Valerio Corvo, A. Cornelio Cosso consulibus, qui fuit ab Urbe condita annus CCCCX, Romani Campanis in fidem acceptis cum Samnitibus satis diu bellaverunt pluribus in locis, qua de re idem *Livius* aliique narraverunt copiosius. Equidem quod ad Suessulanorum damna, quæ diximus, attinet, manifesta eorum indicia leguntur apud eundem auctorem lib. VII, ubi ille hac de re narrans ita scripsit: *Ab Suessula nuncii trepidi Capuam, inde equites citati ad Valerium consulem opem oratum veniunt.* Et mox: *Campanorum deinde Suessulanorumque auditæ legationes:* (ut recte hoc intelligamus, damna Suessulanorum E re ipsa ad Capuam quoque pertinebant) *precantibusque datum, ut præsidium eo in hyberna mitteretur, quo Samnitium excursiones arcerentur.* Atque hinc idem auctor sequenti lib VIII Samnites introduxit Romanorum legatis respondentes ad hunc modum: *Nostra certamina, Romani, non verba legatorum, nec hominum quisquam disceptator, sed campus Campanus, in quo concurrendum est, & arma, & communis Mars belli decernet: proinde inter Capuam Suessulamque castra castris conferamus, &, Samnis Romanusne imperio Italiam regat, decernamus.* In proclivi Samnitibus erat, cum co- F piis suis e Samnio per Caudium, ubi hodie *Arpaja* est, sive etiam a Nola, quam isto tempore tenebant, in campum istum transire Campanum haud admodum longo itinere, ut jamjam ostendemus. Sed ad extremum Suessula ultimum passa fuisse excidium videtur circiter annum a Christo nato DCCCLXXX, non magis Saracenorum, quam quorundam etiam Christianorum scelere, qui illorum in prædando socii, quasi cum iisdem certare vellent feritate & rapinis, non cessaverunt per

Et multis affectum damnis ab Samnitibus & Nolanis.

Livius pluribus locis illustratus.

Fuit in Campanorum quæ ditione Suessula: & diruta est ab Christianis,

& Saracenis. per aliquot annos, velut more jam solenni, incendiis, cædibus, rapinis vastare istos integros terrarum tractus, qui itidem istis temporibus, perinde ut Suessula, magna ex parte ad *Castaldatum* sive præfecturam Capuæ pertinebant, ut in *Historia principum Longobardorum* ostendimus lib. I & II. De ista Suessulæ, *quæ veraciter Christianorum fraude miserabiliter suffossa est*, aliarumque urbium calamitate sincerissimus & oculatus testis est *Herchempertus Num.* XLIV, XLVIII, & LVI, qui *Num.* LXXII subjunxit, sequentibus annis quosdam Campanos cum nonnullis aliis prædonibus *Liburiam circumeuntes*, *Suessulam deprædavisse.* Atque hic intelligit ille agrum, sive territorium Suessulanum, consueta sibi loquutione, qua etiam alii fuerunt usi.

XXVI. *Furcæ Caudinæ. Pars Appiæ viæ a Capua Beneventum usque. Caudium, urbs Samnitium. Taburnus, mons eorundem.*

Angustius per FURCAS CAUDINAS ex Samnio in Campaniam aditus, Calatiam versus fuisse creditus, quæ hodie Cajazzo. VErum *Cluverius Italiæ* suæ lib. IV cap. V & VII hoc mihi non concedit, aditum illum ex Samnio in Campaniam, de quo dixit *Polybius*, ubi lib. III de tribus viis scripsit, per quas ex locis mediterraneis adiri hæc regio poterat, per alium patuisse locum, quam per *Calatiam*, quæ hodie *Cajazzo*. Nimirum credidit ille, angustias furcarum Caudinarum, quæ satis sunt celebres, Calatiam versus, non autem Suessulam versus fuisse: item, per eandem Calatiam, sive *Cajazzo*, directam fuisse istam Appiæ viæ partem, quæ a Capua Beneventum ferebat. Verba *Polybii*, quæ alibi retulimus, & mendis quibusdam expurgavimus, Latine ita habent: *Venientibus e mediterraneis tres duntaxat viæ patent, æque angustæ ac difficiles. Una est, qua venitur e Samnio: altera ab Trebula:* (in Græcis corrupte legebatur: *ab Eribano*) *reliqua e regione Hirpinorum.* Jam ille auctoritatem allegat *Strabonis* lib. V, cujus interpres dixit, in via Appia sitas fuisse, *cum ipsam Capuam, tum alias, quæ Brundusium inde ducunt, Calatiam, Caudium, & Beneventum.* Atque idem geographus secum consentiens sequenti lib. VI, ubi de duabus viis loquitur, per quas a Brundusio iter erat, & quarum una per Tarentum, altera per Beneventum ducebat, ita subjunxit: *Coeunt a Brundusio ambæ hæ viæ apud Beneventum ad Campaniam. Inde Romam usque jam Appia via ducit per Caudium, Calatiam, Capuam, Casilinum.* Autumat igitur *Cluverius*, Caudium fuisse illic loci, ubi hodie castellum est, quod appellatur *Airola Beneventana:* atque adeo angustias Caudinas fuisse illas ipsas, per quas ab eadem *Airola*, relicto ad sinistram oppido, quod appellatur *Santa Agata de' Goti*, & superato Volturno flumine, ad *Cajazzo* urbem iter est. Atque hujus opinionis *Cluverianæ* jam non singulas examinare partes animus mihi est, sed satis habeo meæ sententiæ justam reddere rationem, cui neutiquam diffido, quin lectores facile sint acquieturi. Primum itaque, non fuisse ex Samnio & Benevento ad Suessulam & Campaniam adeo impeditum aditum, ut eum silentio præterire debuerit *Polybius*, quemadmodum ex *Cluverii* sententia ab illo factum foret, hoc cognosci potest non solum ex frequentissimo, qui hodie est, viæ istius usu, sed etiam ex itinere, quod per eam fecit olim Ludovicus II Imperator, anno DCCCLX, quodque descripsit *Anonymus* monachus Casinensis *Num.* VII *Historiæ* suæ, quam nos in lucem edidimus, & alibi quoque citavimus. Hic de eodem Imperatore narrans scripsit ad hunc modum: *Obtinuit Capuam: ingreditur Salernum: navigans Amalfim, Puteoli utitur lavacris; & per Neapolim Suessulanam adiit urbem. Dehinc castrametatus Caudim. Mense autem Decembris Dei omnipotentis opitulante gratia ingressus est Beneventum.* Eandem narrationem totidem fere verbis repetiit *Leo Ostiensis* lib. I cap. XXXV *Chronici Casinensis*, ubi, quod magis facit ad argumentum nostrum ita habet: *Suessulam adiit: demum apud vallem Caudinam castrametatus, non multo post ingressus est Beneventum.* Et ubinam loci fuerit hæc vallis Caudina, ipse indicavit lib. II cap. VIII, dum in ea collocavit castellum, quod hodieque appellatur *li Paolisi*, & est ultra *Arpajam* ad latus dextrum: *In valle quoque de Caudis*, dixit, *loco Paulisi, de Ecclesia S. Andreæ, & omnibus pertinentiis ejus libellum fecit cuidam Leoni Presbytero.* Neque aliter de valle Caudina sensit *Alexander*, Abbas Telesinus monasterii S. Salvatoris, qui in *Historia Rogerii regis* lib. III cap. XXXIII dixit, situm istic esse castellum, quod hodie appellatur *Monte Sarchio*, quodque itidem est exiguo ultra *Arpajam* spatio, ad sinistrum latus Appiæ viæ, cujus ab eodem castello usque ad Beneventum magna pars superest integra per istum tractum, qui dicitur *le Ciancelle.*

Anonymus Casinensis, Leo Ostiensis, Bulla vetus episcopi Casertani, & Acta S. Prisci, episcopi Campani, collata.

Cluverius pluribus de causis refutatus. Verum in hoc quidem non consistit nostra a *Cluverio* dissensio, ut qui ejus non probem illam sententiam, aditum ex Campania in Samnium per alium patuisse locum, quam per angustias *Arpajæ.* Atque ille forte mihi respondere posset, exemplum itineris istius, ab Imperatore Ludovico confecti, non satisfacere isti, de qua agimus, antiquitati. Sane vero, si iste, aut quilibet alius, qui ejus asserere cupiat opinionem, hoc mihi non concesserit, istiusmodi minoris antiquitatis exempla sufficere posse ad nostram probandam sententiam, inutile etiam erit allegare aliam istam viæ Beneventanæ memoriam, quæ occurrit in *bulla*, sive diplomate *episcopali Ranulphi*, Casertæ episcopi, quod ad annum epochæ Christianæ MCXIII pertinet, quodque jam vulgavit in *Sanctuario* suo *Michaël Monacus* noster. Nec plus forte proderit adducere locum ex *Actis S. Prisci*, primi nostri episcopi, & ex Servatoris discipulis, qui *ante civitatem in via, quæ ducit Beneventum, cum duobus ministris suis habitabat.* Et juxta hunc locum deinde ille morte affectus est a gentilium carnificibus, & sepultus ibidem: cumque istic antiquissimum constitutum esset cœmiterium, pagus inde effectus est, qui hodieque ab ipso nomen habet, & est ab isto latere Capuæ veteris, per quod, relictis ad dextram ruderibus Suessulanis aliquantum extra viam, primum ad *Arpajam*, inde ad Beneventum iter est. Nescio etiam, an multum jam momenti sit habitura ratio nominis *Santa Maria à Vico*, quo appellatur pagus in *Arienzi* finibus, qui in eadem via est, quantumvis ex sententia mea *Vici* nomen haud sane exiguum præbeat veteris viæ indicium, ut sæpius notavimus. Igitur necesse habebo alio uti argumento firmiore, & quod altioris sit antiquitatis. Ecquid autem poterit esse melius illo, quod nobis suppeditavit *Strabo* non multo ante allatis lib. VI verbis, quibus dixit, viam directam olim ab Rhegio usque Romam cum Appia conjungi in Campania? *Tertia via est a Rhegio per Brutios, Lucanos, & Samnium in Campaniam ducens, atque in Appiam, per Apennini montana.* Jam supra quoque ostendimus, hanc viam duxisse ad Capuam per Salernum, Nuceriam & Nolam: ut adeo nullum sit dubium, quin itidem juxta hanc viam sita fuerit Suessula. Neque aliam viam intellexit *Livius* hisce lib. VII verbis, quæ haud ita multo ante attuli-

Fuit Suessulam versus, quo tractu multi auctores medii ævi viam describserunt Beneventanam,

Quæ dicta fuit Appia, quæque committebatur isti viæ, quæ ab Rhegio per eandem Suessulam ducebat Capuam.

Strabo & Livius

collati & illustrati.

tulimus: *Ab Suessula nuncii trepidi Capuam, inde equites citati ad Valerium consulem opem oratum veniunt.* Et multo apertius de eadem via loquutus est lib. XXVI, ubi ultimam Campanorum cum Romanis pugnam ad mœnia ejusdem urbis nostræ veteris narravit, & ad hunc modum scripsit: *C. Nero proprætor cum equitibus sextæ legionis, via, quæ Suessulam fert; C. Fulvius Flaccus legatus cum sociali equitatu constitit e regione Volturni amnis.* Nero occupavit loca urbi proxima Orientem hybernum versus, adversa autem Fulvius Occidentem æstivum versus. Jam viæ hujus Suessulanæ satis certa supersunt vestigia in nemore, quod vulgo dicitur *l'Olmo Cupo*, & in finibus pagi nostri, cui nomen *le Massarie.* Hinc illa prope eum usque locum pergit, qui ab nomine vetusti templi, quod olim S. Anastasio dedicatum, populari vocabulo appellatur *Santo Nastaso*, & est inter duos alios pagos nostros, quorum uni *S. Nicola della Strada*, alteri *Casapulla* nomen est: & apparet, istic loci mille circiter & quingentis passibus ab eadem Capua vetere eam se conjunxisse cum alia via antiqua, quæ a Capua per pagum istum *S. Nicolai*, qui ea de causa *della Strada*, id est, *in via publica*, cognomen accepit, & per alium istum *S. Mariæ ad Vicum*, & item per *Arpajam* ducebat Beneventum. Atque adeo nullo prorsus dubio hæc alia via, cui Suessulana, quæ incipiebat ab Rhegio, committebatur, fuit Appia, ut *Strabo* indicavit.

Via Appia directa fuit per Calatiam.

Sed animadverto, *Cluverium* maxime niti ejusdem geographi verbis, qui in Appia via inter Capuam & Beneventum collocavit Calatiam, quam urbem nemo est quin credat, esse illam, quæ nunc *Cajazzo* appellatur, & est ultra Volturnum, millibus passuum circiter octo propior septentrioni, quam Capua vetus erat. Et adeo hac ratione erit asseverandum, non potuisse istam viam ducere per *Arpajam*, quæ cis Volturnum sita est multis passuum millibus, recta Orientem nostrum versus. Quin ex adverso, si Appiam dicamus attigisse *Airolam Beneventanam*, & *S. Agatham Gothorum*, satis poterit esse verum, a Benevento ad Calatiam, seu *Cajazzo* urbem, inde ad Capuam eam iter præbuisse: item satis apte credere licebit, ab eadem quoque parte fuisse illum ex Samnio in Campaniam aditum, cujus fecit mentionem *Polybius.* Neque sane negamus hoc *Cluverio*, de hoc quoque aditu eundem fuisse loquutum auctorem, ubi dixit, secundam viam esse *ab Eribano*, pro quo nos *ab Trebula* emendavimus. Sed pariter istud assevero, illum fuisse longe diversum ab isto altero aditu, per quem idem *Polybius* dixit transiri ex Samnio in Campaniam: neque ideo illi concedo, Appiam a Capua Beneventum usque fuisse directam per *Cajazzo* urbem, & *S. Agatham Gothorum*, & *Airolam Beneventanam.*

Fuit ex Samnio in Campaniam vetustus quoque aditus Cajazzo *urbem versus.*

Verum hi fuerunt duo aditus diversi,

De duabus hisce viis a Caudio ad Capuam, ideoque ex Samnio in Campaniam *Livius* quoque, etsi non diserte situm earum nobis exposuit, ut *Polybius*, nihilominus ostendit se fuisse loquutum hisce verbis lib. IX: *Earum fama rerum, magis tamen spes Campanæ defectionis, in quam conjuratum erat, Samnites in Apuliam versos rursus ad Caudium revocavit, ut inde ex propinquo, si qui motus occasionem aperiret, Capuam Romanis eriperent. Eo consules cum Romano exercitu venerunt, & primo circa saltus, cum utrinque ad hostem iniqua via esset*, (ecce duos *Polybii* aditus: unum ab Trebula venientibus, qui *Cajazzo* urbem versus; alterum ab *Arpaja*, qui Suessulam versus) *cunctati sunt. Deinde Samnites per aperta loca brevi circuitu* (per hunc aditum intelligit *Arpajam* & *S. Mariam ad Vicum*) *in loca plana, Campanos campos*

Livius illustratus, & cum Polybio collatus.

A (forsan hæc verba *Campanos campos* glossæ loco aliena manus apposuit. ceterum hæc *loca plana* sunt loca circa Suessulam, quo antea Samnites Romanos ad prælium provocaverant) *agmen demittunt, ibique primum castra in conspectu hostibus data:* & quæ sequuntur de fuga Samnitium, qui profligati ab Romanis non esse se tutos ab hoste arbitrati sunt, donec Beneventum evaserunt, quæ urbs, forte quia longius aberat ab loco, ubi pugnatum erat, visa fuit esse tutior Caudio, quod in eadem via erat. Igitur horum, qui duo erant aditus, nonnisi unum habuit cognitum *Cluverius*, nempe illum per *Airolam* & *S. Agatham*, qui mul-

Livius emendatus, & denuo illustratus.

Quorum ille commodior erat, qui ad Appiam viam erat, patebatque per Arpajam,

B to erat difficilior isto altero, longiorumque ambagum: & per eundem, non vero per *Arpajensem* aditum, existimavit ille directam fuisse viam Appiam a Capua Beneventum usque. Atque hoc quamvis mirari jure liceat, utcunque tamen excusare possem, nisi ista ejus opinio aliud quid in se haberet absurdi, immane quantum manifestius & majus. Nimirum si via Appia, ut notavit *Strabo*, per [1] Casilinum, quod fuit a ripa Volturni Romam versus, tum per Capuam, quæ fuit ab altera seu citeriore amnis ejusdem ripa, inde per Calatiam, quæ nunc *Cajazzo*, & iterum ultra Volturnum est, & novissime per Caudium,

C rursus a citeriore ejus ripa situm, ferebat Beneventum; oportet eandem viam paucorum millium passuum spatio quasi in æmulationem sinuosi hujus fluminis non semel duntaxat, sed ter abruptam fuisse ejus aquarum cursu: primum ubi a Casilino Capua, iterum ubi a Capua *Cajazzo*, tertio ubi a *Cajazzo* per Caudium petebatur Beneventum. Hoc autem quilibet hominum judicet, quantum repugnet Romanorum moribus, qui ut itineribus uterentur, quantum maxime fieri poterat, facilibus & expeditis, nihil reliqui fecerunt exsiccando paludes, silvas eruendo, valles adimplendo, complanando colles, & [2] pontes u-

D bique locorum ædificando, quo viæ essent quam rectissimæ. Porro autem qualis fuit ista, si dîs placet, tanti nominis urbs Calatia, sive *Cajazzo*, ut ejus eadem, quæ Capuæ, habenda fuerit ratio, ejusque causa illa viarum regina tantis obliquanda fuerit ambagibus? Certe ipse *Cluverius* eam credidit exiguum fuisse castellum, persuasus hisce *Silii* verbis lib. VIII:

—— *Nec parvis aberat Calatia muris.*

Verum heic mihi posse opponi video, omnino Calatiam fuisse in via Appia, & ubi res ipsa loquatur, silentium esse rationi imponendum, quod abunde verum est. Sed ecquæ sana ratio, quæ-

E so, contradicere facto potest, nisi illud ab ipsa prorsus sit ratione alienum? Itaque si inter Capuam & Caudium reperire poterimus aliquam urbem, Suessulam versus, quæ aut eodem *Calatiæ* nomine, aut parum diverso fuerit appellata, nullus jam dubitationi locus supererit, neque de furcarum Caudinarum situ, neque de cursu Appiæ, neque etiam de aditu in Campaniam ex Samnio per *Arpajam.* Veruntamen de Caudio prius agere convenit.

Idemque nihilominus Calatiam versus ducebat.

Fuit

F

1. Casilinum ab utraque ripa Volturni fuit, ut abunde manifestum ex Livio, & ipse auctor, ubi de Volturno flumine egit, & item sequenti cap. XXX, ubi de ipsa urbe Casilino disputat, ex eodem auctore docet. Sed eodem cap. Strabonis temporibus ille tantum dimidiam ejus partem, quæ ab ulteriore ripa Romam versus erat, superstitem fuisse vult. Sed quantum quidem ad hanc de Appia via disputationem attinet, perinde est, quicquid tandem hac de re statuamus.

2. Quæ hic dicit auctor de pontibus ubique locorum extructis ab Romanis, vereor ne multis persuaserit, certe si antiquiora tempora spectemus. Vide quæ supra hanc in rem notavimus, ubi de Volturni ponte disseruit auctor.

Caudium fuit in tractu Arpajæ, ubi nunc Forchia est, dicta a furcis Caudinis.

Fuit hæc urbs istic loci, ubi hodie *Arpaja* est, aut forsan alio in loco, exiguo intervallo ab *Arpajæ* situ remoto, ut & ipsum Appiæ viæ iter postulare videtur, & non leve facit indicium nomen oppiduli, quod *Arpajæ* in propinquo & Meridiem versus situm est, appellaturque *Forchia.* Videtur hoc nomen fuisse ortum ab celebri *furcarum Caudinarum* nomine: neque adeo illud est recentis ævi, quin multa annorum secula retro numeret. Exstat enim inde usque ab anno DCCCLXXXIII ab ortu Servatoris ejus memoria in epitaphio, quod nos vulgavimus, aliique, Ducis Neapolitani, qui dictus fuit *Bonus.* Continet illud quasdam ejus contra Longobardos res gestas hisce versibus, barbare Latinis:

Sic ubi Bardos agnobit edificasse castellis,
Acerre, Atelle diruit, custodesque fugavit.
Concussa loca Sarnensis, incenditur Furclas.
Cuncta letus depredans, cum suis regreditur urbem.

Non pertinuit ad Campaniam, sed ad Samnites.

Ceterum non ad Campaniam nostram, sed ad Samnium & Hirpinos pertinuit Caudium, ut alibi demonstravimus. Hinc Caudini ab *Livio* diserte fuerunt dicti *Samnites* hisce verbis lib. XXIII: *Eadem æstate Marcellus ab Nola, quam præsidio obtinebat, crebras excursiones in agrum Hirpinum & Samnites Caudinos fecit.* Et denuo lib. XXIV: *Fabius in Samnium ad populandos agros, recipiendasque armis, quæ defecerant, urbes processit. Caudinus Samnis gravius devastatus.* Verissima igitur erit emendatio corruptorum verborum apud *Polybium* lib. III, quam in principio hujus *Dissertationis* proposuimus. Dicebant illa, ab Orientali parte Campaniæ, sive agrorum circa Capuam, sitos esse *Daunios* vitiose pro *Caudinos.* Neque etiam *Strabo*, qui lib. VI dixit, duas vias istas, per quas a Brundisio Romam iter erat, in unum conjungi apud Beneventum ad Campaniam, produxit Campaniam ultra Caudium Beneventum versus. Intellexit enim, committi istas citra hanc urbem, Campaniam versus, quandoquidem subjunxit, ut interpres ejus habet: *Inde Romam usque Appia via ducit per Caudium, Calatiam, Capuam, Casilinum.* Atque adeo cum una illarum tulerit (ut nunc quoque verbis utar interpretis ejusdem geographi) *per Peucetios, qui Pediculi dicuntur, & Daunios, & Samnites Beneventum usque, qua in via sunt Egnatia, Celia, Netium,* (fortasse *Natiolum*, quod hodie *Giovenazzo.* Verum de *Celia* quod dicam, prorsus non video, nisi illa sit *Ceglie*, quod a mari sex millibus passuum abest castellum) *Canusium, Herdonia*; altera autem per Oriam, Tarentum, Venusiam processerit, oportet hanc quoque usque citra Venusiam duxisse per loca Benevento vicina & meridiem versus, ubi hodie duo sunt castella, quorum uni *Chianche*, alteri *Chianchetelle* nomen: a quadratis nimirum lapidibus, quibus eadem via strata erat, quosque Latini *plancas*, nostrum vulgus *chianche*, & diminutiva forma *chianchetelle* appellat, qua de re prolixius egimus in *Historia Longobardorum*, lib. I. Samnitium quoque fuit mons iste, qui itidem inter Caudium est & Beneventum, Latinis *Taburni* nomine, hodie autem *Taurno* dictus. Atque hunc Samnitibus jure attribuit *Vibius Sequester*, ubi in *Catalogo montium* dixit: *Taburnus Samnitium olivifer.* Nam *Servius* quidem non hanc, de qua agimus, sed sui ævi Campaniam, quod & fecit alibi, intellexit, dum ad *Æneidos* lib. XII ita scriptum reliquit: *Syla mons est Lucaniæ, Taburnus Campaniæ.* Sed jam tempus est per Appiam viam, quam *Strabo* nobis indicavit, ex Samnio in Campaniam, & a Caudio ad male notam reverti Calatiam.

Polybius emendatus. *Strabo illustratus & emendatus.* *Eorundem mons quoque fuit TABURNUS.* *Servius illustratus.*

XXVII. *Calatia, sive* Galatia *oppidum, hodie exstinctum. Acerræ oppidum. Atella oppidum.*

Annibal, regressus a Tarento ad liberandam obsidione Capuam.

IN hoc itaque itinere si me adjungam Annibali, qui *Livio*, ut ita dicam, monstrante viam a Tarento in Campaniam regressus est per viam, quam descripsit nobis idem *Strabo*, quo Capuam liberaret ab obsidione Romanorum, non arbitror illud mihi sinistri ominis loco futurum, utcunque ejus impetus prorsus in nihilum abierit. Neque enim utar ego ipsius armis, quæ parum felicia Campanis, sed expugnata ab eo in isto itinere Calatia, quam urbem cummaxime quærimus. *Cum in hoc statu* (verba sunt *Livii* lib. XXVI) *ad Capuam res essent, Annibalem in diversum Tarentinæ arcis potiundæ, Capuæque retinendæ trahebant curæ. Vicit tamen respectus Capuæ.* Et mox: *Igitur magna parte impedimentorum relicta in Brutiis & omni graviore armatura, cum delectis peditum equitumque, quam poterat, aptissimis ad maturandum iter, in Campaniam contendit.* Heic non arbitror quenquam mihi negaturum, ducem istum eam tenuisse viam, quam demonstravit *Strabo*, quæque Appiæ committebatur inter Caudium & Beneventum. Sed pergit *Livius*: *Secuti tamen cum tam raptim euntem tres & triginta elephanti. In valle occulta post Tifata, montem imminentem Capuæ, consedit.* Igitur castra posuit cis Volturnum flumen, ubi Tifata montem esse extra omnem controversiam est. Jam autem vallis, cujus mentionem fecit *Livius*, illa ipsa fuisse debet, quæ post eundem montem jacet, & Septentrionem versus desinit in campum, ad cujus dextram est oppidum *S. Agathæ Gothorum*, de quo supra diximus; ad sinistram autem castellum, cui nomen *Limatola.* Ad meridiem autem eundem campum attingit castellum, quod appellatur *Madaloni*, & est in via, quæ ab *Arpaja* per pagum *S. Mariæ ad Vicum* Capuam versus procedit. Verum Annibal cum eo pervenisset, quid fecit postea? *Adveniens* (dixit *Livius*) *cum castellum Galatiam, præsidio inde vi pulso, cepisset, in circumsidentes Capuam se vertit: præmissis ante nunciis Capuam, quo tempore castra Romana aggressurus esset, ut eodem & illi, ad eruptionem parati, portis omnibus sese effunderent.* En itaque, satis levi negotio cum Annibale nostram fecimus Calatiam, sive Galatiam, *Straboni* memoratam, quam citra Volturnum quærebamus in via Appia, Capuam inter & Caudium; quamque, quia non longe ab ista valle post Tifata abfuit, dicere licet admodum fuisse vicinam *Madalonis.* Neque de alio oppido sive castello videtur mihi loquutus fuisse idem *Livius* lib. IX, ubi narrat, quo pacto Samnites in insidias pertraxerint Romanos, quo ex facto adeo celebre evasit furcarum Caudinarum nomen. Verba ejus hæc sunt: *Hæc non læta magis, quam vera vaticinatus, exercitu ducto, circa Caudium castra, quam potest occultissime, locat. Inde ad Calatiam, ubi jam consules Romanos castraque esse audiebat,* (in consueto scilicet munimento vallis istius, de qua ante diximus) *milites decem pastorum habitu mittit.* &c. Enimvero postquam ex *Itinerario Peutingeriano* satis liquido patuerat, Casilinum non fuisse ad mare, quo eam urbem perperam removerant *Blondus* aliique plures, sed fuisse eam istic loci, ubi hodie Capua nova est; non debuerat amplius dubitari de Calatiæ in Appia via situ, quem intelleximus ex *Livio.* Nam & *Appianus Alexandrinus* eundem manifeste demonstravit lib. III *De bello civili*, ubi par-

Strabo & Livius collati. *Cum pervenisset ad Tifata montem,* *Occupavit castellum GALATIAM, id est, CALATIAM cis Volturnum, in via Appia,* *Livius illustratus.* *Cujus mentionem fecerunt a-*

Iti quoque veterum auctorum. narrans de Augusto, ab uno latere Capuæ Casilinum, ab altero hanc eandem Calatiam sive Galatiam collocavit: quæ ita demum posset fuisse illa Calatia, quæ hodie *Cajazzo*, si de Casilino vera fuisset opinio prima. *Appiani* verba Latine ita habent: *Cæsar autem veritus, ne ille,* (intelligit Antonium) *cum exercitu reversus, se opprimeret destitutum præsidio, cum pecuniis properavit in Campaniam, veteranos, a patre in colonias deductos, ad suam militiam revocaturus. Moxque primum ad se pellexit Galatiam, dein Casilinum, sitas ab utroque latere Capuæ.* Sed an non hæc omnia aperte liquere poterant ex eodem *Itinerario*, ita ut non magnopere haberemus opus investigare ea apud auctores alios? Nam in illo quidem non tantum locorum ab invicem intervalla per milliariorum numerum notantur, idque continua serie, prout ipsorum ordo postulat, verum etiam in tabula plana descriptus apparet singulorum situs atque adspectus. Inter hæc loca in *Segmento* IV, quod continet hanc Italiæ partem, quæ cis Romam est, legitur nomen oppidi cujusdam, ultra Volturnum collocati, ad hunc modum: *Gabatia*; & mox nomen alterius ad hunc modum: *Adlefas.* Jam dubitari nequit, isto nomine demonstrari Calatiam, quæ hodie *Cajazzo*; hoc autem Allifas, quod olim vicinorum Samnitium oppidum. Ab altera autem parte, quæ citra eundem Volturnum est, descripta apparet via a Capua ad Beneventum modo sequenti:

Appianus Alexandrinus illustratus.

Hæc autem manifeste distincta fuit ab illa Calatia, quæ hodie est Cajazzo.

Casilini.
Capua. III.
Calatie. VI.
Ad Novas. VI.
Caudio. VIII.
Benebento. XI.

Manifestissime igitur verum erat, Calatiam, per quam a Capua Beneventum iter erat, citra Volturnum fuisse, & nihil fuisse opus Appiam viam describere per alteram istam Calatiam. Et *Itinerarium* quidem istud abunde cognitum fuit *Cluverio*, cum & alias frequenter illud citaverit, & ipsam quoque hanc partem ejus, quam modo retulimus, produxerit, ubi egit de Caudio: ut adeo satis percipere nequeam, quo pacto ille in tanta rerum claritate non observaverit perinde illam quam illam Calatiam. Cumque debuerit quidem eas abunde observavisse, sed libuerit nihilominus illi ex duabus unam facere urbem, rationem invenire nequeo, cur potius hanc, quæ citra Volturnum erat, majore cum cœptæ descriptionis absurditate, quam illam, quæ ultra eundem amnem erat, ex uno in alterum voluerit transferre locum. Ceterum si hæc jam male nota Calatia, ut ex *Livio* colligitur, prope eum locum fuit, ubi hodie est *Madaloni* castellum; eademque, ut *Itinerarium Peutingerianum* docet, a Capua abfuit sex millia passuum; certi possumus esse, eam istic loci fuisse, ubi hodieque manifesta apparent indicia fossæ atque muri haud admodum amplæ urbis, cujus supersunt exigua nonnulla in campestri loco & desolata templa. Ab horum maximo, quod aliis est integrius, & dedicatum S. Jacobo Apostolo, tractus iste nomen habet, qui alio modo ab nomine exstinctæ urbis appellatur etiam *le Galazze.* Et nihil prorsus dubito, ejus urbis episcopum fuisse Aldericum illum, qui anno a Servatoris ortu DCCCCLXXIX una cum aliis Campanæ provinciæ episcopis diplomati seu *Bullæ Stephani, Cajazzo* urbis, id est, alterius Calatiæ episcopi, qui deinde inter Sanctos annumeratus est, subscripsit ad hunc modum: *Ego Aldericus Calactinæ ecclesiæ episcopus consensi, & subscripsi.* Circa hujus ecclesiæ *Calactinæ* interpreta-

Cluverius notatus pluribus modis.

Ejusdem supersunt vestigia in diœcesi Casertana *apud* Madalonos.

A tionem varie multumque versatus *Michaël Monacus* noster *Sanctuarii* Parte IV, novissime in ejusdem libri *Recognitione*, a me admonitus, meam hanc sententiam amplexus est, cum eam refutare nequivisset. Etenim in *Bulla Ranulphi, Casertani* episcopi, quam alibi jam supra citavimus, quamque ipse jam typis vulgaverat, legitur nomen ecclesiæ *S. Mariæ de Calatia* inter aliarum ejus episcopatus ecclesiarum nomina, ad quem locus ille, de quo supra, dictus *S. Jacobi*, hodieque pertinet. De eadem quoque Calatia, a cujus meridiali latere Suessula, ab Occidentali Atella fuit, ab Septentrionali autem *Caserta* est, videtur loquutus *Herchempertus Num.* XXX; non autem de altera ista, quæ a *Caserta* & Suessula, intercedente insuper Volturno flumine, magno intervallo est remota. Verba ejus hæc sunt: *Pandonulfus Suessulam, Landulfus autem Casamirtam, Landonulfus Cajaziæ ab illius genitore castrum jam dudum quassatum, intraverunt, & cœperunt deprædare omnia in circuitu.* Et itidem hanc Calatiam intellexit *Num.* XXVIII, ubi de iisdem tribus urbibus narrat: sed in sequentibus quidem *Num.* XLI de *Cajazzo* loquutus est, ut suo loco ostendemus. Et forte etiam *Livius*, cum eoque *Silius*, non de alia, quam de hac dixerunt Calatia, quam una cum Atella atque Capua sequutam partes Annibalis prodiderunt. Nam *Festum* quidem adhuc certius est de ea fuisse loquutum, ubi inter Romanorum præfecturas primi generis, quæ omnes erant cis Volturnum, unam memoravit ejusdem nominis; licet quidam libri habeant *Calateum*, non satis scio, an pro *Calactum*, unde Aldericus ille episcopum se *Calactinæ ecclesiæ* subscripserit. Verba autem *Festi* in prima *Dissertatione* retulimus, ubi egimus de Campania Capuæ. Hinc pro certo habeo, eam proprie non dictam fuisse *Calatiam*, sed alio quodam satis consimili modo: atque hac de causa, cum deinde nomen ejus, quæ jam erat exstincta, confusum esset cum veræ Calatiæ nomine, quæ cummaxime supererat integra, exstinctam quoque fuisse omnem de ea notitiam. Interim credere lubet, primum dictam fuisse *Galatiam*, ut appellata legitur apud *Livium* lib. XXVI, loco supra allegato; & item in *Itinerario Peutingeriano*, si observetur, in illo nomen ejus & Calatiæ, licet utrumque nonnihil corruptum, inverse alterum pro altero fuisse scriptum. Etiam quod hodie locus ejus dicitur *le Galazze*, quodnam aliud ejus nomen illo indicatur? Veruntamen si quis velit proprie hoc ejus nomen non fuisse, in illud consentiam, Latine fuisse hoc aliud: *Galactum*, & variata pronunciatione *Calactum*, quo eadem urbs, olim castellum, in citatis *Festi* codicibus & ista Alderici episcopi subscriptione videtur appellata. Veruntamen imposterum *Galatiam* potius eam nuncupabo ad tollendam ambiguitatem alterius Calatiæ, cum non satis sit manifestum, eam inde usque a principio dictam fuisse *Galactum*, sive *Calactum*. Ceterum hæc Galatia, ut exposuit nobis *Herchempertus*, cujus verba supra retulimus, aspere vexata a patre Landonolfi istius, cujus ipse fecit mentionem, quod factum ante annum a Christo nato DCCCLXII contigit, (plena tædii & a proposito nostro aliena res foret, heic repetere, quæ hac de re in *Historia principum Longobardorum* sparsim notavimus lib. I) ad ultimum novis afflicta calamitatibus est, & ab incolis prorsus relicta atque desolata. Videri tamen ea possit tempore istius Alderici, episcopi sui, id est, anno ejusdem epochæ DCCCCLXXIX, adhuc exstitisse, licet illud nec affirmare, nec negare ausim. Sed hoc quidem monebo, potuisse eum Calactini episcopi titulum

Michaël Monacus notatus.

Atque adeo nonnulli auctores, qui videbantur loquuti fuisse de ista altera, intelligi debent de hac dixisse.

Herchempertus illustratus.

Livius & Silius illustratus.

Festus illustratus, & ambigue emendatus.

Eandem non incongrue Galatiam appellare licet.

Tempus autem, quo desolata est, exacte definiri nequit.

tulum usurpavisse, quamvis ipsa urbs non exstaret amplius, cujus incolæ *Casertam* sese receperant, quæ situs beneficio ab omni hostili metu multo erat tutior. Consimili enim modo episcopi Fori Claudii, quod itidem fuit Campaniæ nostræ oppidum, postquam populus ejus *Carinolam* migraverat, nihilominus pristinum usurpare episcopatus sui nomen diu perseveraverunt, ut in sequentibus ostendemus. Ceterum de episcopali Calactinæ ecclesiæ sede *Casertam* translata, vulgata est apud Casertanos fama, cui non video cur non sit habenda fides. Veruntamen ignoratur exactum tempus ejus facti, quod oportet præcessisse non tantum exstructionem *Casertani* templi, factam ab ejus urbis episcopo Joanne, anno a Servatoris ortu MCLIII, sed etiam ejusdem epochæ annum MCXIII, qui designatur in Ranulphi episcopi *Bulla*, in qua mentio fit ecclesiæ S. Mariæ *ad Calatiam*: exstincta jam ista urbe una cum nomine sui episcopatus.

Sed hoc quidem certius est, episcopalem sedem translatam inde fuisse Casertam.

Acerræ quoque Campaniæ nostræ fuerunt oppidum, quod hodieque & priscum nomen servat & situm. Hoc tantundem fere ad meridiem propius accedens, quam Suessula, quantum eadem Suessula propius ad meridiem accedit, quam Galatia, & itidem inter Capuam situm atque Nolam in solo fertilissimo, quod magnis laudibus extulit *Virgilius Georgicorum* lib. II; adeo vicinum sibi habet Clanium amnem, qui hodie *il Lagno*, ut, si aquæ ejus temporibus antiquis minus illi fuerunt amicæ, etiam nunc illas sentiat æque damnosas. De origine ejus nullus est, quod sciam, auctorum, qui aliquid memoriæ prodiderit. Temporibus autem bellorum istorum, quæ Samnitibus fuerunt cum Etruscis Campanis, & deinde cum Romanis, & supra a nobis indicata sunt, fortunam ejus oportet non multum fuisse diversam a Suessulæ fortuna. Situm enim erat in loco prorsus consimili, quo Suessula. Diximus in prima *Dissertatione*, hanc urbem ad Campaniam Capuæ pertinuisse. Item in hac ipsa diximus, eam pro meritis erga Romanos, quæ bello isto Samnitico enituerant, ab iisdem donatam fuisse jure civitatis Romanæ. Jamque ego, nisi incassum repetere velim pauca ista, quæ alii de Acerris conquisiverunt, pluribus agere de hac urbe prohibeor.

ACERRÆ, per causam situs urbs frugum ferax, sed infrequens incolis.

Variam & ipsa fortunam experta est: vexata ab Samnitibus: ab Romanis liberaliter habita.

Itidem de Atella, quæ fuit ab altera Clanii ripa Occidentem versus, sed aliquantum ab ejus flumine remota, & pari inter Capuam atque Neapolim intervallo sita fuit, non relicta nobis est ab antiquis scriptoribus admodum copiosa dicendi materia. Adeo nihil satis certi scimus aut de ortus, aut de interitus ejus tempore. Nam fabulæ quidem Atellanæ, quas *Livius* lib. VII dixit *genus ludorum, ab Oscis acceptum*, nobis aliquid argumenti suppeditant, eam fuisse Oscorum urbem, ideoque originis antiquissimæ. Idem colligi etiam potest ex *Stephani Byzantini* verbis, si modo ille loquutus fuit de Opicis proprie dictis, qui paris, atque Osci, antiquitatis hanc quoque regionem incoluerunt, & ex quorundam sententia iidem fuerunt, qui Osci. Sed potest ille ex more Græcorum, ut de Cumis agentes notavimus, *Opicorum* nomine illos demonstravisse, qui Latinis dicti fuerunt *Campani*. Ipsa verba ejus Latine ita habent: *Atella opidum Opicorum in Italia, inter Capuam & Neapolim. Gentilitium inde Atellanus, teste Polybio lib.* IX Verum ex his nihil ultra percipere possumus de primis Atellæ rebus maxime memorabilibus. *Cicero* lib. XIII *Ad familiares* epist. VII, quam scripsit ad C. Cluvium, mentionem fecit agri in Gallia, qui Atellanorum erat, hisce verbis: *Locutus sum tecum de agro vectigali municipii Atellani, qui esset in Gallia.* Atque hunc magnos dedisse reditus oportet, quoniam subjunxit, *municipii fortunas omnes in isto vectigali consistere.* Ceterum alienum est, aliquem falso credere, hinc posse colligi, Atellanos cum agrum acquisivisse quadam vi armorum. Legimus enim de similibus aliarum quoque civitatum possessionibus, & in eadem Gallia, & etiam alibi, de quarum originibus reddi possunt plures una, sed non satis certæ rationes. Ita idem auctor ejusdem lib. epist XI, quam scripsit ad Brutum, nobis indicavit, Arpinum quoque suos ex eadem Gallia habuisse reditus. Ita Capua etiam nostra in Creta insula regionem obtinuit, nomine *Gnossiam*, qua de re loquuti fuerunt *Dio* lib. XLIX, & *Vellejus* noster lib. II: ut taceam de agro Lucano, de quo egimus in *Dissertatione* prima. Ceterum Atella durabat adhuc nono post Christum seculo, ut observari potest ex *Herchemperto Num.* LX & LXXII. Quod si verum est illud, quod recentiorum nonnulli dixerunt, nimirum ex ipsius ruinis, quarum, ut & fossæ ac murorum ejus, manifesta apparent indicia apud pagum, cui nomen *S. Arpino di Atella*, surrexisse *Aversam*, quæ nova urbs duo circiter passuum millia Septentrioni propior est, eadem attigit seculum etiam undecimum. Rannulfus enim, qui & Rainulfus, Comes Normannorum, exstruere cœpit hanc urbem anno post Christum natum MXXX, ut alia occasione demonstrabimus, cum jam tertium sibi suisque certas firmasque sedes circumspiceret. Qua de re audiatur *Gulielmus Apulus* in *Historia* gentis istius lib. I. Nempe homines isti exiguo numero Franciam egressi, omnemque spem suam ac fiduciam ponentes in armis, prius hanc regionem, quam ullam aliam Italiæ partem insederunt. Verum deinde aucti numero, Longobardis atque Græcis ademerunt Apuliam & Calabriam, cum reliquis fere, quæ cis Romam sunt; Saracenis autem Siciliam. Ceterum *Gulielmi* hi sunt versus:

ATELLA, vetus Oscorum urbs,

Sive Opicorum,

Agrum habuit in Gallia.

Cum intercisset post nonum a Christo seculum, ex ejus ruinis orta creditur vicina Aversa condita ab Normannis,

> *Egregium quendam mox elegere suorum,*
> *Nomine Rannulfum, qui princeps agminis esset,*
> *Cujus mandatis fas contradicere non sit.*
> *Cumque locum sedis primæ munire pararent,*
> *Undique densa palus, nec non & multa coaxans*
> *Copia ranarum prohibet munimina sedis.*

Hic locus debuit apud paludes fuisse, quas inter Capuam & *Aversam* flumine suo transit Clanius. Quare eum relinquere coacti,

Quibus minus placuerant sedes palustres, quas primum occupaverant ad Clanium amnem.

> *Haud procul inde suis alium stationibus aptum*
> *Invenere locum, quem nullo dante juvamen*
> *Cultorum patriæ, pro se munire tuendis*
> *Conantur. Sic se facto munimine cuidam,*
> *Qui princeps Capuanus erat, conjungere gaudent.*
> *Principibus Latii prior atque potentior ipse*
> *Tunc erat. Affines properant, hoc principe tuti,*
> *Devastare locos, hostesque viriliter angunt.*

Quare novis sedibus constitutis,

Hic princeps dictus fuit Pandulfus, & ejus nominis principum Capuæ quartus fuit. Quod ad cetera attinet, cum *Gulielmo* heic consentit *Godofridus Malaterra* lib. I cap. VI. Sed quantum ad novas istas Normannorum sedes, qui amicitia cum principe Campano inita inimicos ejus infestabant, neque ipsarum situs satis est cognitus: quanquam credi possint illæ fuisse ab eadem Clanii ripa, in finibus principatus Campani. Pergit *Gulielmus*:

In finibus Capuani principatus, eas quoque reliquerunt

> *Sed quia mundanæ mentis meditamina prima*
> *Sunt ad avaritiam, vincitque pecunia passim;*
> *Nunc hoc, nunc illo contempto, plus tribuenti*
> *Semper adhærebant: servire libentius illi*
> *Omnes gaudebant, a quo plus accipiebant.*

Atque hæc fuit causa, cur deinde illi relicta ejusdem principis nostri amicitia, quem avaritiæ no-

Et una principis I-

stius amicitiam, transgressi ad Ducem Neapolitanum, nomine notavit idem *Malaterra* loco citato, sese adjunxerint Sergii partibus, Ducis Neapolitani, & inimici Pandulfo. Sed forte hic sero didicerat, se recepisse serpentem, ut dici solet, quem sinu foveret. Cum Sergio autem Rannulphus Comes aliquanto post affinitatem quoque junxit, quod accidit circa annum a Servatoris ortu MXXX. Tumque relictis secundis sedibus Normanni, plurimum jam aucti numero, quod improbissimum quemque ac flagitiosissimum in societatem suam reciperent, *Aversam* conditum iverunt, qua de re ita scripsit idem *Gulielmus*:

Cum jam majorem in numerum excrevissent.

Si vicinorum quis perniciosus ad illos
Confugiebat, eum gratanter suscipiebant.
Moribus & lingua, quoscunque venire videbant,
Informant propriis, gens efficiatur ut una.

(etiam hæc confirmantur a *Malaterra* lib. I cap. XI)

Post annos aliquot Gallorum exercitus urbem
Condidit Aversam, Rannulfo consule tutus.
Hic opibus plenus locus, utilis est, & amœnus:
Non sata, non fructus, non prata arbustaque desunt:
Nullus in orbe locus jucundior. Hunc generosi
Consulis elegit prudentia præmemorati.

Et ab illo istum Aversæ locum acceperunt, Ad omnia hæc satis accedit *Leo Ostiensis* lib. I cap. LVII, licet videri possit aliquantum abire in diversa, ubi dixit, Ducem istum recepta Neapoli, quam idem princeps noster, Pandulfus IV, ademptam illi tenuerat jam fere per triennium; (& quis scit, an non forte iidem Normanni, qui eum in illa occupanda adjuverant, postea ab ipso ad Ducem transgressi, eandem manibus ejus eripuerint? certe enim tempora satis bene conveniunt, qua de re alibi) *Rainulfum, strenuum virum affinitate sibi conjunxisse, & cum Aversæ illum Comitem fecisset, cum sociis Northmannis ob odium & infestationem Principis manere constituisse: tuncque primum Aversam cœptam esse habitari.* *Ubi exiguum fuerat Neapolitanorum castellum.* *Aversam* enim isto jam tempore fuisse castellum oportet, & Neapolitanorum quidem, ut voluit *Joannes Villanus* lib. I cap. LX; ceterum nondum ultra C annos, neque admodum frequenter inhabitatum, in loco, qui alio vetustiore nomine appellatus *Ad septimum*, & in via Consulari fuit, quæ, ut supra notavimus, a Puteolis & Cumis ducebat Capuam. Guliel-mus Apulus & Leo Ostiensis conciliati. Atque hic ex transverso in eam incidebat alia quædam via antiqua, quæ ab urbibus istis, quæ ab Septentrionali parte Volturni fluminis erant, ferebat Atellam. Rainulphus igitur adstipulante Duce Neapolitano castellum istud elegit, ubi sedes figeret, propter opportunitatem ejusdem viæ Consularis, quam ob causam illud quoque primum ab Neapolitanis exstructum fuisse oportet, quo vexarent Campanos, eosque aditu prohiberent ad fertilissimos agros, qui Cumas versus patent, & quorum de possessione inter duos istos populos longa ac gravia fuerant bella. Certe nisi ad istum finem *Aversæ* potissimum situs ab Rainulfo fuit electus, nulla potest reddi alia ratio, cur ille contempserit labantis Atellæ situm. Itaque, ut jam revertamur, unde digressi sumus, non mutata est, ut alii existimaverunt, ista urbs in *Aversam*, quæ *Atque adeo Atella non fuit mutata in hanc urbem,* primum habitata Normannis, quo Campanos ex illa infestarent, etiam tum per aliquod tempus perseveravit in fortuna castelli exigui, quo nomine eam appellavit idem *Leo Ostiensis* lib. II cap. LXVII. Ceterum intra primi seculi spatium cum excrevisset in opulentam incolisque refertam urbem, incendit eam diruitque Rogerius rex, odio ductus & vindictæ studio contra Capuæ principem, Robertum II. Mox ab eodem denuo *Quæ deinde diruta est, &* sine mora restituta est, ut oppugnaret Neapolim, sicut auctor nobis est *Alexander*, *Abbas Telesinus* *mox restituta ab Rogerio rege.* lib. III cap. XII & XXI. Et ab hoc tempore variam & ipsa fortunam experta, hodie est omnium hujus regionis urbium frequentatissima, excepta duntaxat Neapoli. nam hujus comparatione reliquæ omnes exigua possunt videri castella. Atque hæc, licet copiosius aliquantum, quam huic loco conveniebat, dicta sunto, quo lux nonnullis rebus affundatur, quas minus recte intellexerunt recentiores. Inter hos haud sane levem errorem admisit *Blondus*, aliique, qui eum sequuti sunt. Ille *Blondus refutatus.* varios situs, varia tempora, variosque casus in unum confundens, alterumque hominem pro altero substituens, in *Italia* sua de Roberto Guiscardo ita dixit: *Neapolim Capuamque una eademque premens obsidione, castra apud Atellam habuit communita; in quibus cum aliquot perseverasset annis, civitatem condidit, ab ipsoque adversandi præclaris & potentibus urbibus effectu Adversæ illi nomen in rei gestæ memoriam dedit.* Atque hæc forsan ille hausit ex vulgari quadam fama, quæ omnia referebat ad celebre Roberti Guiscardi nomen, cum nomen Rainulfi minus esset cognitum: & adeo hæc gesta ad unum duntaxat tempus, ad unam obsidionem, ad eundemque ducem retulit, quæ omnia fuerunt diversa. Et de his sufficiat. repetendum enim per Appiam nobis iter est a Galatia Capuam versus, quousque perveneramus Annibale comite, duce *Livio*.

XXVIII. *Tifata mons, sic dictus ab ilicibus. Plures montes istud unum solummodo nomen tenuerunt. In illis castra sua habuerunt Samnites, & item deinde variis locis Annibal, & post eum Sulla. Saticula, sive* Austicula *oppidum.*

VErum idem *Livius* nos invitat, ut in itinere moremur aliquantum cum isto Pœno, qui *in valle occulta post Tifata, montem imminentem Capuæ, consedit.* *Tifata mons, alio nomine, quam naturæ dotibus, celeber,* Tifata mons ex illis est, qui maxime noti sunt in Campania nostra: &, licet naturæ beneficio nulla sit insigni dote ornatus, quæ illi majus aliquod pretium addat, fuit ille nihilominus temporibus antiquis satis celeber: nec poterit facile in oblivionem abire nomen ejus, dum facta Pœni ducis istius, qui in eo sæpius castra posuit, vivent in ejusdem *Livii* historia. Ab ejus nomine *Tifatini* cognomen accepit *Ad cujus radices fuit nobile Dianæ Tifatinæ templum,* nobile templum istud, quod olim ad radices ejus Occidentem hybernum versus exstructum fuit, paucis passuum millibus a Capua vetere, & Dianæ dedicatum. Notum est non tantum hoc templum ex quibusdam nostris *Inscriptionibus* antiquis, sed etiam celebre est per elogia, quæ de eo occurrunt apud *Vellejum* nostrum lib. II, *Pausaniam* lib. V, *Athenæum* lib. XI semel atque iterum, & *Itinerarium Peutingerianum*: ut taceam *Leonem Ostiensem* lib. I cap. LVI. Jam autem videtur mihi hic mons isto nomine dictus fuisse ab *ilicum* copia, (*ilex* sylvestris arboris genus satis notum) quibus ille principio abundaverit, *Nomen accepit ab ilicibus,* ut satis apte credi possit propter sylvestrem ejus naturam. Potius igitur cum inde dictum arbitror, quam aut ab *Tifata*, Latii urbe, exstincta jam ante *Plinii Secundi* ætatem, de qua ille loquutus fuit lib. III cap. V; aut ab Romana curia, cui itidem *Tifata* nomen. Hujus mentionem fecit *Festus* satis concise, & una montis nostri, quem nimis generali vocabulo *locum* dixit. Etiam unica duntaxat voce nobis exposuit istam hujus vocabuli significationem appellativam. Verba ejus hæc sunt: *Tifata, iliceta. Romæ autem Tifata curia. Tifata* etiam

A quibus alia quoque loca sunt denominata.

etiam locus juxta Capuam. Et forte perinde ista urbs & hæc Romana curia itidem ab ilicibus denominatæ fuerunt, a quibus affirmat *Servius* ad *Æneidos* lib. VII etiam Præneste antiquissimam Latii urbem, nomen accepisse Græcæ etymologiæ ratione: nempe ἀπὸ τῶν πρίνων, *id est, ab ilicibus, quæ illic abundant.* Sed videri forte possit esse verius, eam ita fuisse dictam a coronis, quæ contexebantur ex ilicum frondibus, qua de re dixit *Aristoteles* apud *Plutarchum* in *Parallelis minoribus*; unde illa alio nomine dicta fuit etiam *Stephanus*, sive *Corona*, ut legitur in citato *Plinii Secundi* loco, quæ non fere alia est, quam verborum varietas. Quicquid tamen de hisce judicare libeat aliis, certum est illud, quod vetus interpres *Horatii* dixit ad ejus odam IX lib. II: *Ut pineta, esculeta, vineta, sic & querceta dicuntur loca, ubi multæ quercus nascuntur.* addam ego: *& iliceta, ubi multæ nascuntur ilices.* Verum quidam *Festi* codices legunt: *Tifata etiam lacus juxta Capuam:* ex qua lectione forte quis collegerit, prope eum locum, in quo istud Dianæ templum fuit, ubi hodie campus est paluſtris, istum fuisse lacum: apprime quidem hoc conveniente ex superstitione gentilium, ut fabulosum istud numen prope se haberet & lacum, quem deinde Christiani in vicinum Volturni flumen derivaverint, & sylvam, quam iidem exciderint radicitus, quo scilicet omnia idololatriæ semina funditus tollerentur. Et videri possit etiam *Festus* non quidem silentio præteriisse Tifata *montem*, sed desiderari ista in ejus codicibus, quos variis modis mutilos esse magnam partem nemo ignorat. Et ego quidem, si aliis hoc visum fuerit probabile, nihil hic contradixerim. Ceterum umbrifera Tifatorum nostrorum iliceta manifeste mihi videor agnoscere in *Silii* versibus: qui, licet more poëtico in majus extulerit sylvas ejus, & leonum fuisse domicilia confinxerit, tamen non potuit hoc quoque prorsus confinxisse, montem nostrum natura fuisse umbriferum, & opacum, & simul abundantem ilicibus, quæ nunquam frondibus nudantur. Hoc enim, si credere non libet *Plinio Secundo* lib. XVI cap. XXI, contra ipsam certe vulgatissimam experientiam negari nequit. Appellavit ille poëta *Caleni* nomine, quo etiam Cales, Campaniæ oppidum fuit dictum, quendam Campanum nostrum, *Virgilium* imitatus, qui, ut notavit *Servius* ad *Æneidos* lib. X, solitus fuit ducibus Italis dare nomina, vel fluviorum, vel montium; eumque finxit nutritum in sylvis hujusce montis, atque ibi frequenter cum tauris ac leonibus depugnavisse. Versus ejus lib. XIII hi sunt:

Et forte juxta eum lacus fuit ejusdem nominis.

Festus ambigue illustratus.

Ceterum iliceta ejus more poëtico dicta fuerunt leonum domicilia;

Silius illustratus.

> *Tifata umbrifero generatum monte Calenum*
> *Nutrierant, audere trucem: nec corpore magno*
> *Mens erat inferior. Subsidere sæpe leonem,*
> *Nudus inire caput pugnas, certare juvenco,*
> *Atque obliqua trucis deducere cornua tauri*
> *Assuerat, crudoque olim se attollere fato.*

Sed aliquo tamen colore veri illi, cum potuerint, per inde ut ilices, in hoc monte deinceps defecisse.

Verum ut diximus, est hæc exaggeratio poëtica, licet non omnino extra qualemcunque veri speciem posita, si verum quidem est, quod scriptum reliquit *Plinius Secundus*, & item *Dio Chrysostomus* in Oratione XXI, cui titulus: *De pulchritudine.* Hi enim affirmant, Europam variis in locis produxisse quondam leones. Et *Dionis* quidem verba Latine ita habent: *Certe rem dicis malam, si, quemadmodum plantæ atque animalia, ita & pulchri tempore defecerunt; ut leonibus accidisse ajunt in Europa, neque illorum superesse genus. Prius vero erant & circa Macedoniam, & aliis in locis.* Ita ille auctor; qui videtur hunc ipsum voluisse *Silii* locum tangere. Tifata enim, quæcunque tandem sit ejus rei causa, hodie vix uno, aut duobus in collibus habent ilices.

Silius & Dio

Chrysostomus collati.

Neque enim unius duntaxat collis hoc fuit nomen, cum illud & denotaverit *iliceta* numero multitudinis, & ab Latinis elatum fuerit eodem numero. Et ita hoc nomine usus *Silius*, quem modo adduximus, item *Livius*, quem paulo post afferemus, aliique omnes. *Duobus modis* (verba sunt *Varronis* lib. IX *De lingua Latina*) *imponitur vocabulum: aut re singulari, aut multitudine: singulari, ut cicer: multitudinis, ut scalæ.* Eundem in sensum *Servius* ad lib. I *Georgicorum* ita dixit: *Ea, quæ pluribus constant, numeri sunt tantum pluralis, secundum artem: ut castelli, bigæ, scaphæ, licet abutantur poëtæ.* Et denuo ad lib. II *Æneidos*: *Quæ de pluribus constant, plurali tantum numero dicuntur.* Tifata itaque, in quibus abundaverunt ilices, multi colles fuerunt, inter se vicini, qui nostra lingua aptius appellari solent *il Tifata* numero singulari, ut de aliis quoque vocabulis ejusdem generis est factum. Nomina enim appellativa, ubi facta sunt propria, sunt, ut dixit *Sosipater Charisius* principio lib. II, *intellectu singularia.* Hæc Tifatorum multitudo apprime confirmatur ex *Livii* verbis, qui nos edocet, non fuisse hoc istius solummodo collis nomen, qui juxta Volturnum flumen surgens in acutæ pyramidis formam, & ab omnibus aliis montibus sejunctus, declinat Orientem hybernum versus, & ab aliis vicinis collibus valle separatur exigua, quæ ab indigenis appellatur *Cappuccio*; sed idem nomen commune quoque esse reliquis collibus, qui ulterius assurgunt, & *Madalonos* versus in arcus formam exeunt. Atque adeo Annibal, cum veniret a Tarento, non progressus ulterius *in valle occulta post Tifata, montem imminentem Capuæ, consedit.*

Tifatorum nomen numero multitudinis enunciatum fuit, & plures comprehendit colles.

Livius illustratus.

De iisdem collibus, qui a Capua vetere aliquantum longius aberant, dixit idem *Livius* lib VII, ubi de Samnitibus ita loquutus est: *Tifata, imminentes Capuæ colles, quum præsidio firmo occupassent, descendunt inde quadrato agmine in planitiem, quæ Capuam Tifataque interjacet. Ibi rursus acie dimicatum, adversoque prælio Campani intra mœnia compulsi.* A Caudio enim, ut supra demonstravimus, urbe sua in proclivi ipsis erat occupare montem istum. Annibalem quoque oportet ibidem sua habuisse castra tunc temporis, cum Fabius Maximus, ut narrat idem auctor lib. XXIII, profectus a Calibus, quæ hodie *Calvi*, & vi captis in itinere Combulteria, Trebula, & Austicula, sive Saticula, (de situ harum urbium agemus in sequentibus, & priores duas ultra Volturnum, tertiam autem citra eundem amnem fuisse demonstrabimus) se contulit cum exercitu ad Vesuvium, sive, ut *Cluverio* placet, ad Suessulam; *inter Capuam castraque Annibalis, quæ in Tifatis erant, transducto exercitu.* Etenim si dixerimus, castra Annibalis in istis fuisse collibus, qui Capuæ multo propiores imminebant, satis temeraria fuerit cautissimi istius Romani audacia, qui tantum subierit discriminis, ut exercitum duceret per angustum adeo & periculosum locum, ut esset planities illa, minus mille passus patens, inter Capuam & collem, ab Annibale occupatum. Verum si Pœnus ille castra posuerat, nos ubi diximus, Fabius istud iter expedire potuit aliquanto tutius per istam, quam diximus, vallem, cui nomen *Cappuccio*: relictis nimirum pari utrinque duorum vel trium millium passuum intervallo ad dextram quidem Capua urbe, ad sinistram autem iisdem remotioribus collibus. Neque tamen idcirco crediderim Annibalem semper eundem castris elegisse locum, quotiescunque cum exerci-

Samnites in extremo Tifatorum colle, qui Caudio maxime vicinus erat, castra habuerunt posita:

Ibidem deinde quoque Annibal,

Livius illustratus.

Qui alias castra etiam posuit in isto col-

le, qui Capuæ imminebat: tu consedit in Tifatis. Dicendum enim videtur, cum aliquando etiam castra posuisse in quodam illorum collium, qui Capuæ propiores erant, prout hic vel ille locus illi videretur opportunior; & speciatim quidem isto in colle, qui hodie appellatur *Montanino*, quemque oportet intellectum esse ab *Silio* lib. XII, ubi ille narravit regressum Annibalis a Tarento, cujus sæpius mentionem fecimus; deque eo dixit, dum Capua undecunque cincta erat Romanorum obsidentium copiis:

> —— —— —— —— *arduus ipse*
> *Tifata invadit propior, qua mœnibus instat*
> *Collis, & e tumulis subjectam despicit urbem.*

Atque his mox subjunxit consona, dum eum introducit secum deliberantem, cum videret, se eam urbem obsidione liberare non posse, ad hunc modum:

> —— —— —— —— *Capuaque vidente*
> *Terga dabo? An residens vicini in vertice montis,*
> *Exscindi ante oculos patiar socialia tecta?*

Sed non postremo tempore, quo his in locis fuit. Sed non parum ego dubito, an ille tum quidem eousque progredi potuerit ad obsessam urbem, ut collem istum quiverit occupare: quandoquidem castra Romanorum ad ejus radices erant, si vera est observatio *Cæsaris Costæ*, olim Archiepiscopi nostri, cujus propter summam benignitatem atque prudentiam quasi sacra est apud nos memoria. Hic ad jurisprudentiam, per quam nomen ejus est celebre ex ipsius libro, cui titulus *Variarum ambiguitatum juris*, & ex encomio, quod illi tribuit *Baronius* in *Annalibus ecclesiasticis*, *anno* DCCCCLXVIII, adjuncto variæ eruditionis & antiquitatum studio, quo nomine celebratus fuit a *Martino Navarro* in *Manuali Confessorum*, *Num.* CXCV cap. XVII, & in *Propugnaculo apologiæ de redditibus ecclesiasticis*; arbitratus est, portam veteris urbis nostræ, quæ dicta fuit *Jovis*, (& confecit ille in pictura accuratam ejusdem urbis descriptionem, quam alibi afferemus) quæque, ut verbis utar *Livii* lib. XXVI, *adversus castra Romana erat*, patuisse ab ista parte. Atque hoc admodum confirmatur ex *Itinerario Peutingeriano*, in quo exstat nomen & templum Jovis Tifatini descriptum in Orientali ejusdem montis extremitate, (in Occidentali ejus extremitate templum Dianæ repræsentatur) de quo templo nulla exstabat alia notitia. Atque adeo si argumentum, quod *Costa* adduxit, nempe *Livium* lib. XXVII mentionem fecisse templi Jovis in urbe Capua, parum evaserat firmum, postquam *Lipsius* in *Quæst. epist.* lib. IV epist. IV monstraverat, valde esse dubitandum de *Liviana* ista lectione; nihilominus hoc verissimum erit, portam illam eo in loco fuisse, quem declaravimus, quandoquidem oportet eam accepisse nomen ab hoc Tifatini Jovis templo. Sed ut abruptum argumenti nostri filum repetamus, *Livius* sane, qui sæpius de castris Pœnorum in Tifatis narraverat, postea hac postrema occasione prorsus de illis tacuit.

Silius refutatus.

Cæsar Costa laudatus, & ejus opinio confirmata.

In isto Tifatorum colle, qui templo Dianæ, & Capuæ satis vicinus fuit, castra habuit Sulla: Verum in descripto colle de quo loquutus est *Silius*, cui admodum vicinum fuit istud Dianæ templum, sequentibus temporibus castra certe posita habuit Sulla, cum Norbanum apud Capuam prælio fudit. Atque hoc patebit, si recte collata fuerint, quæ hac de re varii scripserunt auctores. *Velleji* nostri lib. II hæc sunt verba: *Post victoriam, qua descendens montem Tifata cum C. Norbano concurrerat Sulla, grates Dianæ, cujus numini regio illa sacrata est, solvit.* *Florus* de eodem prælio narrans lib. III cap. XXI ita dixit: *Primum apud Capuam sub amne Volturno signa concurrunt: & ibi statim Norbani fusus exercitus.* Hoc factum non multo ante eodem in loco præcessit prodigium, quod *Julius Obsequens* in libro *De prodigiis* narravit ad hunc modum: *Per Syllana tempora inter Capuam & Volturnum ingens signorum sonus, armorumque horrendo clamore, auditus, ita ut viderentur duæ acies concurrere, per plures dies. Rei miraculo intus considerantibus, vestigia equorum hominumque, & recentes protritæ herbæ, & virgulta visa molem ingentis belli portendere.* De eodem prodigio, quod forte diversimode narrabatur, loquutus etiam est *Plutarchus* in *Sulla*, apud quem *Tifata* nomen corruptum legitur in *Hephæum*: Verba ejus Latine ita habent: *Paulo ante quam Sulla trajiceret, in Campania circa Hephæum montem hirci duo interdiu visi confligere, omniaque facere & pati, quæ viri in pugna solent. Spectrum autem hoc fuit; quod sensim a terra elatum, inde in diversas partes aëris obscurorum simulacrorum simile, dissipatum est: hinc tandem ex oculis elapsum. Nec multo post, cum Marius junior & consul Norbanus eo loco exercitus haberent ingentes, Sulla non acie instructa, non compositis ordine copiis suis, communis ardore alacritatis atque impetu usus audaciæ militum suorum, profligavit hostes, cæsisque septem millibus, Norbanum inclusit mœnibus Capuæ.* Hucusque *Plutarchus*. Sulla itaque consensu etiam *Eutropii* lib. V *primo prælio contra Norbanum dimicavit non longe a Capua*; &, itidem *Paulo Orosio* teste lib. V cap. XX, *ut Campanum littus attigit*, (sed hic quidem falsus ille est. Sulla enim ex Oriente Brundisium appulit, & in Campaniam se contulit per Tarentum, & istam viam, quam supra ex *Strabone* intelleximus) *Norbanum Consulem prælio oppressit*. Igitur illum castra habuisse oportet in aliquo istorum collium, qui Volturnum flumen versus propendent, & ad radices suas habuerunt istud Dianæ templum; Capuæque a mille circiter passibus imminebant. Nam e colle descendens, Norbanum vicit in subjecto campo, qui eundem patebat amnem versus, & ad dextram templum Dianæ, ad sinistram autem attingebat urbem. Sed quisnam tandem potuit alius fuisse collis, qui tantum capere potuit exercitum, quam ille, quem diximus hodie appellari *Montanino*? Equidem Campanos nostros, qui horum notitiam habent locorum, sat scio hoc non fore negaturos. Eosdem scio judicaturos mecum, non potuisse Sullam ad istum campum descendere, si idem collis adeo erat illo tempore abruptus, ab hac parte, ut nunc quidem ille est. Atque hujus mutationis causa videtur mihi referenda esse ad terræmotum aliquem, qui deinceps dejecerit istam ejus partem, quæ ad usus ejusdem veteris urbis nostræ pridem fuit excavata per lapidicinas, quarum hodieque nonnullæ apparent in aliis collibus vicinis. Atque hunc terræmotum præ omnibus aliis potissimum arbitror fuisse illum, notabilem admodum, & antiqui temporis, quo, ut *Cedrenus* dixit, pag. mihi CCXXXIV, tempore Constantini Magni *in Campania urbes tredecim prostratæ sunt*, quando etiam *tantus fuit Solis defectus*, *ut meridie stellæ viderentur*. Potest etiam ille alter fuisse, qui non multis post annis subsequutus est imperante Constantio, illius filio, ut affirmat *S. Hieronymus* in *Appendice Chronici Eusebiani*, anno a Servatoris ortu CCCXLVI, quemque etiam retulit idem *Cedrenus* pag. CCXLV: eoque *Dyrrachium corruit*, & *tribus noctibus & diebus Roma nutavit*, *plurimæque Campaniæ urbes vexatæ*. De omnibus hisce, quæ diximus de loco prælii inter Sullam & Norbanum, *Cluverius* & ipse nihil dubitans, satis cum ratione judicavit, corruptum esse locum *Appiani Alexandrini* lib. I *De bello civili*,

Vellejus, Florus, Julius Obsequens, & Plutarchus collati.

Plutarchus emendatus.

Paulus Orosius refutatus.

Et ex eo descendens, prælio vicit Norbanum, inter eandem urbem, & Dianæ templum, & Volturnum flumen.

Cedrenus cum S. Hieronymo collatus.

Appianus Alexandrinus emendatus.

Cluverius laudatus. *vili*, ubi vulgati codices ex interpretis versione Latine ita habent: *Initium hujus belli, quando Sylla Brundusium appulit, incidit in* CLXXIV *Olympiadem.* Et mox: *Primum omnium ad Canusium cum Norbano signa contulerunt. Norbanus retrocessit Capuam*; atque heic legendum esse *Casilinum* pro *Canusium.* Enimvero utcunque ejus sententia omnibus aliis destitueretur argumentis, certissime tamen illa adstrui posset vel ex ejusdem duntaxat Casilini situ, quem paulo abhinc demonstraturus ero. Ceterum in quemnam ex Tifatorum collibus jam evaserit Annius Milo, Capua expulsus, cum illam urbem, ut narrat *Cæsar* lib. III *De bello civili*, occupare tentavisset; illud neque ex *Dione*, qui ea de re loquutus fuit lib. XLII, colligi potest; nec, si maxime sciremus, ad majoris momenti rem prodesset aliquid.

SATICULA, quæ etiam dicta Austicula, non fuit ab ista Tifatorum parte, ubi hodie Caserta est. Credidit idem quoque *Cluverius*, oppidum istud, quod Saticulam lib. VII & VIII dixit *Livius*, aliique, (legit enim ille *Saticulam*, non *Satriculam*, quod probo) non diversum fuisse ab illo, quod idem *Livius* lib. XXIII dixit *Austiculam.* Nimirum existimavit, hoc nomen ab librariis in textum esse inductum loco *Saticulæ*: quod ut rejiciam, nihil habeo causæ. Sed non possum hoc quoque illi concedere, situm ejus satis convenire cum *Casertæ* situ, quæ in Tifatis urbs est, & in uno collium istorum, qui Campaniam respiciunt. Et ille quidem posse id colligi credit ex hisce *Livii* verbis eodem lib. XXIII: *Macellus a Canusio Calatiam petit, atque Volturno amne trajecto, per agrum Saticulanum Trebulanumque, super Suessulam per montes Nolam pervenit.* Ad quæ ita *Cluverius*: *Patet ex his verbis Saticulam fuisse in eodem tractu cum Trebula ac Suessula, sub Tifatis monte, qui terminus erat ab hac parte inter Campaniam & Samnium. Situs igitur ejus maxime quadrat in opidum, quod vulgo nunc dicitur Caserta, in edito colle positum, medio itinere inter Capuæ Suessulæque ruinas dextrorsum*, (nempe a Suessula euntibus Capuam) *ex adverso Trebulæ.* Insuper ostendit argumentum se petiisse ex *Virgilio*, qui lib. VII *Æneïdos* una cum aliis hujusce regionis populis mentionem populi Saticulani fecit hisce versibus: (Licet non nulli veteres id affirmavisse videantur.)

—— —— —— vertunt felicia Baccho
Massica qui rastris, & quos de collibus altis
Aurunci misere patres, Sidicinaque juxta
Æquora, quique Cales linquunt, amnisque vadosi
Accola Volturni, pariterque Saticulus asper.

Verba hæc *Servius* interpretatus est ad hunc modum: *Saticulus asper. Campaniæ populus, asper moribus*: ut adeo Saticulam non jam ultra, sed citra montem istum, communem ejusdem Campaniæ & Samnii terminum, collocare conveniat. Eja vero, si ab hac Tifatorum parte fuit Saticula, eam fuisse in Campania nimis certum est, quam ut idem *Livius*, & post eum *Festus* eam ullo pacto adscribere Samnio potuerint sine errore certissimo. (Sed illi hac ratione & ab aliis, & ab semet ipsis dissentirent.) *Saticula*, dixit *Festus*, *opidum in Samnio captum est.* Et ita *Livius* lib. VII: *Jussu populi consules ambo cum duobus ab urbe exercitibus profecti, Valerius in Campaniam, Cornelius in Samnium; ille ad montem Gaurum, hic ad Saticulam, castra ponunt.* Et mox: *Cæterum hoc gaudium magna prope clade in Samnio fœdatum est. nam ab Saticula profectus Claudius consul, exercitum incaute in saltum, in cava valle pervium, circaque insessum ab hoste, induxit:* & quæ sequuntur de arte illa, qua consul iste ex illis angustiis evasit. Nec illud quoque expediri potest, quomodo idem *Livius*, postquam dixerat, cum exercitibus profectos esse, Valerium in Campaniam, Cornelium in Samnium, mox subjungere potuerit: *Priori Valerio Samnitium legiones (eo namque omnem belli molem inclinaturam censebant) occurrunt*; cum, si fuit istic loci Saticula, aut circa, ubi nunc *Caserta* est, istius belli summa converti debuerit eandem Saticulam versus. huic enim urbi, quam Gauro monti, multo jam propior fuisset Capua, cujus defensionem Romani susceperant, cum illa quasi obsessam se cerneret frequentibus Samnitium incursionibus, *quos in Campanos stimulabat ira, tam promptos, nunc ad ferenda*, (Sidicinis) *nunc ad arcessenda adversus se auxilia.* Saticulam itaque oportet in adversa Tifatorum parte fuisse Samnium versus, & isto in tractu, ubi hodie castellum est, cui *Limatola* nomen; sive, quod magis credo, in campo illo, qui extra vallem, supra a nobis descriptam, quæ appellatur *Cappuccio*, ab ejusdem montis latere Septentrionali explicatur: ubi nostræ ditionis pagus fuit, nomine *Sarzano*, satis vicinus Volturno flumini. (*Igitur fuit illa ab adversa parte Samnium versus, juxta Volturnum.*) Et cum his satis bene conveniunt *Virgilii* verba, qui non magis Saticulanorum asperitatem morum indicare voluit, quam situm, qui mollitia & amœnitate plurimum inferior est nostræ situ Campaniæ. (Servius notatus. Virgilius & Livius illustrati.) Et *Livius* per eandem *Cappuccio* vallem, nisi forte intellexit illam alteram, quam post *Madalonos* aperiri diximus, Marcelli iter descripsit, qui ab Calatia, quæ hodie *Cajazzo*, Volturnum transgressus, per agrum Saticulanum & Suessulæ montes pervenit Nolam. Quod si approbetur, Saticulam fuisse, ubi nunc *Sarzanum* est, nihil pugnaverim, quin Tifatorum colles, ab Samnitibus occupati, e quibus illi descenderunt *quadrato agmine in planitiem, quæ Capuam Tifataque interjacet*, fuerint illi, qui hodie dicuntur *Montanino*, certe *imminentes Capuæ.* Atque ibi Annibal quoque postremum castra posuisse potuit ex narratione *Polybii* in *Fragmentis* lib. IX ut notabitur in *Dissertatione* IV, ubi de Campaniæ præfecturis erit agendum: quamvis ex *Livii* verbis illud supra negaverimus *Silio.* (Livius & Silius illustrati.) In alterutra istarum vallium consulem quoque Cornelium, de quo supra audivimus, oportet conclusum fuisse ab Samnitibus, quorum incursionibus cum Campani multum infestarentur, ille ad Saticulam positis opportune castris, sese iis opposuerat, dum longe maxima istius belli moles ad Gaurum montem inclinabat: per causam nempe vicinorum Neapolitanorum, qui isto tempore Nolanorum erant amici. Nolani autem Samnites erant. Et cum his Saticulani quoque propter illam, quæ inter ipsos erat, vicinitatem junxerunt amicitiam, ut recte notavit *Cluverius* ex sequentibus *Livii* verbis lib. IX: (*Atque hinc Saticulani fuerunt amici Samnitium.*) *Dictator L. Æmilius Saticulam oppugnare adortus, rebellandi causam Samnitibus dedit. Duplex inde terror illatus Romanis. Hinc Samnis, magno exercitu coacto, ad eximendos obsidione socios haud procul castris Romanorum castra posuit. Hinc Saticulani magno cum tumultu, patefactis repente portis, in stationes hostium incurrerunt.* Neque de Saticula aliud, quod dicam, superest, si hoc unicum addidero, eundem *Cluverium* propter male intellectum Trebulæ situm minus recte etiam cognovisse situm Saticulæ. id quidem non sine culpa *Livii*, qui videtur Trebulam nobis descripsisse inter Saticulam montesque Suessulanos, cis Volturnum, cum illud oppidum fuerit ab altera hujus amnis ripa, ut paulo post erit ostendendum.

Verum ego persequens iter meum a Galatia per viam Appiam, jam delatus sum, ad CAPUAM nostram, quæ caput argumenti est, ad quod hæcce spectat PRÆPARATIO. Quare cum de omnibus antiquitatibus ejus mihi sit agendum

dum posthac, heic de prisco situ ejus differere convenit. Atque hoc faciam eadem illa *Dissertatione* peculiari, quam de hoc argumento vulgavi superioribus annis. Pauca tantum quædam addam, quæ mihi subministraverunt novæ lucubrationes, & illa demam, quæ aliis occasionibus jam supra mihi videor dixisse.

XXIX. *CAPUA*, *urbs metropolitana, argumentum alterius operis mei integri. Heic solummodo agitur de prisco ejusdem situ.*

Non fuit CAPUA semper istic loci, ubi nunc est:

SAtis certa res est, urbes, quæ per sese quidem situ sunt immobiles, aliquando tamen mutare solere locum pro opportunitate incolentium. Et ita CAPUAM, urbem antiquissimam in Italiæ regione illa, quæ ab ejus nomine atque imperio *Campania* dicta est, æque certum est, non semper istic loci fuisse, ubi hodie illa sita est: id est, ad sinistram Volturni ripam, circiter duodecim millia passuum a mari Tyrrheno, in quod idem se amnis exonerat. Huc enim translata illa est ab Comite suo Landone, ejusque fratribus, anno a Servatoris ortu DCCCLVI, ut *Leo Ostiensis* affirmat *Chronici* lib. I cap. XXX, repetens illud, quod ea de re scripserat *Herchempertus* in *Historia principum Longobardorum Num.* XXV, & *Anonymus* monachus Casinensis *Num.* XVI. Atque hi sunt auctores quidem antiqui, sed *Blondi* ætate necdum cogniti: unde ille in *Italia illustrata* dixit, nunquam se legisse, nec ab ipsis Campanis rescire potuisse, *quis, & quo tempore eam ad hunc, in quo nunc est, transtulerit locum.* Verum cum de causa mutati situs ejus alio mihi sit agendum tempore, nunc de prisco ejus differere situ expediet. nam, ut extra omne dubium est, primum illa condita fuit multis non tantum ante annum istum DCCCLVI, sed etiam ante Servatoris ortum seculis. Ad hunc igitur situm quod attinet, licet hodie non sit, qui multum difficultatis moveat, *nec*, ut ejusdem *Blondi* verbis utar, *id multis differi oporteat, quando vetustæ urbis fundamenta, portæ, theatra, templa, & cætera ædificia, moles magnæ apud S. Mariæ basilicam, cui de Gratia cognomen est, internoscuntur*; tamen ne fallax scriptorum quorundam recentiorum, qui prope ad nostram ætatem accedunt, opinio, aut etiam veterum quorundam verba, minus recte ab aliis intellecta, offendiculo queant esse simplicioribus, non abs re erit omnem omnino, quantumvis levem, quæ heic occurrere possit, explanare difficultatem. Et inter illas quidem prima hæc est, quæ ex *Flori* verbis oritur, quibus ille lib. I cap. XVI Campaniam nostram describens, ejusque urbes, loquutus est ad hunc modum: *Urbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeji, & ipsa caput urbium Capua, quondam inter tres maximas, Romam Carthaginemque, numerata.*

Nec unquam ad mare fuit:

Hisce verbis ille videtur dicere voluisse, Capuam, perinde ut reliquæ urbes erant, quas recensuit, quondam fuisse ad littus maris: quemadmodum illa interpretatus est *Jacobus Spigelius* in *Notis* ad lib. V *Ligurini*, quod *Guntheri* poëma historicum est, & item in *Indice* istius operis, ad vocem *Capua*. Atque adeo *Livium* quoque potuisset ille eodem sensu explicare, qui lib. XXIII ita de hac urbe scriptum reliquit: *Prona semper civitas in luxuriam; non ingeniorum modo vitio, sed affluenti copia voluptatum, & illecebris omnis amœnitatis maritimæ terrestrisque.* Insuper ex eo, quod legitur apud *Marcianum ICtum* lib. I *Digestorum*, Tit. VIII, l. IV: *Nemo ad littus maris accedere prohibetur: idque divus Pius piscatoribus Formianis & Capuanis rescripsit*, satis recte colligi posse videtur, magnam debere Capuanorum piscatorum fuisse copiam, quæ non in aliam, quam in maritimam urbem, convenire poterat. Denique si Capua, ut idem *Livius* scripsit lib. IV, principio fuit dicta *Volturnum*, antiquissimis certe temporibus illa fuit urbs maritima, & ad ostium fluvii cognominis, ubi certum est fuisse urbem, itidem *Volturni* nomine dictam. Et itaque credendum videtur, Capuam deinde a mari translatam fuisse in mediterranea: ut in poëmate quodam, nostra lingua conscripto, quod nondum typis est vulgatum, ad illud *Livii* testimonium attendens dixit probabilitate plusquam poëtica *Camillus Peregrinus*, avi mei frater, & illustris motis ab ipso & assertis disputationibus pro *Torquati Tassi* poëmate, cui titulus: *Hierosolyma liberata*. Verum hoc ejus commentum, licet ingeniosum, falsi convincitur ex detecto ipsius *Livii* errore, qui existimavit Capuam fuisse quoque dictam isto altero *Volturni* nomine: qua de re jam supra egimus, & denuo acturi sumus in ultima harum *Dissertationum*. Et adeo nulla narrationis istius *Livianæ* habenda est ratio.

Camillus Peregrinus, auctoris patruus magnus, refutatus.

Nec plus difficultatis objiciet nobis etiam *Florus*, in cujus verbis certe aliquid est vitii: sive jam reliqua desiderentur in isto Campaniæ urbium catalogo ejus: sive ipse, quod magis credo, ceteroqui scriptor ingeniosus & studens elegantiarum, minus diligenter in unam periodum & unum quasi fasciculum conjunxerit multas urbium nostrarum, utcunque situ dissimiles. Eadem enim ratione sæpius etiam sine discrimine tempora & facta confudit, quæ longe alio successerant ordine, quam ipse ea descripsit.

Florus notatus. Jacobus Spigelius refutatus.

Porro, quod ad altera ista *Livii* verba attinet, neque ad ipsa opus habemus respondere magna cum molestia. Sane enim ille semper descripsit urbem nostram in mediterraneis, ad radices Tifatorum, ut intelleximus ex ejus verbis, quæ non multo ante retulimus, & denuo intelligemus ex aliis, quæ jamjam afferemus. Atque adeo verbis istis, quæ diximus, non aliud ille demonstrare voluit, quam prosperitatem, & delicatam mollioremque vitæ rationem primorum Campanorum, qui cum principes essent hujus regionis, perinde deliciis ejus terrestribus & maritimis fruebantur. Illud autem heic investigare supersedeo, an hæ eorum maritimæ deliciæ, ut ille videtur dicere velle, ejusdemmodi fuerint, quam illæ, quas deinceps adeo frequentavere Romani, qui sumptuosissimis villis integrum hoc littus exornaverunt: cum præcedentibus temporibus Bajæ & Puteoli oppidula fuissent exigua, ipso etiam eodem auctore teste.

Livius illustratus & alio nomine notatus.

Sed major difficultas videri illa potest, quæ nobis occurrit in *Marciani* verbis, & contra quam nihil prodesse possunt *Pandectæ Florentini*, qui volunt Imperatorem Pium scripsisse *piscatoribus Formianis & Capenatis*. Hæc enim lectio cum prorsus nihil sit congruentior ad mediterraneum Capenatium situm; illa altera, quæ Capuanorum nomen præfert, adhuc verior habenda est. Sed librariorum negligentia, ab uno in alium locum integras transferre urbes consueta, etiam nunc opprobrio exponetur ab excellenti judicio atque eruditione Clarissimi *Lucæ Holstenii*, ad cujus ipsum nomen tenebræ evanescunt, quæ sinceram istius Imperatoris sententiam obscurabant. Ille rogatus a me sententiam suam, ex voce *Capenatis*, quæ non minus corrupta in *Pandectis Florentinis*, quam in pejus est mutata in codicibus vulgatis, qui habent *Capuanis*, conjecit hanc esse veram lectionem: *Piscatoribus Formianis & Capreatis*: per *Capreatas* intelligens piscatores Caprearum

Lucas Holstenius laudatus. Pandectæ Florentini emendati.

rum insulæ. Omnino igitur Capua fuit urbs mediterranea nullo prorsus dubio. Et huic asseverationi necesse est assentiri omnes illos, qui reliquis geographis & historicis antiquis fidem detrectare nolent, quorum non opus est omnia afferre testimonia. sufficere poterit *Pomponius Mela* lib. II cap. II, ubi ille recensens opulentiores Italiæ urbes, hæc verba habet: *Quæ procul a mari habitantur, opulentissimæ sunt: ad sinistram, Patavium, Mutina, Bononia: ad dextram Capua, & Roma.* Huic addimus *Plinium Secundum*, qui lib. III cap. V post descriptam oram Campanam ita pergit: *Intus coloniæ: Capua, ab campo dicta, Aquinum, Suessa*, &c. Et denique *Polybium* lib. III, qui, postquam itidem descripserat situm potissimarum hujus regionis urbium, subjunxit verba, quæ interpres ejus ita Latine reddidit: *In mediis autem campis sita est omnium olim felicissima civitas Capua.* Igitur hæc missa faciam, & demonstrare pergam, quanam agri Campani parte illa principio fuerit habitata. *Joannes Annius*, quem credere debemus ipsum illa sensisse, quæ in confictis ab se auctorum libris, alioquin antiquissimorum, commentus est, videtur existimavisse, Capuam fuisse in quadam agrorum parte, qui ultra Volturnum sunt Lirim amnem versus, qui hodie *Garigliano*, dum *Sempronium* nobis obtrudere voluit loquutum ad hunc modum: *A Volturno amne ad Lirim Etruscorum vetustissimus ager fuit, in quo prius Oscam dictam, postea Capuam condiderunt.* Atque hujus sententiæ nescio utrum ipsi fuerit auctor *Polybius*, qui libro citato de Annibale, ut interpres ejus habet, ita dixit: *Cum animadverteret, Fabium aperte præliandi occasionem fugitare, citato cursu proficisci Capuam, & in Falernum agrum descendere decrevit*; (fuit autem Falernus ultra Volturnum, ut suo loco demonstrabitur) an vero illud collegerit ex eo, quod intellexerat, ultimis hisce seculis illam Campani agri partem, quæ ultra Volturnum ad dextram est, Lirim versus, ubi ille collocavit Capuam, peculiari & proprio nomine, quod aliquot abhinc seculis cepit originem, appellari *Terram Capuanam*: licet ab *Leone Ostiensi* lib. I cap. XLVI *Terræ Capuanæ* nomine dictum fuerit integrum Capuæ territorium. Sed quantum heic ejusmodi argumentis *Annius* ille a vero aberraverit, aut alius recentior asserere volens ejus opinionem de origine nominis istius *Terræ Capuanæ*, somniaverit inaniter, abunde demonstravimus in *Historia principum Longobardorum* lib. I Porro autem verba *Polybii* non alio modo sunt accipienda, quam Pœnum istum Capuam versus descendisse in agrum Falernum, cum profectus esset, ut idem auctor scripsit, ab Telesia. Veruntamen cum orbis literatus necdum satis perspexisset imposturam istius *Annii* cum confictis suis scriptoribus, tanta fides isti *Sempronio* ejus fuit habita, ut homines etiam clarissimi per imprudentiam, ut videtur, Capuam collocaverint in ista Campaniæ parte, quam Volturnum & Lirim amnes interjacere diximus. Inter hos est *Sigonius* lib. I cap. X *De antiquo jure Italiæ*, cui exciderat illud, quod de Capuæ situ ex omnibus aliis veteribus didicisse poterat. Igitur nullus omnino auctorum est, qui nobis Capuam aut ad mare, aut ultra Volturnum descripserit: sed omnes eam collocaverunt in mediterraneis, & citra eundem amnem, ut apparebit ex illis, quæ jamjam dicturus ero. Ceterum hoc jam potest & solet etiam moveri dubium, num illa fuerit in ipsa ejus amnis ripa, an vero aliquantum inde remota. Nam heic quidem missam facimus de reliquis ejus terminis quæstionem, ne hanc de situ ejus disputationem cum illa de murorum ejus ambitu confundamus. Inter scriptores alicujus momenti, quos mihi quidem videre contigit, solus *Joannes Stadius* satis obiter, ideoque forte parum attendens ad hoc, quod scribebat, existimavit, Capuam fuisse super Volturnum flumen: *Eam Volturnus mediam perlabebatur*, verba ejus sunt in *Notis* ad istum *Flori* locum lib. I cap. XVI, quem ipse signavit *Num.* XV. Verum ejus sententiam primum confutat *Julius Obsequens* in libro *De prodigiis* qui dixit, ut alio loco supra intelleximus: *Per Syllana tempora inter Capuam & Volturnum ingens signorum sonus armorumque horrendo clamore auditus.* Cum *Obsequente* consentit *Livius* lib. XXVI, ubi describens aciem copiarum Romanarum in ultimo cum Campanis prælio, quod a pluribus Capuæ partibus commissum fuit, hæc verba habet: *L. Fulvius Flaccus legatus cum sociali equitatu constitit e regione Volturni amnis.* Et aliquanto post narravit, Appii Claudii copias pugnavisse cum Campanis in ista planitie, quæ inter portam urbis & flumen erat. Insuper ex serie narrationis ejus colligitur, inter utrumque hunc locum non exiguum fuisse interjectum spatium: subjunxit enim, Campanos, cum languide adversus Romanos pugnarent, facile fuisse compulsos ad eandem portam. Verba ejus hæc sunt: *Altera in parte castrorum jam pulsi erant Campani, Punicumque præsidium; & sub ipsa porta Capuæ, quæ ad Volturnum fert, pugnabatur.* Verum de ista distantia præter omnes alios scriptores antiquos *Asconius Pædianus* certos nos reddit, qui insuper ejus definivit spatium, exponens locum quendam *Ciceronis* ex lib. III *in Verrem*, ubi in exemplum veteris loquutionis Latinæ hæc verba adfert: *Vetus loquutio est: Eminus est Volturnus Capua tria millia passuum.* Idem confirmatur ex *Itinerario Peutingeriano*, in quo a Capua ad Casilinum distantia trium millium dicitur esse passuum: sive jam intelligamus eundem Volturnum amnem, qui dictus est quondam *Casilini* nomine: sive ipsam urbem Volturnum, quæ ad istum amnem sita fuit, ut deinde apparebit. Nullo igitur pacto assentiendum est *Joanni Stadio*, qui ceteroqui de nova Capua hanc potest opinionem concepisse secula intelligens præterita. De hac enim *Alexander Telesinus* in *Historia Rogerii regis* lib. II cap. LXVI ita scripsit: *Ejus muralem ambitum Volturnum flumen medium præterfluit*: quod ipsum tamen sano sensu interpretandum est, & eo modo, quem ipse ille auctor indicavit, ubi de ponte, quem antiquissimis temporibus ibidem loci habuit ille amnis, loquutus est ad hunc modum: *Pons quoque miræ magnitudinis, miroque opere constructus, in ipso amne extat funditus, qui intrantibus & exeuntibus meatum præbens, ab una parte urbe; ab alia vero burgo satis prolixo obviatur.* Sed neque ex his, quæ diximus usque adhuc, videtur satis explanata esse via, quæ ad priscum Capuæ fert situm, nisi etiam demonstretur, in qua parte agri, qui citra Volturnum, seu ad sinistram ejus est, illa habitata fuerit. Et hac in re abunde nos adjuvat iterum *Livius*, ut de aliis taceamus; qui lib. XXIII, postquam dixerat, esse a citeriore Volturni ripa hanc urbem, plus semel affirmavit, eam prope Tifata montem fuisse sitam: *Et circa Capuam*, dixit ille, *transgresso Volturnum Fabio* (venerat ille a Calibus, quæ hodie *Calvi*) *post expiata tandem prodigia, ambo consules rem gerebant.* Et mox: *Gracchus minus centum militum jactura castris hostium potitus, Cumas se propere recepit, ab Annibale metuens, qui super Capuam ad Tifata habebat castra.* Et lib. XXVI: *Annibal in valle occulta post Tifata, montem imminentem Capuæ, consedit.* Cum *Livio* consentit *Dio* lib. XLII verbis, quæ

Pomponius Mela, Plinius Secundus, & Polybius concordes.

Neque ad dextram Volturni ripam:

Joannes Annius refutatus.

Polybius illustratus.

Sigonius notatus.

Nec semper etiam in ripa fluminis ipsius:

Joannes Stadius refutatus.

Julius Obsequens & Livius collati.

Asconius Pædianus & Itinerarium Peutingerianum collati.

Alexander Telesinus illustratus.

Sed paulum abfuit a Tifatis monte, & ad sinistram illius amnis ripam fuit,

Livius,

Dio, & Silius concordes.

quæ ita Latine habent: *Cæcilius, postquam in Campaniam adveniens offendit Milonem re infeliciter gesta in Tifata, montis id Capuæ imminentis nomen est, confugisse, substitit.* Idem quoque dixit *Silius* istis lib. XII verbis, quæ de Tifatis disputantes retulimus. Neque tamen idcirco credendum est, eam prorsus fuisse monti isti conjunctam, cum contrarium nobis demonstretur ab eodem *Livio* hisce verbis lib. VII: *Samnites Tifata, imminentes Capuæ colles, quum præsidio firmo occupassent, descendunt inde quadrato agmine in planiciem, quæ Capuam Tifataque interjacet.* Et denuo lib. XXIII: *Quibus ne incepta procederent, inter Capuam castraque Annibalis, quæ in Tifatis erant, transducto exercitu Fabius, super Vesuvium in castris Claudianis consedit.* Et ego heic utor hisce *Livii* verbis, licet supra illa accommodaverim ad istam Tifatorum partem, quæ a Capua remotior erat. qualitercunque enim ex illis intelligimus, eam ipsi monti non fuisse conjunctam. Jam igitur hoc foret reliquum, ut demonstraremus, quisnam fuerit ille mons, qui *Tifata* nomen habuit, quod supra abunde factum est. Et adeo Capua nullo prorsus dubio fuit in plano isto campo, cui ad Orientem æstivum circiter mille passuum intervallo Tifata mons imminet, ad Occidentem vero æstivum Volturnus amnis est, ex *Asconii* calculo trium millium intervallo passuum. Atque hic loci magnificæ hodieque visuntur reliquiæ & ingentia rudera ejus ædificiorum: ac una cum innumeris vetustæ sculpturæ aliusque excellentis artificii operibus per continuos hosce ducentos annos ibidem frequenter reperta sunt varia nominis ejus monumenta, marmoribus insculpta, quorum exscriptionem in opportuniorem reservamus occasionem. Ipse autem locus hodie colitur honestis satis magno numero hominibus, divisis in duos nostræ ditionis pagos, qui tamen longe non occupant veteris urbis aream. Major illorum appellatur *S. Mariæ Majoris*, sive *Gratiarum*, de nomine templi nobilis, quod beatæ Virgini dedicatum, & principio exstructum fuit multo minori forma ab episcopo Capuæ Symmacho, æquali & amico S. Paulini, episcopi Nolani, qui mortem obiit anno post Christum natum CCCCXXXI. Illius autem, quæ hodie est magnificentia ejus, cum certus ignoretur auctor, hoc quidem certum est, illud multis abhinc jam seculis in magna esse veneratione apud indigenas pariter & extraneos. Alter autem idemque minor illorum pagorum hodie nomen habet *S. Petri in Corpore*, itidem ab alio templo vetustissimo, quod Constantinus Magnus Apostolis dedicavit, & cujus exigua quidem superest, sed satis idonea pars ad ostendendum, quænam ejus forma fuerit integra. Atque hujus cognominis dignitatem ejus arbitror fuisse causam. Capua enim, postquam primum incensa esset a Vandalis anno a Servatoris ortu CCCCLV, quasi dispersa mansit in plures vicos sive pagos usque ad tempus ultimi excidii sui, quod incidit in annum ejusdem epochæ DCCCXL. Horum vero pagorum maximus, qui exhibebat quasi corpus civitatis, ille fuit, qui templum istud habebat, quod & antiquitate sua, & conditore, & ipso adeo situ eminebat inter alia omnia. Ceterum hisce, quæ diximus usque adhuc de prisco Capuæ situ, non erit fortasse qui controversiam moveat, excepta re duntaxat unica, id est, quod ad ejus distantiam a Volturno attinet. Hodie enim intervallum inter hunc amnem atque duos istos pagos æstimatur duobus milliariis communibus: & ab altera parte certum est, eundem fluvium non mutavisse cursum suum veterem. Nolim tamen hoc mirari quenquam, quia *Asconius*

Remota ab ejusdem cursu minus tribus passuum millibus.

Asconius

& auctor *Itinerarii* citati perinde possunt numero rotundo scripsisse tria millia passuum, quæ aliquantum excesserunt numerum duorum millium, & exacte stadia confecerunt XIX, ut ex illis colligitur, quæ dixit *Strabo* lib. V, de via Latina narrans atque Appia, quæ conjungebantur ad Casilinum, ut suo loco explicabimus. Et ab hac mensura nihil differt illa, quæ hodie ibidem loci observari potest, & itidem rotundo numero duorum millium creditur esse passuum, cum exactiore calculo illa contineat aliquot passus ultra. Insuper tria ista millia fortasse non fuerunt demensa per passus geometricos, sed tantum distincta per vulgarem quandam æstimationem, secundum distinctionem & intervalla locorum celebriorum, quæ in ista via erant ab urbe usque ad flumen, prout vulgus de ejusmodi locorum spatiis judicare solet. Atque adeo idem intervallum, quod olim descriptum fuit tanquam trium millium, hodie, ut diximus, tantum duobus æstimatur, ea nimirum ratione, quod in ipso medio ejus, licet aliquantum extra viam, monasterium est fratrum Capucinorum. Igitur, utram jam harum rationum admittere libeat de ista diversitate, videtur illa mihi satis bene esse conciliata: & forte aptius, quam ab *Cluverio* factum arbitror. Hic enim de Casilino agens se expedivit ex hac difficultate (& eundem servavit modum in aliis occasionibus consimilibus) hisce verbis: *Circa celebriores urbes atque colonias municipiaque, minutiora dimensos esse veteres Romanos millia passuum, passim apud auctores innumeris exemplis patet.* Ceterum ego non video, cur istis in locis, quam alibi, minora fuerint demensa passuum millia: sed illud quidem satis pro certo habeo, vulgus ea numeravisse pro integris, quæ inter notiores erant terminos, qui tanto solent esse frequentiores, quanto urbibus sunt propiores.

Pædiani & Itinerarium Peutingerianum illustrati.

Cluverius refutatus.

Hic igitur primus fuit Capuæ situs, & extra omnem controversiam hic illi urbi tribuitur ab omnibus, quicunque de Campaniæ locis usque adhuc tractaverunt. Atque ille, licet omnino planus, atque hac ratione non multum aptus ad defensionem temporibus adeo bellicosis, quemadmodum illa erant, cum hæc conderetur urbs, nihilominus multa cum prudentia fuit electus ad condendam istic civitatem, quæ aliis imperaret. Verum esse hoc facile potest intelligi, si ad illud attendatur, *Polybium*, scribentem lib. III de laudibus Campaniæ, inter illas quoque situm ejus annumeravisse. Verba ejus, Latine reddita, & duobus mendis expurgata, quorum alterum in contextu Græco, alterum in *Perotti* versione erat, ita habent: *Accedit ad ea, quæ diximus, quod natura sua hæc loca sunt munita, & in hoc campo aditus est difficillimus. cinguntur enim aliqua ex parte mari, ex majore vero montibus, ubique magnis & continentibus, per quos venientibus e mediterraneis tres duntaxat viæ patent, eæque angustæ & difficiles. Prima est, qua venitur a Samnio, altera a Trebula,* (Græca habent: ἀπὸ τῦ Ἐριβανῦ, id est, *ab Eribano*) *postrema e regione Hirpinorum.* Atque hanc observationem *Polybii*, de qua alibi etiam loquuti sumus, repetiit Auctor *Vitæ Annibalis*, falso adscriptæ *Plutarcho*. Atque adeo hinc apparet, Capuæ conditores, cum existimarent posse suam urbem collocari in isto campo, quasi in horto bene consepto; ad quod forte alludere voluit idem Auctor *Vitæ Annibalis*, cum dixit, Capuam fuisse nominatam Græca voce κῆπος, id est, *hortus*, seu *viridarium*, sapienter hac ratione declinavisse aspera montium, & maris pericula. Atque hoc ipsum, quod dico de maris periculis, non caret testimoniis gravissimorum scripto-

Capua condita fuit in loco, quem diximus, utpote tranquillo & amæno.

Et a piratis tuta,

ptorum veterum. Ita enim *Strabo* de Etruscis Etruriæ scripsit lib. v, eos in more positum habuisse, ut vitarent ad mare habitationes, quod observavisse quoque oportet Etruscos Campaniæ, qui Capuam condiderunt. Ita etiam *Thucydides*, antiquissimus historicus, lib. III hunc fuisse communem gentium morem affirmat, ut urbes suas conderent in mediterraneis, dum ita scripsit, ut interpres ejus habet: *At vetustæ urbes propter assiduam latronum infestationem procul a mari potius ædificatæ fuerunt, tam illæ, quæ in insulis, quam quæ in continente sunt sitæ.* Et forte eadem de causa, indicata ab *Thucydide*, sed *Ammiano Marcellino* minus intellecta, antiquissimi Persæ majores urbes suas procul a mari exstruxerunt, unde maritimas necesse est fuisse minores. *Opida*, dixit *Ammianus* lib. XXIII, *mediterranea sunt ampliora: incertum enim, qua ratione per oras maritimas nihil condiderunt insigne.* Etiam *Pomponius Mela* lib. I cap. IX ita dixit de urbibus Ægypti: *Clarissimæ, quæ procul a mari, Sais, Memphis, Syenæ, Bubastis, Elephantis, & Thebæ.* Nimirum apud antiquioris ævi homines gloriæ ducebatur latrocinari per maria, ut affirmat *Justinus* lib. XLIII, ita scribens de Phocæensibus: *Namque Phocæenses exiguitate ac macie terræ coacti, studiosius mare, quam terras exercuerunt: piscando, mercandoque, plerumque etiam latrocinio maris, quod illis temporibus gloriæ habebatur, vitam tolerabant.* Et iisdem temporibus priscis ope navigationis multa loca fuerunt occupata ab gentibus exteris, si fidem habere libet *Sallustio* apud *Servium* ad lib. I *Æneidos*: *Trojanorum tempore*, (dixit *Servius*) *invadendarum terrarum causa fuerat navigatio, ut Sallustius meminit.* Ad hæc incommoda, quibus obnoxia erant loca maritima, respexit *Plato*, ubi lib. IV *De legibus* probans hunc morem adspernandi habitationes ad mare, utilitatem ejus adhuc magis persuadere hominibus voluit rationibus aliis. Sed hæc sententia non placuit ejus discipulo *Aristoteli Politicorum* lib. VII cap. VI, ubi ille docuit, qua ratione civitates maritimæ & ista latrocinia, & omnia alia maris incommoda evitare queant: non secus ac Æneas, observante *Dionysio Halicarnassensi* lib. I, ad exstructionem Lavinii non arbitrabatur esse utile a mari recedere. Equidem de hac diversitate longior possit institui disputatio: sed quia illa heic nihil ad nos attinet, illud indicavisse sufficiat, istum Capuæ situm fuisse electum prudenti consilio, arbitratuque condentium, & pro loci opportunitate, ac frequenti istorum temporum usu: non autem fortuito, aut necessitate quadam. Hinc in medium afferre lubet partem sermonis, quem de mediterranearum urbium præstantia habuit *Censorinus* apud *Appianum Alexandrinum* in *Punicis*. ea Latine ita habet: *Civitas maritima videtur mihi navis potius esse, quam terra solida: ita jactatur variis negotiis, subinde mutabilibus. Mediterranea vero absque periculo fructus ex agris percipit: hanc ob rem & veteres regiæ fuerunt omnes mediterraneæ.* Et omnino Etrusci, qui Capuam suæ gentis caput fecerunt, ut testatur *Strabo* lib. v, eam condiderunt hoc animo, ut illa esset regia & metropolis reliquarum, quas in Campania habebant, urbium: forte etiam non exigua cum spe, eam ad majorem potentiam provectum iri. Omnes enim illas commoditates, quas *Livius* lib. v sub persona Camilli de Romæ situ prædicavit, ac idoneas esse dixit ad incrementum ejus urbis, quod deinde subsequutum est, easdem pleno jure, & excellentiores etiam nostræ situs urbis vindicare sibi poterat. Ceterum *Livii* de Roma dicentis hæc sunt verba: *Non sine causa dii hominesque huic urbi condendæ locum elegerunt: saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur, quo maritimi commeatus accipiantur: mare vicinum ad commoditates, nec expositum nimia propinquitate ac pericula classium externarum: regionum Italiæ medium, ad incrementum urbis natum unice locum.* Ita dixit Camillus, seu potius ex ejus persona *Livius*; ex præcepto nempe *Platonis* lib. v *De legibus*, qui ita voluit, ut interpres ejus habet: *Urbs primum in medio regionis maxime condatur, delecto in loco, qui ceteras quoque opportunitates complectatur, quas & intelligere & designare minime difficile est.* Verum cæteras illas opportunitates, quas hic philosophus aliis reliquit considerandas, imperitæ multitudini Romanæ exposuit Camillus, qui illam duntaxat [1] silentio præteriit, quæ potior erat, id est, urbem collocatam esse in medio regionis suæ. Atque hæc commoditas *Polybio* teste, quem jam audivimus, apprime ad Capuam pertinuit, quemadmodum etiam vidimus eam flumen quoque Volturnum habuisse vicinum. Et a mari quidem rectissima ad hujus fluminis ostium via aliquantum ultra duodecim millia passuum illa abfuit. Ceterum de cœli salubritate ejus testem habemus *Ciceronem Orat.* II *in Rullum*, ubi ita dixit: *Campani semper superbi bonitate agrorum, fructuum magnitudine, urbis salubritate, descriptione, pulchritudine*: Item *Vulcatium* in *Vita Avidii*, ubi retulit verba quædam ex epistola Faustinæ ad M. Aurelium in hunc modum: *Sed si te Formiis invenire non potero, assequar Capuam, quæ civitas meam & filiorum nostrorum ægritudinem poterit adjuvare.* Sed forte possit Faustina loquuta esse de aquis quibusdam salubribus, quæ surgebant ad radices Tifatorum, juxta templum Dianæ, duobus a Capua passuum millibus, quarum usus hodie prorsus est ignotus, sed dixit de iis noster *Vellejus* lib. II. Et hanc ipsam ob causam, ut puriorem hunc & salubriorem haurirent aërem, primi Campani tantum recesserunt a Volturno flumine, quantum sufficere ipsis videbatur, ut nihilominus & beneficio navigationis & cœlo benigniori frui possent. At in Roma condenda hoc non fuit observatum: & fortasse verius est, quod de ea scripsit *Strabo* lib. v, ubi de Romulo & Remo loquitur, qui eam condiderunt, ut interpres ejus habet, *in locis, non quidem arbitrio delectis & idoneis; sed necessitate oblatis.* Atque adeo, ut dixit *Frontinus* lib. II *De aquæductibus*, *apud veteres Urbis infamis fuit aër*; & item apud *Livium* lib. IV ab iisdem Romanis ager Vejentanus *uberior ampliorque Romano agro* fuit judicatus. Et de hac prærogativa suæ urbis multum fortasse gloriantes Campani, & Romanum præ suo agro contemnentes, qui re vera fertilitatis laude superavit omnes alios, hunc titulum acquisiverunt, quem ex *Ciceronis* verbis intelleximus, paulo ante adductis, ut dicerentur superbi atque arrogantes. Sane enim hodieque apparet, nullum in Campaniæ mediterraneis, ubi a montibus descendas, fuisse locum, in quem natura ita conjunxerit omnes istas opportunitates, quas *Livius* de Romæ situ prædicavit, quemadmodum illas deprehendere licet in isto Capuæ situ, quem descripsimus; unde magis adhuc liquet, eum multa cum prudentia delectum fuisse ab ejus condito-

Ammianus Marcellinus notatus.

Aristoteles & Dionysius Halicarnassensis a Platone discordes.

Magna quidem cum spe, eam amplo diuturnoque gavisuram imperio.

Cicero & Vulcatius collati.

Strabo, Frontinus, & Livius collati.

Cicero illustratus.

S 2

1. Prorsus non possum divinare, quid heic sibi velit auctor. Certe enim dixit Camillus Romæ urbi condendæ electum fuisse *regionum Italiæ medium, ad incrementum urbis natum unice locum.* Et quis adeo rerum Romanarum imperitus, qui nesciat urbem eam conditam a colluvione hominum agrestium, qui forte temere coierant, eamque principio quasi undique imminentem hostico, extra pomœrium suum vix quicquam tenuisse soli proprii?

ditoribus. Sed forte heic quis desideraverit unicum illud, ut in medio illa esset Italiæ; ubi re vera non fuit, si fides habenda *Plinio Secundo*, qui lib. III cap. XII istic esse Reate dixit. Sed neque medium istud tenuit exacte Roma proprie loquendo: & re ipsa, si *Virgilius Æneidos* lib. VII vallem Amsancti, quæ hodie *Mofeti*, scripsit in Italiæ esse medio, id est, *inter superum inferumque mare*, ex sententia *Cluverii* lib. IV cap. VII *De Italia antiqua*; certe non quidem per proprium loquendi modum, sed quia Campani frui poterant commerciorum beneficio ab omnibus undique partibus, situs Capuæ, paulo minus, quam Romæ, fuit in vero isto & proprie dicto Italiæ medio. Taceo non defuisse quosdam, qui umbilicum Italiæ proprie collocaverunt in ista valle, quam diximus, si verum est, quod nobis exposuit *Servius*, licet eo nomine reprehensus sit a *Francisco Florido* & *Aldo Manutio* juniore, ad citatum *Virgilii* locum hisce verbis: *Hunc locum umbilicum Italiæ cosmographi dicunt: est, autem in latere Campaniæ & Apuliæ, ubi Hirpini sunt.* Et extendit ille Campaniæ nomen ad Apuliam usque, secundum istam ejus descriptionem, quam prima *Dissertatione* exposuimus. Verum ut ad Capuæ situm redeamus, negari non potest, licet in ejus electione prudentia humana abunde providerit, quicquid conferre aliquid poterat ad amplum atque diuturnum imperium huic urbi conciliandum, nihilominus non ita placitum fuisse providentiæ divinæ. Hæc enim, ut verbis antea allatis recte dixit *Livius*, nimirum illud colligens ex ipso eventu, dignitatem istam non quidem Capuæ, quamvis veteres eam satis idoneam orbis terrarum imperio judicaverint, teste *Cicerone in Rullum Oratione* II; sed Romæ destinaverat, utcunque etiam situs ejus ex sententia *Strabonis*, quæ prorsus contraria *Livianæ*, *nullam certe spem* (verba sunt interpretis) *futuræ felicitatis faciebat: sed postquam virtute ac labore eam regionem suæ potestatis Romani fecerunt, concursus quidem bonorum Romæ apparuit, omnem exsuperans naturæ felicitatem.* Ita iste geographus: qui si illud perpendisset, quantum veteres in eo existimaverint esse situm, ut urbes fluminibus essent vicinæ, forte conditores Romæ non adeo credidisset incogitantes. Sane *Virgilius Georgicorum* lib. II magnifice laudat Italiam, tum aliis nominibus, tum propter frequentiam ejus urbium, quarum potiores ad flumina erant conditæ:

Plinius Secundus & Virgilius inter se discordes.

Servius illustratus.

Strabo ab Livio discors.

Strabo notatus.

> *Adde tot egregias urbes, operumque laborem,*
> *Tot congesta manu præruptis oppida saxis,*
> *Fluminaque antiquos subterlabentia muros.*

Et quantum attinet ad fluminum vicinitatem, *id laudat*, dixit ad versus hosce *Servius*, *etiam Cicero in libris de republica*, sequutus forte *Platonis* sui præceptum lib. IV *De legibus*, quemadmodum locum istum intellexit *Eusebius Cæsareensis* lib. XII cap. XLVIII *De præp. evang.* Hoc amplius illustris fuit hicce Capuæ situs propter urbium nobilitatem, quæ eum ab omni undique parte cingebant: atque adeo hanc ob causam *Cicero* diserte eum anteposuit Romæ situi, dum loco isto, quem non multo ante diximus, de novis Romanorum colonis, quos Rullus Capuam deducere parabat, ita dixit: *Opidorum finitimorum illam copiam cum hac per risum ac per jocum contemnent: Labicos, Fidenas, Collatiam, ipsum hercle Lanuvium, Ariciam, Tusculum, cum Calibus, Teano, Neapoli, Puteolis, Cumis, Pompejis, Nuceria comparabunt.* Veruntamen hujus Oratoris ævo istorum Campaniæ oppidorum nonnihil jam exoleverat priscus splendor atque felicitas, si verum nobis dixit *Strabo* itidem lib. V, ubi illa, excepto duntaxat Teano, respectu Capuæ exigua appellavit oppida: *At vero* (ita habet interpres ejus) *in mediterraneis est Capua, re vera id, quod nomine ejus significatur: reliqua enim si ei compares, opida sunt, excepto Teano Sidicino, quæ urbs est magni nominis.* Atque adeo tunc temporis satis bene in Capuam quoque convenire potuit istud dictum *Virgilii*, de Roma loquentis *Ecloga* I:

Imo veteres situm Capuæ laudaverunt præ Romæ situ, duplici de causa.

> ——— *Tantum alias inter caput extulit urbes,*
> *Quantum lenta solent inter viburna cupressi.*

Verum *Polybii* ævo, qui multo prior vixit eodem isto geographo atque oratore, hæce Campaniæ urbes pro nobilissimis Italiæ habebantur, ut affirmat ille lib. III, verbis istis, quæ erroribus expurgata, in textu Græco & *Perotti* versione Latina deprehensis, quod & idem factum est de aliis supra adductis, ita habent: *Urbes præterea celeberrimas pulcherrimasque Italiæ continet: oram enim maritimam Campaniæ Sinuessani, Cumani, Puteolani colunt; item Neapolitani, & ad extremum gens Nucerina. In mediterraneis ad Septentrionem sunt Caleni, & qui Teanum habent. Ad Orientem & Meridiem Caudini & Nolani. In mediis campis sita est Capua.* Et in hoc catalogo *Polybius*, perinde ut *Cicero*, connumerans urbes illustriores, quæ Capuam in ambitu cingebant, omisit reliquas, quæ minoris erant nominis, veluti Suessulam, Galatiam, Casilinum, & similes: verum *Strabo* nihil videtur inter has atque illas agnovisse discriminis. Ceterum heic quidem non videor mihi reprehensionem effugiturus, quod nimium sim studiosus, nimiumque tribuam meo in patriam affectui, qui ausus fuerim situm ejus comparare cum Romæ situ, & hoc amplius illi majorem, quam huic, tribuerim laudem. Veruntamen siquidem non mihi, qui hac in re aliorum sententiam sequutus sum, sed auctoritati sæpius allegati *Ciceronis* fides est habenda, qui illam comparationem instituit, & nostri situs declaravit prærogativam, non arbitror me istoc nomine esse accusandum. Sane enim in eadem *Oratione Cicero* adhuc disertius, licet forte ideo, ut pondus adderet causæ suæ, quam cummaxime tractabat, denuo exposuit istam Capuæ situs excellentiam hisce verbis aliis, quibus itidem loquitur de istis, quos diximus, Romanorum colonis: *Romam in montibus positam & convallibus, cœnaculis sublatam atque suspensam, non optimis viis, angustissimis semitis, præ sua Capua planissimo in loco explicata, ac præ illis semitis irridebunt atque contemnent.* Jamque de prisco Capuæ situ diximus, quantum satis est.

Cicero & Polybius collati, & ab Strabone discordes.

XXX. *Casilinum urbs, ubi hodie Capua nova est. Territorium ejus videtur porrigi creditum usque ad mare. Ejusdem urbis imminutio. Frustra laboratum fuit de illa instauranda. Pons ejus in Volturno flumine, quod dictum quondam* Casilini *nomine.*

ITaque, ut persequamur cœptum iter per viam Appiam, non videtur mihi opus esse, ut repetam, quod jam supra intelleximus ex *Strabone*: nimirum in via a Capua ad Romam attingi Casilinum, quam distantiam *Auctor Itinerarii Peutingeriani* scripsit esse trium millium passuum: & totidem millia *Asconius* quoque *Pædianus* dixit a Capua ad flumen esse Volturnum. Atque adeo cum Casilinum principio fuerit ab utraque Volturni ripa, uterque horum scriptorum de eodem loquutus est loci intervallo. De hoc situ Casilini volens nos admonere *Livius*, lib. XXII hæc verba

CASILINUM tria tantum passuum millia, eaque non integra, abfuit a Capua veteri, sita ad ripam Volturni.

Livius illustratus pluribus locis.

ba edidit: *Fulvius Casilinum occupat modicis præsidiis, quæ urbs Volturno flumine dirempta, Falernum a Campano agro dividit.* Et lib. XXIII, postquam dixerat: *Casilinum quingenti Prænestini habebant*, mox de iisdem ita subjunxit: *Interfectis nocte opidanis, partem urbis, quæ citra* (sive *cis*) *Volturnum est*, (id est, in ripa Romam versus) *eo enim dividitur amni, occupavere.* Atque hoc cum accidisset eodem anno, quo Romani victi fuerunt ab Annibale ad Cannas, qui fuit ab Urbe condita annus DXXXVII, obsessa deinde hæc urbs ab eodem Annibale, non potuit liberari a Marcello, qui Volturno flumine detinebatur, quoniam ille tunc temporis erat Nolæ. *Marcellum*, dixit idem *Livius*, *& ipsum cupientem ferre auxilium obsessis, Volturnus amnis, inflatus aquis, & preces Nolanorum atque Acerranorum tenebant, Campanos timentium, si præsidium Romanum abscessisset.* Sed hoc amplius ex eo quoque tempore tantum [1] illa Romam versus pars ejus duravit, hac altera parte nunquam deinde instaurata. Etenim post annos CCL *Strabo* nobis hanc urbem ab ista tantum parte descripsit hisce verbis lib. V, prout illa Latine reddita sunt ab ejus interprete: *Romam versus situm est Casilinum supra Volturnum amnem.* Jam vero quod legitur in vulgatis ejusdem scriptoris codicibus eodem lib. V: Via Latina *in Appiam incidit ad Casinum, urbem distantem a Capua* XIX *stadiis*, multum exercuit *Michaëlis Monaci* nostri ingenium: qui denique vocem *Casinum* mutandam esse in *Calenum*, quæ antiqua nostræ regionis fuit urbs, ab ipso credita hodie esse *Carinola*, judicavit; & item numerum istum XIX stadiorum ad ampliorem esse summam producendum: atque adeo harum viarum cursum immutavit, & corrumpens etiam, quod in isto lo-

Et principio quidem ab utraque Volturni ripa habitata fuit: deinde vero tantum ab illa, quæ Romam versus est.

Strabo emendatus & illustratus. Michaël Monacus refutatus.

1. Valde dubito, an hic satis caute procedat noster, dum a belli Punici II tempore Casilinum tantum ab altera Volturni ripa fuisse habitatam dicit, quod & repetit non longe a fine hujus *cap.* Et alterius quidem partis desolationem non obscure videtur ille in sequentibus referre ad milites Prænestinos, qui præsidium in ea urbe egerunt ejusdem belli tempore, a quibus ille ruptum quoque fuisse eodem tempore pontem Casilini in Volturno flumine supra existimavit, de eodem Volturno agens. Verum Livius, Strabo, aliique, qui Casilini & Prænestinorum illorum sæpius fecerunt mentionem, ne verbum quidem dixerunt aut de ponte isto, quem supra quoque notavimus nullo satis justo indicio posse adstrui, aut de diruta vel desolata Casilini parte altera. Jam vero an hoc credimus de Livio, qui ceteroqui satis diserte & accurate nobis exposuit de Casilini obsidione & Prænestinis illis, eum res tanti momenti, quas argumentum istud omnino memorari postulabat, prorsus fuisse silentio prætermissurum? Itaque frustra heic laborat Peregrinus. Quin imo Livius plane in diversa videtur potius ire, atque illud indicare, Casilinum sua adhuc ætate ab utraque Volturni ripa fuisse, atque adeo etiam Strabonis adhuc temporibus, qui fuit ejus æqualis. Ita enim de hac urbe, Livius: *Quæ urbs Volturno flumine dirempta Falernum a Campano agro dividit.* Et ita de Prænestinis: *Partem urbis,* (Casilini) *quæ citra Volturnum est, eo enim dividitur amni, occupavere.* Utique hæc manifestissime demonstrant, urbem eam non præteritis tantum, sed suis etiamnum temporibus Volturno flumine fuisse divisam. Atque hoc valde miror ab auctore aut non fuisse animadversum, aut silentio præteritum, qui tamen ex Strabonis verbis longe obscurius & infirmius indicium pro sua opinione potuit elicere. Sed hoc quidem non tanti est, ut multum negotii facessere debeat. Dixerat Strabo, sitas esse in via Appia tum ipsam Capuam, tum alias urbes, ad Brundisium ducentes a Capua, Calatiam, (hanc urbem heic restituit loco suo Xylander, ut sequentem Casaubonus) Caudium, & Beneventum. Hisce in continenti ita subjunxit: Ἐπὶ δὲ Ῥώμης Κασίλινον, ἵδρυται ἐπὶ τῷ Οὐυλτόρνῳ ποταμῷ. *Versus Romam autem situm est Casilinum supra Vulturnum amnem.* Satis apparet, eum hoc solummodo voluisse dicere, Calatiam, Caudium, & Beneventum sitas esse in ista parte viæ Appiæ, quæ a Capua Beneventum ferebat; in adversa autem Appiæ parte illa, quæ ab eadem Capua Romam ferebat, situm esse Casilinum supra Volturnum flumen: ut adeo ex ipsius verbis prorsus nec colligi, nec refutari queat, eam urbem aut ab utraque, aut ab una tantum, aut ab citeriore, aut ab ulteriore Volturni ripa fuisse habitatam.

co sinceri erat, nihil omnino vitii sustulit. Verum si Appia via, ut affirmavit idem geographus lib. VI, Romam ducebat per Casilinum, (idem *Monacus* hic quoque legere fortasse voluerit *Calenum*) & via Latina, ut itidem dixerat *Strabo* præcedenti lib. V, a Roma ad Casilinum ferebat, tum per alias urbes, quæ Romam versus erant, tum per illas, quæ citeriores erant & propiores Casilino, id est, per Casinum, Teanum, Calenum, quæ lectio in dubium vocari non poterit; satis jam certum erit, itidem ad Casilinum, non vero aut ad Casinum, aut ad Calenum, hanc viam incidisse in Appiam. Quod ad viam Appiam attinet, supra *Strabonis* verba attulimus: quæ ad Latinam spectant, hæc sunt: *In Latina via sunt nobilia opida & urbes.* Et ex his postquam illas retulerat, quas ante alias attingebant egressi Romam, ita subjunxit: *Aquinum, urbs magna, juxta quam Melpis fluvius magnus labitur. Interamna, urbs sita ad confluentes Liris & Casini fluminum. ipsa* (Casinum) *quoque memorabilis, & Latinarum ultima. Teanum enim Sidicinorum, quod proxime sequitur, ipso cognomento ostendit se ad Sidicinos pertinere, qui sunt Osci, gens Campanorum superstes, ita ut possit Campaniæ dici: ipsa quoque urbium in via Latina sitarum maxima. Eam subsequitur Calenum urbs, ipsa quoque egregia, & Casilino contigua.* Ita *Strabo* de urbibus, quæ sitæ erant in hac via, loquitur, atque hac ratione satis superque ostendit, eam *in Appiam incidisse ad Casilinum, urbem distantem a Capua* XIX *stadiis.* Jam hæc mensura licet aliquantum infra tria illa passuum millia consistat, quæ a Casilino ad Capuam esse scripserunt *Asconius Pædianus* & *Itinerarii Peutingeriani Auctor*, nihilominus iste XIX stadiorum numerus, quæ duo circiter passuum millia & quingentos conficiunt, apprime convenit cum spatio isto, quod inter veteris Capuæ situm & Volturnum, id est Casilinum, interjacet: ut adeo mensuram istam exactiore diligentia descripserit *Strabo*, quam isti alteri duo scriptores, qui eam numero rotundo expresserunt, ut supra observavimus. Fuit itaque Casilinum istam Capuæ portam versus, quam *Livius* lib. XXVI ad Volturnum flumen ferre dixit: *Sub ipsa porta Capuæ, quæ ad Volturnum fert, pugnabatur.* Veruntamen ille magis proprie debuerat dicere, eam ferre ad Casilinum, quæ Volturno adjacebat: nisi tamen pro illo hoc dici possit, isto tempore partem ejus urbis Capuam versus non amplius exstitisse, dirutam jam a militibus Prænestinis. Certe propter causam istius vicinitatis inter Capuam atque Casilinum, ut narrat idem *Livius* lib. XXIII, iidem Prænestini *ibi* (Casilini) *cum dies aliquot, suspecti Campanis timentesque, cavendis ac struendis invicem insidiis transduxissent, jamque de Capuæ defectione agi, accipique Annibalem satis pro certo haberent, interfectis nocte opidanis, partem urbis, quæ citra Volturnum est, occupavere.* Idem eodem libro dixit: *Annibal Acerris direptis atque incensis, cum a Casilino Dictatorem Romanum legionesque nuncii aspici nunciassent, ne quis tam propinquis hostium castris Capua quoque recurreret, exercitum ad Casilinum ducit.* Et lib. XXV: *Capua a consulibus interim* (*Gronovius* ex libris calamo exaratis legit *iterum*) *summa vi obsideri cœpta est; quæque in eam rem opus erant, comportabantur parabanturque. Casilinum frumentum convectum.* Et mox ita subjunxit de Appio Claudio consule: *Ipse ad Capuam regressus Q. Fulvium collegam invenit Casilino omnia importantem* (idem *Gronovius: inde portantem*) *molientemque ad oppugnandam Capuam.* Etiam *Valerius Maximus* lib. VII cap. VI Casilinum descripsit, tanquam subjectum oculis Campanorum, hisce ver-

Strabo, Asconius, & Itinerarium Peutingerianum conciliati.

Livius ambigue notatus.

Livius denuo pluribus locis illustratus.

Valerius Maximus illustratus.

verbis: *Campanæ urbis, quæ Punicam feritatem deliciis suis cupide fovit, in propinquo situm Casilinum, modo rara virtute clarum, perseverantis amicitiæ pignore impios oculos verberavit.* Atque adeo *Cicero Philippica* II, in M. Antonium invehens, qui Casilinum coloniam deduxerat, ita dixit: *Casilinum coloniam deduxisti, quo erat paucis annis ante deducta, ut vexillum videres, & aratrum circumduceres: cujus quidem vomere portam Capuæ pene perstrinxisti, ut florentis coloniæ territorium minueretur.* Huc usque *Cicero*, eandem nobis demonstrans Capuæ portam, quam *Livius* ad Volturnum ferre nobis indicavit. Jam itaque cum hic olim fuerit Casilini situs, quem adeo vicinum Capuæ fuisse ostendimus, certe illa urbs non alibi sita fuit, quam illo ipso in loco, ubi hodie cis Volturnum CAPUA nova est, quæ a veteri Capuæ situ abest duo milliaria communia cum passibus aliquot. Atque hinc jam intelligi potest esse verum, quod dixit *Strabo* de XIX stadiorum mensura; neque propterea minus esse veram alteram illam trium millium passuum non integrorum mensuram, quam sæpius indicavimus. Etiam hinc apparet, satis gravem errorem admisisse *Flavium Blondum*, atque illos, qui eum sequuti sunt, dum Casilinum prope mare atque ostium ejusdem fluminis fuisse autumaverunt: persuasi nimirum unico isto argumento, quod *Plutarchus in Fabio Maximo* Casilinum dixit (afferam verba ejus, prout illa correximus, ubi de eodem Volturno fuit actum) *Campaniæ opidum, ad extremam oram situm Campaniæ, quod intermeat Liternus amnis, quem Romani Volturnum vocant.* Insuper majorem adhuc errandi causam habuerunt inde, quod in quibusdam *Plutarchi* codicibus nomen Volturni corrupte legebatur: *Vaturanum*; in aliis itidem vitiose: *Natoronum.* Hinc arbitrati sunt, certe Casilinum fuisse juxta pagum nostrum, cui nomen *Arnone*, & in sinistra Volturni ripa, isto in loco, qui *Castelluccio* dicitur, & tria fere passuum millia ab ejusdem fluminis abest ostio. Sed *Plutarchum*, qui Liternum flumen cum Volturno confudit, non distinxisse quoque Casilinum, quæ hoc flumine alluebatur, oportet ab oppido, cui itidem Liternum nomen, quodque ad alterum istum fluvium cognominem, & in littore situm erat. Etiam *Strabo* dedisse *Blondo* istius opinionis occasionem videri possit, dum ille lib. V de Volturno flumine, radices collis alluente, cui Venafrum incumbit, ita dixit: Denique ille *juxta Casilinum delapsus, ad urbem sui cognominem in mare exit.* Nam in textu ejus, quem supra adduximus, corrupto in voce *Casinum* pro *Casilinum*, nihil quicquam comparebat istius XIX solummodo stadiorum distantiæ a Capua ad Casilinum: & videri ille poterat Volturni exitum in mare descripsisse non longe ab Casilino, cum ille dicere hoc tantummodo voluerit, inter Casilinum atque Volturnum opidum non alias interjectas esse urbes. *Blondus* itaque deceptus est vitio corrupti textus *Straboniani*, & magis adhuc errore *Plutarchi*, quem sane mirari lubit. Sed multo magis foret admirandum, de Casilini territorio nihilo diligentius quosdam veterum auctorum Latinorum fuisse loquutos, quorum proinde verba non abs re erit diligentius inspicere.

Cicero illustratus, & collatus cum Livio.

Atque adeo illa fuit istic loci, ubi cis eundem amnem hodie CAPUA nova est.

Blondus refutatus.

Plutarchus refutatus. Strabo illustratus.

De Annibale, qui cum exercitu suo inclusus erat ab Fabio Maximo in agrum Falernum, ultra Volturnum, & prope Casilinum, loquutus est *Livius* lib. XXII ad hunc modum: *Inclusus inde videri & ad Casilinum obsessus, cum Capua, & Samnium, & tantum ab tergo divitum sociorum Romanis commeatus subveheret; Pœnus contra intra Formiana saxa, & Literni arenas, stagnaque per-* *horrida situ hybernaturus esset.* Ex his verbis [1] colligi possit, territorium Casilini ad mare usque pertinuisse, cujus in littore Occidentem & Septentrionem versus saxa erant, sive montes Formiani; Orientem autem & Meridiem versus arenæ & paludes Liternina: ut adeo dux ille videretur ad Casilinum obsessus, id est, in territorio ejus urbis. Atque hoc sensu potius idem ille *Blondus* accipere debuisset hanc descriptionem ab *Livio* proditam, quam isto altero, ut ipsum Casilinum prope mare fuerit, addito insuper novo errore: quasi scilicet illæ paludes fuerint ab eadem Volturni ripa, id est, ab ulteriore, in qua Annibal necesse habuisset per istam hyemem stativa agere. Verum quid jam dicemus de *Cicerone*, si ille in serie agrorum quorundam, qui littoribus nostris prætendebantur alii post alios, recensuit etiam Casilinensem agrum? Certe ille videbitur de eo loquutus fuisse secundum descriptionem *Livianam*, non autem alio quopiam modo. Hoc autem qua ratione videri possit esse verum, ipse demonstrabit, dummodo attente observentur hæc ejus verba, quæ sunt ex *Oratione* II *in Rullum*: *Hac pecunia jubet agros emi, quo deducamini.* Et mox: *Libet agros emi. Primum quæro, quos agros? & quibus in locis? Nolo suspensam & incertam plebem Romanam obscura spe & cæca exspectatione pendere. Albanus ager est, Setinus, Privernas, Fundanus, Vestinus, (lege Vescinus) Falernus, Liternus, Cumanus, Casinas. Ab alia parte Capenas, Faliscus, Sabinus ager, Reatinus, (heic nonnulla desunt, ut demonstrabo, de Trebula ubi agetur) Venafranus, Alifanus, Trebulanus. Habes tantam pecuniam, qua hosce omnes agros, & cæteros horum similes, non modo emere, verum etiam coacervare possis?* Apparet, *Ciceronem* heic fecisse catalogum multorum agrorum, tam illorum, qui ab aliis Romæ partibus erant, quam etiam illorum, qui viam Appiam attingebant, & Campaniam versus patebant, ut recte monuit *Turnebus.* Campaniam versus continua series, & eodem ordine, quo *Cicero* illos recensuit, explicabantur Albanus, Setinus, Privernas, Fundanus, Vescinus, Falernus, Liternus, & Cumanus. Verum Casinas, qui relictus erat in via Latina multum retrorsum, quidnam ille hoc loco aget, cum debuerit recenseri simul cum Venafrano, Alifano, & Trebulano, qui oppidorum cognominum fuerunt agri, ad eandem viam Latinam siti? Equidem non attendit ad hanc difficultatem aut idem *Turnebus*, aut *Paulus Manutius*, qui ceteroqui ad hæc *Ciceronis* verba commentati sunt. Sed nullus dubito, quin ista vox *Casinas* corrupta sit ex sincera *Casilinas*, (hunc enim agrum ipse ordo atque series ista agrorum requirebat) contra quam apud *Livium* lib. XXII dux itineris legitur Annibalem perduxisse ad *Casilinum*, cum ad *Casinum* debuisset præire viam: sed consimili prorsus errore, quo itidem descriptores in *Strabonis* codicibus *Casinum* scripserunt pro *Casilinum.* Jam itaque cum satis appareat nostræ correctionis veritas, patet *Ciceronem* conjunxisse agrum Casilinensem cum Falerno, Literno, & Cumano: quare etiam ab ista parte illum ad mare usque pertinuisse

Licet Casilini territorium quidam veterum videantur ad mare usque extendisse,

Blondus refutatus.

Cicero illustratus. Turnebus laudatus.

Cicero emendatus.

1. Quam heic difficultatem movet auctor ex quorundam veterum dictis de territorio Casilini urbis, illa equidem non tanti erat, ut de ea multum laborare opus esset. Certe ex hisce Livii verbis non video quomodo colligi possit, aut istud territorium ad mare usque pertinuisse, aut in eodem fuisse montes Formianos & Literni paludes, quantumvis etiam aliquis fortasse credat, Livium potuisse *Casilinum* dixisse pro territorio ejus urbis, quod tamen nescio an cuiquam facile in mentem venerit. Sed ista quidem emendatio auctoris satis placet, ubi mox apud Ciceronem *Casilinas* legendum censet pro *Casinas.*

Tamen principio illa nullum omnino habuit territorium.

tinuisse oportet. Veruntamen *Livius*, ut istum prius absolvamus, videtur mihi ita loquutus fuisse hanc ob caussam, ut novis denuo rationibus post illas, quas antea jam indicaverat, exponeret, quænam Annibali mala imminebant, concluso in regionem, quæ *præsentis erat copiæ, non perpetuæ: arbusta, vineæque, & consita omnia magis amœnis, quam necessariis fructibus.* Atque hic erat ager Falernus, quem ex eodem auctore intelleximus Pœnum ducem fuisse ingressum, qui porro hyberna acturus erat ad ripam Volturni, non longe a Casilino. Quod si recte observetur, quænam fuerit isto tempore conditio hujus urbis, principio forsitan nullum omnino illi fuisse peculiare territorium dixerimus. Fuit enim in ditione Campanorum, quibus eam reddidit Annibal, cum post longam obsidionem militibus Prænestinis ademisset, qui eam occupaverant militantes pro Romanis: *Casilinum opidum*, dixit idem *Livius* lib. XXIII, *redditum Campanis est:* imo etiam fuisse illam quasi Campanorum quoddam telonium, sive emporium notavimus, ubi de Puteolis agebamus. Ceterum *Valerius Maximus* etiam, ubi lib. VII cap. VI de Casilinensibus loquitur, arcta obsidione pressis ab Annibale, & insolito atque alienissimo cibi genere uti coactis, dixit: *Ne a Romanis desciscerent, tali cibi genere uti sustinuerunt, cum pinguissima arva sua, fertilissimosque campos, mœnibus suis subjectos, intuerentur.* Verum ille pro suo atque declamatorum more, qui exaggerare solent aut extenuare res qualescunque, moti quibuslibet causis obviis, non aliud curavit, quam eorum extollere constantiam: cum insuper intellexisset, eos deinde suum habuisse agrum. Sed hic quidem debuit certe ejus fuisse amplitudinis, quæ conveniebat urbi satis angustis inclusæ mœnibus, ut eam descripsit *Livius* eodem lib. XXIII: præterquam quod justum nos relinquere locum oportet ab ista parte, non tantum agro Caleno, quia *Strabo* urbem Calenum, sive Cales, Casilino contiguam dixit; sed etiam agro Stellati & Falerno, qui ab ista parte fuerunt agri admodum ampli, de quibus agetur in sequentibus. Jam autem *Cicero*, quem apte a me emendatum arbitror, prorsus nullo modo Casilini territorium usque ad mare produxit: imo vero ex verbis ejus novum petere licet argumentum, unde magis adhuc appareat, Casilinum urbem fuisse mediterraneam, quandoquidem ille agrum ejus recensuit demum post illos, qui illam oram littoralem tenus explicabantur, cum ceteroqui medius inter illos fuisset ponendus: *Castlinatem* vero eundem dixit ab situ. Etenim ab Urbe condita anno DCXC, quando jam effluxerant anni CXLVIII post calamitatem Capuæ, quo *Cicero* consul Rullo tribuno plebis sese opposuit, nondum Coloniam arbitror deductam fuisse Casilinum, ut deinde quidem deducta est ab Cæsare, quod certe non ante primum ejus consulatum, & annum ab Urbe condita DCXCIV contigit. Atque tum conveniebat novis ejus colonis assignari peculiare territorium, quod tamen vel sic non admodum fuit amplum: unde Antonius, ut idem Orator nobis exposuit, cum eodem deduceret iterum non multo post tempore coloniam, Capuam territorii parte spoliavit usque prope ejus urbis portam, quæ ad Casilinum ferebat. De ista Cæsaris deductione dixit *Appianus Alexandrinus* lib. III *De bello civili*, quem adduximus, ubi de Galatia fuit actum. De eadem, ni fallor, in eundem perorans Antonium, loquutus etiam est *Cicero*: qua de re copiosius, additis forte observationibus huc usque inauditis, acturus ero alibi. Sed videamus jam, quænam deinceps fuerit Casilini fortuna.

Livius pluribus locis illustratus.

Valerius Maximus illustratus.

Cicero illustratus.

Deficiente Capua, defecit quoque Casilinum,

A Igitur decrescens hoc oppidum inde usque a tempore belli Punici secundi, qualitercunque tamen durabat. Ab eodem tempore Capua quoque pristino dejecta fastigio, Puteoli ad instar splendidi emporii frequentabantur. Atque adeo primum Cæsar, mox Antonius, ex usu Romanæ reipublicæ, capta opportunitate, licet alios suum celantes consilium, Casilinum novis iterum colonis impleverunt. Neque vero illa videri poterat unquam deinceps intermoritura, tum propter ejus agrorum fertilitatem, quam ex *Valerio Maximo* intelleximus, tum propter opportunitatem Volturni fluminis. B Veruntamen, etsi jam Capua circa idem tempus denuo multum splendoris atque frequentiæ recuperaverat, alio inclinans ordo rerum non sivit ex ista vicinitate unquam postea Casilino aliquid accedere utilitatis. Quin imo hac ipsa de causa paulatim illa deficiens proximis annis centum, ac ne quidem integris, denique prorsus intercidit, relicta ab incolis suis, quibus multo gratius fuisse debuit Capuæ degere, nec minus etiam commodum ad colenda rura sua. Omnia hæc significare voluisse nobis arbitror *Plinium Secundum*, dum lib. III cap. V inter urbes in prima regione Italiæ Casilini mentionem fecit non C aliis, quam hisce verbis: *Morientis Casilini reliquiæ.* Atque hinc illam, quæ jam semimortua erat, ut ejusdem auctoris utar metaphora, neutiquam duravisse adhuc multos post annos oportet. Equidem pro certo habeo, siquidem colonia illa, quæ *Urbanæ* nomen habuit, & ultra Volturnum fuit novem millium passuum intervallo, ut suo loco demonstrabitur, ejusdem *Plinii* temporibus adjecta est Capuæ, ut ipse testatur lib. XIV cap. VI; non secus, imo multo majori jure affirmare licere, Casilinum illi quoque fuisse adjectam. Et de his jam sufficiat.

Et prorsus intercidit, cum Capua rediisset ad meliorem fortunam.

Plinius Secundus illustratus.

D Sed ad hunc modum exstincta Casilino, non tamen una interiit nomen ejus, quod per multa adhuc secula duravit: pons autem, qui ad Casilinum erat in Volturno, defecit nunquam. Appiæ viæ enim, de qua jamjam dicemus, frequentissimus inter omnes alias vias usus non sivit intermitti pontis ejus refectionem, quandocunque opus esset. Atque adeo cum anno a Servatoris ortu DCCCLVI ille adhuc incolumis exstaret, Lando Capuæ Comes post longam dissensionem denique probato fratrum suorum consilio, juxta illum condidit ad citeriorem ripam Volturni CAPUAM novam, qua de re non repetere opus est verba auE ctorum, quæ attulimus, ubi de eodem flumine fuit actum: & ab isto tempore cura ejus pontis conservandi nunquam fuit intermissa. Ceterum nomen *Casilini*, quod adhuc diu mansisse in usu dixi, legitur apud *Agathiam* lib. II, qui illo nomine Volturnum flumen designavit. Temporibus enim occidentis imperii Romani, cum veteres quilibet ritus obsolescerent, novique subnascerentur, illud quoque invaluit, ut quædam flumina præter sua nomina propria & primitiva insignirentur insuper urbium nominibus, quas præterlabebantur. Ita etiam *Vibius Sequester* VolF turnum dixit *Casilini* nomine, qui auctor nullam videtur habuisse notitiam de isto altero ejus nomine primitivo. Atque huc nequeo vertere cogitationem, quin simul animadvertam, eum ex uno eodemque duo fecisse flumina diversa, quandoquidem in eodem isto fluminum catalogo separatim Volturni peculiarem fecit mentionem. Etiam *Constantinus Porphyrogenitus Thematum imperii Orientalis* lib. II *Casilinum*, sive, ut ipsius codex habet, *Casudinum* vocavit eundem amnem, sed usus ista *Agathiæ* narratione: ut adeo ejus Imperatoris verba non abducere nos debeant ab ista sen-

Exstincto Casilino, mansit tamen pons ejus in Volturno,

Juxta quem condita est CAPUÆ nova:

Atque ille ipse amnis dictus quondam fuit Casilini nomine.

Vibius Sequester notatus.

sententia, ipsius tempore pristinum Volturni nomen denuo in usu fuisse, ut ex *Capitulari* Sichardi, principis Beneventani intelligi potest, quod supra citavimus. Ceterum deinceps adhuc diutius exstinctæ urbis locus idem nomen servavit: qua de re si videntur ambigua aut non sufficientia verba *Anonymi Monachi Casinensis*, *Herchemperti*, *Joannis* itidem *Casinensis Abbatis*, & *Leonis Ostiensis*, quæ aliud argumentum tractantes attulimus supra, apertioribus verbis de ea nos satis certos reddit idem *Ostiensis* lib. II cap. LXXXV, ubi narrat, tempore Richerii Casinensis Abbatis, qui ab epochæ Christianæ anno MXXXVIII usque ad annum MLV Abbatis munus sustinuit, duos fratres, nobiles Campanos, & eorum cognatum quendam una cum reliquo patrimonio suo donavisse isti monasterio *Ecclesiam S. Nicolai intra Capuam cum omnibus pertinentiis ejus*; *nec non & integras portiones suas*, *quas habebant in Ecclesia S. Salvatoris*, *& S. Rufi*, *similiter intra Capuam*; *viridarium etiam*, *quod est ad pontem Casulini*: ut taceam, in antiquis archivis nostris usque ad annum ejusdem epochæ MCC frequentem occurrere mentionem loci istius, qui ultra pontem est, a qua sola parte relictum est Casilinum post bellum Punicum secundum, adhuc dicti hoc eodem nomine. Atque hoc nescio quomodo non habuerit in memoria *Michaël Monacus* noster, qui alioqui in iisdem archivis satis se exercuit, & quoquo modo asserere volens emendationem suam codicis *Straboniani* in corrupta voce *Casinum*, de qua jam diximus, ita dixit: *Locus novæ Capuæ*, *etsi in Itinerariis quibusdam dicitur Casilinum*, (intelligit *Itinerarium Peutingerianum*) *nomen tamen accipere potuit*, *non ab opido Casilino*, *quod maritimum potius*, *quam mediterraneum erat*; *sed ab ipso flumine Volturno*, *quod illorum itinerantium seculo Casilinum noscitur appellatum*. Ita ille. Verum de mediterraneo Casilini situ potuisset ille satis esse persuasus ipso ejusdem *Itinerarii* adspectu, quod nunquam ipsi visum. Nam in illo non per aliam Volturni partem, quam per hanc, quæ a Capua vetere tribus passuum millibus abest, exhibetur cursus viæ, quæ olim ab Roma usque per multas directa erat urbes, & denique per Minturnas & Sinuessam, quæ eadem fuit Appia via. Quod ad cetera attinet, sane oportet esse verum, istic per Casilinum intelligi aut flumen ejus urbis, aut locum, tum jam desertum: quandoquidem illi non additum est alicujus ædificii signum, ut reliquæ habent urbes; & ipse auctor *Itinerarii* creditur vixisse Theodosio ejusque filiis imperantibus, sive, ut *Cluverio* placet, sub Imperatore Juliano, jam elapsis tribus seculis integris post ætatem *Plinii Secundi*. Atque hoc monere volui, ne quid prætermitterem, quod ad hoc argumentum pertinere videri possit. Sed neque illud tacendum est, nonnullos, quia ad nomen tantum Casilini attendunt, (nomen dico, quia hæc urbs per ultimos suos annos trecentos solummodo ab ulteriore Volturni ripa fuit habitata) ut ostendant se admodum versatos in rebus antiquis, solere novam Capuam itidem Casilini nomine appellare, nullam habentes rationem ejus, quod fortasse non noverunt: nimirum hanc urbem nostram conditam fuisse alio in loco, ab alio populo, septingentis post annis, quam Casilinum interierat; & conditorem ejus non aliam voluisse instaurare urbem, quam Capuam suam, ut diserte ipse declaravit in *Inscriptione*, quam superposuit portæ ejus, cui nomen *Aureæ*, per caussam excellentium ejus ornamentorum, sculptilis forsan operis, & ad æmulationem *Aureæ* portæ Beneventanæ. Atque illa incipiebat hoc modo:

Sed diutius hoc nomen mansit penes locum exstinctæ urbis, cum ab adversa parte fluminis jam Capua nova staret.

Michaël Monacus notatus & refutatus.

Itinerarium Peutingerianum illustratum.

Atque adeo hæc neque est re vera, neque dici potest Casilinum,

> *Quæ primum senio marcebat tempore longo,*
> *Cernitur en amplis consurgere mœnibus urbem.*
> *Illa Senatorum pollebat fulta catervis,*
> *Nomine sed CAPUA vocitatur & ista secunda.*

Reliqua legi possunt in *Historia Anonymi Monachi Casinensis* Num. XVI. Sane *civitatis* vocabulum non unius solummodo significationis est, ut ex philosophis *Aristoteles* docuit *Politicorum* lib. III cap. II, ex Grammaticis *Verrius Flaccus* apud *Aulum Gellium* lib. XVIII cap. VII: unde *Eusebius Cæsareensis* lib. XV cap. XV *De præp. Evang.* tantum illas significationes notans, quæ ad nostrum faciunt argumentum, ex opinione Stoicorum ita dixit, ut interpres ejus habet: *Civitatis notio quædam & ratio duplex est: altera quatenus domicilium aliquod*; *altera*, *quatenus multitudinem incolarum*, *& civium societatem conflatam significat*. Sed ego non video, utro horum modorum in Capuam novam convenire Casilini nomen queat, quo adhuc primis quingentis annis post ejus exstructionem appellatus fuit quispiam ejusdem urbis pagus eodem in loco ultra Volturnum flumen, quo de loquutus est *Alexander Telesinus*, quem aliquanto ante attulimus. Non video hoc, inquam; sive cum Themistocle apud *Justinum* lib. II, ut taceam Augustum apud *Dionem* lib. LVI, & Othonem apud *Tacitum* lib. I *Historiarum*, dicere velimus, *patriam municipes esse*, *non mœnia*; *civitatemque non in ædificiis*, *sed in civibus positam*; sive apud *Livium* lib. V cum Camillo loqui libeat, qui apta ad propositum suum oratione dissuadens Romanis consilium relinquendæ Romæ, quam Galli everterant, & migrandi Vejos, ita dixit: *Si veteres hostes vestri*, *Æqui Volscique*, *faciant*, *ut commigrent Romam*, *velitisne illos Romanos*, *vos Vejentes esse*? Sed fuit urbs nostra, & æquum est, ut ita sit æternum, quasi insita hujus cœli solique qualitate, fide & constantia erga reges suos altera Casilinum: hoc duntaxat discrimine, quod illa, quæ ad Romam spectabat, fidem suam erga Romanos conservaverit illibatam; hæc autem, quæ nostrum sita est regnum versus, fuerit, & semper esse debeat secura ejusdem quasi *clavis*. Hoc enim nomen vulgo illi fuit inditum temporibus regum nostrorum Aragonensium, ut testantur non solum *Inscriptiones* nostræ, quas eam in rem habemus, sed etiam *S. Antoninus* parte III *Chronici*, Tit. XXII cap. VII §. V: sive jam eam appellare placeat *custodiam* ejus, quo nomine dicta fuit ab Imperatore Friderico II in *Inscriptione*, quam supra attulimus. Atque adeo non sine ratione dici potest:

> *Intrent securi*, *qui quærunt vivere puri.*
> *Infidus excludi timeat*, *vel carcere trudi.*

Jam vero reddenda mihi ratio magnæ istius frequentiæ, quæ fuit Appiæ viæ, quæ sola caussa fuit, cur pons Casilini, ut diximus, nunquam interciderit.

Sive per Casilinum intelligamus populum, sive situm.

Sed fuit illa, atque semper erit, Casilinum constanti fide erga regem suum atque dominum.

XXXI. *Via Appia, nobilissima. Ultra Capuam Brundisium usque extensa ab incerto auctore. Maxime frequentata per itinera e Græcia & Oriente.*

Fuit directa primum hæc via a Roma Capuam usque ab Appio Claudio, a quo & nomen accepit, ingenti quidem pecuniæ summa eum in usum impensa: factum id autem, cum ipse Censor esset, qui fuit ab Urbe condita annus CCCCXLV. Scripsit hac de re *Diodorus Siculus* lib. XX, ut interpres ejus habet, ad hunc modum: *Appiam viam*, *a se sic nominatam*, *magna ex parte duris lapidibus a Roma ad Capuam constravit*, *quod inter-*

VIA APPIA, directa ab Appio Claudio a Roma ad Capuam,

val-

vallum est stadiorum plus mille: & loca eminentia solo complanando, & depressa cavaque magnis aggeribus exæquando, universum ærarium publicum exhausit. Ad eundem Appium auctorem retulit eam quoque *Frontinus* lib. I *De aquæductibus*, hisce verbis: *Appia aqua inducta est ab Appio Claudio censore, qui & viam Appiam a porta Capena usque ad urbem Capuam muniendam curavit.* Neque dissentit ab his *Procopius Gothicorum* lib. I, cujus verba Latine ita habent: *Appiæ viæ longitudinem quinque dierum spatio emetiri expeditus vir aliquis poterit.* (*Livius* lib. IX affirmat, iter a Caudio ad Romam non amplius tridui esse: & *Benjamin Tudelensis* in *Itinerario* suo affirmat illud biduo confecisse) *Ab urbe Roma hæc Capuam pertinet, sed ea latitudine patet, ut plaustra duo, ex adverso invicem occurrentia, libere hac queant pervadere.* Et pergit idem auctor exponere singularem illam curam, quæ in ea formanda fuit posita, ita ut multis etiam seculis post (si temporis ratio ineatur, jam fere anni octingenti effluxerant) adhuc integra esset, &, ut ipsius verbis utar, *præter cæteras omnes via quidem spectatu dignissima.* Propter hanc elegantiam *Statius* eam dixit *nobilem* lib. IV *Silvarum* carm. IV: & lib. V carm. I *immensam* propter longitudinem ejus: libro autem II carm. II alludens ad utramque hanc laudem *reginæ viarum* illi dedit titulum:

Livius & Benjamin Tudelensis a Procopio discordes.

Adspectu pulcherrima fuit, & regina viarum,

> —— —— —— —— *qua limite noto*
> *Appia longarum teritur regina viarum.*

Licet aliquantum cœnosa,

Unici tantum vitii nomine videtur illa mihi notata fuisse, id est, quod esset aliquantum cœnosa, nisi hallucinor in istis *Horatii* versibus lib. I epist. XI:

> *Sed neque, qui Capua Romam petit, imbre lutoque*
> *Adspersus, volet in caupona vivere.* —— ——

Horatius illustratus,

Atque hoc tribuendum est insitæ locorum qualitati, qua per Latium & Campaniam illa fuit directa. Nimirum penitus superari nequivit incommodum ex palustri illorum situ, licet neque sumptui eam in rem, neque labori parcitum fuisset, ut *Procopius* nobis exposuit. Hoc non observans *Janus Casperius*, istum *Statii* versum legere volebat ad hunc modum:

Janus Casperius refutatus.

> *Appia tersarum teritur regina viarum.*

etsi non minus probat istam quoque aliam lectionem. De multarum autem & commodarum tabernarum frequentia, quæ per hanc viam erant, in sequentibus acturi erimus loco opportuniore.

Non fuit, neque etiam potuit Appia via jam in principio directa fuisse Brundisium usque;

Jam vero de immensa ista longitudine ejus neque loquutus est *Procopius*, neque *Frontinus*, neque *Diodorus*, qui dixerunt, eam a Roma ad Capuam usque porrectam. Sed pertinuit illa multo ulterius, & ad Brundisium usque, quemadmodum illam descripsit *Horatius* ejusdem lib. I epist. XVIII *Strabo*, quem alibi attulimus, *Tacitus* lib. II *Annalium*, & *Auctor De viris illustribus.* Verum hic certe per errorem illam ita integram tribuit Appio, qui primus ejus fuit auctor: quare reprehensus est eo nomine ab *Lipsio* ad allegatum *Taciti* locum, ubi ita dixit: Non eam *hercle ultra Capuam* (Appius) *perduxit: nec potuit quidem, ut fines tunc erant imperii Romani.* Atque hoc abunde verum est: nosque illud tantum addimus, anno illo, qui Appii Censuram præcessit, fuisse quidem Nolam occupatam ab Romanis, qui jam tenebant etiam, quod reliquum erat Campaniæ; sed omnia tamen in hisce oris eorum negotia Capuam versus inclinavisse, quæ reliquarum erat caput urbium. Porro autem idem *Lipsius* gravem hac de re quæstionem movet, ad quemnam potissimum sit referenda altera ista pars Appiæ viæ: & ipse quidem autumat, eam fuisse consummatam aut ab C. Graccho, aut ab Cæsare, aut ab Augusto. Verum de Augusto hoc non crediderim, cum videam ejus partis jam fieri mentionem a *Cicerone* lib. VIII epist. XVI *ad Atticum*, quæ pertinet ad tempora civilium contentionum, quæ recens erant ortæ inter Cæsarem atque Pompejum. Et adhuc disertius de ea loquutus est idem Pompejus in epistola sua ad ipsum *Ciceronem*, quæ eodem lib. VIII post undecimam comparet, ubi ita scripsit: *Censeo via Appia iter facias, & celeriter Brundisium venias.* Nec facile etiam Cæsari aut Graccho hoc opus adscripserim, sed perfectionem ejus potius retulerim ad tempora antiquiora: siquidem hujus viæ usus, ut notavit *Strabo* lib. VI, & *Philippica* I idem *Cicero* confirmavit, per commercia Græciæ Asiæque frequentissimus fuit inter omnes alias vias. *E Græcia*, dixit interpres istius Geographi, *& Asia rectus est Brundisium trajectus, omnesque huc deferuntur, quibus inde Romam iter est. Ciceronis* hæc sunt verba: *Cum Brundisium, iterque illud, quod tritum in Græciam est, non sine causa vitassem, Kal. Sextilibus veni Syracusas, quod ab urbe ea transmissio in Græciam laudabatur.* Igitur non multis post annis, quam Romani frequentare cœperunt istæc loca, quod accidit multo ante C. Gracchi ætatem, hanc viam ultra Capuam ad Brundisium usque productam fuisse oportet: licet tam ipsum tempus, quam auctor ejus, nobis sit ignotum. Neque enim videtur mihi satis certo asseverari posse, illud accidisse, cum anno post captam Capuam, qui fuit ab Urbe condita annus DXLIII, *consuli Lævino*, ut narrat *Livius* lib. XXVI, loquens de ejus e Græcia reditu, *Capuam prætereunti circumfusa multitudo Campanorum est, obsecrantium cum lacrymis, ut sibi Romam ad Senatum ire liceret*; quandoquidem non liquet, an ille per Brundisium fecerit istud iter, neque etiam, an ista Appiæ pars Brundisium versus jam fuerit absoluta. Ceterum deinde illam refecit Trajanus Imperator, ut satis certum est ex *Inscriptione* antiqua, quam *Panvinius* exhibuit lib. II *Commentariorum in Fastos & Triumphos Romanorum*, & item *Gruterus* pag. CLI: quamvis ibi dicatur: *Viam a Benevento Brundisium pecunia sua fecit*, cum verius sit, illam ab eo refectam.

Lipsius laudatus.

Sed usque eo producta deinde fuit ab auctore prorsus incerto,

Lipsius refutatus.

Tum cum Romani frequentare cœperunt in Græciam atque Asiam itinera.

Strabo & Cicero collati.

Livius ambigue illustratus.

Vetus Inscriptio illustrata.

Verum nihil omnino certior esse mihi videtur cursus Appiæ nostræ ab eadem parte, quandoquidem de eo diverse scripserunt veteres. *Horatius* lib. I Satyra V descripsit iter suum a Roma ad Brundisium, quod vulgo per Appiam creditur ab eo institutum. Transiisse se dicit per Capuam, Caudium, quæ hodie *Arpaja*, Beneventum, Trivicum, Equum Tuticum, (hujus loci nomen circumscripsit ille, non expressit) quod hodie *Arianum*, Canusium, quæ nobis *Canosa*, Rubos, quod hodie *Ruvum*, Barium, & Egnatiam, ubi nunc turris est, cui cognomen *di Anazzo.* Atque adeo hæc pars Appiæ ultra montem Apenninum excurrebat per oram maris Adriatici, in qua tam Brundisium erat, quam Egnatia & Barium. Per viam quoque Appiam faciendum erat iter istud, quod nobis descriptum est in *Itinerario Hierosolymitano*, cujus in præcedenti *Dissertatione* istam partem adduximus, quæ etiam heic ad argumentum nostrum facere potest: & instituebatur illud ab Hydrunto & Brundisio Romam per easdem urbes, quas *Horatius* memoravit. Etiam *Strabo* loquutus certe est de hac via lib. VI, ubi dicit, a Brundisio ad Romam duas esse vias: & alteri illarum nomen dat Appiæ semel atque iterum, eamque describit satis illi consimilem, quam ab Appio *Procopius* dixit ita formatam esse, ut

Cursus Appiæ viæ ex Campania Brundisium versus ab aliis descriptus est per Canusium, & littus maris Adriatici,

Horatius & Itinerarium Hierosolymitanum collati.

Ab aliis per mediterranea & Venusiam.

ut caperet posset duo plaustra, ex adverso invicem occurrentia. Verba *Strabonis* Latine ita habent: *Sunt autem a Brundisio Romam duæ viæ: una, qua muli ire possunt per Peucetios, qui Pediculi dicuntur, & Daunios, & Samnites Beneventum usque, qua in via urbes sunt Egnatia, Celia, Netium, Canusium, Hordionia.* (per hanc viam iter suum fecit *Horatius*) *Via per Tarentum paulum ad lævam deflectit. Unius dici ambitu confecto* (non multo ante dixerat etiam, iter a Brundisio ad Tarentum unius esse diei) *in Appiam pervenitur, quæ plaustris patet. In ea sunt Uriæ & Venusia: illa inter Tarentum & Brundisium, hæc in confinio Samnitium & Lucanorum. Coeunt a Brundisio ambæ viæ apud Beneventum ad Campaniam.* Hæc itaque via, quæ cis Tarentum mare non attingebat, & citra Apenninum, id est, istud hujus montis brachium, quod Apuliam versus insurgere volunt omnes geographi recentiores, quibuscum & ipse *Strabo* aliquo modo consentit, & desinit in ultimos Sallentinos; directa erat, non autem ista alia, fuit ex ejusdem sententia via Appia. Et hisce consona loquutus etiam fuerat præcedenti lib. v verbis sequentibus: *Hic* (Tarracinæ) *primum mare attingit via Appia, strata a Roma Brundisium usque, & frequentissima. Eam de maritimis urbibus hæ duntaxat* (attingunt) *Tarracina, & deinceps Formiæ, Minturnæ, Sinuessa, & ad extremum Tarentum & Brundisium.* Sed videamus, an ipse ille Geographus sibi constet. Ille sæpius nobis dixit Beneventum fuisse in Appia. Quomodo igitur hoc potest esse verum, si verum est, Appiam fuisse illam viam, quæ ferens per Tarentum & Venusiam cum altera ista via, per Egnatiam, Barium, Canusium, aliasque urbes ab ipso memoratas directa, conjungebatur *apud Beneventum ad Campaniam*, id est, a citeriori ejus urbis latere? Etiamne forsan ultra Beneventum hæce duæ viæ conjungebantur, ut adeo ad hunc modum, si maxime ille ab *Horatio*, non tamen ab se ipso dissentiat? Et num forsan dixerit, concurrere easdem vias *ad Campaniam*, non habita ratione Hirpinorum: perinde ut *Vellejum* nostrum atque *Tacitum* alibi notavimus, itidem describentes itinera quædam a Brundisio Romam, mentionem tantum fecisse Calabriæ, Apuliæ, & Campaniæ, silentio præterita Hirpinorum regione? Ego certe non credo tanta licentia, quæ historicis quodammodo est concessa, fuisse usum *Strabonem*: atque adeo nescio eum aut secum, aut cum *Horatio*, aut cum *Itinerario* isto conciliare. nisi tamen ista verba ejus, quæ ad viam a Brundisio ad Tarentum pertinent, per quam *unius diei ambitu confecto* perveniebatur in Appiam, aliquantum esse contorta & intricata credere oporteat, atque ille voluerit dicere, a Tarento denuo rediri posse mare Adriaticum versus, quo tenus eadem Appia ab ulteriore parte plaustris patens, ferebat *per Daunios & Samnites Beneventum usque*, ubi altera illa via, quæ itidem a Tarento, non inclinans ad mare, ferebat per Venusiam, cum illa *ad Campaniam* conjungebatur: id est, ut deinde a Benevento, quo nomine illum oportet demonstravisse Hirpinos, ipsa sola Appia perrexerit cursum suum eandem hanc regionem versus, atque ejus partem viciniorem, quod erat Caudium, novissime desinens in Romam. Quod si omnia hæc sint vera, etiam hoc verum erit, eandem alteram viam per Venusiam fuisse illam, quam nobis satis bene in *Itinerario* suo descripsit *Antoninus*, sed quæ deinde male corrupta est ab descriptoribus, & denuo restituta in ora codicis ab satis vetusta manu hominis cujusdam harum rerum periti. Atque hoc cum usque adhuc ab nullo fuerit animadversum, creditum fuit illas duas esse vias diversas, cum prior illarum sit corrupta, altera autem vera & genuina ad hunc modum:

Strabo ab Horatio discors.

Strabo ab se ipso dissentiens.

Atque hos inter se conciliandi nulla apparet ratio.

Strabo ambigue defensus & illustratus.

Itinerarium Antonini emendatum.

A Benevento Hydruntum. M. P. CLXV *sic.*
Æclanum. M. P. XXV.
Sub Romulam. M. P. XXI.
Pontem Aufidi. M. P. XXII.
Venusiam. M. P. XVIII.
Ad Silvianum. M. P. XX.
Sub Lupatia. M. P. XXI.
Canales. M. P. XIII.
Hydruntum. M. P. XXV.

Altera hæc est:

Item a Benevento Tarentum.
Æclanum. M. P. XXV.
Sub Romulam. M. P. XXI.
Pontem Aufidi. M. P. XXII.
Venusiam. M. P. XVIII.
Silvium. M. P. XX.
Bleram. M. P. XIII.
Sub Lupatia. M. P. XIIII.
Canales. M. P. XIII.
Tarentum. M. P. XX.

Igitur si ad istum modum, quem dixi, non sint intelligenda *Strabonis* verba illa, prorsus alio modo nesciam eum cum istis aliis conciliare auctoribus. Atque ita ille omnimodo ab se ipso dissentiet, ubi dixit, Appiam ab Sinuessa usque ad Tarentum mare non attingere.

In ceteris eundem *Strabonem* apparet cum omnibus aliis scriptoribus satis esse concordem, ubi frequentissimam dixit esse viam Appiam, quæ ferebat Brundisium, communem Romanorum portum, quibus in Græciam atque Asiam erat eundum qualicunque tandem de causa. Per Appiam viam & pontem Casilini, quem indicavimus, tam exercitus, quam etiam magistratus cujuscunque ordinis, & adeo omnes juxta amplæ tenuisque fortunæ homines, quibus aut Orientem versus eundum, aut inde redeundum erat, facere iter oportebat, si illud quam brevissimum instituere vellent. Ita, ne paginas impleam multorum in re manifesta exemplorum narratione, *Appianus Alexandrinus*, ubi in *Mithridaticis* describit celere iter Pompeji, cum ille adversus piratas proficisceretur, non per aliam viam narrat ab Occidente atque Roma illum in Orientem sese contulisse, quam per hanc, quæ Brundisium ferebat, & esse debebat opportunissima atque brevissima: ita ut per multa deinceps secula ejus usus duraverit ad eadem in Orientem itinera. Certe classis, quam Augustus collocavit ad Misenum, curam habebat provinciarum Occidentalium, Africæ, Ægypti, Sardiniæ, & Siciliæ, quas *Vegetius* lib. v cap. I *De re militari* dixit esse huic portui viciniores: classis autem Ravennas, in eodem sinu Adriatico, in quo Brundisium est, collocata, imo ad littus interius, quam est Brundisinum, curam habebat Epiri, Macedoniæ, Achajæ, Propontidis, Ponti, Orientis, Cretæ, & Cypri, (ut ejusdem verbis utar) *directa navigatione.* Ab Roma quoque Hierosolymam nonnisi per hanc viam solebat iter institui, ut patet ex *Itinerario Hierosolymitano*, quod nullam aliam hujus itineris viam exhibet. Item *S. Gregorius Magnus* hanc in rem argumentum suppeditat lib. IX *Indict.* IV *epist.* XXXVIII, ubi narrat de duobus monachis monasterii S. Andreæ in eadem urbe Roma, qui cum inde clam abire cuperent, quo celarent iter suum, *aliqua prius colloquendo fratribus signa dederunt, quod per viam Appiam descendentes Hierosolymam tenderent.* Usi itaque nomine Appiæ, quæ erat ad hoc iter qualibet alia via usitatior. Ad omnia hæc non videtur animum attendisse

In Græciam atque Asiam itineribus via Appia, quæ per pontem Casilini ferebat, frequentius fuit usus quam qualibet alia.

Item in itineribus ad Hierosolyma sæculis recentioribus.

Itinerarium Hierosolymitanum & S. Gregorius Magnus collati.

Antonius Caracciolus refutatus, & notatus pluribus modis.

disse *Antonius Caracciolus*, qui cap. III *Sect.* V *De sacris monumentis Neapolitanis* credidit, S. Petrum, Apostolorum principem, cum ex Asia Romam proficisceretur, ex frequenti & quasi perpetuo more ex omnibus Italiæ portubus primum attigisse portum Neapolitanum: & eam esse suam sententiam ostendit quoque ejusdem cap. III *Sect.* XIII, & cap. IV *Sect.* IV, item cap. IX & XXV. Veruntamen ejusdem cap. III *Sect.* IV restrinxit aliquantum illam, quam adeo absolute pronunciaverat, sententiam, & admittens, quod negare omnino non poterat, S. nempe Petrum primum appulisse ad Brundisium, inde eum quasi suo arbitrio circumduxit per Hydruntum, Tarentum, Rhegium, ac Siciliam, atque hinc eum Neapolim deduxit; non alio persuasus argumento, quam ista Evangelii prædicatione, quæ ab eo per illa loca fertur facta. nam præcedenti quidem *Sect.* III de illis, qui a Brundisio Romam petentes, per Appiam faciebant iter, ita dixerat: *Iis animus non fuit Campanum littus aut littorales Campaniæ civitates attingere, sed propiore montibus itinere inire Romam. Verum quotquot e Græcia fretum Siculum, & hinc Romam profecti sunt, omnes propemodum ad urbes Campani littoris, hoc est, Neapolim, Puteolos, seu Misenum, navigio appulsi esse leguntur. Petrus igitur, quem Neapolim venisse probavimus, navigio huc devectus dicendus est.* Ita ille: quasi scilicet, si maxime vera essent reliqua, quæ dicit, quicunque per Appiam a Brundisio Romam petebat, Capuam delatus multis passuum millibus procul a Campano littore abfuisset, cui nunquam fuerat propior, quam tum, per totum iter suum, & quasi ad Cumas, Puteolos, & reliquam illam oram adeundam, minus commoda fuisset ista via, quam *Plinius Secundus* lib. XIV cap. VI appellat *Consularem*. Contra vero tritum atque usitatum iter non tantum in Græciam, sed & totam Asiam, atque inde in Italiam ac Romam, fuit per viam Appiam, ut ex gravissimis auctoribus intelleximus. Veruntamen variis de causis nonnulli aliquando ad Puteolos appulerunt, ut isti centurioni accidit, qui S. Paulum perduxit Romam. Nam ejus navis tempestatibus ad Meliten ablata non tenuit porro rectum cursum, sed vento secundo per Syracusas atque Rhegium reliquum cœptæ navigationis absolvit Romam versus. Item apud *Josephum* lib. XVIII cap. IX *Antiquitatum* primum Herodes, & paulo post quidam libertus ejus, qui eum sequebatur, itidem navibus ad Puteolos appulerunt, cum illi aliquid negotii esset apud Caligulam Imperatotem, cummaxime Bajis agentem. Ceterum nonne etiam verum est, viam illam, quæ ab Rhegio Romam ferebat, *Straboni* memoratam lib. VI, & descriptam per singulos locos in *Itinerario Antonini*, atque item in antiquissima *Inscriptione*, quam retulit *Gruterus* pag. CL, aliique plures; itidem duxisse per hunc pontem Casilini, & in Appiam incidisse duobus fere passuum millibus ultra Capuam, qua de re supra egimus? Per Casilinum igitur, ideoque etiam per Capuam frequentissima quomodocunque erant hæc itinera transmarima: ut hoc jam addamus, ultra Casilinum in eandem Appiam incidisse viam Latinam. Atque hinc pons ille, per quem ad hanc non prorsus alienam a proposito nostro digressionem transivimus, magna ex parte quasi quidam trajectus erat potissimorum imperii Romani negotiorum: & in illum concurrebant hæce nobilissimæ viæ in formam crucis, cujus duo breviora brachia desinebant in Romam urbem.

Nisi alia quæpiam causa peculiaris aliam commendaret viam.

Et cum Appia conjungebatur via, quæ ab Rhegio Romam ferebat, & item Latina: altera ab hoc, altera ab isto Casilini latere.

XXXII. *Calatia urbs, hodie* Cajazzo. *Combulteria urbs. Trebula urbs, in eodem tractu, quo priores. Situs Calliculæ montis, per quem Annibal primo transiit in Campaniam.*

Jam per eundem pontem, seu potius per illum, cujus exigua pars apparet in tractu, cui *Triflisco* nomen, de quo alibi diximus, opportune transibimus ad descriptionem locorum, quæ sunt ultra Volturnum: & ab illis quidem incipiemus, quæ propiora sunt huic flumini, & magis ad Septentrionem sita. Inter hæc primum locum obtinebit *Calatia* urbs, per errorem confusa cum ista altera, quæ *Galatiæ* nomen habuit, sita inter Capuam & Caudium in via Appia. Ceterum de hujus Calatiæ territorio certe loquutus est *Livius* lib. XXII, ubi iter descripsit, quod fecit Annibal, cum primum in Campaniam transivit *per Allifanum, Calatinum, & Calenum agrum.* Et situs quidem ejus ultra Volturnum demonstratur in *Itinerario Peutingeriano*, in quo corrupte legitur appellata *Gabatia*, & itidem per errorem dicta *Adlefas* alia urbs, ipsi vicina: cum vera illarum nomina sint *Calatia*, hodie *Cajazzo*, & *Allifæ*: ut adeo per harum agros transire debuerit iste Pœnus. Credi etiam possit de eadem hac Calatia loquutus fuisse idem *Livius* hisce lib. IX verbis: *Qui captæ decus Nolæ ad consulem trahunt, adjiciunt Atinam & Calatiam ab eodem captas.* Nam hodieque *Atinæ* nomine appellatur vicus quidam exiguus in diœcesi *Cajazzana*. Verum ego video altum penes omnes alios esse de illa silentium: neque etiam istic loci ullum cognovi tantæ antiquitatis indicium: & potest adeo *Livius* loquutus fuisse de ista, quam diximus, Galatia, quæ Nolam versus fuit. ceteroquin autem Atina fuit Latii novi, sive Volscorum urbs, de qua illum historicum fuisse loquutum omnes autumant: & superest illa etiamnum. Dicet alius, eundem satis aperte memoravisse Calatiam lib. XXIII, ubi de Marcello, qui invitatus ab Nolanis erat, ita narrat: *A Canusio Calatiam petit: atque inde Volturno amne transjecto per agrum Saticulanum Trebianumque*, (lego *Trebulanumque*, ut paulo post ostendam) *super Suessulam per montes Nolam pervenit.* Satis enim manifestum est, inter *Cajazzum* atque Nolam flumen Volturnum esse medium, & perinde olim fuisse Saticulam atque Trebulam una cum suis agris. Atque adeo si *Livium* præcedente libro de hac Calatia dixisse statui, jam hisce omnibus nihil contradicere possim, quum ejus antiquitas negari nequeat. Nihilominus ego multum suspicor, non quidem hac de re, aut de Marcelli itinere per viam istam, sed de ipso *Livio*, ne gravem ille errorem admiserit, opinatus, istum Romanorum ducem Calatiam petiisse a Canusio. Idem credidit *Glareanus*, & pro *Canusio* ex libris calamo exaratis *Casilino* reposuit. *Neque enim* (hæc sunt ejus verba) *a Canusio Nolam proficiscentibus Volturnus amnis transeundus, neque Calatia petenda. at utrumque a Casilino, etiamsi de Calatia nil definimus.* Et quia *Livius* dixerat, Marcellum aliquanto ante a Roma perrexisse Canusium, autumavit, *vel in itinere restitisse eum, vel Casilinum rediisse.* Porro satis ostendit, ut ex ipsius verbis intelleximus, se dubitavisse, an ille etiam per Calatiam transiverit: quod sane ipsi, siquidem istud iter fecit per Saticulam atque Trebulam, itidem faciundum fuisset, ut ex situ istius urbis, quem in prioribus demonstravimus, & pariter ex hujus, quem non multo post indicabimus,

De CALATIA, quæ hodie Cajazzo, modo aperte loquuti sunt quidam scriptores,

Modo ambigue:

Aliquando etiam ita, ut opus habeant multa interpretatione.

mus, convenit affirmare. Sed *Glareanus* reprehenſus eſt propter hanc lectionem ab *Sigonio*, cui altera iſta lectio præplacet hanc ob cauſam, *quod* (ut ipſius verbis utar) *Livius præcedenti libro Marcellum magnis itineribus Canuſium contendiſſe dixerit: & quod Plutarchus in Martello Canuſio item Marcellum ad tutandos ſocios eſſe profectum tradiderit.*

Glareanus refutatus. Sigonius notatus.

Et ſane iſta *Glareani* conjectura, Marcellum vel in itinere reſtitiſſe Caſilini, vel illuc rediiſſe, ad quam *Sigonius* nihil omnino reſpondit, pugnat cum reliquis *Livianæ* narrationis. Poſtquam enim hic ſcriptor dixerat, ab Nolanis miſſos ad Marcellum legatos, cum ille *Canuſii cum exercitu erat*, non multo poſt ſubjunxit: *Caſilinum eo tempore quingenti Prænestini habebant cum paucis Romanis, Latinique nominis, quos eodem audita Cannenſis clades contulerat.* Et iſto quoque tempore ſi Marcellus fuiſſet Caſilini, forte non fuiſſet amicitia inter Annibalem atque Campanos contracta.

Glareanus laudatus.

Igitur cum *Glareani* lectio aliena ſit a mente *Livii*, ceteroquin autem ſatis vera ſit ejus obſervatio, nempe a Canuſio Nolam proficiſcentibus non opus fuiſſe Volturnum tranſire, quoniam eodem pervenire poterant per Beneventum & Caudium, flectentes tum deinde iter ad ſiniſtram per imminentes Sueſſulæ montes; mihi conſtantius etiam de hac *Liviana* narratione dubitandum videtur. Num forte etiam turbulento iſto atque rebellionibus obnoxio tempore conveniens fuit Marcello viam relinquere communem?

Livius refutatus.

Verum quomodo ille eo potuit adactus eſſe, ut bis tranſire Volturnum deberet: primum, cum peteret Calatiam, iterum, cum inde rediret, (eſt enim Canuſium, perinde ut Nola, ab hac, id eſt, ab altera Volturni ripa) ſi omnino per agrum Saticulanum, quem ſupra vidimus itidem fuiſſe citra iſtum amnem & ad latus Septentrionale Tifatorum, ipſi tranſeundum erat? Atque hoc forte animadverſo priſci iſti cenſores in codicibus ſuis *Canuſii* nomen in *Caſilini* mutaverunt: ſed ita tamen efficere nequiverunt, ut & *Livius* per narrationem iſtam, factam de Marcelli profectione a Roma ad Canuſium, mutaverit incongruam ſuam deſcriptionem. Ille citato lib. XXII dixerat ad hunc modum: *Placatis ſatis, ut rebantur, diis, M. Claudius Marcellus ab Oſtia mille & quingentos milites, quos in claſſem ſcriptos habebat, Romam, ut præſidio eſſent, miſit. ipſe legione claſſis (ea tertia legio erat) cum tribuno militum Teanum Sidicinum præmiſſa, claſſe tradita P. Furio collegæ, paucos poſt dies Canuſium magnis itineribus contendit.* Et credidit illi *Plutarchus*, qui frequenter ipſis ejus verbis eſt uſus. Itaque neceſſe habebat *Livius*, ut etiam deinde a Canuſio Marcellum diceret veniſſe Nolam.

Livius illuſtratus, & notatus.

Sed multo convenientius videri poteſt, iter illud, quod ipſe deſcripſit a Calatia per Saticulanum Trebulanumque agrum, fuiſſe a Marcello peractum, cum ſequenti tribunum iſtum, & ipſi quoque per viam Latinam Teanum delato, quo per Allifas, Teleſiam, & Beneventum pergeret Canuſium, (loquutus eſt de hac via *Antoninus*, deſcribens iter a Tarracina Beneventum, & a Roma itidem Beneventum) occurrere debuerunt legati Nolanorum: ut ita tum relicto itinere, quod cœperat, Cales tranſierit, & ad ſiniſtram declinans per viam, quæ ad radices montis Calliculæ eſt, cujus manifeſta ſuperſunt indicia per pagos noſtros, *Pignatarum*, *Pantolianum*, *Vellonam*, aliosque iſtius tractus, quæque ad flumen Volturnum perveniebat iſtic loci, ubi ſupra diximus tertium Volturni pontem fuiſſe in tractu, cui *Triſliſco* nomen; per iſtam, inquam, viam ut Calatiam petierit, ſeu potius agrum Calatinum, & *Volturno amne transjecto*, *per agrum Saticulanum Trebulanumque* (de hoc Trebulæ ſitu jam nihil dicimus) *ſuper Sueſſulam per montes Nolam pervenerit.*

Livius ſecum conſentiens.

Et ab hac via non multum diverſa fuit illa, quam non multo poſt inſtitit Fabius Maximus, cum a Calibus digreſſus *Combulteriam*, *& Trebulam*, *& Auſticulam* (adducimus hæc verba *Livii*, prout vulgata habet lectio) *vi cepit, & inter Capuam caſtraque Annibalis, quæ in Tifatis erant, transducto exercitu, ſuper Veſuvium in caſtris Claudianis conſedit*; ut ex illis, quæ de Saticulæ ſitu ſupra diximus, quæque de Combulteriæ Trebulæque ſitu mox indicabimus, eſt manifeſtum. Potuiſſet quoque Marcellus legatos iſtos recipere Calatiæ: per quam etiam urbem & Teleſiam, non aditis Allifis, potuiſſet tribunus ipſius ſuum feciſſe iter, ut Beneventum, & denique Canuſium perveniret, quod non minus ad meam facit ſententiam.

Ceterum per illam variis temporibus iter a Benevento in Campaniam factum eſt:

Certe per eandem viam circa eadem tempora Annibal, ut narrat *Polybius* lib. III, direpta Benevento captaque Teleſia primum venit in Campaniam: & multis poſt ſeculis, (condita jam hac urbe nova) cum Capuæ Comes Pandonolfus in auxilium vocaviſſet Guaideriſium, ſive Guaiderium, Beneventi principem, & Gregorium, præfectum Græcorum Imperatorum, Leonis, & Alexandri, contra ſuos fratres patrueles; hic atque ille ſeparatim *ſine mora* (verba ſunt *Herchemperti Num.* XLI) *per Cajaziam Sicopolimque adventantes, ab Occaſu juxta urbem Capuanam reſederunt.* Igitur jam ſcire poſſumus, *Cajazzum* eſſe Calatiam, de qua cummaxime tractamus.

Et item per Sicopolim, novam urbem, quæ tantummodo paucos duravit annos.

Sicopolis autem fuit urbs in colle iſto, cui nomen *di Triſliſco*, quod accepit a tractu cognomini, cujus non multo ante fecimus mentionem, quique ultra Volturnum eſt, ejuſdem collis radices alluentem. Condita eſt a Campanis noſtris tempore Siconis, principis Beneventani, qui principatum obtinuit ab anno epochæ Chriſtianæ DCCCXVII uſque ad annum DCCCXXXIII: & ab eodem *Sicopolis* nomen accepit. Cumque illa deinde firmiſſime munita eſſet anno DCCCXL ab iiſdem Campanis, qui ex incendio patriæ urbis, ab Saracenis crematæ, effugerant; ſed per primos quindecim annos multis fortuitis incendiis, quæ tamen ego ab iiſdem potius Campanis excitata eſſe credo, conſumpta, prorſus derelicta eſt ab incolis, qui abierunt ad condendam Capuam novam anno DCCCLVI, cum in anguſtis exigui montis faucibus habitare dedignarentur.

Herchempertus, Joannes Abbas Caſinenſis, Anonymus Salernitanus, & Leo Oſtienſis conciliati.

Atque ita ex ejuſdem *Herchemperti Num.* XV & XXIV, *Joannis Abbatis Caſinenſis* in *Serie Comitum Capuæ Num.* I & II, *Anonymi Salernitani Par.* III, qui ſunt a nobis correcti & in lucem editi auctores; & item ex *Leonis Oſtienſis* lib. I cap. XXX diverſis narrationibus, in probabilem concordiam redactis, videor mihi poſſe affirmare. De Calatia igitur, quæ hodie *Cajazzo*, loquutus etiam fuerit *Livius* hoc altero loco, quod tamen nonniſi hoc modo, quem deſcripſimus, poteſt eſſe verum.

Non certum eſt, an hæc fuerit illa Calatia, quæ ſequuta eſt partes Annibalis:

Porro autem non ſatis certus ſum, an idem auctor ejuſque compilator *Silius* eandem Calatiam intellexerint, utrum illam alteram, quam nos diſtinctionis cauſa *Galatiam* appellavimus, ubi eam dixerunt ſequutam fuiſſe partes Annibalis, quandoquidem proclivis fuit horum non multum abſimilium confuſio nominum.

Cum heic loci fuerint duæ urbes hujus ejuſdem nominis.

Quin imo videtur ex *Plinio Secundo*, poſſe obſervari, illa prorſus fuiſſe conſimilia atque eadem. Ille enim lib. III cap. V in catalogo Italicarum primæ regionis urbium, quæ non erant coloniæ, quaſque ipſe per ordinem alphabeti diſpoſuit, unius ſolummodo Calatiæ mentionem fecit, ſed numero multitudinis: *Bovillæ*, *Calatiæ*, *Caſinum*, *Calenum*, &c.

cum

cum illud nomen omnes alii, qui de utravis illarum dixerunt, semper extulerint unitatis numero: *Calatia*: ut adeo *Plinium* isto numero utramque comprehendisse oporteat. Porro neque *Ptolemæus*, neque *Strabo*, neque *Polybius*, neque *Cicero*, qui variis occasionibus Campaniæ urbium recensuerunt nomina, hujus Calatiæ meminerunt, quod tamen duo posteriores omnino facere debuissent, quandoquidem descripserunt urbes, quæ circa Capuam erant: sed neglexerunt illud fortasse propter exiguam ejus oppidi famam. Et eandem ob causam videtur mihi quoque *Anonymus Casinensis Num.* XXIX *Historiæ* suæ, quam sæpius citavimus, situm descripturus admirabilis cujusdam cryptæ, Michaëli Archangelo dedicatæ, quæ in ejusdem urbis diœcesi est, illum potius demonstravisse ab aliorum locorum terminis, ubi ita dixit: *Inter Capuam, Teanum, nec non Alifam, auditur esse mons quidam, in quo dicitur adesse Angelica virtus, ad instar B. Michaëlis Archangeli in monte Gargano; ubi distillari aquam, & jugiter effossam cryptam, & jacere basilicam, atque ibidem nunc crebro fieri prodigia.* Sane oportet hanc cryptam proprie ad Combulteriæ vel Trebulæ territorium pertinuisse, quæ utraque in isto tractu urbs fuit, ut jamjam demonstrabo. Atque has quidem neutiquam miror *Anonymum* istum auctorem non memoravisse, cum illæ isto tempore jam fortuna sua decidisse, earumque nomina admodum esse obscura debuerint. Verum Calatia, sive *Cajazzum* in aliquanto meliore fortuna fuisse debet, unde *Herchempertus*, qui vixit eodem ævo, non neglexit ejus facere mentionem: imo nunquam illam intercidisse oportet. Argumento sunt multæ ejus *Inscriptiones* antiquæ, quæ ad tempora quorundam Imperatorum post duodecim Cæsares pertinent, atque istic supersunt: & item *Itinerarium Peutingerianum*, cujus auctor vixit circa finem seculi quarti a Servatoris ortu. Minime autem velim cogitare quenquam, me per invidiam quandam in dubium vocavisse, an antiquiora illa & illustriora testimonia, quæ usque adhuc omnes alii crediderunt ad hanc pertinere Calatiam, re vera ad eam pertineant. Nunquam enim aliquid mihi causæ fuit, ut non plurimum eam amarem, ubi & multos amicos habeo, & natus est Marsilius Tebanus, humaniorum literarum professor, & olim præceptor meus: dignus sane vir, cujus honorifica conservetur memoria etiam propter morum ejus bonitatem. Neque vero hoc scribendi de rebus antiquis honoratissimum ex sese exercitium ab mei loci homine adeo abjecte adhiberi potest ad vindictam & contemptum alterius. Atque hæc præmonitio quantum forte supervacua est, quod ad præsentis; tantum forte necessaria est, quod ad futuri ævi homines attinet. Hos igitur, ut magis de meo animo possint esse certi, admonitos volo, cœptum institutum nostrum ita tulisse: unde etiam credidi, haud minus de hac, quam de aliis Campaniæ urbibus esse mihi agendum: licet tacentibus antiquis non satis certus sim, an illa potius ad nos, quam ad Samnites pertinuerit, cum in utriusque regionis confinio fere sita fuerit. Atque adeo neque de Combulteria etiam, neque de Trebula agere negligam, quæ, ut diximus, in eodem tractu fuerunt, licet una illarum aliquanto, quam altera, remotior fuerit a nobis, & magis ad Septentrionem sita.

Plinius Secundus illustratus.

Et etiam quidam veterum, & item alii recentiorum auctorum non memoraverunt eam, ut quidem facere debuerant: forte propter ejus exiguam famam.

Anonymus Casinensis illustratus.

Neque tamen unquam illa intercidit.

Neque etiam ego heic aut invidiose ipsius honori, aut perverse meæ existimationi desum.

COMBULTERIA ultra Volturnum, urbs fuit.

Et ego quidem dico, Combulteriam fuisse ultra Volturnum flumen in tractu *Cajazzo*: imo, si ad statum rerum, qui hodie est, attendimus, in hujus urbis diœcesi, etsi *Livius* illam, & cum ea Trebulam quoque, non procul a Saticula & ab hac altera Volturni ripa descripsisse videtur. Ita enim ille dixit lib. XXIII de Fabio consule: *Ad Cales castra habebat, nec Volturnum transducere audebat exercitum, occupatus primo auspiciis repetendis Romæ, dein prodigiis, quæ alia super alia nunciabantur: expiantique ea, haud facile litari aruspices respondebant.* Et mox: *Et circa Capuam, transgresso Volturnum Fabio, post expiata tandem prodigia, ambo consules rem gerebant. Combulteriam, & Trebulam, & Austiculam urbes,* (supra *Cluverio* assensimus, Austiculam & Saticulam fuisse unam eandemque urbem) *quæ ad Pœnum defecerant, Fabius vi cepit: præsidiaque in iis Annibalis, & Campani permulti capti. Et Nolæ, sicut priore anno, senatus Romanorum, plebs Annibalis erat: consiliaque occulta de cæde principum & proditione urbis inibantur. Quibus ne incepta procederent, inter Capuam castraque Annibalis, quæ in Tifatis erant, transducto exercitu Fabius, super Vesuvium* (*Cluverius* legit *Suessulam*) *in castris Claudianis consedit.* Igitur, ut ordo verborum ejus demonstrare videtur, Fabius Maximus tres istas urbes occupavit, postquam citra Volturnum pervenerat, qua ab ripa Suessula fuisse negari nequit, ut adeo de Combulteriæ atque Trebulæ situ idem sit dicendum. Verum si Trebula fuit trans Volturnum, & quidem in loco, qui itidem ad diœcesin *Cajazzanam* pertinet, sane de Combulteriæ situ, quem indicavit *Livius*, poterimus dubitare. Fabius per eandem viam, quam fecerat Marcellus a Teano Calatiam, perrecturus Canusium, qui deinde, ut ego arbitror, ad Nolam deflexit, per eandem, inquam, viam, transjecto Volturno, per Saticulam, quam in isto itinere occupare debuit, & deinde per vallem, cui *Cappuccio* nomen, inter Capuam & castra Annibalis in locum Claudianorum castrorum pervenit, quod mihi negari non poterit. In eodem itinere igitur cepit etiam istas alias duas urbes. Verum ubinam loci cis Volturnum dicere poterimus fuisse Combulteriam? Sane enim idoneum habemus indicium, eam fuisse in diœcesi ista *Cajazzana*, & quidem non longe extra viam a Fabio confectam, ut ex idoneis testibus intelligemus. *Livius* itaque uno tantum verborum nexu narravit trium istarum urbium occupationem factam in itinere a Fabio, & nihil curavit ultra. Sane vero isto in loco, qui hodie ad diœcesin *Cajazzanam* pertinet, & in illo tractu est, ubi castella sunt, *Alvignanum*, *Traguni*, & *Atina*, Combulteriam collocari satis convenit. Hæc pristino gradu delapsa, & in exiguum pagum est mutata, cui nomen *Cuultere*, & varie *Coultere*, describiturque in episcopali *Bulla*, sive diplomate, cujus alias fecimus mentionem, S. Stephani, *Cajazzani* episcopi: ubi in catalogo omnium aliarum istius diœceseos ecclesiarum sunt etiam nomina ecclesiarum S. Mariæ, & S. Prisci *Ad Cuultere*, quas præcedit aliarum ecclesiarum series, quæ erant in castellis istis, *Alvignano* & *Tragunis*, sequiturque nomen ecclesiæ S. Laurentii *Ad Atina*. Insuper mentio fit hujus pagi *Coultere* in *Proclamatione* ejusdem sancti episcopi, qua non multis ante mortem suam annis (obtinuit autem ille episcopatum per annos XLIV usque ab anno epochæ Christianæ DCCCCLXXIX) tempore archiepiscopi Pandolfi in Campano concilio provinciali questus est de quibusdam, qui suæ sedis bona usurpabant. *Proclamationis* ejus *Michaël Monacus* noster illam partem typis vulgavit, quæ in autographo aliis exstabat integrior: in illa vero, quæ temporum vetustate multis locis est consumpta, leguntur hæc verba: *Curtem & terras Sanctæ Mariæ ad Coultere, quæ videntur esse in loco, quod dicitur Cornellu, pars nostræ sedis,* per

Licet quidam veterum illam videantur collocavisse citra istum amnem.

Non procul absuit a Trebula, quæ itidem ultra Volturnum fuit,

Et sub corrupto nomine Coultere *occurrit ejus mentio inter loca diœceseos Cajazzanæ.*

Livius notatus.

per triginta annos possedisse. Neque hujus pagi *Coultere* situs ille, quem demonstravimus, discrepat ab illis, quæ de *Combulteriæ* situ [1] indicavit *Livius.* De eodem Fabio idem auctor lib. XXIV ita narrat: Sequente anno *ad populandos agros, recipiendasque armis, quæ defecerant, urbes processit. Caudinus Samnis gravius devastatus. oppida vi capta: Compulteria, Telesia, Compsa, Fuisulæ, & Orbitanium.* Verum hæc *Compulteria* non videtur mihi fuisse *Combulteria* ista, de qua diximus: hoc non tantum propter argumentum, quod satis foret leve, exiguæ, quæ nominum est, varietatis, sed etiam, quia illa anno præcedenti jam capta erat ab eodem Fabio. Verum si illa nonnisi una eademque fuit urbs, nomen ejus hic apud *Livium* ad priorem illam formam est redigendum, unde facilius potuit derivatum esse nomen *Coultere*, quasi *Cobultere* & *Covultere*, per affinitatem literarum *B* & *V.* Nam isto altero modo debuisset dici *Copultere*, nulla exsistente causa omittendæ literæ *P.* Porro si una tantum hæc fuit urbs, aliquanto certiores esse possumus, Combulteriam fuisse urbem Samnii, atque idem credi poterit de aliis istius tractus urbibus, ut supra indicavi. De ejus *Cobulterinis* loquutum esse oportet *Plinium Secundum* in catalogo, quem supra diximus, Italiæ urbium primæ regionis: in qua licet Augustus neque Samnium neque Hirpinos descripserit, eodem auctore teste descripta est utraque Calatia, & insuper Allifæ, quæ certe fuit urbs Samnitium. Sed pergamus jam de Trebula dicere.

Ceterum illa fortasse non fuit eadem, quæ Compulteria.

Quod si maxime eadem fuit, videtur illa ad Samnium pertinuisse.

TREBULA urbs, credita hodie esse Trentola, *ad dextram Clanii, non procul a Suessula,*

Cogitavit *Antonius Sanfelix*, qui Campaniam nostram descripsit peculiari tractatu; ejusque opinionem, quamvis illud taceat, sequutus est *Cluverius*; Trebulæ situm & ex parte etiam nomen superesse in vico exiguo, qui dicitur *Trentola*, & satis vicinus est Clanio amni ad citeriorem ripam Septentrionem versus. Ab illo Orientem hybernum versus mille fere passuum intervallo distant reliquiæ Suessulanæ, & ulterius Suessulani surgunt montes pari intervallo, & ad Meridiem deflectentibus lato in campo Nola est multo longiore distantia. Ceterum ab eodem hoc ejus latere, & Orientem æstivum versus, colles sunt Tifatorum inæquali quatuor millium passuum intervallo. Ad probandam opinionem suam attulit *Sanfelix* veteris cujusdam theatri vestigia, istic loci ab ipso visa, eaque retulit ad Trebulæ suæ theatrum. Atque idem situs visus ipsi est (& idem judicavit *Cluverius*) demonstratus etiam fuisse ab *Livio*, ubi ille de Marcello narravit, qui a Calatia *Volturno amne transjecto, per agrum Saticulanum Trebulanumque super Suessulam per montes Nolam pervenit*; & deinde de Fabio, qui a Calibus *transgressus Volturnum, Combulteriam, & Trebulam, & Austiculam* (sive *Saticulam*) *vi cepit.* Verum illi ad hoc non attenderunt, si Trebula (ut verbis utar *Sanfelicis*) fuit *citra Tifata, apertis in campis*, iter Marcelli non debuisse fieri *super Suessulam per montes*, sed *infra Suessulam per plana. Livius* itaque, ut de Saticula differentes monuimus, compendiaria, ut ne dicam confusa, narratione sua, causam dedit, ut perinde & de Trebulæ, & de Combulteriæ, & de Saticulæ situ, & item de Marcelli Fabiique itineribus perperam fuerit judicatum. Satis idoneum argumentum foret in illis theatri vestigiis, si theatrum fuisset ædificii genus peculiare Trebulæ, cum illud commune fuerit fere omnibus aliis urbibus. Atque adeo credendum potius erit, istic loci fuisse unum ex oppidis illis, quorum nomina propter ignobilitatem tacuit *Strabo.* Nam & non adeo foret res mira, ista vestigia, quæ hodie non apparent amplius, & ab ipso *Sanfelice* appellantur *modice exstantia*, fuisse alterius cujusdam antiquioris aut recentioris operis: cumque illa accommodantem ad *Livianam* narrationem, per fallaciam similitudinis nominum *Trebulæ* & *Trentolæ*, quod indicium non semper solet esse firmum, falso illa pro theatri vestigiis accepisse. Ceterum de incolis hujus urbis loquutus est *Plinius Secundus* in catalogo, quem sæpius citavimus, primæ regionis urbium Italiæ, dixitque eos *cognomine Balinienses*, forte, *Cluverius* dixit, *ad discrimen alterius Trebulæ, quam in Sabinis commemoravimus.* Etiam *Ptolemæus* haud obscure ejus nomen retulit inter alias hujus regionis urbes mediterraneas, eamque descripsit, si recte observetur ipsius ordo, inter illas, quæ ultra Volturnum erant. Verba ejus Latine ita habent: *Campanorum mediterraneæ civitates: Venafrum, Teanum, Suessa, Cales, Casilinum, Trebula, Forum Popilii,* (hæ fuerunt ab ulteriore istius amnis ripa, sequentes a citeriore) *Capua, Abella, Atella.* Neque vero citra Volturnum fuit ager iste *Trebulanus*, cujus una cum aliis quibusdam agris mentionem fecit *Cicero Orat.* II *in Rullum*, si modo recte observentur ejus verba, quæ retulimus, ubi de Casilino fuit actum. Distinxit enim ille in tres classes illorum nomina secundum ordinem situs: atque adeo de primis agris, qui per viam Appiam & circa erant, ita dixit: *Albanus ager est, Setinus, Privernas, Fundanus, Vescinus, Falernus, Liternus, Cumanus, Casilinas. audio.* De secundis, qui per viam Flaminiam & Salariam erant, ita: *Ab alia parte Capenas, Faliscus, Sabinus ager, Reatinus.* Ultimos autem, qui per viam Latinam erant, ita commemoravit: *Venafranus, Allifanus, Trebulanus.* Verum in textu ejus, quem in vulgatis codicibus arbitror esse mutilum, non comparet horum distinctio ab antecedentibus: & forte etiam istic deest nomen alterius cujusdam agri, minus ab urbe Roma remoti. Itaque neque *Turnebus* jure reprehendit *Ciceronem* eo nomine, quod cum agris secundæ classis conjunxerit hosce tres ultimos, *qui superioribus annumerari potius debuere, ordinemque confundere videntur*; neque etiam *Paulus Manutius* recte fecit, commentatus hunc agrum Trebulanum fuisse illius Trebulæ, quæ in Sabinis, ut adeo conjungi cum Reatino debuerit. Juxta viam Latinam, per Casinum, Teanum, & Cales, ut nobis exposuit *Strabo*, quem supra adduximus, directam, satis convenit collocari hosce agros, id est, Venafranum, Allifanum, & Trebulanum. Sane enim dubitari nequit, quin priores duo fuerint ad sinistrum ejus latus, & Allifanus quidem aliquantum ab ea remotior fuerit, medio interfluente Volturno. Sed hunc nihilominus ad eandem viam Latinam collocavit *Livius* lib. XXVI, ubi narrat iter Annibalis, cum ille a Capua ad obsidendam Romam est profectus. Et *Livium* sequutus est lib. XII *Silius.* Igitur ad eandem viam, & eodem ordine, quem observavit *Cicero* in aliis istis agris, collocandus erit citra Venafranum & Allifanum ager Trebulanus: ita ut ille Occidentem versus habuerit Teanum & Cales, Orientem versus Calatiam: illas quidem in eadem via, hanc autem ab eodem ejus latere Orientem versus, & aliquantum ab ejus cursu remotam. Porro *Livius* lib. XXII de Annibale ita dixit: *Per Allifanum, & Calatinum, & Calenum agrum in campum*

Nimirum per fallacem interpretationem confusæ descriptionis, quam de ea nonnemo veterum reliquit;

Et ex ejus vestigiis etiam ac nomine;

Cognomine dicta fuit Balinienfis, *& ab aliis numerata est inter Campaniæ urbes, quæ sunt ultra Volturnum.*

Ptolemæus illustratus.

Nam & ager Trebulanus ultra hunc amnem fuit;

Cicero illustratus, & defensus.

Turnebus & Paulus Manutius refutati.

Cicero, Strabo, Livius, & Silius collati.

Inter Teanum, Cales, & Calatiam.

Per hunc agrum & collem Trebulanum transiit Annibal, cum primum venit in Campaniam.

1. Non intelligit auctor ipsa duntaxat Livii verba, nam ex illis potius quis collegerit, Combulteriam fuisse ab adversa Volturni ripa sitam, sed respicit ad expositionem istam, quam ipse protulit de illo Fabii, & non multo ante de Marcelli itinere. Et de ea quidem penes alios esto judicium. Nam quod ad me, dico mihi *non liquere.*

pum Stellatem descendit: nempe tum, cum deinde visus est ab Fabio *ad Casilinum obsessus*. Idem iter narrans *Polybius* lib. III, scripsit, ut interpres ejus habet, ad hunc modum: *Annibal exercitum e Samnio per angustias Eribiani collis deducit. castra ad Volturnum amnem ponit, qui dictos campos dividit: & castra ipsa ex ea parte, qua Roma sita est, habebat.* Descripserat ille Campaniæ nostræ campos, deque illis dixerat: *Tres tantum aditus habent, perangustos atque difficiles: unum a Samnio*, (hic erat per Caudium) *secundum ab Eribano*, (per quem transiit Annibal) *tertium ab regione Hirpinorum*: id est, per Abellinum. Verum si *Ciceronis* ager Trebulanus citra Allifas fuit in tractu Calatino, nullus jam ego dubito, quin *Polybius* non *Eribianum* recto nomine dixerit angustum illum aditum, sed *Trebulanum*, a vicina *Trebula*, non ab *Eribano*, quod nomen apud omnes alios scriptores antiquos prorsus est ignotum. Neque itidem dubito, quin in *Liviana* narratione aut desit agri Trebulani nomen, aut ipse consulto illud omiserit, ne monstraret, se *Polybii* historiam descripsisse, quod certe fecit: cum sibi forte videretur hac parte etiam superavisse cum diligentia, describendo istud iter minutius & per singula loca. Et alia quoque malevolentia (licet *Casaubonus* ejus defensionem suscipiat, qua de re hoc loco plenius tractare non licet) alias quidem prorsus nullo, lib. autem XXX non alio, quam non spernendi auctoris titulo dignissimum *Polybii* nomen commemoravit: ubi multum conveniebat eum laudare satis magnifice. Nam istic certe ipse rationem habuit *Polybii*, qui in sua historia affirmaverat, Syphacem regem in triumpho ductum fuisse a Scipione, ubi alii eum aliquanto ante e vivis excessisse dixerant. Atque hoc nomine videtur mihi jure sane *Livium* accusavisse *Fulvius Ursinus*; & *Gerardus Joannes Vossius* eum non integre defendisse, ubi lib. I cap. XIX *De historicis Græcis* dixit: *Possumus id κατὰ λιτότητα intelligere.* Qua enim modestia opus erat uti erga illum, qui jam multis ante annis erat defunctus? Sed æmulatio contra mortuos etiam locum habere cognoscitur. Apud *Aulum Gellium* lib. IX cap. XIII, *turpius esse dicebat Phavorinus philosophus, exigue & frigide laudari, quam insectanter & graviter vituperari.* Et certe *Livii* æmulatio contra *Polybium*, si non aliunde, certe hinc manifeste apparet, quod in conscribenda historia sua modum tenuit comparatione *Polybii* multum poëtico vicinum. Græcus ille auctor semper ad illud attendit, ut nobis gravi rerum examine addito narrationes suas proderet, nullo prorsus vel odio, vel amore partium: maxime in describendis Romanorum cum Annibale bellis. *Livius* autem vi eloquentiæ suæ videtur obscuras reddere voluisse narrationes illas, ex quibus videbat ad nominis Romani majestatem aliquid redundare labis, ad hostes autem non parum laudis. Veruntamen quisque hac de re statuat pro lubitu. Illud certe verum erit, Trebulam fuisse in tractu Calatino Campaniam versus: unde aditus ille, per quem ab ista parte in eam poterat intrari, a *Polybio* dictus fuit *Trebulanus*, de quo nomine non arbitror temere illi movendam esse controversiam. Itaque *Ciceronis* ager Trebulanus, ut ex ista narratione ejus mihi videbar posse colligere, situs fuerit inter Calatiam, Teanum, & Cales. Huic adeo manifestæ probationi non aliud deesse potest, quam ut Trebulam in ipso situ suo videamus. Quod si post tot tamque aperta indicia, quæ de illo attulimus, nominum quoque similitudinem observare libet, & vestigia etiam, quæ supersunt exstinctæ urbis in diœcesi *Cajazzana*,

[Margin notes: Polybius collatus cum Livio, & emendatus ac illustratus. — Livius invidiæ notatus in Polybium. — Casaubonus refutatus. — Fulvius Ursinus laudatus, Vossius refutatus. — Livius invidiæ notatus in Polybium. — *Atque adeo Trebula fuit ab eadem ripa Volturni, in loco, cui hodie Tre-*]

quam supra diximus, ibique in tractu, qui a primario castello appellatur *la Baronia di Formicola*; facile eum inveniemus. Istic locus est, plenus veterum ædificiorum ruderibus, & aliquanto, quam Calatia & demonstratus Combulteriæ situs, vicinior Campaniæ, inclinans ad latus ejus Occidentale, & vulgo appellatur *Treghia*, & etiam *Treglia*. Hic arbitror fuisse *Trebulam*, quam circa hos tractus quærimus. Ceterum *Fabius Maginus* in *Descriptione Terræ laboris* in tabula plana dixit istum locum *Trebbiam*, secundum genuinam pronunciationem: unde & *Vitolasium* appellat quendam vicum nostrum, qui ab illa parte est, & vulgo a nobis appellatur *Vetolaccio*. Jam vero, si istic loci, ubi diximus, non fuit Trebula, nullo modo aut *Cicero* contra *Turnebum* & *Manutium* defensus; aut restitutus esse poterit corruptus *Polybii* textus, quem *Cluverius* jam pro conclamato habuit. Sed emendationem meam omnino veram esse oportet, & *Livium*, ut sæpius monui, descripsisse situm tam hujus urbis, quam Combulteriæ & Saticulæ, ordine turbato atque confuso. Porro autem *Plinius Secundus*, ubi de vinis nobilibus disserit lib. XIV cap. VI, hæc verba habet: *Campania nuper excitavit novis nominibus auctoritatem, sive cura, sive casu: ad quartum a Neapoli lapidem Trebellicis, juxta Capuam Caulinis, & in suo agro Trebulanis: alioqui semper inter plebeja, & Trifolinis gloriata.* His verbis dubium non est, quin ille loquutus fuerit de vinis *Trebulanis* nostræ *Trebulæ*: ut adeo videatur hanc urbem manifeste Campaniæ contribuisse. Sed velim ad illud attendi, eum diverso modo commonstravisse locum, in quo nascebatur vinum Trebulanum, quam locum Trebellici & Caulini. Quapropter ille mihi videtur significare voluisse specialem aliquam agri Trebulani descriptionem, qui minus proprie, quam duo ista alia loca, ad proximam ipsi Campaniam pertineret. Et supra jam diximus, Calatiam, aliasque istius tractus urbes fuisse in ambiguo nostræ & proximæ Samnitium regionis confinio. Alii fortasse crediderint, vinum *Trifolinum* provenisse illo in loco, qui inter Minturnas & Sinuessam est, nomine *Trifanum*, quique secundum eundem auctorem ad Latium novum pertinere debuit: & proinde existimaverint, *Plinium* eadem licentia & hoc & illud vinum ad Campaniam nostram retulisse propter vicinitatem situs. Verum ego non jam disputabo multum, an *Galenus*, qui *Methodi* lib. I cap. III, ubi loquutus est de quadam conservandi vini ratione, quam ipse viderat observari, ut interpres ejus habet, *in Italia, in agro Neapolitano, & Neapoli vicino colle, quem Trifolinum appellant*; an, inquam, ille potuerit dicere, collem illum vicinum esse Neapoli, qui per istam, quam modo retulimus, expositionem fuisset ultra Sinuessam ad Trifanum. Neque etiam multum inquirere libet, an idem *Plinius* heic loquutus fuerit de vino Trebulano inter alia nostra vina, eodem modo, quo lib. XXXI cap. II etiam inter alias aquas nostras commemoravit Venafranas, quanquam lib. III cap. V de Sinuessa dixerat: *Hinc felix illa Campania est*: ut adeo Venafrum multis passuum millibus extra Campaniam fuerit. Illud autem non prætermittendum arbitror, *Ptolemæum*, qui in descriptione ejusdem regionis nostræ non attendit ad terminos promontoriorum, Sinuessani, & Surrentini, neque etiam montium, Oscorum, & Samnitium, ut fecit *Strabo*; sed ad terminos fluminum, Liris, & Sarni; retulisse inter ejus urbes etiam Venafrum: qua ratione Trebulam quoque convenienter illis annumerare potuit, ut non fecit *Polybius*, qui lib. III dixit,

[Margin notes: *glia nomen, in diœcesi Cajazzana.* — Fabius Maginus notatus. — *Inter alia Campaniæ vina laudata quoque fuerunt vina Trebulana:* — *Verum ita, ut ager Trebulanus non videatur intra ejus regionis terminos fuisse comprehensus.* — Plinius Secundus illustratus, & ambigue secum & cum Galeno collatus. — Ptolemæus illustratus, & ab Strabone atque Polybio discors.]

dixit, ab ista Campaniæ parte Calenos & Teanenses esse; nihil autem de Trebulanis. Verum ibidem hic auctor collocavit unum ex tribus istis in Campaniam aditum, quem *Trebulanum* dixit: quia forte ager Trebulanus complectebatur integrum tractum dioeceseos, quæ hodie est, *Cajazzanæ*, quæ cincta est Volturno amne, qui Meridiem versus eam dividit a prisco territorio Saticulano, Orientem versus ab Telesino, & Septentrionem versus ab Allifano, patente ad Occidentem Caleno, ad angulum autem Septentrionalem Teanensi territorio. Atque adeo propter hanc amplitudinem, qua etiam oportet comprehensum fuisse territorium Calatiæ & Combulteriæ, minoris nominis urbium, potuit ille a *Cicerone* convenienter numerari inter nobiles agros, ad quos ab urbe Roma ducebat via Latina. Eandem ob causam *Plinius Secundus* vinum ejus commemorare potuit peculiari ista loquendi forma. nam ceteroquin ager ejus fuisset admodum angustus, sylvestris, & montanus, ideoque laude indignus: excepta duntaxat ista parte ejus, quæ ab Campania divisa est per *Calliculæ* colles, ut illos appellavit *Livius*, sive eos cum *Polybio Trebulanos* dicere libet: id est, ista valle, ubi castellum est, cui *Formicola* nomen, navis formam referente. Et de his jam sufficere potest.

Polybius, Cicero, & Plinius Secundus collati & illustrati.

Intravit Annibal in Campaniam per montem, ab una parte CALLICULAM, ab altera TREBULANUM dictum,

Jam ut melius intelligatur iter istud Annibalis, cum ille primum venit in Campaniam, expediet indicare, quinam fuerit iste mons, per quem ipsi descendendum fuit, ut verbis utar *Polybii*, in clausum hoc theatrum, atque agrum Falernum; ubi obsessus fuit ab Fabio Maximo, de quo ita dixit *Livius* lib. XXII: *Cum satis sciret, per easdem angustias, quibus intraverat* (Annibal) *Falernum agrum, rediturum, Calliculam montem, & Casilinum occupat modicis præsidiis.* Atque illud expediet etiam, ut cognoscatur, quomodo Marcellus primum, & deinde idem Fabius diverse a Teano & Calibus per Calatiam, Combulteriam, & Trebulam, per earumque agros; & inde transjecto Volturno per Saticulam ejusque agrum pervenerint, alter Nolam, alter in castra Claudiana. Jamque arbitror, sat facile cognosci posse, *Livium* eadem æmulatione, quam supra indicavimus *Calliculam* dixisse montem istum, quem *Polybius* appellaverat *Trebulanum*. Hinc, licet non placeret nobis sequi etymologiam hujus *Liviani* nominis, quam prodidit *Michaël Monacus* noster, nimirum montem illum fuisse dictum *Calliculam* a *Calibus*, urbe vicina; nihilominus apparet, eum fuisse istum montem, qui incipiens ab ejus urbis latere Septentrionali, in multos colles usque minores Meridiem versus extenditur ad Volturnum usque. Atque adeo ille ad Orientem dividebat hanc partem territorii Caleni ab agro Trebulano: & ab isto latere *Calliculæ*, ab hoc *Trebulani* montis nomen habebat. Ad hunc montem cum pervenisset Annibal, qui credebat ab itineris duce ad Casinum deductus esse, ut voluerat, *cum montibus*, dixit *Livius*, *fluminibusque clausam regionem circumspexisset, vocatum ducem percunctatur, ubi terrarum esset. Cum is Casilini eo die mansurum eum dixisset, tum demum cognitus est error, & Casinum longe inde alia regione esse.* Casilinum erat ad flumen Volturnum: & jam Pœnus ille superato agro Allifano & Calatino prope eam urbem accesserat, neque aliud ipsi supererat, quam istud agri spatium emetiendum, quem *Livius* ultimo loco retulit, id est, Caleni, qui citra montem istum erat. Atque adeo cum haberet ille ad sinistram eundem fluvium, e longinquo spectare poterat Savonem amnem, aliosque

Qui a Calibus ad Volturnum usque pertinebat, & ejus urbis territorium dividebat a Trebulano.

Livius illustratus.

montes, qui ab ista parte Campaniam cingebant. Certe igitur mons *Callicula*, sive *Trebulanus* inter Trebulam & Cales, ille fuit, qui hodie Capuæ territorium dividit a territorio *Baroniæ di Formicola*: angustus autem aditus *Trebulanus* fuit in ultimo ejus colle, qui *Trislisco* nomen habet, & inter *Cajazzum*, sive Calatiam & Capuam Volturno, ubi Casilinum fuit, imminet. Idem hoc iter forte Samnites retro facere deliberaverant, cum in Samnium redire pararent, agrum Falernum depopulati, qua de re lib. X loquutus est *Livius* hisce verbis: *Inquirendo cognoscit* (L. Volumnius consul) *ad Volturnum flumen sedere hostem: inde tertia vigilia moturum iter in Samnium esse.* Neque aliam viam, ut etiam supra notavimus, fere undecim post annorum seculis tenuerunt Guaiderisius, princeps Beneventanus, & Gregorius, præfectus Græcorum, qui *per Cajaziam* (id est, *Cajazzum*) *Sicopolimque* (urbem, in extremo isto, quem modò diximus, Calliculæ collatam colle, cui nomen *Trislisco*) *adventantes, ab Occasu juxta urbem Capuanam* (ubi olim fuerat Casilinum) *resederunt.* Verum *Cluverius*, & ante illum *Flavius Blondus*, qui nec viderunt, quænam potuisset esse corrupti loci *Polybiani* emendatio, neque verum Trebulæ situm cognoverunt, iter Annibalis a Telesia in Campaniam per Allifas non ab latere Calatiæ, quod Orientem & Meridiem versus ad dextram Volturni ripam est, descripserunt, sed ab ejus latere Septentrionali & Occidentali, Teanum versus, & ad sinistram ripam Savonis. Credidit *Blondus*, Calliculam fuisse illum montem, qui surgit in Teanensis dioeceseos campo, cui nomen *Cajanello*: & argumentum petiit a nominum similitudine, ignorans, vetustius ejus campi nomen fuisse *Patenara*: qua de re alibi. *Cluverius* autem credidit, Calliculam fuisse *id jugum, quod ab Massico monte & Savone amne supra opidum Carinola, & locum Torre di Francolise Volturnum flumen versus tendit.* Verum istud jugum multis passuum millibus non attingit hoc flumen, & tantummodo ad Cales usque pertinet, a cujus adverso latere Septentrionali Callicula incipit, qui jam descriptus est a nobis, & ad Volturnum usque extenditur. Ita cum credidisset ille de Callicula, existimavit etiam, *juxta Savonis lævam ripam saltum, id est, angustias transiisse Annibalem.* Verum jam ex illis, quæ diximus, *Polybii* & *Livii* testimoniis adhibitis, hæce illorum opiniones manifeste & abunde refutantur. Equidem non possum illos non multum mirari, qui crediderunt *Livium* sumpsisse ducem, & contrario modo, quam Annibal ab duce suo, id est, per pravum intellectum suum, ab eo fuerunt decepti. Dixerat *Livius*, factum illud iter per agrum Calatinum & Calenum, & tacuerat de Teanensi, per quem ex ipsorum opinione Annibal transire opus habuisset. Igitur quam ob causam Pœnus ille, cum ad montem istum pervenisset, in quo est *Turris Francolisi*, deinde adhuc voluit ad Volturnum usque & Casilinum progredi, persequens male institutum iter? *Castris communitis* (verba sunt *Livii*, quo teste, & item *Polybio*, castra ille posuit ad Volturni ripam) *Maharbalem cum equitibus in agrum Falernum prædatum dimisit.* Certe potuisset eodem in loco manere, & multo propior agrum illum deprædari. Præterea quam ob causam quoque non potius rediit in viam, a qua aberraverat, quamque instituerat Casinum versus, quo recta eum ducebat via Latina? Sed neque dicere potuisset *Livius*, *Casinum longe inde alia regione esse*, si ille extra cœptam viam non amplius quatuor millia passuum processisset, quot millia ab ista

Idem hodie distinguit Capuanum *a territorio* Baroniæ di Formicola. *Atque adeo transiit Annibal per extremum ejus collem, inter* Cajazzum *&* Capuam, *qui hodie dicitur* Trislisco.

Verum alii istum montem crediderunt fuisse ultra; iterum alii, citra Teanum.

Quod multis & variis modis est absurdum.

Blondus & Cluverius refutati.

Livius illustratus.

ista *turri di Francolise* numerantur usque ad Teanum. Et per hanc urbem transeundum erat a Telesia Casinum petenti, ut *Antonini Itinerarium* demonstrat, ubi via describitur, quæ a Roma Beneventum ferebat, cujus cursus, quantum heic ille ad nos pertinet, talis est:

Casinum.
Venafrum M. P. XVI.
Teanum M. P. XVIII.
Allifas M. P. XVII.
Telesiam M. P. XXV.
Beneventum M. P. XVIII.

Itinerarium Peutingerianum collatum cum Strabone. Strabo & Antoninus illustrati & conciliati.

Itidem in *Itinerario Peutingeriano* via a Casino ad Allifas & Telesiam describitur per Teanum, quæ brevior est illa altera per Æserniam, quæ multo longior ibidem etiam descripta est. Veruntamen Teanum non erat recta inter Allifas & Casinum, ut nec erat Venafrum, quam *Strabo*, quia ille tantummodo loquebatur de via Latina, prætermisit: at non item *Antoninus*, cujus aliud erat institutum. Annibal itaque, qui ut perveniret, quo volebat, nullo prorsus dubio necesse habuisset per Teanensem agrum transire, per quem eum duxisset via illa, quam altera breviorem diximus; facile sane retrogredi potuisset, si ille tum non ulterius extra rectam viam excesserat, quam ad collem istum, in quo est *Turris di Francolise*. Verum *Cluverius* & item *Blondus* in opiniones suas inducti sunt ab rapida Maharbalis excursione, qui primo isto adventu ad aquas usque Sinuessanas populando evagatus ansam illis dedit cogitandi, Pœnos ab eadem ista parte adventasse. Atque ita etiam colligi posse videretur ex hisce *Livii* verbis: *Ut vero ad Volturnum flumen castra sunt posita, exurebaturque amœnissimus Italiæ ager, villæque passim incendiis fumabant, per juga Massici montis Fabio ducente, prope de integro orta est seditio.* Et ex hisce aliis: *Ut in extrema juga Massici montis ventum est,* (loquitur de eodem Fabio, ejusque exercitu) *hostesque sub oculis erant, Falerni agri colonorumque Sinuessæ tecta urentes, nec ulla erat mentio pugnæ: Spectatum huc, inquit Minucius, ad rem fruendam oculis, sociorum cædes & incendia venimus?* Sane hinc sibi *Blondus* persuasit, Casilinum, ab qua non longe Annibal castra posuit, admodum vicinam fuisse mari, & vico nostro, qui dicitur *Arnone*, inter quem & aquas Sinuessanas ac Massicum, in cujus jugis Fabius exercitum tenens sub oculis habebat Falerni agri incendia, tantum pauca aliquot passuum millia sunt interjecta. Verum neque Casilinum fuit istic loci, neque *Cluverius* ea de re idem sensit cum *Blondo*, neque etiam aquæ istæ, ex ipsius *Blondi* sententia, ut exposuimus de Sinuessa disputantes, fuerunt celebres istæ thermæ ejus juxta mare, sed aliæ, quæ in mediterraneis surgebant inter Casilinum & Sinuessam, utrinque ad viam Appiam, per quam oportet Maharbalem tam late excurrisse prima ista die. Denique neque Pœni, ante oculos Romanorum deprædantes agrum Falernum, alibi castra sua habebant, quam ad Casilinum, ubi magnam partem æstatis atque autumni illius anni fuerunt commorati.

Nimirum decepti fuerunt cujusdam veterum scriptorum verbis; *Unde alii de Casilini, alii de aquarum quarundam Sinuessanarum situ perperam quoque judicavere.* Blondus & Cluverius denuo refutati.

XXXIII. *Campus Stellatis, cujus nomen diversis modis fuit acceptum. Non fuit ab illo denominata Romana tribus* Stellatina. *Cales urbs, alias dicta* Calenum, *diversa a* Calinulo, *urbe nova. Hæc condita ab Longobardis: illa ab Ausonibus.*

Campus STELLATIS *ultra Vol-* *turnum, & vicinus agro Caleno & Falerno,*

VErum ego, etsi non digressus ab eodem monte Callicula, e quo Annibal subjectam regionem circumspexit, *montibus fluminibusque clausam*, & deinde *per Calenum agrum in campum Stellatem descendit*, facile potui spectare, quod ille istic rerum gessit. Jamque ejus exemplo in campum Stellatem descendam, & aliquamdiu differam de agro Caleno agere, ne eum a Calibus, urbe sua dividam, quæ Septentrionem versus fuit, & aliquantum extra viam, quam iste dux instituit, quæque mihi etiam insistenda est in hac disquisitione. Posuit Annibal castra sua ad Volturnum, non longe a Casilino ab latere Romam versus. Atque adeo ab eodem latere, prope eundem fluvium atque urbem, oportet fuisse campum Stellatem, quem ab altera parte fuisse contiguum & Caleno, & Falerno agro, vel me tacente satis liquido apparere potest ex narrationibus *Livii*, quas attulimus. *Blondus*, Calliculam montem ultra Teanum fuisse arbitratus, & ab ejus radicibus explicari campum, qui hodie *Cajanello* appellatur, & alio nomine vetustiore ab *Leone Ostiensi* sæpius dicitur *Patenara*; pariter sibi persuasit, eundem *Cajanellum* fuisse campum Stellatem. Equidem de hoc ejus duplici errore, qui natus est ex isto primo, jamque abunde refutatus, cum non opus sit heic aliquid amplius addere, illud sane mirari subit, quonam ille modo concipere potuerit animo, Annibalem *per Calenum agrum*, qui citra Teanensem erat, *in campum Stellatem descendisse*. Vitavit hunc scopulum *Cluverius*, sed itidem suæ insistens opinioni de Calliculæ situ, campum Stellatem collocavit ad latus Septentrionale montis istius, in quo est *Turris di Francolise*. Verba ejus hæc sunt: *Porro claudebat a Septentrionibus Falernum agrum Callicula mons, ultra quem statim erat Stellatis ager, sive campus.* Neque ille animadvertit, (ut itidem non repetam, quæ contra istam ejus opinionem jam sunt dicta) se adhuc manifestius in alium impingere scopulum non minorem: id est, Annibalem in itinere ad Casilinum e campo Stellati adscendisse Calliculam montem, contra quam *Livius* collato *Polybio* nos docuit. Sed ille re vera non videtur recte in memoria habuisse horum locorum situm. Nam Calliculam suum ad flumen usque Volturnum produxit, & alibi Stellatem campum non ultra, sed citra eundem male cognitum collocavit montem, & inter Casilinum atque Cales; cum de hac urbe differens ita scripsit: *Porro ultra Casilinum & Stellatem agrum est opidum, vulgari nunc vocabulo Calvi, id antiquitus dicebatur Cales.* Nisi tamen potius dicere velimus, eum ex alio in alium errorem delapsum, cum sentiret se contrariis premi argumentis, mente vacillante perinde montes & campos ex uno in alium locum transtulisse.

Ab nonnullo recentiorum creditus fuit ultra Teanum fuisse, errore manifesto. Blondus refutatus. *Nihilo rectius eundem alius descripsit ultra* Turrem di Francolise. Cluverius refutatus, & notatus contradictionis.

Jam vero credi posse video, ne quidem ipsos veteres uno eodemque modo de campo Stellati loquutos: & videri alios inter se confudisse ipsius & vicinorum agrorum nomina: alios nomen ejus promiscue usurpavisse de aliis agris nobilibus & a fœcunditate laudatis. Sane inter hos referri posse videtur *Silius*, qui lib. XI narrans de Campanis, qui Annibalem per urbem suam circumducebant, ita dixit:

Fuerunt etiam Stellates ab quodam veterum dicti numero multitudinis nobiles cis & ultra Volturnum agri:

——— ——— ——— *Monstrant Capitolia celsa,*
Stellatesque docent campos, Cereremque benignam.

Hi forte non per licentiam poëticam usus est hoc vocabulo numero multitudinis, sed observata quadam illius proprietate. Neque enim illa poëtis est licentia, ut campos movere loco suo queant. Ille vero istac ratione Stellatem citra Volturnum, & ad mœnia usque Capuæ transtulisset. Igitur, ni fallor, loqui ille voluit de amplis & a fertilitate plurimum laudatis agris, qui ab utraque ri-

Silius illustratus pluribus modis.

pa istius amnis erant: unde etiam generali ista metaphora *Cereremque benignam* eandem illorum laudem exposuit. nisi tamen priori isto nomine, de cujus significatione mox agam, separatim dicere voluit de agris citra Volturnum, ad pascua aptis, hoc autem posteriori significare arva sementibus apta. Eodem quoque modo ille Capitolii nomen numero multitudinis extulit, eoque denotare voluit magnifica & superba Campanorum ædificia, non vero peculiare ipsorum Capitolium, quod teste *Suetonio* lib. III cap. XL, qui lucem affert *Taciti* verbis lib. IV *Annalium*, conditum fuit demum Tiberii temporibus, & ipsius manu dedicatum, elapsis jam ab adventu Annibalis in Capuam plus annis ducentis. Neque etiam arbitror, *Joannem Baptistam Attendolum* nostrum in *Oratione*, quam recitavit in pompa funebri, qua anno epochæ Christianæ MDLXVII Capuæ parentatum est principi Carolo Austriaco, dictum fuisse respectu loci, ubi orabat: *Di quà tu vedi il campo Stellate, che continua primavera riserba: i campi Leborini di là.* id est: *Hinc campum Stellatem vides, qui ver perpetuum servat: illinc campos Leborios*; si de vero Stellati campo, qui ultra Volturnum erat, loquutus fuisset. Nam in reliquis quidem istius periodi certe intellexit verum campum Leborium, qui ulterior erat, id est, ab urbe nostra remotior, & Cumis atque mari proximus, quem *Leborias* dixit *Plinius Secundus*, ut suo loco indicavimus. Certe non alio modo potest accipi hæc descriptio, facta ab homine excellentis ingenii, profundæque scientiæ atque eruditionis, qui in more positum habuit, ut scriptis suis cogitationes insereret non vulgares, atque heic forte istoc nomine usus est latiori significatione, credens illud ortum a voce *Stella*, quam *significare ait Atejus Capito*, referente *Festo*, *lætum & prosperum.* Jam si campus Leborius, segetum fœcunditate nobilissimus, fuit ipsi campus ulterior: Stellatis campus citerior, ipsi fuerit iste, qui hodie appellatur *il Mazzone delle Rose*, & absolute *il Mazzone*, *qui ver perpetuum servat*: & de eo acturus ero in *Dissertatione* sequenti. Atque ita prorsus pari passu ambulaverit ejus imitatio *Siliana*. Quod si mihi non concedatur, posse eum hoc sensu fuisse loquutum, aut ipsum, aut quicunque tandem illi fuit istorum verborum auctor, duplicem admisisse errorem oportet, translato campo Leborio ultra, & Stellati citra Volturnum, situ utrinque contrario. Nam ille quidem hanc in rem commemoravit honoris causa *Scipionem Zanelium* nostrum, quem fama est multum operæ posuisse in conscribendis antiquitatibus nostris. Verum jam aliquot annis ante *Volaterranus*, non alio allato argumento, quam ejus duntaxat verbis, quia eadem opinio fortasse illis temporibus admodum erat popularis, in *Geographia* sua vulgaverat, Stellatem fuisse campum antedictum, *quem Maxonem accolæ vocant.* Jam vero inter istos auctores, qui nonnunquam Stellatem eique vicinos agros inter se confuderunt, manifeste fuit *Livius*, apud quem singulari plane modo nomen ejus frequentius occurrit, quam apud quemlibet alium. Præter hunc mentio ejus est facta ab *Cicerone*, *Agraria* I & II, *Suetonio*, lib. I cap. XX, *Julio Obsequente* in libro *De prodigiis*, & denique *Festo*: qui de situ ejus tacentes, alias easque varias res de eo scripserunt, quas sigillatim suis locis examinabimus. *Livius* lib. IX, res L. Postumio, Tib. Minucio Coss. gestas referens, inter alia dixit: *In campum Stellatem agri Campani Samnitium incursiones factæ.* Hac de re narrans *Diodorus Siculus* lib. XX *Falernum* dixit eundem campum. *Postea* (verba sunt interpretis) *Samnitibus Falernum agrum depopulantibus, profecti sunt consules adversus eos.* Sed respondebit quis, propter vicinitatem utriusque istius campi communia fuisse illa damna: nec aliud ego volo. Et adeo eandem ob causam etiam *Livius* promiscue usurpavit illorum nomina. Porro observetur hoc, quod lib. X scripsit: *Samnitium legiones, cum partim App. Claudius prætor, partim L. Volumnius proconsul sequeretur, in campum Stellatem convenerunt. Ibi & Samnitium legiones omnes considunt, & Appius Volumniusque castra conjungunt. Pugnatum infestissimis animis:* cum autem Romani superiores evasissent, ille poterat appellari *felix annus bellicis rebus*, quo *Samnites in Sentinati agro, Pelignis, ad Tifernum, Stellatibus campis, suis ipsi legionibus, mixti alienis, ab quatuor exercitibus, quatuor ducibus Romanis cæsi fuerunt.* In hac narratione varie ille extulit Stellatis campi nomen, numero unitatis & multitudinis, nec utroque modo perinde demonstrare voluit Stellatem solum. Deprehenditur etiam hæc permutatio nominum in illis, quæ eodem libro dixerat itidem de Samnitibus ad hunc modum: *In Samnio novi exercitus exorti ad depopulandos imperii Romani fines, per Vescinos in Campanum Falernumque agrum transcendunt, ingentesque prædas faciunt. Volumnium, magnis itineribus in Samnium redeuntem, fama de Samnitium exercitu populationibusque Campani agri ad tuendos socios convertit. Ut in Calenum agrum venit, & ipse cernit recentia cladis vestigia, & Caleni narrant, tantum jam prædæ hostes trahere, ut vix explicare agmen possint.* Quamvis enim in hac narratione non commemoraverit agrum Stellatem proprio nomine, sed isto altero magis universali, nempe agri *Campani*, ut jamjam indicabo, nihilominus apparet, eum nullam fecisse differentiam inter eundem *Campanum* agrum, qui erat & *Stellatis*, & *Falernus*, & *Calenus*, inter se vicini agri, quos deinde communi nomine *Stellates* appellavit numero multitudinis, ubi victoriam istam Romanorum retulit ab Samnitibus partam felice isto bellicis rebus anno. Præterea ille, qui nobis dixit, Annibalem per Calliculam montem in agrum Calenum descendisse, & pervenisse in Stellatem, in tota omnino reliqua narratione nunquam memoravit amplius campum Stellatem, sed ejus loco semper usus est nomine agri Falerni, ut & fecerunt omnes alii, quotquot ista de re scripserunt. Verba ejus, quæ huc pertinent, supra jam retulimus variis occasionibus, & denuo etiam adducemus, ubi erit opportunum. Verum *Polybii* interpres lib. III de Annibale ita scripsit: *Proficisci Capuam, & in Falernum agrum descendere decrevit.* Et deinde ita de Fabio: *Ut vero Falerno appropinquavit, tantummodo in jugis montium ostendit exercitum.* Et denuo de elapso Annibale ad hunc modum: *Annibal hoc astu angustiis Falerni agri liberatus, tutioribus in posterum ad castrametandum locis electis, hybernis locum quærebat. Auctor De viris illustribus* de Fabio dixit: *Annibalem in agro Falerno inclusit.* Neque *Silius* etiam, qui lib. VII eadem gesta exposuit, unquam memoravit alium agrum, quam Falernum. Atque adeo judicaverim ego, *Plinium Secundum*, ubi lib. III cap. V inter nobiles Campaniæ agros numeravit *Vescinum*, *Cæditium*, (ita supra demonstravimus corrigenda esse vocabula: *Setinus* & *Cæcubum*) *Falernum*, & *Calenum*, tacuisse nomen *Stellatis*, qui in eodem tractu erat, eumque eodem modo comprehendisse *Falerni* nomine: nisi tamen ille prætermisit eum propter exiguam ejus æstimationem, qua de re paulo post dicam. Forte etiam *Julium Obsequentem* unum pro altero posuisse nomen oportet in hisce verbis: *M. Acilio, C. Porcio*

Forsan appellative, & speciatim citeriores, qui herbis abundabant.

Joannes Baptista Attendolus illustratus, & collatus cum Silio.

Scipio Zanelius & Volaterranus refutati.

Alius promiscue usurpavit nomina Stellatis, Falerni, & Caleni, licet diversorum essent agrorum.

Livius & Diodorus

Siculus collati.

Livius illustratus pluribus locis.

Livius, Polybius, & Auctor De viris illustribus collati.

Plinius Secundus ambigue illustratus.

Julius Obsequens illustratus.

cio Coss. Pompejus Elvius eques Romanus a ludis Romanis cum in Apuliam reverteretur, in agro Stellate filia ejus virgo, equo insidens, fulmine icta, exanimata est. Nam Pompejus iste debebat iter facere per Appiam, quæ ab ista parte per agrum Falernum erat directa, ut in sequentibus demonstraturus ero: nisi potius eadem via Falernum a Stellate dividebat, ideoque perinde dici poterat iter ejus per hunc fieri, quam per istum agrum. Jam vero communi agri *Campani* nomine *Livius* plus semel, ut ego arbitror, & supra monui, hunc appellavit campum, qui proprie dicebatur *Stellatis*. hoc non eam ob causam, quia ille erat in *Campania*, qua ratione lib. IX dixit: *In campum Stellatem agri Campani Samnitium excursiones factæ*: nam & hoc modo *Falernus* ager erat *Campanus*, quos tamen ille inter se distinxit; sed quia ille erat in Campanorum ditione, dum vicinus Falernus, iisdem jam ademptus, & in potestate Romanorum erat. Igitur ille hoc altero & latiore sensu agrum *Stellatem* communi *Campani* nomine appellavit, ubi ita dixit lib. X: *In Samnio novi exercitus exorti ad depopulandos imperii Romani fines per Vescinos in Campanum Falernumque agrum transcendunt.* Item lib. XXII, ubi M. Metilium tribunum plebis, dicentem introducit, Annibalem diripuisse *Campanum, Calenumque, & Falernum agrum, sedente Casilini Dictatore.* Forte etiam, ubi eodem libro Casilini situm descripsit, *quæ urbs Volturno flumine dirempta, Falernum a Campano agro dividit.* Ad hanc urbem ab Sinuessa ferebat itinere rectissimo via Appia, dividens, ut indicavi paulo ante, & post exponam latius, agrum Falernum ab Stellate, quem ipse alibi appellavit *Campanum.* Sane in eadem narratione prodidit ille, Annibalem *castris communitis* (nempe ad ripam Volturni, quia subjunxit: *Ad Volturnum flumen castra sunt posita*) *Maharbalem cum equitibus in agrum Falernum prædatum dimisisse.* Atque adeo Falernus, quod nomen itidem ab illo usurpatum est pluribus modis, attingebat, & non attingebat Volturnum & Casilinum: quæ urbs eadem loquendi inconstantia agros istos dividebat, & proprie tamen debebat esse vicinior agro Caleno, per quem Annibal ex Calatino in campum Stellatem descenderat. Non possum etiam satis esse certus, an *Livius* lib. VIII eodem nomine communi eundem Stellatem, qui ultra Volturnum erat Falerno contiguus, an vero agrum *Campanum* strictius sumptum, qui cis istum amnem erat, intellexerit, ubi ita de Palæpoli dixit: *Hæc civitas cum suis viribus, tum Samnitium infidam adversus Romanos societate freta, sive pestilentia, quæ urbem Romanam adorta nunciabatur, fidens, multa hostilia adversus Romanos, agrum Campanum Falernumque incolentes, fecit.* Sane enim hunc alterum agrum *Campanum* specia-tim memoravit *Cicero*, & aperte eum distinxit ab Stellate, hisce verbis *Agrariæ* II: *Atque his colonis agrum Campanum & Stellatem campum dividi jubet.* Et *Agraria* II: *Adjungit Stellatem campum agro Campano, & in eo duodena describit in singulos homines jugera: quasi vero paullum differat ager Campanus ac Stellatis.* Itidem illos distinxit *Suetonius* lib. I cap. XX, ubi de Cæsare ita dixit: *Campum Stellatem, majoribus consecratum, agrumque Campanum, ad subsidia reipublicæ vectigalem relictum, divisit extra sortem ad viginti millibus civium, quibus terni pluresve liberi essent.* Atque hunc peculiarem agrum Campanum satis credere convenit citra Volturnum fuisse, ubi eum frequenter descripsit idem *Livius*, ut demonstravimus alibi. Campus itaque Stellatis fuit ultra eundem amnem ager; diversus a Falerno, & Caleno: licet alias illi confusi fuerint in unum duntaxat agrum; alias illorum nomina usurpata promiscue, & alterum pro altero positum.

Et idem Stellatis campus dicitur quoque fuisse communi nomine agri Campani: Livius illustratus.

Livius notatus & illustratus.

Quod etiam fuit alterius agri peculiaris citra Volturnum nomen.

Livius, Cicero & Suetonius collati.

Fuit etiam in Etruria campus quidam, qui eodem nomine fuit appellatus. Ceterum hunc & nostrum illum cum veterum quidem nemo permutaverit invicem, ab quibusdam recentiorum fuerunt illi inter se confusi nimis errore manifesto. Nimirum inter quinque & triginta tribus, in quas descriptus erat populus Romanus, una fuit, quæ ab nomine campi *Stellatis* dicta fuit *Stellatina*. Verum hic fuit Etruriæ, non Campaniæ ager, ut monuit *Festus* istis verbis, quæ licet hiulca, satis ingeniose suppleta sunt ab *Antonio Augustino* ad hunc modum: *Stellatina tribus*, dicta non a campo *eo, qui in Campania est, sed eo, qui* parum abest ab urbe *Capena, ex quo Tusci profecti* Stellatinum eum *campum appellarunt.* Primum condita fuit tribus Stellatina & addita reliquis isto anno, quo Tribuni militum consulari potestate fuerunt L. Papyrius, C. Sergius, L. Æmylius secundum, C. Cornelius, L. Menenius, & L. Valerius Poplicola tertium, ut affirmat *Livius* hisce verbis lib. VI: *Tribus quatuor ex novis civibus additæ: Stellatina, Tromentina, Sabatina, Arniensis.* Fuit ille ab Urbe condita annus CCCLXVI. Jam proximis annis XLIV, nimirum ad deditionem usque Campanorum, necdum transierunt in Campaniam Romani. Sed non multo ante annum istum CCCLXVI quarundam Etruriæ urbium cives Romam se contulerant, quos sagaciter judicavit *Sigonius* lib. I cap. III *De antiquo jure civium Romanorum* descriptos fuisse in quatuor istas tribus, quarum fecit mentionem *Livius*. *Cluverius* lib. III cap. VII de Interamna differens, postquam prudenter & ipse censuerat, *tribus populi Romani, quæ complures numero fuere, a regionibus, sive pagis, circa urbem Romam subinde perdomitis, nomina traxisse*; subjunxit: *Ex Falerno ac Stellate agris duæ tribus Falerina & Stellatina cognomenta accepere.* Sed cum de Falerina quidem hoc possit esse verum, ipse nihil ultra cogitans idem pronunciavit de Stellatina. Eadem fuit *Blondi* opinio *Romæ triumphantis* lib. IX, quem deinde sequutus est *Volaterranus*, sicut hos *Guido Pancirollus* lib. II cap. CCLX *Variarum lectionum.* Credidit *Blondus*, Stellatinam tribum fuisse institutam, ut in eam referrentur isti Romani cives, quibus Cæsar nostrum Stellatem campum divisit, qua de re loquutus est *Suetonius* verbis istis, quæ non multo ante retulimus: & illi, dixit idem *Blondus*; *tanti fecerunt id munus, ut tanquam una sodalitas inde effecti, pro communi omnibus elogio ac titulo in monumentis se singuli Stellates inscripserint.* Et hoc quidem satis est verum, in multis priscorum nostrorum Campanorum *Inscriptionibus* sepulcralibus legi nominibus illorum istius tribus nomen additum, sicut in multis aliis legitur tribus *Falerinæ* nomen; præter has autem nullius alterius: ut adeo dicendum sit, Cæsarem ex illis duntaxat duabus tribubus ista viginti millia colonorum suorum delegisse. Verum *Blondus* neque de illa, quam modo retulimus, Stellatinæ tribus institutione, neque de Romanorum more, quo suo quisque nomini nomen suæ tribus addebat, quicquam videtur habuisse cognitum: & adeo supervacuum est, hanc rem tractare pluribus. Porro autem nobis denuo agendum erit de situ ejusdem nostri campi Stellatis, ubi de agro Falerno dicturi erimus. Interea per agrum Calenum, quem prætermisimus, & per viam Latinam ab hoc Stellate & Casilino pergemus ad Cales, quæ hodie vulgo *Calvi* appellatur.

Fuit in Etruria alter campus Stellatis, unde nomen accepit tribus Stellatina apud Romanos.

Multis ante annis, quam in Campaniam transierunt Romani.

Sigonius laudatus.

Cluverius, Blondus, Volaterranus, & Pancirollus refutati.

Suetonius illustratus.

CALES, hodie Calvi, ultra Casilinum & cis Teanum urbs fuit:

Teano, quæ urbs una cum prisco situ, etsi leviter immutato, priscum quoque nomen integre servat, adeo vicinum est *Calvi* oppidum, ut dubitari non possit, quin ibidem loci fuerit olim *Cales* urbs, quæ alias Latinis etiam dicta fuit *Calenum*, prout varie eam appellaverunt veteres. Jam ad cognoscendam illarum inter se pristinam vicinitatem, satis certam nobis aperire viam poterit *Strabo*, qui adverso nobis itinere cursum viæ Latinæ exsequens, postquam Teanum memoraverat, ita dixit, ut Latine ejus verba habent: *Eam subsequitur Calenorum urbs*, (sic Græca præferunt) *ipsa quoque egregia, & Casilino contigua.* Vult igitur, ultra Teanum & cis Casilinum, nulla interjecta alia, sitam fuisse urbem Calenorum, quæ illa fuit, quæ recto nomine appellabatur *Cales*, ut ipse aliquanto post eam nominavit in hisce verbis: *Præter nominatas hæ quoque sunt Campaniæ urbes, quarum supra est a me facta mentio: Cales*, (heic re vera in Græcis legitur κάλκη, *Calce*: sed quis non videt, librariorum hoc esse vitium?) *& Teanum Sidicinum, quas distinguunt duæ Fortunæ ædes.* Ceterum hic loquendi modus, quo Cales Casilino contiguas dixit, eodem sensu usurpatus est etiam alias ab eodem auctore, ubi aliquanto post ita scripsit: *Bovianum, Æsernia, Pauna, Telesia, Venafro adjacens, aliæque similes non merentur inter urbes censeri*: licet ille heic videatur hallucinatus esse aut in Allifarum, aut in Venafri nomine, quandoquidem inter Venafrum & Telesiam sunt Allifæ. Et scriptores quoque Latini, ut in capite *De doctorum indagine* notavit *Nonius Marcellus*, *proximum dicebant non solum adhærens & adjunctum, verum etiam longe remotum; si tamen inter duo discreta nihil medium exstitisset.* Itaque non fuit hæc peculiaris *Straboni* loquendi forma, ut autumavit *Cluverius* lib. III cap. VIII, sed satis communis. Itaque ex ejusdem geographi sententia Calenorum urbs, id est Cales, sita fuit inter Casilinum & Teanum, hac propius ad meridiem, ista ad septentrionem. Apprime his adstipulatur *Polybius*, ubi lib. III in Campaniæ nostræ finibus descripsit ab eadem ista parte Calenos & Teanenses. Verba ejus Latine reddita, hæc sunt: *In mediterraneis ad Septentrionem sunt Caleni, & qui Teanum habent.* Non minus accedit *Straboni Livius* lib. VIII ita dicens de Ausonibus: *Ea gens Cales urbem incolebat: Sidicinis finitimis* (hi erant Teanenses) *arma conjunxerat; unoque prælio haud sane memorabili duorum populorum exercitus fusus, propinquitate urbium & ad fugam pronior, & in ipsa fuga tutior fuit.* Et lib. XXVI: *Annibal, quo die Volturnum est transgressus*, (cum nempe per viam Latinam est profectus ad obsidendam Romam) *haud procul a flumine castra posuit: postero die præter Cales in agrum Sidicinum pervenit.* Verum idem iter Annibalis, quantum attinet ad situm Calium & Teani, plane inverso modo descripsit *Silius*, dubium metri necessitate adactus, an inductus falsa quadam opinione. nam & lib. VIII, ubi populos atque urbes Italiæ recenset, quæ ante prælium Cannense Romanorum partibus favebant contra eundem Annibalem, adhuc pejus Cales nostras collocavit in Pelignis, non longe a Sulmone. Ceterum versus ejus, quos modo dicebamus, lib. XII hi sunt:

Strabo emendatus, illustratus, & notatus.

Cluverius notatus.

Strabo, Polybius, & Livius collati.

Non vero ultra Teanum, licet a quibusdam videatur ibi esse descripta:

Silius notatus pluribus de causis.

> —— —— —— —— *Volturna citata*
> *Transmittunt alvo vada; postremique relinquunt*
> *Tardandis Italis corruptas igne carinas.*
> *Tum Sidicina legunt pernicibus arva maniplis,*
> *Threïciamque Calen, vestras a nomine nati,*
> *Orithyia, domos. Hinc Allifanus, Iaccho*
> *Haud inaratus ager, nymphisque habitata Casini*
> *Rura evastantur.* —— —— ——

Sed idem quoque *Livius*, postmodum neque sibi constans, neque verum sequens, eodem lib. XXVI Fulvium narrat a Capua Teanum ivisse, ut morte mulctaret Senatores Campanos, quos istic in custodiam dederat, eumque mox perrexisse ad Cales, ut capite plecteret alios, qui istic itidem asservabantur. *Cum hoc equitatu*, dixit, *nocte Teanum profectus, prima luce portam intravit, atque in forum perrexit.* Et mox: *Inde citato equo Cales percurrit; ubi cum in tribunali consedisset, productique Campani deligarentur ad palum, eques citus ab Roma venit:* & quæ sequuntur. Atque hoc perverso ordine *Valerius Maximus* quoque istud factum narravit sequentibus lib. III cap. VIII verbis, quibus de eodem Fulvio loquitur, qui *Campanum Senatum, impii decreti auctorem*, (nempe relinquendæ Romanorum præ Carthaginiensium amicitia) *funditus delere constituit. Itaque catenis onustum in duas custodias, Teanam Calenamque, divisit.* Et mox: *Nocte admisso equo Teanam contendit, interfectisque, qui ibi asservabantur, e vestigio Calenam transgressus*, (ita legendum arbitror, non vero *Calenum*, ut volunt alii; neque *Cales*, ut *Pighio* placet. Dixerat enim: *In custodias, Teanam Calenamque, divisit*; &: *Teanam contendit*: ipso hanc lectionem probante *Pighio*) *perseverantiæ suæ opus exsequutus est.* Sed re vera *Strabo* duarum Fortunæ ædium indicio, quæ ad viam Latinam territorium Calenum dividebant ab Teanensi, ut ut omnia alia deessent argumenta, nobis demonstrat, hanc urbem fuisse citra Teanum. Perinde enim ab singulis ejusdem viæ lateribus, quæ istic magnam partem superest integra, singularum istarum ædium apparent vestigia istic loci, ubi pari fere inter utramque urbem intervallo publica taberna est, quæ plus centum annorum nomine appellatur *la Torricella*, & est *Calvi* oppidum versus. Istic forte loci Sulla colloquium istud habuit cum L. Scipione, quo de loquutus ita est *Cicero Philippica* XII: *Sulla cum Scipione inter Cales & Teanum, cum alter nobilitatis florem, alter belli socios adhibuisset, de auctoritate Senatus, de suffragiis populi, & de jure civitatis, legis inter se conditiones contulerunt.* De eodem quoque loquutus est *Appianus Alexandrinus* lib. I *De Bello civili*: *Nam Scipio* (ita ejus verba Latine reddidit interpres) *acceptis obsidibus, ad colloquium in campum prodiit; conveneruntque trini utrinque, quo factum est, ut vulgo nesciretur, quid collocuti sint.* Et ibidem loci Teanum versus habitum quoque est anno epochæ Christianæ MCCCCLX insidiosum istud colloquium Marini Marzani, Rossani principis & Ducis Suessani cum rege nostro Ferdinando I, ad eum occidendum, de quo scripsit *Jovianus Pontanus* lib. I *De bello Neapolitano.*

Livius notatus.

Valerius Maximus notatus.

Inter quam & Cales duæ fuerunt Fortunæ ædes.

Cicero & Appianus Alexandrinus collati.

Verum idem *Strabo*, qui nos ad Cales deduxit per viam Latinam, appellavit eam quoque *Calenorum urbem* more Latinorum, qui etiam quodlibet aliud ad hanc urbem pertinens dixerunt *Calenum*. Incolas ejus *Calenos* dixit *C. Gracchus*, (relictis aliorum, ejus tantum verbis utar, quæ sunt apud *A. Gellium* lib. X cap. III, ex quibus itidem apparet, eam urbem multum fuisse vicinam Teano) ubi ita loquutus est: *Nuper Teanum Sidicinum consul venit. uxorem dixit in balneis virilibus lavari velle.* Et mox: *Caleni ubi id audiverunt, edixerunt, ne quis in balneis lavisse vellet, cum magistratus Romanus ibi esset.* Jam vero si *Livius* agrum *Calenum* dixit, ut supra intelleximus, illum agrum, qui cis Cales cum Stellate conjungebatur Volturnum amnem versus; observare licet, *Valerium Maximum* & *Plinium Secundum* eodem nomine appellavisse illum etiam agrum, qui ultra Cales erat Teanum versus. Conferatur solum-

Caleni dicti fuerunt ab Latinis cives Calium urbis:

Et Calena fuit appellata quæ-

lummodo idem *Plinius* secum, & uterque cum *Vitruvio*, quod in proclivi est, si cujusque verba heic referantur. *Valerius Maximus* lib. I cap. VIII, ubi de variis naturæ miraculis loquitur, ita dixit: *Vel quare alteram in Macedonia, alteram in Caleno agro aquam, proprietatem vini, qua homines inebriantur, possidere voluerit.* *Plinii* verba lib. II cap. CIII hæc sunt: *Lyncestis aqua, quæ vocatur Acidula, vini modo temulentos facit. Item in Paphlagonia, & in agro Caleno.* Libro autem XXXI cap. II scripsit ad hunc modum: *In eadem Campaniæ regione Sinuessanæ aquæ sterilitatem fœminarum & virorum insaniam abolere produntur. In Ænaria insula calculosis mederi; & quæ vocatur Acidula, ab Teano Sidicino quatuor millia passuum. hæc frigida. Item in Stabiano, quæ Dimidia vocatur, & in Venafrano, ex fonte Acidulo.* Denique *Vitruvius* etiam, ubi lib. VIII cap. III Teano adscribit hanc aquam acidam, cujus ipse & *Valerius Maximus* unam tantummodo, *Plinius* autem geminam retulit virtutem; idque diversis in locis, qui tamen re vera nonnisi unus erat locus, licet aquæ fortasse fuerint diversæ; satis indicat, eam scaturivisse, ut hodieque scaturit, in agro olim *Caleno*, Teanum versus: id est, in ista parte ejus, quæ Occidentem versus est, & ad radices Septentrionales montis istius, quem *Cluverius* credidit esse *Calliculam*, in quo est *la torre di Francolise.* Atque huc apprime facit quatuor millium passuum distantia ab Teano, quam nobis exposuit idem *Plinius*. Ceterum *Vitruvii* hæc sunt verba: *Item sunt nonnullæ acidæ venæ fontium, ut Lyncesto, & in Italia Virena, Campania Teano, aliisque locis pluribus, quæ hanc habent virtutem, ut calculos in vesicis, qui nascuntur in corporibus hominum, potionibus discutiant.* Ex *Horatii* quoque sententia, ut jam a vinosis aquis ad generosa vina Calium transeamus, nec excedamus tamen ex eodem agro *Caleno*; unde minus est mirum, istic esse aquas ejusdem cum vino virtutis ac saporis; non aliud est in lib. I *Ode* XX:

Cæcubum, & prælo domitam Caleno
Tu bibes uvam, — — —

quam in lib. IV *Ode* XII:

Sed pressum Calibus ducere Liberum
Si gestis. — — —

Ad posteriores hosce versus vetus ejus interpres, a *Cruquio* vulgatus, item *Acron* & *Porphyrion* per vinum *pressum Calibus* non aliud intellexerunt, quam vinum *Calenum*. Et eundem poëtam, ubi lib. I *Ode* XXXI dixit:

Premant Calena falce, quibus dedit
Fortuna vitem, — — —

a nomine *Cales* dixisse falcem *Calenam* monuerunt iidem tres *Scholiastæ*, quorum duo priores alter alterius verbis fuerunt usi ad hunc modum: *Calena. a loco. Cales enim opidum est in agro Sidicino*, (hic est ager Teanensis) *ubi optima vina Calena* (codices *Acronis* habent: *optima vina, ut Falerna*) *nascuntur.* *Porphyrion* autem ita scripsit: *Cales opidum in agro Sidicino est. In illa autem regione vina Falerna nascuntur.* Insuper si *Valerii Maximi* verba ita legi placet, quemadmodum ea supra citavimus, per *custodiam Calenam*, & absolute per *Calenam* oportet eum intellexisse custodiam illam, in qua Calibus asservabatur pars Senatus Campani. Atque de his jam sufficiat.

Cum itaque cives Calium dicti fuerint *Caleni*, & item *Calenum* quodcunque aliud ad eam urbem pertinens, poterimus esse certi, municipium *Calenum*, cujus *Cicero* mentionem fecit lib. IX *epist.* XIII *Ad familiares*, & in *Agraria* II: *Calenum municipium complebunt: Teanum opprimens*; non aliam fuisse urbem, quam *Cales*. Et adeo dicemus etiam, *Cales* illam fuisse urbem, quam idem auctor lib. VIII *epist.* III *Ad Atticum* absolute dixit *Calenum* hisce verbis: *Sed ecce nuncii, scribente me hæc ipsa noctu in Caleno: ecce literæ*: cujus tamen alias magis vulgari *Calium* nomine fecit mentionem, nempe ejusdem libri *epist.* XI sive XV, & libri præcedentis *epist.* XIV, XVI, & XX. Proinde ad ejus imitationem *Valerius Maximus*, ut quidam codices ejus habent, itidem *Calenum* appellaverit urbem illam, quam *Livius* dixit *Cales*. Certe *Plinius* in catalogo urbium primæ regionis Italiæ alteram ab altera non agnovit diversam, quia recensuit unicam *Calenum*, sicut contra *Strabo*, quem jam adduximus, tantum de *Calibus* est loquutus, ut & fecit *Ptolemæus*, cujus verba retulimus, ubi de Trebula fuit actum. Et hosce sequuti *Sanfelix* & *Cluverius* ne quidem de *Caleno* loquuti sunt, & nihil prorsus dixerunt de hac duplici ejus urbis appellatione. Nihilominus existimaverunt nonnulli seculis præteritis, & eadem quoque multorum fuit opinio hisce temporibus, *Cales* quidem fuisse hanc urbem, quæ hodie *Calvi* dicitur, sed *Caleni* nomen convenire in *Carinolam*, satis noti situs urbem, & multo viciniorem monti Massico, item a Teano Occidentem hybernum versus aliquanto remotiorem, quam *Calvi* opidum est. Hæc opinio videtur mihi primum esse orta jam inde usque a temporibus Normannorum nostrorum, id est, usque ab anno circiter MC epochæ Christianæ. Verum ejus auctores gravem sane admisisse errorem, vel hinc manifeste potest apparere, quod *Carinola* urbs est nova, condita, si recte memini, ab Longobardis loco tutiore, quam ubi proximum Forum Claudii situm erat, de quo in sequentibus acturi sumus, cum idem Forum jam deficere cœpisset. Hi illam non Latine dixerunt *Calenum*, sed vulgare ejus urbis nomen volentes reddere Latinum, eam appellaverunt *Calinium*, & interdum *Calinulum*, & item *Carinulum*, ut observari potest ex *Num.* XL & LX *Historiæ Herchemperti*, qui auctor præcessit annum epochæ Christianæ DCCCC; item ex cap. XXIII & XLV lib. I, & ex cap. LXXXV lib. II apud *Leonem Ostiensem*, qui etsi vixit circa annum istum MC, nihilominus quotiescunque loquutus est de donationibus, monasterio Casinensi factis a varii generis hominibus, semper usus est iisdem verbis, quæ in illarum autographis erant scripta, ut deprehendi ex ejus collatione cum *Indice Petri Diaconi*, qui inter ejusdem monasterii archiva est: loci autem, quos ex ejus *Chronico* citavi, de istis agunt donationibus, quæ ipsius ætatem præcesserunt. Ceterum erroris istius arbitror eundem *Leonem*, & multo magis *Petrum* istum *Diaconum* magnam præbuisse causam, qui illius *Chronicon* continuavit ad annum usque MCXXXVII, quod ille perduxerat ad tempus Desiderii Abbatis, nondum ad summum Pontificatum evecti, quod accidit anno MLXXXVII. Idem itaque *Petrus Carinolam* appellavit *Caleni* nomine (ex *Leone* afferam exempla, ubi de Foro Claudii agam) ejusdem *Chronici* lib. IV cap. LIV, LXXXII, LXXXIV, LXXXV, XC, & XCI, Bartholomæum *a Caleno*, & Richardum *Caleni* dominum dicens quosdam illorum temporum *Barones*, qui ab stirpe Normannorum Capuæ principum orti, ut demonstravi in *genealogia* eorundem principum, lib. I *Historiæ principum Longobardorum*, *Carinolam* in potestate habebant, quod ex aliis antiquis monumentis satis est certum. Ille etiam, qui descripsit translationem corporis S. Marcii, sive Martini eremitæ, factam anno MXCIV ex crypta Massici montis in oppidum *Carinolam*, itidem hoc appellavit *Caleni* nomine, quia similiter vixit multis

tis annis post, cum error iste vulgo jam invaluisset. Et ad seram quidem ejus scriptoris ætatem quod attinet, argumento mihi est error, quem admisit in nomine patris Jonathæ, qui dominus *Carinolæ* fuit tempore translationis istius, ut monui etiam in eadem *genealogia*, quam modo citavi. Insuper *Anonymus Monachus Casinensis* ad annum MCXC & MCXCII, *Richardus de S. Germano* ad annum MCCXXIX, aliique istius seculi scriptores omnes semper *Caleni* nomine usi fuerunt ad *Carinolam* significandam: & iidem de *Calvi* urbe loquentes, eam dicunt *Calvum*, quæ Latine fuit dicta *Cales*. Porro auctor *Vitæ S. Bernardi*, *Carinolæ* episcopi, qui in ista sede vixit ad annum usque MCIX etiam illam appellavit *urbem Calenensem*. Idem fecerunt alii recentioris ævi, inter quos fuit auctor *Inscriptionis*, quæ est in nostræ urbis templo Archiepiscopali, in sepulcro Francisci Grassulli, qui & ipse fuit *Carinolæ* episcopus, & appellatur *episcopus Calenensis* in eadem *Inscriptione*, cujus hæc sunt verba:

Anonymus Casinensis & Richardus de S. Germano refutati.

Et etiam urbs Calenensis.

Alii ignoti auctores refutati.

D. O. M. I. C.
FRANCISCO GRASSVLLO
CALENENSI PONT.
ET CAP. PRIM.
PYRRHVS FECIT 1481
O. H. S. S.

Atque hoc exemplum visum fuit non esse omittendum, cum incitarer justo affectu in maternam generis mei stirpem, quæ exstincta est morte Joannæ, matris meæ, cujus hoc loco, quantum mihi licitum est, non injuria clarum debeo reddere nomen, quod ipsa incomparabili cum modestia & pudicitia, tota in illam curæ partem, quæ ipsi conveniebat in tuendo honesto patrimonio & educanda cara prole, intenta, voluit inter domesticos parietes, dum vixit, fere prorsus tenere celatum. Illi itaque ab nomine derivativo *Calenum*, quod primitivum esse arbitrati sunt, istud aliud derivativum *Calenensis* deduxerunt: cum manifestum sit, a vocabulo *Cales* derivatum fuisse *Calenum*; & si maxime quidam veterum hoc absolute extulit, illud factum aut tacite, aut expresse municipii vocabulo adjuncto, quemadmodum utroque modo fecit *Cicero*, quem supra allegavimus. *Cluverius*, ubi lib. IV cap. XV de *Lametia* loquitur, quam *Lametinos* dixit *Stephanus Byzantinus*, existimat rem esse admodum alienam, *opidum & opidanos uno eodemque vocabulo derivativo appellatos fuisse*, & negat hoc potuisse fieri: atque adeo *Stephanum* non obscure erroris arguit, aut ejus lectionem suspectam habet. Igitur [1] si hac illius sententia standum est, neque *Cicero*, neque *Valerius Maximus*, neque *Plinius Secundus Cales* nomine derivativo *Calenum* dixit ex vulgari usu, sed singulari arbitrio suo. Sed per me itidem pro arbitrio hac de re judicent alii: interim moneri potest, ut exemplis utar vicinis, Teanum, quod appellatum fuit *Sidicini* cognomine, interdum absolute dictum fuisse *Sidicinum* ab eodem *Cicerone*; & vulgo ab omnibus auctoribus *Falerni* nomine appellatum fuisse perinde agrum Falernum ejusque vinum. Omnino igitur satis erit certum, (& altera ista opinio, quæ ferme per septingentos annos obtinuit, prorsus erit rejicienda) oppidum atque populum *Calenum* non aliud fuisse oppidum aut populum, quam *Calium*; & quodcunque aliud ab antiquis dictum fuit *Caleni* nomine, non aliud fuisse, quam illud, quod ad *Cales* urbem pertinebat. Atque hujus male creditæ distinctionis vicissim esse potest, ut proposui, firmissimum argumentum male cognita distinctio *Carinolæ* a *Caleno*, quarum altera urbs nova, altera satis altæ est antiquitatis. Et de hujus conditoribus jam disquirere pro more meo pergam, hoc præmonens, veteres scriptores de illis non fuisse loquutos sub hoc ejus minus vulgari, tanquam de *Caleni*, sed sub isto primitivo nomine, tanquam de *Calium* conditoribus.

Sed mirum hoc quidem est, unam eandemque urbem nomine suo primitivo & derivativo dictam fuisse;

Quod tamen non caret exemplo in locis vicinis.

Silius itaque, qui lib. XII, versibus istis, quos supra adduximus, narrans iter Annibalis a Capua Romam versus per viam Latinam; descripsit hanc urbem in situ convenienti, epitheton illi *Threïciæ* addidit. Boream enim, a cujus filio Calai ille dixit eam cepisse hoc nomen, scribunt in Thraciam inde abduxisse raptam Orithyiam, ex qua filium istum genuerit. Sed lib. VIII hac quidem in re satis sibi constans, verum quod ad situm ejus attinet, & ab se ipso & a vero nimium alienus, dum collocavit hanc urbem in Pelignis, nec eam postea retulit inter Campaniæ urbes; ita scripserat in catalogo populorum, qui isto tempore Romanorum erant amici:

Cales antiquissima fuit urbs, non Threïcum,

Silius notatus.

> ——— ——— ——— *Conjungitur acer*
> *Pelignus, gelidoque rapit Sulmone cohortes.*
> *Nec cedit studio vicinus sanguine miles,*
> *Quem genuere Cales. non parvæ conditor urbis,*
> *Ut fama est, Calais, Boreæ quem rapta per auras*
> *Orithyia vago Geticis nutrivit in antris.*

Cluverius utrumque hujus poëtæ locum ad nostram Cales accommodavit: & quamvis eum lib. II cap. XII reprehenderit, quod in eodem catalogo alios non absimiles admisisset errores, tamen non prodidit se hunc animadvertisse, qui duplici de causa satis erat gravis. Porro autem notavit, cum *ex similitudine quadam vocabulorum fabulosum urbi conditorem confinxisse*; & dixit sane verum, quia ista hujus urbis origo prorsus poëtica est & fabulosa. neque enim unquam leguntur Thraces in hanc transgressi esse regionem, cujus omnes produnt historici antiquissimos incolas fuisse Ausones, quorum urbes, ut affirmat *Livius* lib. VIII & IX, fuerunt Cales, Ausona, Minturnæ & Vescia, quæ ab eadem ista parte ejus erant. Sane de alta ejus antiquitate magnum nobis facit indicium *Virgilius*, qui *Æneidos* lib. VII cives ejus una cum reliquis istius tractus populis nostris in Turni partibus fuisse contra Æneam scripsit hisce versibus:

Cluverius notatus, & alio nomine laudatus.

Sed Ausonum.

> ——— ——— *Vertunt felicia Baccho*
> *Massica qui rastris, & quos de montibus altis*
> *Aurunci misere patres, Sidicinaque juxta*
> *Æquora; quique Cales linquunt.* ——— ———

Livii verba lib. VIII hæc sunt: *Insequens annus L. Papyrio Crasso, Cæsone Duilio Coss.* (hic fuit ab urbe condita annus CCCCXVII) *Ausonum magis novo, quam magno bello fuit insignis. Ea gens Cales urbem incolebat. Sidicinis finitimis arma conjunxerat.* Et ex hisce verbis ejus mihi videor deprehendere, eam fuisse satis primariam istius gentis urbem, quod arbitror *Festum* quoque nobis indicare voluisse apud *Paulum Diaconum*, qui eum con-

Eadem præcipua fuit aliarum illius Ausonum urbium.

1. Videtur auctor non satis recte percepisse sententiam Cluverii, cum dispar sit causa nominis *Lametiæ* ejusque derivativi, & illorum nominum, quorum ipse adducit exempla. Equidem illud satis est certum, quod dicit auctor, veteres adjective *Calenum* dixisse, & *Sidicinum*, & *Falernum*, subintellecto aut oppidi, aut municipii, aut agri, aut vini vocabulo substantivo. Verum non hoc improbavit, neque etiam nescivit Cluverius, sed *Lametinos* numero multitudinis, quo nomine dictos fuisse oportet Lametiæ oppidi cives, recte dici pro ipsa Lametia negavit: nec sine causa, cum ad istud nomen plurale subaudiri non possit congruum aliquod ad urbem denotandam vocabulum, quod in proclivi esset, si *Lametinum* dixisset Stephanus numero unitatis. Atque adeo recte atque ordine fecisset noster, si aut Cales aut Teanum dictam quoque *Calenos* aut *Sidicinos* numero multitudinis ostendisset, aut aliud consimile hanc in rem attulisset exemplum.

contraxit, & hæc verba habet: *Ausoniam appellavit Auson, Ulyssis & Calypsus filius, eam primum partem Italiæ, in qua sunt urbes, Beneventum & Cales. deinde paullatim tota quoque Italia, quæ Apennino finitur,* (alii: *finditur*) *dicta est Ausonia ab eodem duce, a quo etiam conditam fuisse Ardeam* (alii: *Auruncam*) *urbem, ferunt.* Veruntamen *Festus* propter rationem, quam dixi, forte solummodo Cales urbem memoravit, quæ arctissimæ illius Ausoniæ fuerat urbs præcipua; *Paulus* autem ad sua tempora respiciens, de suo addidit Beneventum. Audiamus, quænam ille *De gestis Longobardorum* lib. II cap. XI sive XXIV dixerit: *Italia etiam Ausonia dicitur, ab Ausone, Ulyssis filio. Primitus tamen Beneventana regio hoc nomine appellata est: postea tamen tota sic cœpit Italia vocitari.* Novo instituto Longobardi *regionis Beneventanæ* nomine appellaverunt integram hanc Italiæ partem, quæ cis Romam est, & ab multis veterum credita fuit antiquissima fuisse Ausonia. Sed *Festus* neque de hac, neque de amplissima illa Ausonia, quæ totam complectebatur Italiam, est loquutus, verum de alia, quæ multum hac utraque minor, & inter Volscos atque Campanos conclusa fuit, ut opportuniore ostendam loco: & ejus urbes fuerunt Cales, aliæque istæ, quas *Livius* Ausonibus adscripsit. Beneventum, Diomedis opus esse creditum, duplici cum inconvenientia numeratum foret ab *Festo* inter Ausoniæ, ideoque Ausonum urbes: ejusdem nempe istius Ausoniæ, cujus ille dixit urbem esse Cales, quæque non patuit ultra Campaniam. & utique non debuisset tacere nomen alterius cujusdam urbis. Neque vero ego primus imputo *Paulo*, apud *Festum* illa legi, quæ ipse nunquam scripsit: idem enim de eo credidit *Antonius Augustinus* in *Notis* suis, & item *Lipsius* lib. III cap. XXVII *Variarum lectionum.* Hæc itaque fuit antiquissima Calium fortuna. Deinde cum illa belli istius cum Ausonibus altero anno capta esset ab Romanis, quod bellum *Livius* dixit cœptum fuisse L. Papyrio Crasso, Cæsone Duilio Coss. paucis annis post deducta eo fuit Romanorum colonia bis mille & quingentorum hominum. *Strabonis* etiam tempore, ut supra intelleximus, illa nobilis adhuc urbs erat, ut adeo neque *Vitruvius*, neque *Plinius Secundus* acidas ejus atque vinosas aquas Teanensi territorio possit adscripsisse ea ratione, quasi illa gradu suo dejecta, jam tum territorium ejus fuisset imminutum. At postea quidem istorum *Horatii* interpretum, qui eam descripserunt in agro Sidicino, ut supra retulimus, ætatibus non videtur mihi nomen ejus per se notum fuisse admodum, quod usque ad epochæ Christianæ annum DCCCLXXIX, perinde ut Casilino evenerat, unicum supererat in isto deserto loco suo, qui corrupte dicebatur *Calvum*, quomodo etiamnum a vulgo appellatur hæc nova urbs quæ eodem anno, quem modo diximus, istic cæpta est instaurari ab Atenulfo illo, qui ex Capuæ Comite factus est princeps Beneventanus; & perfecta fuit ab ejus fratre Landone. Hujus novæ ædificationis *Calvi* urbis auctor nobis est *Herchempertus*, qui *Num.* XL de nepotibus defuncti Landulfi, episcopi & Comitis Campani, ita dixit: *In unum collati, diviserunt inter se sub jurejurando Capuam* (intelligit omnia, quæ ad Capuæ Comitatum pertinebant) *æqua distributione. Pandonulfus urbem Teanensem & Casamirtam: Lando Berealis* (intelligit Capuam veterem, ut alibi indicavimus) *& Suessam: alter Lando Calinium & Cajazie. Atenulfus cæpit ædificare castrum in Calvo.* Et *Num.* XLV: *Pandonulfus autem confestim exercitaliter super Calvum profectus est, stipatus agmine Neapolitum.* Et mox: *Apprehensus Atenulfus a suprafato viro,* (Pandonulfo) *Lando germanus ejus non segniter egit: nam mox Calvense castrum, propter quod captus est idem Atenulfus, cum suis cæpit ædificare: pars autem nobilium parata erat ad prælium, & pars vulgi vallis & parietibus construebat: sicque consummatus est.* Hic Lando, Atenulfi frater ille erat, qui in divisione ista acceperat *Calinium*, id est, *Carinolam:* intra cujus territorium cum esset tum forte comprehensus solitarius *Calvi* locus, ipsi justa ratione cæperunt istic novum exstruere castellum: sed Pandonulfus, qui Teanum habebat, vi impedire voluit ædificationem, ut in reliquis istius narrationis idem auctor videtur indicare. Hodie hoc oppidum in dominio Campanæ nostræ civitatis est, dono regis nostri Ferdinandi I, jam usque ab anno epochæ Christianæ MCCCCLX, quo ille id vi receperat post iteratam obsidionem a Marino isto Marzano, cujus supra mentionem fecimus. Hic favens Renati Ducis filiique Joannis partibus, illud occupaverat, ut narrat *Pontanus* lib. I *De bello Neapolitano.* Ceterum, licet ornatum sit episcopali dignitate, parum tamen abest, quin prorsus sit desolatum. Campanos autem nostros fide sua atque constantia perinde erga ipsum Ferdinandum, quam patrem ejus Alphonsum, istud donum promeritos, tum ipse rex satis honorifice testatus est in diplomate ejusdem donationis suæ, tum a *Bartholomæo Facio* & eodem *Pontano*, ut taceam multos alios, non minus certam habuerunt istam laudem Campani.

Quæ media fuit inter Volscos & Campanos;

Festus illustratus. Paulus Diaconus refutatus.

Et ab Romanis occupata cum esset, colonia eorundem facta secundam diu fortunam tenuit.

Sed deinde intercidit, & corruptum nomen duntaxat penes locum remansit,

Ubi postea Campani Longobardi condiderunt Calvi oppidum,

Quod hodie civitas Capuæ possidet ex donatione regali.

XXXIV. *Ager Falernus, primitus Ausonum, dein ex parte Campanorum. In illo situs fuit mons Falernus, dictus etiam* Massicus. *Amplitudo agri Falerni diversorum modorum. Ab uno latere conjunctus fuit campo Stellati, quem vulgus credidit esse sacrum. Tribus Falerina denominata ab agro Falerno. Populi Aminei.*

A Calibus ad alia vicina loca nos conferemus, quæ olim iidem tenuerunt Ausones, primi Calium conditores, qui alio nomine dicti etiam fuerunt *Aurunci*, ut satis est manifestum: & aliquanto post agetur hac de re; & fusius in alia *Dissertatione.* Atque adeo hisce illius populi nominibus promiscue utar sine ulla distinctione. Ager itaque Falernus, cujus pluries fecimus mentionem, Auruncorum fuit jam inde usque ab antiquissimis temporibus, si recte attendatur ad verba *Dionysii Halicarnassensis* lib. I, eaque legantur ex *Æmylii Porti*, qui eum interpretatus est, emendatione, qua non alia potest excogitari melior: nam illa quidem in contextu Græco manifeste vitiosa sunt. De Pelasgis narrans *Dionysius* ex ejusdem *Porti* versione ita dixit: *Quondam camporum, qui Campani vocantur, aspectu amœnissimorum & pascuis aptissimorum, partem non minimam Auruncis,* (Græca habent Ἀυϱενίσσοις, *Abronissis*, quod gentis nomen apud omnes alios auctores siletur) *gente barbara, inde pulsis, tenuerunt.* Non memoravit ille quidem proprio nomine Falernum agrum, sed quia subjunxit, ab iisdem Pelasgis istic inter alias urbes conditam fuisse etiam illam, quæ dicta fuit *Forum Popilii*; non de alio horum camporum Campanorum potuit loquutus esse, quam de Falerno, ut intelligi potest ex situ ejusdem, qui ultra Volturnum, & contiguus agro Calium fuit, eorundem Auruncorum urbis; & item ex situ Fori Popilii, quem post demonstrabi-

FALERNUS fuit nobilis ille ager, quem olim Pelasgi ademerunt Ausonibus, qui dicti etiam Aurunci.

Dionysius Halicarnassensis emendatus. Æmylius Portus laudatus.

Fuit ultra Volturnum amnem:

strabimus. Pelasgi eodem auctore teste itidem lib. I interierunt in Italia non multo post tempora Trojana: & eorum urbes occupatæ fuerunt tum ab aliis populis, tum ab Etruscis, qui tenuerunt potiores illarum. Hinc judicare licet, eundem satis egregium agrum, quem ipsi antea ademerant Auruncis, sive Ausonibus, deinde fuisse in ditione Campanorum. Veteres enim fere in hoc consentiunt, Etruscæ originis fuisse Campanos: atque his T. Manlio Torquato, P. Decio Mure Coss. qui fuit ab Urbe condita annus CCCCXIII, eum ademerunt Romani. *Latini*, dixit lib. VIII *Livius*, *Capuaque agro multati. Latinus ager, Privernati addito agro, & Falernus, qui populi Campani fuerat, usque ad Volturnum flumen plebi Romanæ dividitur.* Et sane si Falernus ager, olim Campanorum, pertinuit ad Volturnum usque; eundem amnem versus fuit etiam iste campus, quem Pelasgi ademerant Auruncis, in quo condiderunt Forum Popilii: atque adeo non sine ratione diximus, hunc atque illum fuisse nonnisi unum eundemque agrum. Veruntamen idem *Dionysius* attribuit Auruncis post longissimum temporis intervallum dominium agri cujusdam in Campania, qui non diversus ab isto videtur, quem antea dixerat occupatum fuisse a Pelasgis. Jam si hoc verum est, Auruncos oportet eum denuo recuperavisse, & deinde etiam denuo eundem perdidisse: nam cum ille novissime in potestatem Romamorum venit, Campani eum tenebant. Verba *Dionysii*, ubi ille lib. VI exponit res Appio Claudio, P. Servilio Coss. gestas, qui fuit ab Urbe condita annus CCLIX, ex interpretis versione ita habent: *Romanis adhuc festum celebrantibus, legati ab Auruncis venerunt, qui agri Campani pulcherrimam planiciem tenebant.* Neque de ordine harum rerum aliter ego judicarem, nisi mihi videretur posse etiam illud dici, cum Cales, & Vescia, & Minturnæ, & illa etiam urbs, quæ utroque ipsius populi nomine communi perinde dicta fuit *Ausona* & *Aurunca*, de qua agetur suo loco, Auruncorum fuerint urbes cis Lirim; diutius illos retinuisse alios agros circumjacentes, qui non minus erant nobiles illo, quem ipsis ademerant Pelasgi, quemque deinde Etrusci, & Campani, & denique Romani tenuerunt. Et de præstantia quidem Vescini & Caleni, ut omnes alios taceam, auctor nobis est *Plinius Secundus* lib. III cap. V, quem sæpius adduximus. Sane Aurunci, de quibus loquutus est *Dionysius* in ultimis hisce verbis, non fuerunt soli urbis Auruncæ cives: nam eorum legati *in Senatum introducti, postularunt, ut sibi restituerent agrum Volscorum, qui Echetrani vocabantur, quem Romani Echetranis ademerant: quæ nisi fecissent, denunciabant, Auruncos brevi in agrum Romanum venturos, & pœnas pro injuriis, quas populis finitimis intulerant, sumpturos.* Auruncæ urbis cives non erant vicini Volscis, qui ultra Lirim amnem colebant: sed erat illis vicina, ut jam indicavi, ipsa integra gens Aurunca, quæ habitabat ultra & citra istum amnem, & inter quam principatum obtinuisse oportet Auruncos Campaniæ. Hinc idem auctor non multo post in oratione ad Senatum Romanum ex persona Agrippæ Menenii eosdem Auruncos intellexit, qui denuo rebellionem moliebantur, jam victi bello a P. Servilio, quem diximus, eodem anno consulatus sui. *Campaniæ vero*, dixit, *& Etruriæ populi, quotquot dubia fide a nobis sunt relicti, eorum alii aperte defectionem faciunt, alii occulte se ad eam parant.* Igitur ager iste Falernus, quem tenuerunt Etrusci Campani, succedentes, ut ostendimus, Pelasgis, qui illum Auruncis ademerant, quique novissime in potestatem pervenit Romanorum, credi potest a primis possessoribus suis nunquam fuisse recuperatus. Neque tamen absolute de Falerno, sed de isto solo, quem demonstravi, hoc pronuncio. Videtur enim mihi hoc nomen latius etiam fuisse sumptum: ut adeo integer Auruncorum Falernus ager etiam fuerit major, ut jam ostendere pergam.

Et occupatus ab Etruscis, pervenit in potestatem Campanorum, quibus eum ademerunt Romani.

Non fuit autem hic nobilis ille ager, quem diutius obtinuerunt Aurunci iidem,

Sed alius æque præstans ager.

Dionysius Halic. pluries illustratus, & collatus cum Plinio Secundo.

Dionysius Halicarnassensis illustratus.

Dixerunt quidam veterum, Falernum fuisse montem. Inter hos est *Martialis* hoc epigrammatis XLVI, quod lib. XII est, versu:

Nec in Falerno monte major autumnus.

Idem affirmavit *Servius* ad *Virgilii* lib. II *Georg.* hisce verbis: *Falernus mons est Campaniæ, in quo optima vina nascuntur.* Nihilominus ex *Livio*, *Polybio*, *Plinio Secundo*, aliisque intelleximus, Falernum fuisse *agrum*, sed qui satis potuit, ut hujus vocabuli vis est notantibus grammaticis, etiam comprehendisse montem quendam. Verum ab aliis mons ille, qui in agro Falerno erat, nomine magis speciali dictus fuit *Massicus*, qui apud multos auctores satis est celeber. Ita *Vibius Sequester*: *Massicus Campaniæ in Falerno.* Et mea quidem sententia prudenter loquutus est ille: ut nec minus *Junius Philargyrus*, qui ista *Virgilii* verba exponens citato lib. II *Georgicorum*: *Massicus humor*, scripsit, Falernum & Massicum duplex esse nomen, sed unius solummodo montis. *Vinum a montibus Falernis, qui Massici dicuntur.* Atque hinc animadvertere licet, *L. Florum*, cum non satis haberet ex vero laudare generosorum Campaniæ vinorum ubertatem, uno voluisse augere montium ejus numerum, qui vinorum feraces erant, & ex uno *Massico*, qui appellatus etiam fuit *Falernus*, duos fecisse, ubi ita dixit: *Hic amicti vitibus montes Gaurus, Falernus, Massicus, & pulcherrimus omnium Vesuvius.* Certe utrumque nomen fuit unius ejusdemque montis, unde per eorum promiscuam usurpationem *Columella* lib. III cap. VIII *De agricultura Massicum* appellavit non ipsum montem, quem hoc nomine germana proprietate *Cicero* appellavit in *Agraria* II: *Quantulum interest, utrum in Massici radices, an in Italiam, aliove deducamini*; sed agrum, qui ab omnibus aliis dictus est *Falernus*. Verba ejus hæc sunt: *Neque enim dubium est, Massici, Surrentinique, & Albani, atque Cæcubi agri vites omnium, quæ terra sustinet, in nobilitate vini principes esse.*

Falernus tam montis, quam agri nomen fuit.

Mons enim ille, qui alio nomine dictus fuit Massicus, in agro Falerno fuit, eorumque nomina fuerunt promiscua.

Junius Philargyrus laudatus. Florus notatus.

Columella illustratus.

Cicero laudatus.

Verum si Massicus in agro Falerno mons fuit, hinc jam possit esse verum, Falernum æque Lirim amnem versus, quam Volturnum, patuisse, inter quæ flumina mons ille surgit, quem non est dubium fuisse Massicum, qui ad mare Sinuessæ imminebat, & utrumque amnem versus satis amplos prospicit agros. Itidem possit esse verum, quod proposui, ubi de Occidentali termino hujus Campaniæ agebam, sequutus auctoritatem *Livii* & *Plinii Secundi*: Falernum nempe fuisse conterminum Volscis, qui fuerunt ultra Lirim. Atque adeo, si ejus nomine nonnunquam comprehensi fuerunt Calenus & Stellatis, qui citra eundem Massicum erant agri, ut supra vidimus; alteram quoque partem istam integræ Auruncorum regionis, ultra montem istum, ad Lirim usque, oportet eodem nomine latius sumpto fuisse appellatam, ut ita ipsi potuerint dici vicini Volscis. Jam *Livius*, etsi narraverat, agrum Falernum, *qui populi Campani fuerat, usque ad Volturnum flumen plebi Romanæ divisum*; quasi scilicet integer Falernus ager ademptus fuisset Campanis, atque ita divisus plebi Romanæ; deinde tamen de Tib. Æmylio Mamercino consule, qui ægre ferebat negatum sibi ab Senatu triumphum, ita subjunxit: *Neque quoad consul fuit, criminari* apud

Aquilis dam ager Falernus æque ultra Massicum ad Lirim, & usque vicinus Volscis, quam citra Massicum ad Volturnum usque videtur descriptus esse.

apud populum patres destitit. materiam autem praebebat criminibus ager in Latino Falernoque agro plebi maligne divisus. Hinc colligi potest, cum non fuisse loquuturum ad hunc modum, si tum fuisset divisus integer ille ager, qui dicebatur Falernus, cujus ne quidem eandem illam integram partem, quam multo ante Auruncis ademerant Pelasgi, Campanis ademerunt Romani, ut paulo post ostendam.

Livius ambigue illustratus.

Veruntamen *Livius*, & cum eo *Plinius Secundus* etiam, qui videntur Falernum adeo late descripsisse ad Volscos usque, alibi cum coarctaverunt, & duntaxat citra Massicum, Volturnum & Cales versus collocaverunt, de qua minore amplitudine ejus non eodem quoque modo loquuti fuerunt: contra autem alii scriptores non alium, quam hunc secundum solummodo Falernum noverunt. De Falerno, quem *Livius* confudit cum Stellati & Caleno, non videtur mihi opus esse ut repetam, quæ supra dixi: nam hoc quidem potuisset ille facere etiam secundum latissimam istam nominis ejus significationem. Ceterum de hoc minore Falerno loquutus est, ubi lib. x dixit ab senatu Romano decretum fuisse, *ut duæ coloniæ circa Vescinum & Falernum agrum deducerentur: una ad ostium Liris fluvii, quæ Minturnæ appellatæ: altera in saltu Vescino, Falernum contingente agrum.* Sinuessa fuit ad Massici radices, unde *Martialis* lib. XIII epigr. CVI ita dixit:

Minor ager Falernus ille fuit, qui a Massico pertinuit ad Volturnum usque, & Cales versus.

Livius illustratus & collatus cum Plinio Secundo.

> *De Sinuessanis venerunt Massica prælis.*

Perinde igitur *Plinius Secundus* non ultra Sinuessam neque Massicum montem agnovit agrum Falernum, qui postquam Sinuessam appellaverat *oppidum extremum in adjecto Latio*, ita subjunxit: *Hinc felix illa Campania est. ab hoc sinu incipiunt vitiferi colles. hinc Vescini & Cæditii obtenduntur agri. his junguntur Falerni & Caleni. deinde consurgunt Massici, Gaurani, Surrentinique montes.* Atque hisce verbis manifeste demonstravit Falernum citra Massicum, & Cales versus, eumque ab eodem Massico distinxit. Itidem de minore hoc Falerno, si recte video, loquutus ille est lib. XIV cap. VI, ubi Faustianum Falerni vini genus esse exposuit hisce verbis: *Secunda nobilitas Falerno agro erat, & ex eo maxime Faustiano: cura culturaque id collegerat.* Faustianum, ut ex ipso postea intellecturi sumus, mediis nascebatur collibus (Massici, ut arbitror) *circiter quatuor milliaria a Vico prope Cædias, qui Vicus a Sinuessa sex millibus abest:* id est, per viam Appiam, ut suo loco exposuimus. Insuper videtur de hoc agro Falerno, quem aut confudit, aut solummodo describere voluit conjunctum cum Caleno, loquutus itidem esse *Horatius* lib. I Ode XX, qui aut confudit vinum Cæcubum cum Formiano, & Calenum cum Falerno, duplici nomine appellans unum idemque vinum; aut istam agrorum, in quibus nascebantur, vicinitatem indicare voluit hisce versibus:

Plinius Secundus illustratus pluribus locis.

Horatius illustratus.

> *Cæcubum, & prælo domitam Caleno*
> *Tu bibes uvam: mea nec Falernæ*
> *Temperant vites, neque Formiani*
> *Pocula colles.*

Nam eum de generosis vinis loquentem oportet intellexisse Falerna, quæ citra Sinuessam erant, unde incipiunt vitiferi colles, ut ex *Plinio* didicimus. Atque adeo jam duos habemus agros Falernos.

Fuit etiam tertius ager Falernus, omnium angustissimus, qui

Addit hisce idem *Plinius* etiam tertium, qui adhuc angustior est prioribus, & idem maxime proprius Falernus, ubi loco citato ita dixit: *Falernus ager a ponte Campano, læva petentibus Urbanam, coloniam Syllanam, nuper Capuæ contributam, incipit.* Et secundum hanc strictissimam significationem, ut ipse etiam ibidem affirmat, nonnulli vinum Falernum in genere distinguebant ad hunc modum: *Summis collibus Gauranum gigni: mediis Faustianum, imis Falernum.* Pons Campanus in Savone amne fuit, in via Appia, citra Sinuessam novem millium passuum intervallo, ut paulo post ostendam. Speciatim itaque Falernus fuit ab citeriore ejusdem Savonis ripa Volturnum versus, ad sinistrum latus Appiæ quæ ab isto ponte ferebat ad urbem, cui nomen *Urbana*: eumque oportet proprie illum fuisse agrum, quem Romani ademerunt Campanis. Atque hic cum ad Volturnum usque non fuerit paris ubique bonitatis atque naturæ, non ab omnibus, neque semper hoc solo nomine fuit appellatus. Hinc inconstanter dixit *Livius*, Casilinum dividere agrum Falernum a Campano; & Annibalem, castris ad Casilinum positis, Maharbalem prædatum dimisisse in agrum Falernum; qui in eum pervenit, ut supra notavimus, per eandem Appiam, quam proinde *Horatius* cum agro Falerno conjunxit, ubi *Epode* IV de Mena, Pompeji Magni liberto, ita cecinit:

non ultra Savonem, neque ad Volturnum usque pertinuit,

Plinius Secundus illustratus.

Livius & Horatius illustrati.

> *Arat Falerni mille fundi jugera,*
> *Et Appiam mannis terit.*

Atque heic obiter notamus, *Livium*, qui lib. XXII dixit: *Ea regio præsentis erat copiæ, non perpetuæ: arbusta, vineæque, & consita omnia magis amœnis, quam necessariis fructibus*; nonnihil dissentire ab *Horatio*, & *Silio*, qui Falernum nobilis vini feracem, nec minus aptum segetibus, copiosam reddentibus messem, dixerunt, quod & hodieque ipsa testatur experientia. *Silii* versus, ubi lib. VII de Annibale exponit, hi sunt:

Aliis laudatus a vini, aliis a vini & frumenti ubertate.

Livius notatus, & ab Horatio ac Silio dissentiens.

> *Hic vero intravit postquam uberis arva Falerni,*
> *(Dives ea, & nunquam tellus mentita colono)*
> *Addunt frugiferis inimica incendia ramis.*

Atque adeo hice poëtæ loquuti fuerunt ex vero, tanquam historici: & historicus ille per exaggerationem quandam loquutus est more poëtico.

Jam si ager Falernus secundum posteriores duas significationes suas fuit ad sinistram viæ Appiæ, (nempe a Roma venientibus, ut *Plinius* intellexit) ideoque Cales & Calliculam montem versus, quodnam alter ille ager habuit nomen, qui ad dextram ejusdem viæ mari prætendebatur? Certe, ut jam supra indicavimus, fuit ille campus Stellatis: in quem cum descendisset Annibal per agrum Calenum, & castra posuisset ad Casilinum atque viam Appiam, mare versus, *intra Formiana saxa*, ut *Livius* dixit, *ac Literni arenas, stagnaque perhorrida situ hybernaturus erat.* Vini segetumque feracitas, qua plurimum celebratur Falernus, ut modo partim intelleximus, & fusius ostendemus in *Dissertatione* sequenti, æque convenit in genere universo illi agro, cui Falerni nomen tribuimus, quique eadem non caret præstantia, nisi quod agricolarum ille copia destituitur. Quantum ad Stellatem attinet, qui secundum *Ciceronem* non multi fuit pretii, cum eo convenit ager ille, quem dixi, itidem in genere multo aptior pascuis, quam facili multum atque utili culturæ. *Adjungit* (ita de Rullo dixit orator iste) *Stellatem campum agro Campano, & in eo duodena describit in singulos homines jugera: quasi vero paullum differat ager Campanus ac Stellatis:* quæ verba eodem nobiscum sensu accepit *Turnebus* & ita interpretatus est: *Cum Stellatis campus bonitate infinitis partibus sit inferior Campano, multo majorem modum attribuere viritim Rullus debuit ad colonos æquandos.* Et *Plinius Secundus* nobiles ultra Volturnum recensens agros, id est, Cæditium,

Ex adverso Falerni & Appiæ viæ latere, mare versus campus STELLATIS fuit,

Minoris, quam reliqui istius tractus agri, bonitatis, quique non arabatur.

Plinius Secundus illustratus.

Casaubonus refutatus pluribus de causis.

tium, Vescinum, Falernum, & Calenum, tacuit de Stellati, forte quia propter ignobilitatem suam cum istis non poterat comparari. Hinc videtur mihi minus attente *Casaubonus* observavisse eadem verba *Ciceronis*, ubi ad *Suetonii* lib. I cap. XX scripsit, quasi *de Stellate campo loquatur ille*, (*Cicero*) *tanquam qui coleretur & exerceretur.* Nam ita loquutus est ille, & satis prolixe, de agro Campano: nunquam autem alias neque hoc, neque isto modo, memoravit amplius hunc Stellatem. Et tamen inæqualitas utriusque hujus agri ab eodem *Casaubono* adscripta fuit inæquali eorum amplitudini, ubi de Stellati campo, quem Rullus adjicere parabat agro Campano, dixit: *Exigua appendix fuit præ Campani magnitudine.* Atque hic sine dubio hallucinatus est, tum quod ad amplitudinem ipsius agri Stellatis attinet, si hic ille fuit, quem nos demonstravimus, tum quod attinet ad Campani amplitudinem, si forsan arbitratus est, *Ciceronem* de integra loquutum Campania: qua de re admonuisse eum poterant *Turnebus* & *Manutius.* Jam cum istoc, quem diximus, tertio agro Falerno ecquis est, qui dubitet, Pelasgos Auruncis ademisse etiam hunc Stellatem? Hos jam intelleximus ex *Dionysio*, *quondam camporum*, *qui Campani vocantur*, (nomine scilicet generali) *aspectu amœnissimorum & pascuis aptissimorum partem non minimam* (nempe hanc, quæ Volturnum versus est) *Auruncis*, *gente barbara*, *inde pulsis tenuerunt.* Certe uterque ille ager cum deinde venisset in potestatem Etruscorum Campanorum, solum Stellatem diutius illi tenuerunt, quamdiu subacti non fuerunt ab Romanis, qui CXXX annis ante Falernum, id est, meliorem sibi sumpserat. Neque tamen propterea Stellati negare possum laudem eam, quam illi tributam videmus ab *Dionysio*, quæque etiamnum apprime illi convenit, nempe quod admodum herbosus sit & pascuis aptissimus. Quin arbitror etiam, non esse rejiciendam, quam supra diximus, etymologiam ejus ab nomine *stella*, quod *significare ait Atejus Capito* (sunt *Festi* verba) *prosperum & lætum.* Herbæ autem & fruges quando pulchre germinant, prosperitas illis & lætitia adesse dici figurate potest, unde conjunctim *Sallustius* apud *Servium* ad *Æneidos* lib. I *lætum* nominavit ejusmodi agrum. *Frugum*, dixit ille, *pabulique lætus ager.* Atque hoc noto, ne quis opponat mihi, eundem poëtam principio *Georgicorum* lætitiam illam ad solas restrinxisse fruges:

Atque hunc olim Pelasgi ademerunt Auruncis. Ab illis transiit ad Campanos, ager admodum herbosus:

Dionysius Halicarnassensis illustratus.

Quam ob causam dictus fuit Stellatis,

Sallustius & Virgilius conciliati.

Quid faciat lætas segetes —— ——

Servius refutatus.

Neque enim eidem *Servio* assentior, qui heic vult eum *segetem pro terra posuisse:* quia terram per segetes, segetes autem per sese *lætas* dici posse arbitror. Itaque campus Stellatis, licet multo minoris pretii, quam ager Campanus, id est, ille quem Rullus dividere volebat, de quo *Cicero* dixit: *Totus enim ager Campanus colitur & possidetur a plebe optima & honestissima*; nihilominus per causam pascuorum suorum dignus fuit hoc nomine. Et hanc quoque ob causam, si recte video, *Volaterranus* aliique istius ævi scriptores existimaverunt, eum esse herbosum illum campum, qui citra Volturnum flumen est, &, ut supra exposui, appellatur *il Mazzone*: quandoquidem huic ejusmodi laus multo magis, quam nostro Stellati, conveniebat, qua de re alibi acturi sumus. Verum illi hoc affirmaverunt nullo allato argumento sequuti fortasse communem famam, olim per eandem hanc nominis ejus etymologiam ab incerto auctore evulgatam, quæ aut nondum debuit orta fuisse *Joviani Pontani* temporibus, aut ab illo fuit repudiata. Nam in *Historia belli Neapoli-*

Et nonnulli crediderunt, eum esse campum illum, qui hodie dicitur il Mazzone.

Jovianus Pontanus

A *tani* pluries memoravit ubera *Mazzonis* pascua, tum temporis celeberrima per nobilem & copiosam equarum subolem, quæ istic alebantur ab regibus nostris Aragonensibus: & frequenter etiam *Stellatis* nomine appellavit agrum illum, qui ultra Volturnum erat, licet comprehendere nequeam, quosnam terminos exacte illi tribuerit.

laudatus, & ab Volaterrano dissentiens.

Verum si Stellatis campus non arabatur, jam intelligere poterimus, hanc, & nullam aliam, fuisse consecrationem ejus, memoratam *Suetonio* in verbis supra allatis, quæ præstantissima hujus B & prioris seculi fatigavit ingenia. Ita multæ aliæ res fuerunt sacræ, quarum usus aliquo modo erat prohibitus: Stellatis autem suapte natura non arabatur, & vulgus eum credidit esse sacrum: qua in re sive vulgarem famam sequutus est *Suetonius*, sive alium scriptorem, qui ante ipsum famam istam arripuerat. Atque hic error inde etiam natus fuit, quod locus, in quo fuit Carthago, variis modis, & rebus secundis suis, & in Romanos perfidia, & item ab his exacta illius pœna, urbs compar Capuæ; itidem erat consecratus: & insuper, quod Cæsar tam aliis in rebus, quam in divisione agri Campani & hujusce C Stellatis, itidem violaverat publicas leges, quæ perinde sacræ erant. *Unus ex eo tempore* (dixit de eo idem auctor) *omnia in republica & ad arbitrium administravit.* Et mox: *Campum Stellatem*, *majoribus consecratum*, *agrumque Campanum*, *ad subsidia reipublicæ vectigalem relictum*, *divisit extra sortem ad viginti millibus civium*, *quibus terni pluresve liberi essent.* Neque vero, quia hujus campi herbæ ab gregibus atque armentis depascebantur, propterea vulgus suam reliquisse opinionem oportet: quandoquidem leges de consecrationibus istis variis fuerunt modis: & omnimodo, D si re vera sacer ille fuit, nihilo tamen minus eum oportet armenta pavisse. [1] *Equorum greges*, (ejusdem *Suetonii* verba sunt, itidem de Cæsare loquentis cap. LXXXI) *quos in trajiciendo Rubicone flumine consecrarat*, *ac vagos & sine custode dimiserat*, *comperit pertinacissime pabulo abstinere.* Hos satis est certum non licuisse ad ullum adhibere usum, sicut nec violabantur pisces Arethusæ fontis in Sicilia, de quo *Diodorus Siculus*, ut interpres ejus habet, lib. V ita dixit: *Non tantum priscis*, *sed nostris quoque temporibus*, *magna copia fert pisces sacros*, *quippe ab hominibus intactos.* Verum E *Plinius Cæcilius* lib. VIII *epist.* VIII narrat, fontem & flumen Clitumni, qui ad certum terminum, id est, ad pontem usque sacer erat, potuisse tamen in eadem sacra parte navigari: *Is terminus sacri profanique. In superiore parte navigare tantum*, *infra etiam natare concessum.* Et ejusdem libri *epist.* XX de lacu Vadimonis ita scripsit: *Nulla in hoc navis*; (*sacer enim est*) *sed innatant insulæ herbidæ*, *omnes arundine & junco tectæ.* Nihilominus in iisdem insulis pecora solebant quærere pabulum. *Constat pecora*, *herbas sequuta*, *sic in insulas illas*, *ut in extremam ripam*, *procedere solere.* Igitur in hoc lacu navigare tantummodo, in F isto fonte atque flumine natare non licebat. Sic Aristodemus tyrannus apud *Dionysium Halicarnassensem* lib. VII suis Cumanis persuasit, ut arma sua consecrarent diis, quo deinceps nonnisi contra hostes

Quia non arabatur campus Stellatis, *vulgus credidit, eum esse sacrum.*

Suetonius illustratus.

Neque tamen huic consecrationi repugnabat, quod in eo pascebantur pecora.

1. Non video, quid hic Suetonii locus, nec etiam quid ille, qui proxime affertur ex Diodoro Siculo, facere possit ad probandum, Stellatem campum, quamvis gregibus & armentis frequentem, nihilo tamen secius potuisse esse sacrum: nisi forte sigillatim ostendere voluit auctor, quarundam rerum sacrarum prorsus nullum fuisse apud veteres, aliarum vero quendam fuisse quidem, sed non quemlibet usum.

Sed cautiores scriptores non crediderunt isti famæ, Suetonius notatus.

hostes suos illis uterentur. Igitur vulgus oportet, quia non viderat arari campum Stellatem, credidisse eum itidem esse sacrum. Atque huic fabulæ fidem habuit *Suetonius*, at omnes alii Scriptores, ipso cautiores, eam rejecerunt: unde de ejus consecratione nullum factum est verbum ab quoquam alio, & præter ceteros ab *Cicerone*, qui, si vera illa fuisset, minime omnium debuisset eam tacere. etenim ad divisionem ejusdem hujus agri, quam Rullus facere parabat, dissuadendam, qua in re multum laboravit, non alio potuisset uti aptiore argumento. *Suetonium* quidem credidisse oportet, Cæsaris ævo satis notum fuisse, Stellatem esse sacrum, unde inter res ab ipso ad arbitrium gestas etiam hoc retulit, divisum ab eo istum campum: sed re vera deinceps demum orta est illa fama, cum idem campus arari cæptus esset ab novis & recentibus colonis, a quo tempore, quod incidit in annum ab Urbe condita DCXCIV, usque ad *Suetonii* ætatem, qui sub Hadriano floruit, anni effluxerunt fere ducenti. Atque adeo, si *Suetonii* rationem habeamus, ex silentio *Ciceronis* refutatur potius, quam probatur, istam consecrationem sibi fuisse incognitam. *Turnebus Adversariorum* lib. III cap. XXII existimavit, *Ciceronem* de ea tacuisse, quod ipsius atque Cæsaris ætate fama de eadem jam desierit. Verba ejus hæc sunt: *Existimo Suetonium dicere, majorum opinione sacrum fuisse Stellatem agrum, cum tamen illa tempestate, qua divisus est a Cæsare, pro sacro non haberetur. Atque id ex commentariis quibusdam reconditis aut annalibus eruit Tranquillus; Cicero nesciit: alioqui contra Rullum hujus consecrationis meminisset.* Eadem repetiit, ubi ad *Agrariam* II ita commentatus est: *Ciceronis ætate nulla erat consecrationis opinio.* Verum hæc repugnant *Suetonii* verbis, quæ satis indicant, a Cæsare divisum fuisse hunc campum, cum illo ipso tempore sacer esset: quod nec *Lævinus Torrentius*, nec *Marcellus Donatus* animadvertit, qui in notis ad eundem *Suetonii* locum aliis atque diversis modis *Turnebum* reprehenderunt istius opinionis nomine. *Torrentius* credidit, *Agrariæ* istius desiderari partem illam, in qua de consecratione campi Stellatis loquutus fuerit *Cicero*: sed unica tantum objectione refutavit eum *Casaubonus*, qui aperte reprehendere allatam *Turnebi* sententiam, quantum potuit, vitavit. *Donatus* autem duplicavit, tantum abest ut solverit hunc nodum, dicens, quod semel consecratum fuerat, non potuisse nisi irreligiose, ut Cæsar fecerit Stellatem publicans, profanari: nihil autem curavit, an recte hoc tacuerit *Cicero*, aut an ipse illud ignoraverit. Atque hinc idem *Casaubonus* nullam habuit *Donati* rationem: & licet aperte nihil dicat, nihilominus innuit, nonnihil sibi suspecta esse *Suetonii* verba, quæ & nos refutamus, & scriptorem illum vulgi sequutum opinionem arguimus. Jam cum falsa fuerit ista Stellatis campi consecratio, *Casaubonus* tamen nonnihil ambigue, *Donatus* autem constantius eam pro vera habuit: & adeo uterque illorum tempus & causam ejus demonstrare voluit. *Donatus* dixit, credi posse, *primis reipublicæ Romanæ temporibus, cum circumvicini populi debellarentur, subactum & agrum Stellatem: quumque tunc temporis sæpius inter tribunos plebis & senatum contentiose leges agrariæ pertractarentur, hoc est, de dividendis populi Romani agris, quod passim apud Livium in primis libris legitur, factum forte ad tollendas discordias, ut ager Stellatis nec juxta plebis placitum, nec patrum decretum divideretur, aut invidiosus remaneret, sed medio quodam temperamento diis immortalibus consecraretur, ut nullum populo nec Senatui in illius possessione jus remaneret.* Ita *Donatus*. Verum ne jam illi opponam errorem in tempore, quem itidem admisit, ut mox dicam, *Casaubonus*; videtur ille mihi non animadvertisse, multo magis fuisse opus ad istum finem fieri consecrationem agri Campani, qui isto nimium quantum erat nobilior, atque ejusmodi contentionum sæpius præbuit causam, & nihilominus *ager ipse*, ut ejusdem oratoris in *Agraria* I verbis utar, *per sese & Sullanæ dominationi, & Gracchorum largitioni restitit.* Ab alia parte *Casaubonus* existimavit, consecrationem illam fuisse factam *in memoriam inclytæ illius victoriæ, quam Romani eo in loco de Samnitibus anno U. C.* CCCCLIX, *Coss. Q. Fabio quintum, P. Decio quartum, retulerunt.* Verum si maxime cum ipso atque aliis opus haberem credere, Stellatem campum re vera fuisse consecratum, ejusque consecrationem fuisse donum religiosum, factum in honorem deorum, tamen simul etiam crederem, non accidisse illud isto tempore, quod ipse & *Donatus* credidit. Non enim hunc campum Stellatem, sed Falernum dixit *Livius* lib. VIII Romanos ademisse Campanis: & cum idem Stellatis non respectu *Campaniæ* ab ipso nonnunquam communi nomine dictus fuerit *Campanus*, ut supra notavimus; atque hoc nomine distinctus fuerit ab eodem Falerno, iisdem illis annis, quos illi voluerunt; oportet eum istis temporibus adhuc ad Campanos pertinuisse. Quod si Romani ulcisci voluerunt damna, quæ locis istis intulerant Samnites, conveniens hoc fuit fœderis atque amicitiæ legibus, in quas utrique convenerant: quapropter de hac ipsa re loquens *Livius* lib. X dixit: *Volumnium fama de Samnitium exercitu populationibusque agri Campani* (in præcedentibus memoraverat Campanum illum, qui mihi Stellatis est una cum Falerno) *ad tuendos socios convertit.* Atque hoc loco magis proprie loquutus est ille auctor, quam lib. VII narraverat de gente Palæpolitana, quæ *multa hostilia adversus Romanos, agrum Campanum Falernumque incolentes, fecit*; sive jam per agrum *Campanum* intelligamus *Stellatem*, sive illum, qui citra Volturnum erat, quorum neuter illo modo, quo Falernus, divisus erat civibus Romanis. Veruntamen nonnulli fortasse crediderint, consecrationem agri Stellatis utcunque factam post captam ab Romanis Capuam, idque non dissimili modo aut dissimilem ob causam, quam locus Carthaginis fuit consecratus, *quem videlicet* (verba sunt *Ciceronis* in *Agraria* II) *P. Africanus non propter religionem sedium illarum ac vetustatis de consilii sententia consecravit; sed ut ipse locus eorum, qui cum hac urbe de imperio certarunt, vestigia calamitatis ostenderet.* Sed tum illud satis posset esse verum, si dictum fuisset de agro Campano, in quo sita fuit Capua. Atque hoc de argumento jam diximus, quantum satis est.

Cicero illustratus. — *Quæ orta fuit, postquam ab Cæsare divisus, & arari cæptus est.* — Turnebus refutatus & notatus. — Torrentius refutatus. — Marcellus Donatus refutatus & notatus. — *Tamen istam consecrationem pro vera habuerunt nonnulli recentiorum, eamque ad falsas retulerunt causas.* — Marcellus Donatus denuo refutatus pluribus de causis. — Casaubonus refutatus. — Livius illustratus, & alio nomine notatus.

Jam porro Falernus ager divisus fuit inter aliquantum Romanorum numerum antiquitus, ut pluries diximus, id est, anno ab Urbe condita CCCCXIII: atque horum colonorum causa *Cluverius* lib. III cap. VII, ubi de Ufente fluvio, & sequenti cap. VIII, ubi de Interamna loquitur, XXII annis post populi Romani tribubus additam fuisse *Falerinam* credidit, M. Fossio Flaccinate, L. Plautio Vennone Coss. qui fuit ab Urbe condita annus CCCCXXXV: quasi scilicet iidem Romani antea in nullam fuissent descripti tribum, aut ipsæ tribus fuissent multiplicatæ non aucto civium Romanorum numero. Verum *Sigonius* lib. I cap. III *De antiquo jure civium Romanorum* tanto propius illo ad verum accessit, quanto causam additæ tribus istius tempore propiorem arbitratus est. Nimirum ille factum istud refert ad auctum civium

In novam tribum Falerinam non fuerunt descripti veteres Romani, — Cluverius refutatus. — *Sed Campani, facti recens cives Romani;*

Sigonius laudatus. Vellejus & vetus poëta collati.

vium Romanorum numerum, quod acciderat, ut affirmavit *Vellejus* noster lib. I, Sp. Postumio, Veturio Calvino Coss. qui fuit ab Urbe condita annus CCCCXXXII. Itaque tribus annis ante additam istam tribum *Campanis data est civitas*, ut dixit *Vellejus*, qua de re loquutus etiam est apud *Censorinum* cap. XXIV *De die natali* quidam poëta vetus hoc versu Spondaico:

Cives Romani tunc facti sunt Campani.

Atque adeo nova tribus *Falerina* prioribus addita fuit, ut describerentur in illam Campani, qui novi cives Romani facti erant: atque eadem ab nomine agri *Falerni*, quem non multis annis ante, cum in potestate eorundem Campanorum esset, occupaverant Romani, convenienter fuit denominata. Sane hoc satis est rationi consentaneum, nisi alterum ab altero nomine posse esse derivatum quis negaverit. Atque heic non possum quin illud moneam, Campanos istius tribus, quorum, ubi de Stellati campo agebam, mentionem dixi occurrere in multis nostris *Inscriptionibus* vetustis, pertinere ad hæc adeo antiqua tempora, me neutiquam credere: id ex multis indiciis, quæ exponere non est hujus loci, quæque faciunt ut credam, illos pertinere ad tempora coloniæ, quæ Capuam deducta est ab Cæsare, ut eodem loco indicavi. Verum de *Livio* quid jam dicemus? Hic lib. XXIII Terentium Varronem consulem Campanorum legatis inter alia dixisse refert, Romanos magnæ Campanorum parti dedisse jus civitatis: lib. XXXI eadem de re legatum Romanorum loquentem introduxit in Ætolorum concilio, tanquam per amplificationem, & sine ulla exceptione: insuper lib. VIII narraverat, T. Manlio Torquato tertium, P. Decio Mure Coss. qui fuit ab Urbe condita annus CCCCXIII, jus civitatis Romanæ datum fuisse mille & sexcentis equitibus Campanis, quod etiam non multo post repetiit eodem lib. VIII, ubi L. Furii Camilli & C. Menii consulatum pertractat, qui fuit U. C. annus CCCCXV. At idem deinde lib. IX, ubi narravit res Sp. Postumio, Veturio Albino Coss. gestas, quo anno *Vellejus* noster prorsus absoluta loquutione dixit *Campanis datam esse civitatem*, ut & fecit vetus ille poëta, quem paullo ante adduximus; istic, inquam, & in ejusdem anni, & in aliorum circa annorum historia prorsus hac de re tacuit. Sed fortasse quis crediderit, eum hæc attigisse, ubi exponens, quæ gesta erant M. Fossio Flaccinate, L. Plautio Vennone Coss. qui fuit ab Urbe condita annus CCCCXXXV, ita dixit: Eodem anno *primum præfecti Capuæ creari cœpti, legibus ab L. Furio prætore datis, cum utrumque ipsi pro remedio ægris rebus discordia intestina petiissent: & duæ Romæ additæ tribus, Ufentina ac Falerina*; & hodie integram narrationem in codicibus ejus desiderari. Certe hoc loco istud satis opportune poterat exponi, tum propter res ipsas, quæ narrantur, tum propter ipsius temporis congruentiam, quod tantummodo tribus annis illo serius est, quod nobis descripsit *Vellejus*. Quod si ejus silentium huic causæ non est imputandum, nescio, quid de ejus diligentia judicem aut fide.

Siquidem ab agro Falerno nomen accepit tribus Falerina.

Ceterum Romana civitas non quibusdam, sed omnibus Campanis fuit data.

Livius notatus.

Ager Falernus neque ab Auruncis hoc nomen accepit,

Ad hunc itaque modum cum multo magis propter temporum, quam nominum convenientiam probabile esse arbitrer, ab agro *Falerno* nomen accepisse Romanorum tribum *Falerinam*, simul etiam arbitror, eum non fuisse dictum hoc modo ab Auruncis, qui primitus eum coluerunt, & hanc ob causam *Dionysium* quoque *Halicarnassensem*, ubi narrat, quonam ille modo in Pelasgorum potestatem pervenerit, cum nullo appellavisse nomine proprio: etsi principio lib. I, ubi Italiæ & præstantissimorum vinorum Falernorum laudes exsequutus est, eum suo appellaverat nomine. Pelasgi illi, ut suo loco ostendam, venerunt ex Thessalia, & credi possunt iidem fuisse, qui ab *Aristotele* apud *Philargyrum* ad *Virgilii* lib. II *Georgicorum* dicti fuerunt *Aminei*, & ab *Macrobio* lib. III cap. XX *Saturnalium* eandem habitavisse regionem dicuntur. *Philargyri* verba hæc sunt: *Amineos. Aristoteles in Politicis hoc scribit: Thessalos fuisse, qui suæ regionis vites in Italiam transtulerint, atque illis inde nomen impositum. Macrobius* autem ita scripsit: *Sicut uvarum ista sunt genera: Aminea scilicet a regione. nam Aminei fuerunt, ubi nunc Falernum est.* Itaque hic ager non tantum isto tempore, quo in potestate fuit Auruncorum, non habuit *Falerni* nomen, sed neque postea istud accepit a Pelasgis istis, qui eum dixerunt *Amineum*: atque his deinde exstinctis, hoc quoque ejus agri nomen desiisse oportet. *Silius* lib. VII scripsit, cum hujus agri dominus esset quidam *Falernus* nomine, Bacchum illi monstravisse usum vini, eumque unica nocte vites suas atque arbores vini vidisse feraces. Sed hoc quidem merum est figmentum poëticum. Ceterum hoc nihil impedit quin possit esse verum, sicut ab *Amineis* dictus fuerat *Amineus*, ita ab ejus domino eum accepisse hoc novum *Falerni* nomen, quod propter celebritatem suam arbitror sparsum fuisse per reliquum vicinæ regionis, quæ in plures partes divisa aliis variisque modis appellabatur. Atque hoc, ut verbis utar *Henrici Stephani* cap. II *Appendicis* ad *Joannem grammaticum* & *Corinthum de Attica dialecto*, non magis est mirandum, quam illud, *quod, quamvis adjectiva sint hæc nomina: Falernum, Cæcubum*, (ubi nempe de vinis est sermo) *cum quibus substantivum subaudiri necesse est; iis tamen, præsertim illi priori, epitheta adjungere, tanquam substantivis, Latini poëtæ minime dubitarunt.* Nam idem auctor itidem celebritati horum vinorum hoc adscribit. *Tanti videlicet* (subjunxit) *hæc vocabula, quod vini, & quidem generosissimi essent cognomina, facienda esse putarunt, ut iis prærogativam illam indulgere fas esse censuerint. Hinc igitur sunt illa: Falernum forte, Falernum indomitum, Falernum severum, Falernum acre, Falernum nectareum, atque alia.* Sed pergamus jam, & de urbibus, quas Pelasgi in hoc ipso agro tenuerunt, deque aliis locis ejus celebrioribus agamus.

Neque a Pelasgis, qui dicti fuerunt AMINEI, & ex Thessalia venerunt in agrum Falernum, eumque appellarunt Amineum.

Sed deinde forsan istud nomen accepit ab homine quodam, qui dictus Falernus;

A quo nomine vinum ejus nove dictum est Falernum adjectivi forma.

XXXV. *Larissa oppidum. Forum Popilii oppidum. Forum Claudii oppidum. Urbana oppidum. Pons Campanus in flumine Savone. Loci, quorum unus* Ad octavum, *alter* Ad nonum *dictus.*

LARISSA, Pelasgorum urbs in agro Falerno,

De urbibus, quas Pelasgi in agro Falerno tenuerunt, *Dionysius Halicarnassensis*, quem ex parte jam supra retulimus, ut interpres ejus habet, lib. I ita scripsit: *Hi quoque quondam camporum, qui Campani vocantur, aspectu amœnissimorum & pascuis aptissimorum, partem non minimam, Auruncis, gente barbara, inde pulsis tenuerunt. Et cum alias urbes, tum etiam Larissam ibi condiderunt, cui a sua metropoli Peloponnesiaca nomen indiderunt. Cæterarum igitur urbium, quæ in hoc numero erant, nonnullæ vel ad meam usque ætatem, mutatis sæpe habitatoribus, stabant. Sed Larissa jam pridem deserta manet, ita ut pristinæ habitationis nullum vestigium nostri seculi hominibus manifestum habeat præter ipsum nomen; & ne hoc quidem multis est notum. Aberat autem non procul a Foro, quod Popilium appellatur.* Huc usque *Dionysius.*

Neque veteribus quibusdam, neque recentioribus est memorata, qui tamen eam non debuerant prætermittere.

Plinius Secundus, Strabo, & Cluverius notati.

Dionysius Halic. illustratus.

sius. Atque hanc Lariſſam noſtram ſane non videntur habuiſſe cognitam alii ſcriptorum veterum, qui prorſus nullam ejus fecerunt mentionem. Equidem neque *Plinius Secundus*, qui in catalogo primæ regionis Italiæ urbium illas etiam recenſuit, quæ jam erant exſtinctæ, debuiſſet eam prætermittere, neque etiam *Strabo*, qui lib. IX de multis aliis urbibus tractavit, quibus Lariſſa nomen erat. Verum *Cluverius* & omnes alii recentiores, qui eam cognoviſſe poterant ex *Dionyſio*, quamobrem & ipſi illam tacuerunt? De hac itaque Lariſſa cum tam altum ſit apud veteres juxta & recentiores ſcriptores ſilentium, neque ego, quod de ea dicam, multum habeo: præſertim cum & nomen ejus atque ſitus ipſis fere antiquis fuerit incognitus. Itaque hoc duntaxat ex eodem *Dionyſio* obſervare licet, Pelaſgos Peloponneſo egreſſos ſex ante ætatibus, quam in Italiam pervenerunt, ut ipſe affirmat, & ſuo loco fuſius oſtendam, ac per iſtud temporis ſpatium, quod ducentos annos æquat, in Theſſalia atque alibi commoratos, huic urbi ab ſe conditæ nomen impoſuiſſe metropolis, unde ipſi erant oriundi: atque adeo hunc morem ab ipſis obſervatum, ubicunque alias etiam condiderunt urbes. Ita hiſce hominibus poſt integrum ducentorum annorum intervallum neque memoria, neque amor priſtinæ patriæ deceſſerat.

Fuit etiam FORUM POPILII urbs Pelaſgorum Volturnum flumen verſus in agro Falerno,

Jam autem Forum Popilii *Dionyſius* dixit ætate ſua habitari: ut adeo hæc urbs omnibus aliis auctoribus potuerit eſſe cognita. Hinc, licet ſoli, utcunque tamen memoraverunt eam *Ptolemæus* & *Plinius Secundus*: ſed ille quidem diſerte nomine *Fori Poplii*, hic nonnihil ambigue, ſi attendatur ad vulgatam diſtinctionem, quæ in ejus eſt codicibus lib. III cap. V. Verba geographi iſtius, quæ retulimus de Trebula agentes, ubi illum deſcripſiſſe eam una cum aliis urbibus noſtris ultra Volturnum flumen monuimus, hæc ſunt: *Campanorum mediterraneæ civitates: Venafrum, Teanum, Sueſſa, Cales, Caſilinum, Trebula, Forum Poplii, Capua, Abella, Atella.* Et quia ille deſcriptionem ſuam inſtituens ab Occidente & Septentrione Meridiem atque Orientem verſus, eam ultimo inter iſtas loco recenſuit, credibile eſt, illam non longe ab eodem amne abfuiſſe. Cum hoc ſitu ejus ſatis bene conveniunt *Plinii* verba, quem, ubi per Alphabeti ſeriem primæ regionis Italiæ populos enumerat, non alios *Foropopilienſes*, quam hujus urbis cives oportet intellexiſſe verbis ſequentibus, quæ in codicibus ejus perperam diſtincta, una hanc urbem & reliqua verba ejus reddebant obſcura atque confuſa: *Fabienſes*, dixit ille, *in monte Albano*, *Foropopilienſes ex Falerno*, *Fruſinates*, *Ferentinates*, &c. Omnes alii legunt: *Fabienſes*, *in monte Albano Foropopilienſes*, *ex Falerno Fruſinates.* Verum ſi Forum Popilii, ſive Forum Poplii, ut affirmat *Dionyſius Halicarnaſſenſis*, fuit in agro iſto, quem Pelaſgi ademerunt Auruncis, certe illud non alibi fuit, quam ultra Volturnum, ut *Ptolemæus* etiam indicat, ubi vidimus ab omnibus ipſoque *Plinio* collocari Falernum. Quomodo igitur ille potuit Fruſinates, qui Latii veteris erant populi, adſcripſiſſe Falerno, Campaniæ Felicis agro; & via verſa Foropopulienſes, ejuſdem Campaniæ incolas, monti Albano, qui in eodem fuit Latio? Sane hæc nimis aperta fuiſſet hallucinatio. Forum Popilii exſtabat adhuc tempore *Dionyſii Halicarnaſſenſis*, qui floruit imperante Auguſto, cum ſæpius mutati eſſent ejus incolæ: nempe ex illis, quæ diximus uſque adhuc, non improbabilem facere conjecturam licet, eam urbem fuiſſe habitatam a Pelaſgis, Etruſcis, Campanis, & Romanis. Ste-

Plinius Secundus emendatus & illuſtratus.

Quæ varios habuit incolas, & ſtetit adhuc circa finem ſeculi quarti poſt

tit etiam non tantum uſque ad *Plinii Secundi* ætatem, ſed multo adhuc diutius: nam cives ejus vergente ad finem ſeculo poſt natum Chriſtum quarto Cajo Minucio Æterio cuidam dedicaverunt ſtatuam cum *Inſcriptione* ſatis barbara, quæ Capuæ eſt ad templum S. Bartholomæi Apoſtoli, ſculpta minutiſſimis literis, & hæc verba habet:

natum Chriſtum.

C. MINVCIO AETERIO SEN. INDVSTRIO VIRO
CVNCTVS POPVLVS CIVITATIS FOROPOPILIENSIVM
LABORIBVS TVIS PATRIAE NOSTRAE GENETALIS INDICAT
MAIOREM HONOREM DIGNVS CVRIAE ET POPVLI
PATRONVS FILIOS PRIMOS IN ORDINE NEPOTES
DIEM MAGISTRATVOS IVRI VENIAM ACCEPISTI
TIBI DIGNO PATRONO VNITVS POPVLVS VNA CVM
LIBERIS NOSTRIS STATVAM LOCO CELEBERRIMO
PATRIAE NOSTRAE PONENDAM CENSVERVNT

Reliqua, quæ verſus quoſdam continebant, legi non potuere, quod injuria temporis erant conſumpta. Huic Minucio etiam alia ſtatua fuit dedicata itidem cum *Inſcriptione*, quam hic ſubjiciam, ab incolis caſtelli, cui nomen *Cento*, cujus ſolus *Anaſtaſius Bibliothecarius* fecit mentionem in *Vita S. Sylveſtri*, ubi donationes recenſet, factas ab Imperatore Conſtantino Magno templo Apoſtolorum, quod ipſe condiderat Capuæ, & inter alia hæc habet: *Poſſeſſionem ad Centum*, *territorio Capuano*, *præſtantem ſolidos ſexaginta.* *Inſcriptio* iſta, quæ marmori inciſa, & in prædio quodam eſt iſtius tractus, qui vulgo *Majoriſe* dicitur, & ultra Volturnum eſt mille fere paſſuum intervallo, ad antiquæ viæ Appiæ dextrum latus a Capua Sinueſſam petentibus, hæc eſt:

Vetus Inſcriptio ſuppleta & illuſtrata.

. . . . AETERII
MINVCIO AETERIO
FABENTE MAIESTATE
DEI TRACTATVM MENTIB
VS NOSTRIS ESIT MERITA EIVS OMNI
BVS ONORIBVS GESTIS PATRIE NOSTRE
ETIAM ET IN VRBE SACRA ADMINISRATI
ONEM ADMINISTRAVIT DIGNO PATRONO CENTO
AVRI STATVAM ante SEDEM dei PONENDAM CENS
.... VI. IDVS MAIAS LVPICINO ET
ioVIno VV. CC. COSS.

Verba, quæ minimis omnium literis ſunt expreſſa, noſmet addidimus, prout oſtendere videbantur illorum non ſatis manifeſta veſtigia: Lupicinus autem cum Jovino conſul fuit anno æræ Chriſtianæ CCCLXVII. Et ab hoc tempore non aliena eſt utriuſque hujus marmoris opus & ſculptura; quæ, aliquantum rudis eſt, item ſtylus ipſarum *Inſcriptionum*, quæ multum ſibi ſunt conſimiles, atque earundem argumentum, ut animadvertere poſſunt harum rerum periti. Jam ex hac illarum non exigua ſimilitudine forte quis colligere poſſit, priorem illam fuiſſe argumentum epiſtolæ, qua Foropopilienſes certiorem fecerant Æterium decreti publici, quo ſtatuam illi ponendam cenſuerant in loco urbis frequentiſſimo; (talis enim locus demonſtratur iſta loquendi forma) alteram autem fuiſſe in ipſius ſtatuæ baſi. Verum tanta certe inter illas etiam eſt diſſimilitudo, tum quod ad res attinet, quæ in illis dicuntur, earumque modum, tum quod ad ipſum opus ſculpturæ attinet, ut non poſſint Foropopilienſes credi utriuſque eſſe auctores. Varietatem ſtyli atque orthographiæ vel me non monente ultro quiſque obſervare poterit: inter ipſum autem opus atque marmora, quæ non videntur ejuſdem eſſe fodinæ, neque ejuſdem ſunt magnitudinis, quandoquidem minus eſt illud, quod baſim fuiſſe ſtatuæ certum eſt; hæc eſt varietas, quod in priori literæ non ejuſdem ſunt modi, neque lineis diſtortis & inæ-

Veteres Inſcriptiones illuſtratæ.

qualibus, ut in altero apparent: cujus sculptorem tantundem fuisse imperitum, quantum locus iste *Centum* debuit minoris fuisse dignitatis, quam *Forum Popilii*, apparet ex reliquis ornamentis ejus, quæ itidem sunt impolitiora illis, quæ priori sunt addita. Ceterum utrumque perinde formam basis habet, sustinendis statuis aptæ, & item ex æquo ab altera parte expressum habet urceum, ab altera lebetem, ex more veterum communi, quem descripsit *Alciatus* hoc *emblematis* XXXI disticho:

Marmoreæ in tumulis una stat parte columnæ
Urceus, ex alia cernere malluvium est.

Hæc enim solita erant puræ virtutis symbola, a qua defunctus in ipsa basi laudabatur. Igitur *Inscriptiones* istæ nihil quicquam inter se commune habent, nisi quod eidem Minucio sunt positæ. Quod ad cetera attinet, de manifesta non multum noti populi Foropopiliensis ruditate temporibus istis parum prosperis illud satis est credibile, illum ejusdem basis parte superiore fuisse usum ad epistolam, ad istum Minucium scriptam; inferiore autem, quam apparet satis fuisse capacem, ad elogium ejus exprimendum: potius quam duplicatos esse sumptus, nimium sane supervacuos, & uni statuæ duas additas bases. Atque hac de re jam satis. Porro autem eædem calamitates communes, per quas urbium Campaniæ nostræ, ut huc usque vidimus, aliæ prorsus interierunt, aliæ multum decreverunt, non minus detrimenti attulerunt etiam huic oppido, cujus & ipse peculiaris situs prorsus est ignotus. Credidi quondam, cum *Inscriptionem*, quam secundo loco retuli, necdum vidissem, Forum Popilii eandem illam fuisse urbem, quæ in *Vita S. Bernardi*, Carinolæ episcopi, quam typis vulgavit *Michaël Monacus* noster in *Sanctuario* suo, dicitur *Forum Claudii*. Et quia situs ejusdem Fori Claudii, ut mox ostendam, satis erat manifestus, de illius quoque situ minime dubitabam, & primum a Popilio, deinde a Claudio quodam unam eandemque urbem diversis temporibus diversis fuisse nominibus appellatam arbitrabar. Et huic quidem sententiæ descriptio Fori Popilii in agro Falerno, latius sumpto, neutiquam repugnabat: nam & Forum Claudii fuit in agro isto, qui ab una parte Massicum montem, ab altera Savonem amnem attingit. Verum cum postea non multis abhinc annis cognovissem, Forum Popilii exstitisse & appellatum fuisse hoc nomine adhuc isto tempore, quod in altera, quam modo retulimus *Inscriptione* demonstratur, unde neutiquam mihi obscurum est, priorem opinionem meam non posse habere locum; mutavi sententiam de mutato nomine ejus. Jamque nihil amplius dubito, quin non una eademque, sed duæ fuerint, & situ & nomine diversæ urbes, Forum Popilii & Forum Claudii.

Aliud autem ab hoc oppidum fuit Forum Claudii in eodem tractu.

Auctor ipse se refutat.

Jam istius oppidi, cui Forum Claudii nomen, mentionem fecit, ut jam indicavi, *Auctor Vitæ S. Bernardi*, Carinolæ episcopi, in qua leguntur hæc verba: *Erat eo tempore episcopalis mansio loco, qui Forum Claudii dicebatur, videlicet strata publica: euntibus Romam & Neapolim planum usque hodie monstrat accessum; qui locus a Calenensi civitate duobus fere millibus distat.* Loquutus est hic auctor de situ Fori Claudii respectu loci, ubi sita erat *Carinola*, cujus urbis episcopi vitam describebat: unde mirum sane videri potest, unam eandemque viam ab ista urbe ferre potuisse Romam quæ ab ejus latere Occidentali est, nonnihil Septentrionem versus, & item Neapolim, quæ ipsi ab altero latere Meridiem versus est. Sed sciendum est, *Carinolam* esse sitam ultra Savonem, & citra Sinuessam veterem, quinque fere millium passuum intervallo procul ab antiqua via Appia Septentrionem versus. Atque adeo Forum Claudii oportet fuisse in eodem isto tractu, & in via, quæ ad sinistram flectentes Neapolim, ad dextram autem flectentes ducebat Romam. Et sane in isto tractu hodieque apparent in plano campo satis manifesta priscæ urbis indicia, quæ conjuncta cum nomine ejus loci, qui vulgo appellatur *Civita rotta*, [1] nos certos faciunt, istic fuisse hoc Forum Claudii, de quo loquutus est auctor ille quem modo retulimus, qui solus omnium scriptorum eam urbem nobis demonstravit. Primum illa forte condita fuit ab Auruncis, (ad Pelasgos eam referre nequeo, quia hi illis ademerunt agrum citra Savonem) sive Ausonibus, quos oportet eam alio nomine appellavisse: deinde vero ab Romanis, postquam hi occupaverunt Cales, aliasque exiguæ hujus Ausoniæ urbes, instaurata, & novo dicta nomine a quodam Claudiorum Romanorum, qui ejus instaurandæ curam habuit. Novissime autem tempore S. Bernardi istius, qui episcopatum ab anno MLXXXVII ad annum usque MCIX tenuit, hoc tantum deerat, quin prorsus esset desolata, quod templum ejus cathedrale, & episcopale domicilium istic adhuc supererant: quorum in altero divina peragebantur officia, in altero ex more illorum temporum antistes agebat cum suis Canonicis. Veruntamen populus ejus urbis habitabat interim in vicina *Carinola*, quam ob causam denique *videns sanctus Dei Bernardus*, (verba sunt ejusdem scriptoris) *populum suum longe a se remotum frequens ab eo consolationis non habere consilium, cæpit intra se magna cum deliberatione versare, utrum posset Episcopatum ad prædictæ civitatis claustra transferre.* Atque hoc perfecit etiam consilium, prolixe illum adjuvante Jonatha, *Carinolæ* Comite, cujus alio loco mentionem supra fecimus, qui *in honorem sanctæ & intemeratæ virginis Mariæ & B. Joannis Baptistæ fabricavit Ecclesiam & domos competentes, in quibus Episcopus cum suis Clericis habitarent, ut competentius ad divinum servitium tempore officii matutinalis occurrerent.* Atque hinc facile jam intelligere possumus, Forum Claudii novissime prorsus fuisse desertum, cum S. Bernardus, quem convenit credere consecratum fuisse Foroclaudiensem episcopum, sedem suam transtulit *Carinolam*, urbem aliquantum tutiore loco sitam, quia undique continua cingebatur valle. Atque hujus urbis populus cum idem ille fuerit, qui in Foro Claudii habitaverat antea, oportet eam non multum esse antiquiorem ejusdem sancti episcopi ætate; ejusque exstructionem referri ad Longobardos nostros conveniet, qui Campani Principatus dominium retinuerant usque ad annum epochæ Christianæ MLVIII, ut affirmat *Leo Ostiensis* lib. III cap. XVI nosque alibi indicavimus. Ad omnia hæc satis congruit illud, quod episcopus ejus urbis Joannes, qui consecrationi templi Casinensis interfuit, quæ celebrata fuit anno MLXXI, ut vulgo creditur, nomen suum istius solennitatis *Bullæ* Pontificali, concessæ ab Alexandro II Pontifice, subscripsit ad hunc modum: *Joannes Episcopus Foroclaudiensis.* Jam in descriptione ejusdem celebritatis idem appellatur *Joannes Episcopus Calenus:* nimirum ex falsa ista opinione, quæ usque adhuc obtinuit, de Latino nomine *Carinolæ*, orta

FORUM CLAUDII, urbs in via ista, quæ a Carinola Neapolim & Romam ferebat,

Auctor Vitæ S. Bernardi, Carinolæ episcopi, illustratus.

Fuit in loco, cui hodie nomen Civita rotta, ad latus Septentrionale viæ Appiæ.

Condita forte ab Auruncis, instaurata autem ab Romanis.

Primum ejus urbis populus migravit Carinolam, mox episcopatus quoque ejus eodem translatus.

Erat autem hæc urbs condita ab Longobardis Campanis.

1. Nomen hoc Italico idiomate *dirutam urbem* significat. Ceterum cum hujus *loci*, ut dixit Auctor ille *Vitæ S. Bernardi*, sive jam urbs illa fuerit, tantum unicus iste scriptor mentionem fecerit, frustra quis de ejus ortu aut incrementis divinaverit.

ta iisdem illis annis, ut monuimus de Calibus agentes. *Bulla* autem ista typis vulgata est ab *Antonio Caracciolo* in *Quatuor chronologis antiquis*, quos deinde nos multis erroribus expurgavimus. Et eodem in libro legitur quoque *Descriptio* ante dictæ consecrationis, quæ mihi videtur ad *Leonem Ostiensem* esse referenda, qui floruit circa ejusdem seculi finem, & principium sequentis. Jamque de Foro Claudii quod dicam amplius, non superest.

URBANA, Pelasgorum forte urbs, & deinde aliarum gentium, novissime autem Romanorum.

Verum istius urbis, quam *Plinius Secundus Urbanam* dixit verbis istis lib. XIV cap. VI quæ alias retulimus: *Falernus ager a ponte Campano læva petentibus Urbanam, coloniam Sullanam, nuper Capuæ contributam, incipit*; istius, inquam, nisi idem Sulla primus fuit auctor, credi possunt antiquissimis temporibus eam condidisse Pelasgi, aut deinceps Etrusci Campani, qui illis successerunt. *Dionysius Halicarnassensis* dixit, Pelasgos in agro isto, quem Auruncis ademerant, quemque ego arbitror fuisse Falernum illum, qui citra Savonem amnem, & pontem Campanum fuit; non tantum condidisse Larissam & Forum Popilii, sed nonnullas etiam alias urbes. Verba ejus, quæ itidem supra retulimus, hæc sunt: *Cæterarum urbium, quæ in hoc numero erant, nonnullæ vel ad meam usque ætatem, mutatis sæpe habitatoribus, stabant.* Ceterum Urbana, quæ post ejus ætatem, & *Plinii* etiam ævo supererat adhuc, sita fuit cis pontem Campanum in via, quæ ab Sinuessa Capuam ferebat, id est, in via Appia.

Site in via Appia cis Sinuessam,

Atque adeo, si ejus situm spectamus, nihil obstat, quin dicamus eam fuisse opus cujusdam istarum gentium, quas diximus, & denique, *mutatis sæpe habitatoribus* eo fuisse deductam coloniam Sullanam. In eadem via, & citra pontem Campanum collocatur illa ab *Itinerarii Peutingeriani* auctore ad hunc modum:

Sinuessa.
Ad Ponte Campano.
Urbanis. III.
Ad Nonum. III.
Casilini. VI.
Capuæ, III.

Contributa fuit Capuæ, quæ aliás etiam novis colonis fuerat aucta;

Verum cum Urbana non ante *Plinii* ætatem, ut ex ipso intelleximus, fuerit contributa Capuæ, non potest de hoc veteris Capuæ nostræ incremento loquutus esse *Vellejus* noster, ubi lib. II, postquam narraverat victoriam, quam Augustus a Sexto Pompejo reportaverat, subjunxit: *Speciosum per id tempus adjectum supplementum Campanæ coloniæ.* Ceterum hinc satis colligi potest, postquam ab Cæsare colonia Capuam fuit deducta, eam isto seculo per tanta incrementa denuo ad res satis prosperas fuisse provectam, ut manifestis verbis testatur *Strabo*, qui lib. V de sui ævi Campanis, ut ejus verba Latine reddidit Interpres, loquutus est ad hunc modum: *Nunc rebus utuntur prosperis*, (scripsit ille imperante Tiberio) *colentes concordiam cum vicinis*; (alludit ad eorum bella cum Samnitibus & Cumanis) *civitatisque suæ vetustam dignitatem amplitudinemque & virtutem tuentur.* Ita gravissimus ille auctor, qui posteriorem Capuæ statum pristino æquiparans, de utroque tantas nobis prodidit laudes, ut, etiamsi in unum colligantur, quæcunque de Capua scripserunt omnes alii scriptores, non possit inde amplior illi laus accedere.

Unde nova ejus felicitas æquabat pristinam.

PONS CAMPANUS fuit in flumine Savone in via Appia,

Sed quandoquidem jam sumus in hac altera parte viæ Appiæ, quæ Romam versus est, in qua *Plinius Secundus*, & ante eum *Horatius*, tum etiam *Itinerarii Peutingeriani*, & denique *Hierosolymitani* quoque auctor citra Sinuessam nobis descripserunt pontem Campanum, non convenit, ut aut de ipso, aut de isto loco, qui dictus fuit *Ad Nonum*, aut etiam de isto alio, qui dictus *Ad Octavum*, & describitur nobis in *Itinerario Hierosolymitano*, tractare negligam. Atque hoc quidem *Itinerarium* contrario illi, quod in *Peutingeriano* describitur, quodque confecit *Horatius*, itinere ita habet:

Civitas	*Capua.*	
Mutatio	*Ad Octavum.*	M. VIII.
Mutatio	*Ponte Campano.*	M. IX.
Civitas	*Sonuessa.*	M. IX.

Horatius autem, narrans quoddam iter suum a Roma Brundisium ad imitationem *Lucilii*, qui, ut notavit vetus ejus interpres, quem alibi citavimus, etiam suum iter descripserat, quod Roma fecit Capuam, & inde ad fretum usque Siculum; id est, per viam, quæ Rhegium ferebat, quam supra demonstravimus; postquam narraverat, se pervenisse Sinuessam, subjecit hosce versus:

Proxima Campano ponti quæ villula tectum
Præbuit, & parochi quæ debent, ligna salemque.
Hinc muli Capuæ clitellas tempore ponunt.

Sic dictus a Capua, quo ferebat: & ab hac parte prope eum villa erat in quadrivio.

Satis cum ratione credunt omnes, pontem hunc fuisse in flumine Savone. Ceterum non accepit ille *Campani* nomen a Campania, quasi ab illa parte ejus regionis istic fuerit terminus, sed a Capua, ad quam a Roma pergentibus ille transeundus erat, si eidem veteri interpreti credimus. Neque ista etiam villa ejus proprie fuit eodem in loco, sed mille passus citra, ut idem auctor affirmat, cujus verba, quantum ad nostrum illa faciunt argumentum, hæc sunt: *Villula, quæ est proxima ponti Campano, id est, Capuensi, præbuit tectum: ea autem villula est intra* XVI *milliarium a Capua, ubi se pernoctasse dicit.* *Itinerarium Hierosolymitanum*, quod modo citavimus, a Capua ad pontem istum XVII millia passuum numerat. Et tantundem numerat *Itinerarium* quoque *Peutingerianum*, genuina lectione restituta, ut post demonstrabo. Fuit itaque hæc villula citra pontem Campanum mille passuum intervallo. Et ad eandem villam, ut recte percipiamus istorum locorum situm, ferebat illa via, in qua diximus Forum Claudii fuisse situm, quæ ad mare usque directa, pertingebat ad Volturnum urbem, sitam in ostio Volturni fluminis.

Fuit etiam in alio viæ Appiæ quadrivio locus, qui dictus fuit AD NONUM, & alius, qui dictus AD OCTAVUM,

Porro in quadrivio isto, ubi via Appia occurrebat illi viæ, quæ recto cursu ab Teano ferebat eundem Volturnum versus, atque istud latus ejus, in quo hodie vicus noster est, qui dicitur *Cancello*; ab adversa autem ripa vicus noster est, cui nomen *Arnone*, per quem atque illum Vicum, ubi ad Liternum villam suam habuit Scipio, diversum ad Cumas & Puteolos iter erat; in isto, inquam, quadrivio locum fuisse arbitror, qui dictus fuit *Ad Nonum*, & alterum, qui dictus *Ad Octavum*, millibus passuum fuisse citra, in altero quadrivio, ubi itidem incidebat in Appiam alia via, quæ a Calibus directa ad latus sinistrum illius, quæ Teanum ducebat, etiam citra Volturnum ad Atellam ferebat, incidens in viam Consularem, a Capua ad Puteolos & Cumas directam, isto in loco, quem alibi descripsimus, cui nomen fuit *Ad Septimum*. Atque hæc nomina *Ad Nonum*, *Ad Octavum*, *Ad Septimum* indita sunt locis istis, quia totidem millia passuum aberant a Capua: & eadem quoque loca in quadriviis istis credere oportet publicarum tabernarum atque diversoriorum præstitisse usum, perinde ut villam istam, quam descripsit *Horatius* proximam ponti Campano. A copia dispersorum lapidum superficie plana, qui Latine dicebantur *plancæ*,

Ubi publicæ erant tabernæ.

&

& postea corrupte a vulgo nostro *chianche* & *ciancie*; quibus stratæ erant hæcce frequentes adeo viæ, in *Historia principum Longobardorum* lib. I demonstravi eandem regionem ultra Volturnum, ab utroque latere Appiæ; sed montes versus per aliquod spatium ad certum usque signum, latius autem mare versus; fuisse appellatam *Canziam*, unde hodieque appellatur *Terra di Canzo*. Sed existimavit *Cluverius*, duos istos locos *Ad Octavum* & *Ad Nonum* nonnisi unum eundemque fuisse locum, & diversis temporibus diversum habuisse nomen, *jam tum* (hæc sunt ejus verba) *immutata milliarium computatione*, *quod antea admodum exigua erant*. Verum etiamsi observare non licuisset distinctos antedictarum viarum concursus, tamen vel sic probare ejus sententiam prorsus non possem. Apparet enim, *Antoninum* descripsisse viam ab Sinuessa ad Capuam XXVI millium passuum longitudine, & totidem numerari in *Itinerario Hierosolymitano*, quod serioris ætatis est, quam *Peutingerianum*, quod ipse *Cluverius* ad tempora Juliani Imperatoris retulit; & nihilominus in hoc ipso *Peutingeriano* eandem distantiam tantum esse millium XXIV. nam quæ istic desiderantur ab Sinuessa ad pontem Campanum, non negaverit ille mihi fuisse millia novem, quot numero *Hierosolymitanum* demonstrat. Jam vero si in hoc *Itinerario* a Capua usque *Ad Octavum* tantum octo sunt eadem istæc millia, quæ in altero novem sunt, quare in eodem *Hierosolymitano* a loco *Ad Octavum* usque ad pontem Campanum numerantur novem millia, quæ ista ratione, quam commentus est *Cluverius*, deberent in *Peutingeriano* decem esse, & tantummodo sex sunt millia? Satis sane manifesta est hæc discordia, quam omnino ille non prætermittere, sed notare minimum debuerat. Ceterum facile illa tolli posset, si in *Peutingeriano* ad ista tria passuum millia a ponte Campano ad Urbanam adderetur unum; & ad ista tria, quæ ab Urbana usque *Ad Nonum* numerantur, itidem unum adderetur milliarium. Et adeo a loco *Ad Nonum* usque ad pontem Campanum non sex fuerint, sed octo; & ab loco *Ad Octavum* usque ad eundem pontem non sex fuerint aut septem, sed novem passuum millia: & in universum a Capua usque ad Sinuessam non quatuor & viginti fuerint, sed sex & viginti milliaria: ut adeo *Peutingerianum* conveniat cum reliquis duobus *Itinerariis*, quorum alterum antiquius, alterum ipso serius est. Quod si ad hunc modum non corrigantur isti numeri, tamen ideo non poterit minus esse vera loci *Ad Octavum* distinctio ab loco *Ad Nonum*, quorum alter altero diversis temporibus frequentior fuit & celebrior: ideoque in duobus istis *Itinerariis* recentioribus vicissim alter descriptus est, alter omissus. Neque vero arbitror, hoc unius tantum milliarii intervallum inter duas istas publicas tabernas minus probabile visum iri in via Appia, & maxime in ista parte ejus, quæ Romam versus erat, ubi magna copia tabernas fuisse multum opportunas, colligi potest ex isto *Horatii* dicto lib. I *Sat.* V:

Et minus quidem recte quisquam recentiorum credidit hosce duos fuisse unum eundemque locum.

Cluverius refutatus & notatus.

Itinerarium Peutingerianum emendatum & cum aliis Itinerariis conciliatum.

Istiusmodi autem tabernarum magna fuit copia per eandem viam,

> —— —— *minus est gravis Appia tardis*;

ad quod idem *Scholiastes*, quem supra citavimus, ita commentatus est: *Appia via non est molesta tardioribus*, *quia diversoriis frequens*, *ubi possunt manere viatores*, *quocunque pervenerint*. Atque hujus rei idem poëta prodidit etiam indicium lib. I *epist.* XI, versibus istis, quos de hac via agentes, supra retulimus:

> *Sed neque qui Capua Romam petit*, *imbre lutoque*
> *Adspersus*, *volet in caupona vivere* —— ——

Horatius illustratus.

Atque ista tabernarum copia necessaria fuit propter multitudinem iter facientium per hanc viam, ut & illorum, qui eandem voluptatis duntaxat causa frequentabant: unde idem poëta, ut non ita multo ante intelleximus, de Mena dixit:

> **Arat Falerni mille fundi jugera*,
> *Et Appiam mannis terit.*

Quæ olim etiam voluptatis causa fuit frequentata.

Et apud *Plutarchum* in *Crasso* Arabs iste mea quidem sententia perinde loqui voluit de voluptatibus, quibus frui licebat peragrantibus Campaniam per littus, ac per Appiam in mediterraneis, ubi irridens milites Romanos, qui duram querebantur viam, in quam ab ipso deducti erant, ita dixit, si verba ejus Latine reddantur: *Et quid vos per Campaniam iter facere putatis? Fontes*, *rivos*, *umbras*, *balnea scilicet & diversoria quæritis? Non meministis*, *Arabum & Assyriorum vos peragrare confinia?* Nec aliud voluit *Cicero*, ubi Quintum fratrem docet lib. I *epistola* I, illarum scilicet, quas ad ipsum scripsit; quomodo in itinere per Asiam regere deberet servos suos, *quos equidem*, dixit, *omnibus in locis*, *tum præcipue in provinciis regere debemus: quo de genere multa præcipi possunt. Sed hoc & brevissimum est*, *& facillime teneri potest*, *ut ita se gerant in istis Asiaticis itineribus*, *ut si iter Appia via faceres*; *neve interesse quicquam putent*, *utrum Tralles*, (Cariæ urbem in Asia Minori) *an Formias venerint*. Verum supplicium istud, quo affecta fuerunt sex millia servorum, qui de Spartaci exercitu vivi capti fuerunt ab Romanis, &, ut interpres *Appiani Alexandrini* lib. I *De bello civili* dicit, *per totam viam pependerunt*, (forsan in crucibus) *qua in Urbem itur a Capua*, per istos dies nobis admodum tædiosum reddidisset amœnum istud iter.

Horatius denuo illustratus, & collatus cum Plutarcho & Cicerone.

XXXVI. *Montes Auruncorum. Montes Oscorum. Montes Samnitium.*

Jam quandoquidem pervenimus ad loca, olim habitata Auruncis, & ad eorum *montes, video posse satis cum ratione moveri controversiam, an hice fuerint Samnitium & Oscorum montes, quos *Strabo* dixit lib. V. circum Campaniam esse. *Circum eam jacent* (ita habet interpres ejus) *cum tumuli terræ fertiles tum Samnitium Oscorumque montes*. Idem enim auctor Teanum dixit urbem Sidicinorum qui Osci erant, ut paulo post intelligemus. *Dionysius Halicarnassensis* autem relatus a *Stephano Byzantino*, Minturnas adscripsit Samnitibus: *Menturna* (ita Latine habent *Stephani* verba) *opidum in Italia Samnitium*, *teste Dionysio lib.* XVI. *Gentilitium inde Menturnæus.* Teanum hodieque est in eodem isto tractu ultra Savonem amnem, ubi olim fuerunt etiam Minturnæ. Sed mea quidem sententia voluit iste geographus montes nostros in duo genera distinguere, & per ista verba: *Circum eam jacent tumuli terræ fertiles*, non alios intellexit montes, quam Massicum, Gaurum, & Vesuvium, de quorum eximia fertilitate sæpius audivimus laudes ex variis auctoribus. De Tifatorum collibus qui Capuæ imminebant, deque iis, qui sunt circa Nolam, ejusmodi laus ab nullo unquam prodita legitur. Sed Massicum et vicinam regionem satis est certum fuisse Auruncorum, qui alio nomine dicti fuerunt *Ausones*. Et istic cis Lirim, ut ex parte demonstravimus pluribus hujus *Dissertationis* locis, & ex parte demonstrabitur paulo post, habuerunt *Minturnas*, *Vesciam*, *Cales*, & *Auruncam*, urbes; atque etiam ultra eundem amnem ad Volscos usque pertinuerunt: unde *Joannes Tzetzes*, qui, *Variam Historiam* suam descripsit Græcis versibus politicis, postquam de illis alias res

MONTES AURUNCORUM non fuerunt Samnitium neque etiam Oscorum montes.

Strabo illustratus.

Aurunci enim tenuerunt ultra & citra Lirim amnem.

Joannes Tzetzes laudatus & illustratus.

res gestas narraverat, denique in *Chiliadis* v Hist. xvi, ut ejus interpres habet, ita conclusit:

Auruncos autem solos mihi Ausones dicere cogita,
Medios inter Volscos atque Campanos ad mare sitos.

Nimirum ille per Campanos intellexit Campaniam strictissime sumptam cis Volturnum: quod omnino verum esse deprehendi potest ex illis, quæ de eadem Campania Capuana in hac & præcedenti *Dissertatione* exposuimus. Quod autem attinet ad alterum Auruncorum cum Volscis confinium, de eo *Livius* quoque & *Strabo*, non diverso modo loquuti fuerunt, ex quibus forsan ipse *Tzetzes* hoc observavit. Nam *Livius* quidem illorum vicinitatem indicavit, ubi lib. ii ita dixit, *Eodem anno duæ coloniæ Latinæ, Pometia & Cora,* (quarum utraque fuit in Volscis) *ad Auruncos deficiunt*; *Strabo* autem, cujus verba afferam, ubi de Teano agetur, lib. v adhuc disertius affirmavit, Ausones, Campaniæ partem cis Lirim tenentes, habitavisse etiam regionem, quæ ultra Lirim vicina erat agro Pomptino, qui Volscorum fuit. Jam si *Virgilii* verba, qui in *Æneidem* suam pulcherrimas conjunxit antiquitates, aliquantum attente observare libet, ille lib. vii in hujus integræ regionis populorum catalogo, qui in Turni partibus fuerunt adversus Æneam, Auruncos, qui iidem sunt Ausones, ultra, & Oscos citra Volturnum collocavit in hisce versibus:

Livius illustratus & collatus cum Strabone & Tzetze.

Hinc Agamemnonius Trojani nominis hostis
Curru jungit Halesus equos, Turnoque feroces
Mille rapit populos. Vertunt felicia Baccho
Massica qui rastris, & quos de collibus altis
Aurunci misere patres, Sidicinaque juxta
Æquora, quique Cales linquunt, amnisque vadosi
Accola Volturni, pariterque Saticulus asper,
Oscorumque manus —— —— —— ——

Cum itaque poëta iste recto ordine a Massico aliisque locis tractus istius transierit ad loca, quæ citra Volturnum erant, inter quæ memoravit Oscos, quos *Servius* dixit esse Campanos hisce verbis: *Capuenses dicit, qui ante Osci appellati sunt*; ecquis dubitat, itidem citra Volturnum fuisse illorum montes? Certe *Strabo* existimavit, Teanum dici posse Campaniæ urbem, tantum ideo, quia Sidicinorum fuerat, quæ gens Osca ultra eundem amnem transiverat. Insuper si Oscorum & Opicorum una eademque gens fuit, qua de re alibi agemus; certe Opicia non ultra, sed citra Volturnum fuit, ut supra demonstravi. Neque *Polybius* etiam, ut ad Samnitium montes transeamus, aditum ex Samnio in Campaniam descripsit aut per Teanum, aut per aliud latus ultra eundem fluvium, sed per Caudium, & citerius fluminis latus, qua de re jam supra diximus: ut adeo heic non facile mihi moveri queat controversia. Sed forte quis dicet, si Nolam *Hecatæus* adscripsit Ausonibus eam ob caussam, ut suo loco exposui, quia illa fuit urbs Samnitium; Minturnas vicissim credi debere fuisse Samnitium, quandoquidem fuit illa Ausonum urbs; & eodem modo Samnitium quoque fuisse Teanum, cujus populus Sidicinus ex ejusdem geographi sententia fuit ex Oscis; atque Oscos juxta & Samnites origine fuisse Ausones, ut pluribus locis probare studuit *Cluverius*, & maxime lib. iii cap. ix in fine. Veruntamen neque ego arbitror *Dionysium* Minturnas proprie urbem dixisse Samnitium, (desideratur hodie in ejus historia liber xvi, qui citatur ab *Stephano*) sed cum forsan dixisse solummodo, illam fuisse quondam ab Samnitibus occupatam, qui frequenter infestaverunt cis & ultra Lirim regiones, qua de re in alia *Dissertatione* acturi sumus; neque quicquid etiam credatur de Samnitium origine, dici tamen poterit, Oscorum montes in alia fuisse regione, quam in qua ipsi habitaverunt, ideoque ultra Volturnum. Illud quidem ut recte dignoscatur, adhuc superest, utrum primum Oscorum, deinde autem Samnitium fuerint montes isti citra eundem amnem; an vero uno eodemque tempore Samnites unam, Osci alteram illorum partem tenuerint. Equidem arbitror ego, eodem modo, quo mons Callicula ab latere Cales versus pertinuit ad Campaniam, ab latere autem Trebulam versus ad Trebulanos atque istam Samnii partem, quæ minoris fuit nominis; ita & hosce montes ab altera parte fuisse Oscorum, ab altera Samnitium, quod utique satis est probabile. Ad hoc, nisi fallor, alludere voluit *Horatius*, ubi lib. i *Satyra* v, quam sæpius citavimus, introduxit cavillantes invicem in villa, *quæ super est Caudi cauponas*, id est, aliquantum ultra Caudium, Messium Cicerrum, cujus erant *clarum genus Osci*, & Sarmentum, servilis conditionis hominem: & ab affectu hominum istius loci videtur ille mihi fuisse ultra Campaniam, & in Samniticis Hirpinis, atque ab uno latere habuisse Tifata, ab altero autem istos montes, qui Nolæ imminebant. Ejusmodi litium & facetarum contentionum inter populos conterminos non possunt non fuisse exempla omnibus temporibus, quandoquidem hodieque admodum sunt ubique frequentes. Nec minus est certum, Campanos, qui crediti fuerunt Osci, in contumeliam Samnitium ornavisse gladiatores suos eodem modo, quo illi milites suos ad bella solebant ornare, qua de re nobis auctor est *Livius*, ubi lib. ix ita dixit: *Campani ab superbia, & odio Samnitium gladiatores, quod spectaculum inter epulas erat, eo ornatu armarunt, Samnitiumque nomine appellarunt.* Hinc argute sane *Horatius*, ut solent Satyrici, eandem illorum veterem & scurrilem æmulationem isto in loco, tanquam in eorundem populorum confinio, descripsit satis apte.

Virgilius illustratus.

Et istic fuit maxime notus in Campaniam aditus ex Samnitibus, qui occupaverunt, non autem condiderunt Minturnas.

Dionysius Halicarnassensis illustratus. Stephanus Byzantinus refutatus.

Teanum autem fuit Oscorum, sed extra ipsorum regionem.

Atque hi ab una parte tenuerunt montes eosdem, quos Samnites tenuerunt ab altera.

Horatius illustratus.

XXXVII. *Aurunca oppidum. Suessa oppidum. Teanum oppidum. Venafrum oppidum:*

SEd cum *Virgilius* in versibus istis, quos paulo ante adduximus, a Massico separatim memoraverit altos Auruncorum colles, arbitror eum per istos intelligere voluisse montes, qui in isto tractu ceteris sunt altiores: nempe illos, in quibus est castellum, quod appellatur *la Rocca Monfina* a corrupto *Mesini* nomine, quod castelli fuit, multis jam abhinc annis exstincti. Atque de hoc loquutus est incertus auctor, qui *Appendicem* addidit ad *Chronicon Comitum Campanorum*, descriptum ab *Joanne*, Abbate Casinensi, quam nos vulgavimus in *Appendice* ad lib. i *Historiæ principum Longobardorum*: & recentius adhuc de eodem castello loquutus fuit *Richardus de S. Germano* in *Chronico* suo ad annum mccxxix. Ceterum idem *Virgilius Auruncorum* vocabulo, quod certe commune erat integræ istius gentis nomen, non tantum non comprehendit illos, qui Massica colebant, sed ne quidem illos, qui Cales incolebant. Atque hinc ego colligo, eum nomen *Auruncorum* alio, id est, arctiore sensu usurpavisse, & per eos intellexisse cives Auruncæ urbis, cujus mentionem fecit *Livius* lib. viii, quamque nihil dubito quin *Festus* etiam dicere voluerit, prout quidam libri ista verba ejus exhibent, quæ de Calibus agentes adduximus. Et potuit hic antiquissimæ

In collibus Auruncorum, ubi hodie est castellum la Rocca Monfina dictum ita ab exstincto castello Mesino, sita fuit AURUNCA.

Virgilius illustratus.

Credita opus esse Ausonis, filii Ulyssis & Circes. fimæ hujus Auruncæ, altis in collibus exſtructæ, ſatis commode auctorem prodere Auſonem, Ulyſſis & Circes filium, quæ habitavit in monte Circeo non longe admodum ab hiſce locis. Nimirum attendit ille ad primum iſtum & omnium antiquiſſimum uſum montes inhabitandi, ad quem attendit etiam *Virgilius*, ut in alia *Diſſertatione* prolixius expoſituri ſumus. Ceterum *Livii* verba, ubi deſcripſit, quæ C. Sulpicio Longo, P. Ælio Pæto Coſſ. erant geſta, qui fuit ab Urbe condita annus CCCCXVI, hæc ſunt: *Inter Sidicinos Auruncoſque bellum ortum. Aurunci a T. Manlio conſule in deditionem accepti* (nempe anno ab V. C. CCCCXIII) *nihil inde moverant. eo petendi auxilii ab Romanis cauſa juſtior fuit. ſed prius quam conſules ab Urbe* (*juſſerat enim ſenatus defendi Auruncos*) *exercitum educerent, fama affertur, Auruncos metu opidum deſeruiſſe, profugoſque cum conjugibus ac liberis Sueſſam commeaſſe, quæ nunc Aurunca appellata: mœnia antiqua eorum urbemque a Sidicinis deletam.* Certe igitur verum erit, *Virgilium* per altos *Auruncorum* colles intellexiſſe montes iſtos, in quibus eſt *la Rocca Monfina*, quique ab Orientali latere Meridiem verſus Teanum, a Meridiali autem latere Orientem verſus Sueſſam habent: unde Auruncam oportet in eodem illorum Orientali latere ſitam fuiſſe proxime Teanum, quandoquidem cives ejus, relicta illa metu Teanenſium, ſe receperunt in aliam illam urbem, quæ ab altero iſto latere erat, quæque inde poſtea *Auruncæ* cognomen accepit. Atque huc reſpexiſſe arbitror *Torquatum Taſſum*, ubi in Carmine I *Hieroſolymæ occupatæ* duplici eaque bona obſervatione ita ſcripſit:

Fuit autem in iſtorum collium latere, quod Teanum verſus erat, & antiquitus deleta eſt ab Teanenſibus, cum incolæ ejus Sueſſam ſe recepiſſent.

E l' antiche città, Calvi, e Teano
E Seſſa, à cui ſorgea vicina Arunca; [1]

non vero, ut nimis abſurde in vulgatis libris legitur:

Torquatus Taſſus emendatus & illuſtratus.

E l' antiche città, Seſſa, e Teano,
E Calvi, à cui ſorgea vicina Arunca.

Capacius refutatus. *Capacius*, ubi egit de Sinueſſa, ita ſcripſit: *In montis Maſſici latere ad Septemtriones veſtigia cernuntur Auruncæ, ad quam adhuc ſtrata via ſilice ducit.* Sed ille forſan ſequutus eſt opinionem indigenarum, neque animadvertit, cum iſta urbs deleta ſit jam ante duo fere annorum millia; nec veſtigia ædificiorum ejus quæ ratione tantæ antiquitatis, & item aliam ob cauſam, quam alibi ſumus expoſituri, oportet admodum fuiſſe exigua; nec viarum, potuiſſe ad hæc uſque tempora ſupereſſe. Forte iſtic Veſcia fuit, non autem Aurunca, de qua cum nihil habeam, quod dicam aliud, una cum civibus ejus Sueſſam tranſibo.

SUESSA urbs, condita ab Auruncorum gente, & deinde aucta novis ab Aurunca civibus, Hoc oppidum, quod una cum priſco nomine ſuo priſtinum etiam ſitum, quem non multo ante demonſtravimus, adhuc retinet, profugos excepit Auruncos: atque inde ſatis apparet, eam ab eadem communi Auruncorum gente fuiſſe conditam multo ante. Atque ita deinde cum ab duarum urbium civibus habitaretur, conjunctis in unum corpus, variis modis dici cæpta eſt: nimirum *Aurunca*, & *Auſona*, ex promiſcuo horum nominum uſu, latiore ſenſu ſumptorum, & *Sueſſa Aurunca*, & ſæpe etiam ſolo duntaxat primitivo nomine *Sueſſa*. De *Auruncæ* nomine modo *Livium* intelleximus, qui ſequenti lib. IX eam dixit *Auſonam*, ubi exponens quæ geſta erant M. Petilio, C. Sulpicio Coſſ. qui fuit ab Urbe condita annus CCCCXXXIX; & XXIII, ex quo Sueſſam ſeſe receperant Aurunci; ita dixit: *Auſonum gens*

Promiſcue dicta fuit Aurunca & Auſona;

[1] id eſt:
Et priſcæ urbes, Cales, & Teanum,
Et Sueſſa, cui ſurgebat vicina Aurunca.

A *proditione urbium, ſicut Sora, in poteſtatem venit. Auſona, Minturnæ, & Veſcia urbes erant, ex quibus principes juventutis duodecim numero in proditionem urbium ſuarum conjurati, ad conſules veniunt.* Jam *Sueſſa Aurunca* dicta illa eſt a *Vellejo* noſtro in catalogo coloniarum Romanarum lib. I: abſolute autem *Sueſſa* tum a multis aliis, tum ab *Auſonio* in *epiſtola ad Tetradium*, verſu iſto, quem *Joſephus Scaliger* emendavit ad hunc modum:

Item Sueſſa Aurunca, & abſolute Sueſſa.

Rudes Camænas qui Sueſſæ prævenis.

Et intellexit *Auſonius Lucilium* poëtam, qui ab *Juvenale* in *Satyra* I dictus fuit *magnus Auruncæ* B *alumnus*, quia natus ille fuit Sueſſæ multis poſt annis, quam eodem tranſierant Aurunci, a quo facto varia iſta accepit nomina. Fuit in Volſcis etiam *Sueſſa* oppidum, cognomine dictum *Pometia*, & nonnunquam abſolute etiam *Pometia*, & interdum *Sueſſa*. Ex multorum teſtimoniis adducere *Livium* ſufficiet, qui lib. I de Tarquinio Superbo rege ita narrat: *Primus Volſcis bellum in ducentos amplius poſt ſuam ætatem annos movit, Sueſſamque Pometiam ex his vi cepit. Abſolute* eam dixit *Sueſſam Silius*, & *Pometiam Plinius Secundus* lib. III cap. V, quorum verba mox referemus. Atque de hac licet idem *Plinius* dixerit, ejus perinde ut multarum aliarum in Latio veterum C urbium nulla ſupereſſe ſua ætate veſtigia, nihilominus multi fuerunt recentiorum, qui poſt *Blondum* loquuti de hac noſtra Sueſſa, atque ipſum fortaſſe ſequuti, ex duabus unam fecerunt urbem. Et *Capacius* quidem, ad pomorum copiam, quæ Sueſſa Aurunca profert, attendens, inde illi inditum *Pometiæ* cognomen exiſtimavit, cum altera Sueſſa illud acceperit ab eorundem Volſcorum agro *Pometino*. Atque hæc confuſio alterius urbis cum altera duplex fuit. contra enim *Claudius Dauſquejus* in notis ad *Silii* lib. VIII ſibi perſuaſit, loquutos fuiſſe de una eademque Sueſſa & hunc D poëtam in hiſce verſibus:

Alia autem fuit in Volſcis Sueſſa Pometia, olim extincta;

Cum quo multi recentiorum confuderunt noſtram Sueſſam modis diverſis.

Blondus, Capacius, & Claudius Dauſquejus refutati.

—— —— —— *nec monte nivoſo*
Deſcendens Atina aberat, detritaque bellis
Sueſſa, atque a duro Fruſino haud imbellis aratro;

& item *Vellejum* citato lib. I, ubi dixit, *Luceriam coloniam fuiſſe deductam, ac deinde interjecto triennio Sueſſam Auruncam, & Saticulam, Interamnamque poſt biennium.* Sed nimis utique manifeſtum eſt, *Vellejum* loquutum fuiſſe de *Aurunca* Campaniæ, *Silium* autem de *Pometia* Volſcorum, qui deinde recenſens noſtræ hujus regionis urbes, quæ in partibus Romanorum fuerunt adverſus E Annibalem ante cladem Cannenſem, de hac noſtra Sueſſa ne quidem ullum fecit verbum, eodem modo, quo itidem non memoravit iſtic Cales: ut adeo tertium admiſerit errorem *Cluverius*, qui ad illam applicuit iſtos verſus ejus, quos modo retulimus. Ceterum de eadem noſtra Sueſſa *Polybii* & *Ciceronis* ſilentium, qui urbes circa Capuam, recenſentes, nullam ejus fecerunt mentionem, (& retulimus eorum verba variis occaſionibus) videri poſſit argumento eſſe, illam, non vero Volſcorum Sueſſam deſiiſſe jam antiquitus. Verum idem *Plinius*, qui dixit: *In prima regione Italiæ fuere in Latio clara opida, Satri-* F *cum, Pometia, Scaptia, Pitulum, Politorium, Tellene, Tifata* &c. ſimul etiam nobis expoſuit, in eadem prima regione ſupereſſe adhuc colonias mediterraneas, *Capuam, ab campo dictam, Aquinum, Sueſſam, Venafrum, Soram, Teanum, Sidicinum cognomine, Nolam.* Et forte in hanc Sueſſam iterum fuit deducta colonia ab Auguſto, qui, ut teſtatur *Frontinus* in libello *De coloniis*, Teanum quoque coloniam deduxit. Nam primo quidem

Cluverius refutatus.

Fuit autem hæc noſtra bis colonia Romanorum, &

Medio inter utrumque tempore municipium.

dem deducta Suessam est colonia L. Papyrio Cursore quintum, C. Junio Bubulco iterum Coss. ut *Livius* narrat lib. IX, qui fuit ab Urbe condita annus CCCCXL: medio autem tempore per aliquot annorum spatium fuit illa municipium, quo nomine *Philippica* XIII appellavit eam *Cicero*. Igitur jam antiquitus desiit Pometia, & nunc quoque deberet tandem cessare manifestus adeo error, sola relicta Aurunca, quæ hodieque exstat. Atque adeo de hac, non autem de altera illa *Symmachus*, qui vixit circa finem seculi quarti, loquutus est in XV illarum epistolarum, quæ reliquis primorum librorum sunt additæ: & satis quidem honorifice, quamvis dixerit, admodum tenui esse fortuna cives ejus. Hæc sunt ejus verba: *Suessa honestorum civium patria est, ita ut merito dixerim, minimæ quoque fortunæ homines extra vitia plebeja esse censendos.* Non itidem *Frontinus* credi debet de Suessanis nostris esse loquutus, ubi *Stratagematum* lib. III cap. X ita dixit: *Cato in conspectu Lacetanorum, quos obsidebat, reliquis suorum submotis, Suessanos quosdam ex auxiliaribus, maxime imbelles, aggredi mœnia jussit.* Hic enim non de *Suessanis* narrabat, sed de *Suessitanis*, Hispaniæ populis, ut apparere potest ex ejusdem belli narratione, quam reliquit *Livius*. Atque adeo non parum miror *Godescalcum Steuuechium*, qui correxit & notis illustravit istud opus *Frontini*, nec emendavit adeo manifestum errorem. De nostrorum Suessanorum virtute militari aliquid argumenti suppeditare potest *Suessana cohors*, quæ in re quadam bene gesta *Livio* memorata lib. X, militabat in exercitu Romanorum sub M. Attilio Regulo duce, qui cum L. Postumio Megillo consul fuit anno ab Urbe condita CCCCLIX, nisi tamen ille loquutus est de Suessanis Pometinis. *Consul* (*Livii* verba sunt) *tumultu excitus, cohortes duas sociorum, Lucanam Suessanamque, quæ proximæ forte erant, tueri prætorium jubet.* Atque hæc fere sunt maxime sincera, quæ de Suessæ nostræ rebus antiquis breviter exponere poteramus.

Ceterum quarto post Christum seculo habitabatur a populo, licet honesto, non multum opulento.

Suessanorum autem virtus militaris per nominis errorem ab nonnullo videtur vituperata.

Frontinus emendatus & illustratus. Steuuechius notatus.

Livius illustratus.

TEANUM, *licet urbs Oscorum Sidicinorum, in Felice fuit, non autem in Capuana Campania.*

Teanum inter Cales, Auruncam, & Suessam, tres Ausonum urbes, habitaverunt Sidicini, genere Osci: atque adeo, utcunque nihil jam de prisca ejus urbis potentia nobis constaret aliud, vel hinc satis apparet, eam satis nobilem fuisse urbem, quæ tam egregios habuit cives, qui medii inter gentem exteram & condere illam, & lato instruere dominio valuerunt. Campaniæ, quam *Felicem* diximus, adscripsit eam *Polybius* lib. III, *Cicero* in *Agraria* II, *Ptolemæus* lib. III, in *Europæ Tabula* VI, *Vitruvius* lib VIII cap. III, aliique, quorum verba variis occasionibus supra retulimus. *Livius* autem, qui lib. VII illam ex Campania exclusit, intellexit Campaniam *Capuanam*, ut in prima *Dissertatione* ostendimus. Verum *Strabo* non alia ratione eam adscribi posse Campaniæ voluit, quam ideo, quod illa fuerit urbs Oscorum Sidicinorum: & fuerunt utique ex ipsius etiam sententia montes Oscorum citra Volturnum, perque Oscos intellecti fuerunt Campani: atque adeo fuisset illa Campaniæ Capuanæ urbs extra terminos Campanorum. Verba *Strabonis*, ubi lib. V urbes refert, quæ in via Latina erant, ita Latine reddidit interpres: *Teanum Sidicinum, quod proxime post Casinum sequitur, ipso cognomine ostendit, se ad Sidicinos pertinere, qui sunt Osci, gens Campanorum superstes, ita ut possit Campaniæ dici: ipsa quoque urbium in via Latina sitarum maxima.* Nihilominus iste geographus hac in re non dissensit ab *Livio*: imo poterunt hæc ejus verba etiam pro Campania Capuana allegari, quæ ex ipsius sententia eadem fuit, quæ Oscorum regio: ut adeo Teanum non respectu situs, sed incolarum, & peculiari quadam ratione potuerit dici urbs angustæ illius Campaniæ, quæ ceteroqui intra Campaniam Felicem comprehendebatur, cinctam ex ipsius descriptione fertilibus Auruncorum montibus, ut & Oscorum ac Samnitium, ab altera autem parte mari, inter Sinuessanum atque Surrentinum promontorium. Evecta est hæc urbs ad magnam potentiam, ita ut non solum proximos Auruncos compulerit avitas relinquere sedes, & tenuerit spatiosos, qui in proximo erant, agros, quos *Virgilius* dixit *Sidicina æquora*, sed imperium suum etiam ad Fregellas usque extenderit, ubi hodie *Ceperanum* est, ut *Cluverius* autumat. Hinc apud *Livium* lib. VIII *P. Plautio Proculo, P. Cornelio Scapula Coss.* (id est, anno ab Urbe condita CCCCXXV) *Fregellas* (*Sidicinorum is ager, deinde Volscorum fuerat*) *colonia deducta* legitur. Et in tantum progressos oportet fuisse Teanenses per felicia cum vicinis Ausonibus bella, qui tenuerant quondam æque illa, quæ ultra erant, quam quæ cis Lirim erant, loca, ut dixit idem *Strabo* verbis illis libri citati, quæ ita Latine vertit interpres ejus: *Supra in mediterraneis est Pometius campus.* (fuit hic in Volscis, ultra Lirim) *Huic contiguam regionem prius Ausones habitarunt, qui iidem Campaniam quoque tenuerunt: Post hos Osci sunt, qui & ipsi partem Campaniæ tenuerunt.* Etiam *Silius* bellicam Teanensium potentiam, diu conservatam, & simul eorum erga Romanos fidem significare voluit, ut mihi videtur, ubi lib. V inter copias Romanas, quæ fusæ fuerunt ad Thrasimenum ab Annibale, mentionem fecit cohortis Sidicinæ, quæ fortiter pugnaverat:

Strabo illustratus & conciliatus cum Livio.

Atque amplo imperio ac virtute militari satis fuit insignis.

Livius illustratus, & collatus cum Strabone.

Nec Sidicina cohors desit —— —— ——

De diuturnis eorundem bellis cum Samnitibus manifeste loquutus est *Livius* lib. VII. Ceterum satis magna erat Teani urbis dignitas ejusdem geographi tempore, qui eam tantum non Capuæ adæquavit hisce verbis: *At vero in mediterraneis est Capua, re vera id, quod nomine ejus significatur: reliquas enim si ei compares, opida sunt, excepto Teano Sidicino, quæ urbs est magni nominis.* Nimirum deducta eo fuerat colonia ab Augusto, ut notavit *Frontinus*: atque adeo *Plinius Secundus* etiam numeravit eam inter primæ regionis Italiæ colonias. Sed etiam diutius oportet eam in eadem prospera fortuna perstitisse, ut ita veterum *Horatii* interpretum, quos supra intelleximus, ætate vinosa aqua *Caleno* non amplius ad *Calenum*, exstinctis jam fortasse Calibus, sed ad *Teanensem* agrum pertinuerit: eademque urbs tertio nostrorum Longobardorum seculo, quod fuit a Christo nato nonum, adhuc rebus usa fuerit lætis, qua de re alibi. De finibus *Teanensium*, non autem *Atellanensium*, aut *Atheniensium*, ut vulgati libri habent, loquutus est *Seneca De beneficiis* lib. VII cap. IV, hisce verbis: *Fines Atheniensium & Campanorum vocamus, quos deinde, inter se vicini privata terminatione distinguunt; & totus ager hujus vel illius reipublicæ est.* & per *rempublicam* intellexit ille ex usu sui seculi civitatem Teanensium, quæ isto tempore colonia Romanorum erat. Jam vero *Teanum* flumen, cujus mentionem fecit *Auctor Historiæ miscellæ* lib. V, quodnam fuit? *Popedius* (dixit ille, de bello Italico narrans) *& Obsidius, Italici Imperatores, ab Sulpicio* (erat hic legatus Pompeji) *apud flumen Teanum horribili prælio oppressi & occisi sunt.* Idem factum iisdem verbis repetiit *Paulus Orosius* lib. V cap. XVIII. Forsan ille Savo amnis fuit? minime gentium. sed ille fuit, qui Latinis dictus *Frento*, hodie *Fortore* nomen habet. atque hic currebat non procul ab al-

Imo temporibus Augusti, qui eo coloniam deduxit, tantum non æquavit Capuam:

Nec senioribus etiam seculis illa caruit fortuna prospera.

Ceterum nomen ejus apud quendam veterum est corruptum.

Seneca emendatus & illustratus.

Etiam Teani *nomine cuidam veterum dicitur* Frento *amnis.*

tera Teano, Apuliæ urbe, qua in regione istud accidit prælium, in quo Popedius ille Silo (ita appellavit eum *Diodorus Siculus* lib. XXXVII) occisus fuit ab Cæcilio Metello, ut refert *Appianus Alexandrinus* lib. I *De bello civili.* Et placuit isti auctori ex frequenti suorum temporum more appellare istum amnem vicinæ urbis nomine, perinde ut Lirim dictum fuisse *Minturnum*, Volturnum *Casilinum*, Sebethum *Veserim*, suis locis observavimus.

Auctor Historiæ Miscellæ & Paulus Orosius illustrati.

VENAFRUM, ignotæ originis urbs, ab aliis adscripta fuit Campaniæ,

Igitur denique hæc nostra Felicis Campaniæ descriptio finietur Venafro, ignotæ originis urbe. nam ad Campaniam retulit illam *Ptolemæus*, qui in sua descriptione ad Liris amnis attendit cursum, ut alibi monuimus. Idem fecit *Martialis*, ubi lib. XIII ita loquutus est de oleo Venafrano:

Hoc tibi Campani sudavit bacca Venafri
Unguentum, quoties sumis & istud olet.

Ptolemæus & Martialis concordes. Plinius Secundus ab se ipso dissentiens.

Neque *Plinius* etiam *Secundus* aliter de illa sensisse videtur, ubi inter nostræ regionis aquas, quæ insuetæ virtutis erant, numeravit aquas Venafranas: nisi tamen hoc fecit eodem modo, quo inter nova Campaniæ vina, quæ præter cetera æstimabantur, Trebulanum vinum numeravit. Sed re vera tamen Venafrani olei respectu oportet illum lib. III cap. V dixisse de Campania: *Nusquam generosior oleæ liquor.* Ceteroquin autem neque *Polybius*, neque *Cicero*, hanc recensuit inter reliquas nostræ regionis urbes, cum & ipsa omnium proxime ad Septentionem, sita fuerit, ut & extra montes nostros, qui *Strabone* auctore (neque ejusdem *Plinii* loco citato alia videtur fuisse sententia) fuerunt hujus regionis certi stabilesque termini. Geographus iste, si recte verba ejus reddantur Latine, inter nostrorum agrorum laudes etiam de hac loquutus est: *Et olei ferax est Venafranus tractus, prædictis campis contiguus.* Idem ex professo, & fusius quam unquam, de Venafro tractans, postquam de Sora & Liri amne ex- posuerat, ita dixit: *Deinde etiam aliæ urbes subsequuntur, tum Venafrum, unde oleum optimum. Urbs ea in sublimi jacet colle, cujus radicem alluit Volturnus amnis.* (alibi de Volturno ita scripsit: *Per Venafrum fluit*: unde *Cluverius*, non attendens ad hunc alterum ejus locum, existimavit, Venafrum *olim utrique ripæ fuisse impositum*) Atque adeo certe ille non habuit eam pro Campaniæ urbe, ut apparet inde etiam, quod postea illam inter nonnullas Samnii urbes memoravit hisce verbis: *Bovianum, Æsernia, Pauna, Telesia, Venafro adjacens:* nisi tamen istic forte Venafrum pro Allifis posuit, qua de re supra egimus. *Festus* dixit, eam fuisse unam ex præfecturis secundi generis, ut etiam erant Fundi, Formiæ, Cære, Allifæ, Privernum, Anagnia, Frusino, Reate, Saturnia, Nursia, & Arpinum, quarum aliæ in Latio veteri, aliæ in novo, aliæ in Etruria, aliæ in Samnio, aliæ in Sabinis urbes erant. Fuit Venafrum etiam colonia, teste eodem *Plinio*, quem non multo ante adduximus. Atque hæc sufficiant de urbe, quæ aut parum aut nihil ad nos pertinuit.

Ab aliis non numerata inter ejus regionis urbes.

Et prætermittebat illam Volturnus amnis.

Cluverius refutatus. Strabo illustratus.

Eadem præfectura fuit, & colonia Romanorum.

Jam itaque summatim colligens, quæ de nostræ Campaniæ Felicis descriptione congessimus, cum *Antonio Sanfelice* ita de illa dicam: *A Liri fluvio ad Sarni ostium pertinet,* LX *passuum millibus excurrente planitie. Hi amnes ejus duo latera constituunt: hic ab Ortu, ille ab Occasu. Boream versus montibus cingitur, Samnites & Hirpinos excludentibus. Quartum vero latus mare possidet. Latitudo ejus varia: & tamen, qua maxime panditur,* XXX *non excedit milliaria. quod si totius ambitus subducatur ratio, colliges ad* CLX *passuum millia.* Ita *Sanfelix*, monachus Franciscanus ex Observantium ordine, & nobilis Neapolitanus: cujus nomine satis convenit hanc meam finire *Descriptionem*, si ille suæ honorificum addere principium voluit ab nomine Senatus populique Campani, cui illam dedicavit non sine justa ratione.

Fluminibus, montibus, & mari cincta fuit CAMPANIA FELIX, ambitu CLX millium passuum.

Antonius Sanfelix laudatus.

ELEN-

ELENCHUS
RERUM POTISSIMARUM, QUÆ TRACTANTUR IN TERTIA DISSERTATIONE.

DE LAUDIBUS CAMPANIÆ FELICIS
DISSERTATIO III.

Si licuit aliis, mibi quoque licebit, conquirere laudes Campaniæ,

CUM nostræ Campaniæ laudes, quas de illa veteres prodidere, multi recentiorum, variis ejus regionis urbibus oriundi, pro sua quisque diligentia, alii tenuius, alii copiosius collectas suos in libros inseruerint; perinde ut futurum foret de fructibus, in fertili quodam agro productis, qui in commune ab multarum civibus urbium, possideretur, in ipsarum medio situs; nullus dubito, quin & mihi liceat eodem uti jure publico, & æque hanc PRÆPARATIONEM, ac patriam meam, nova adornare de laudibus ejus *Dissertatione*. Sed ut verum dicam, cum auctor quispiam non oriundus Capua, parum caute *suam* dixerit hanc regionem, ad quam ipsius patria satis longo tempore nihil omnino, &, si quid deinde, parum sane pertinuit; hunc quidem justum erit, per me denique urbi meæ patriæ suum reddi: cum ipsa Campania multis ætatibus & leges, & diutius etiam nomen ab illa habuerit. Heic itaque copiosas ejus variasque conquirere fertilitatis dotes insistam, quæ sparsim descriptæ fuerunt a multis Græcis Latinisque auctoribus antiquis. Neque enim hicce labor meus existimari poterit injuriosus esse aliis, cum illo supersedere nequiverim, quin pariter etiam fallerem, illius promissi fidem, me illustraturum Campanorum meorum antiquitates.

Quæ olim proprie fuit Campanorum; id est, Capua civium regio.

Et ad illorum antiquitates exponendas multum proderit conquirere laudes ejus regionis.

I. *Campania, a fertilitate dicta* Felix, *pleniore adhuc laude appellata fuit* Felix & Amœna. *Et amœnitas quidem maritimæ ejus oræ, fœcunditas autem agris mediterraneis erat propria.*

Ordo hujus Dissertationis hic erit, ut ex laudibus in genere illæ præcedant, quæ sunt potiores.

VErum in principio hujus descriptionis non minor me turbat solicitudo, quam qua *Plinius Secundus* lib. III. cap. V. confusum se esse dixit, cum & ipsi de laudibus hujus regionis, licet non adeo prolixe, ut mihi facere animus est, dicendum esset; & propter earum copiam, quænam primum, quænam deinde ipsi exsequenda esset, nesciret. Nihilominus arbitror satis commodum posse esse hunc ordinem, si ex laudibus in genere præcedant illæ, quæ potiores sunt & sublimiores. Jamque nullus erit, opinor, quin primum locum illi esse encomio concedendum credat, quo Campania nostra a quibusdam fuit appellata *Felix*, siquidem felicitas omnium nostrorum bonorum desideriorumque summa est. Ceterum si hujus vocabuli significationem apud Latinos auctores, qui illam isto titulo ornaverunt, attente, observare libet, felicitas ejus non istius fuit modi, quo urbes atque homines dici solent *Felices*. Agrorum enim plantarumque felicitas, consistere visa fuit in illarum rerum fertilitate, quæ maxime solent prodesse ad humanos usus; & illarum, quarum aliæ terræ aliæque plantæ non sunt feraces. Exposuit nobis *Frontinus* in libello *De Coloniis*, Capuam cognomine dictam fuisse *Juliam Felicem*, postquam Cæsar eo deduxerat coloniam. Atque hæc felicitas ejus procul omni dubio istius fuit primi generis, quod modo diximus; ut manifeste demonstratur isto testimonio, quod de eadem Capua temporibus iisdem dixit *Strabo*, quem retulimus in *Dissertatione* præcedenti, ubi de Urbana oppido agebamus. Verum Campaniæ felicitas secundi generis atque istius fuit modi, quo *Cato* apud *Festum*, *felices arbores dixit, quæ fructum ferunt, infelices, quæ fructum non ferunt*. Eodem modo loquutus est *Livius* lib. V. *Ab iis non urbes vi aut operibus tentatæ, sed ager est depopulatus, prædæque rerum agrestium actæ: nulla Felix arbor, nihil frugiferum in agro relictum.* Idem lib. VI. quasi se ipsum interpretans, ita dixit: *Omnibus passim tectis agrorum, vicisque etiam quibusdam exustis: non arbore frugifera, non satis in spem frugum relictis.* Insuper etiam *Plinius Secundus* lib. XVI. cap. XXVI. nobis exposuit, plantas suapte natura infœcundas ab antiquis habitas fuisse pro infelicibus, & adjunxit, factum id certa quadam religione! Omitto dicere, fuisse etiam alio modo pro felicibus, & contra pro in felicibus habitas plantas quasdam, quæ illa vel illa fructuum genera producebant, de quibus loquutus est *Macrobius Saturnaliorum* lib. III. cap. ultimo, ut *Miscellaneorum* lib. IV. cap. VI. recte observavit *Joannes Brodæus*. Satis igitur possumus esse certi, cum ex ejusdem *Plinii* verbis, ut alibi demonstravimus, inter recentiores orta sit communis opinio, Campaniæ nostræ, tanquam proprii cognominis loco, titulum *Felicis* fuisse additum; eum non aliam intellexisse, quam illam, quæ modo dicta, felicitatem. Atque hanc in rem manifestum suppeditare possunt argumentum ipsa verba ejus, quibus post descriptam Sinuessam ita dixit: *Hinc felix illa Campania est. Ab hoc sinu incipiunt vitiferi colles, & temulentia nobilis, succo per omnes terras inclyto; atque, ut veteres dixere, summum Liberi patris cum Cerere certamen.* Etiam *Virgilius* lib. VII. *Æneidos* per Massici nostri felicitatem intellexit fertilitatem ejus in hisce versibus.

Maxima autem omnium illa videtur esse, qua Campania dicta fuit FELIX.

Ceterum hæc felicitas fuit agrorum ejus atque plantarum fœcunditas,

Cato, Livius, & Plinius Secundus collati.

Propter quam Campania hunc accepit titulum.

Plinius Secundus, Virgilius, & Strabo collati & illustrati.

> —— *vertunt felicia Baccho*
> *Massica qui rastris* - - -

Neque *Strabo* etiam, qui lib. V. itidem hanc regionem dixit πεδίον ἐυδαίμον ἔςατον τῶν ἀπάντων, id est: *solum felicissimum omnium*; aliam illius prosperitatem demonstrare voluit, quam hanc, ab ipso deinde prolixius, celebratam. Et alias etiam perinde ille usus est Græca voce Εὐδαίμων, *Felix*, ubi de fertilitate Umbriæ atque Latii loquutus est: item ubi lib. I. narravit de Arabia, quæ *Felix* dicta nomine peculiari, quod ipse affirmavit a fœcunditate illi fuisse inditum: *Arabia*, (ita habet interpres ejus) *quam nunc vocant Felicem, illis temporibus* (loquitur de temporibus Homeri) *dives non erat, sed inops: & urbs ab habitantibus in tabernaculis colebatur hominibus, quæ aromata fert, unde nomen regioni, quod aromatum merces in nostris regionibus rara est, & in pretio: exigua est regio. At nostra quidem ætate Arabes copia rerum & divitiis abundant, quia assidua est & copiosa negotiatio: tunc autem ita eos habuisse, probabile non est.* Ita *Strabo*. Atque hoc exemplum Arabiæ etiam plus uno modo simile est nostro. Etenim neque ipsa Campania inde usque a principio *Felicis* habuit cognomen, sed novissime illud obtinuit ultimis hisce seculis per falsam observationem, ut alibi monuimus, scriptorum recentiorum. Insuper si vicinum Latium aliasque proximas regiones itidem magna fertilitate natura voluit ornare, nihilominus autem sola Campania, quasi ea propria ipsi fuerit atque singularis, tanta fuit celebrata laude; accidit & idem Arabiæ, quæ in toto isto tractu, qui pertinet ab Æthiopia usque ad Indiam, sola vocatur *Felix*, ut idem geographus ait; & *India, quanquam hoc nomine non afficitur, tamen creditur & perhibetur esse felicissima.* Sed ulterius etiam procedit hæc comparatio, si ad illud attendatur, quod observavit *Josephus Scaliger* ad Græca verba *Eusebii Cæsariensis* in *Chronico*, & ad illa *Diodori Siculi*, lib. XII. quæ plane eadem, ab interpretibus Latine reddita sunt hisce duobus modis: *Gens Campanorum in Italia constituta.* Et *Gens Camparorum in Italia cœpit originem*; cum ita verti illa oporteret: *Gens Campanorum in unum locum coiit*, qua de re prolixius agam in *Dissertatione* sequenti. Igitur ad ista horum auctorum verba si attendatur, eodem modo, quo Arabes aromatum suorum negotiationibus facti locupletiores, urbem sibi condiderunt lautiore cultu, relicto tabernaculorum usu, suæque regioni *Felicis* acquisiverunt cognomen; Campaniam quoque oportet eandem obtinuisse laudem, postquam Campani, a quibus illa *Campaniæ* nomen accepit, ex dispersis domiciliis suis in unam se conjunxerunt urbem, quæ fuit Capua, ex quo tempore, ut in sequenti *Dissertatione* demonstrabimus, illi prævaluerunt vicinis Cumanis. Satis enim probabile est, civilem cultioremque vitam etiam heic sequutam post divitias, a felici fœcunditate agrorum, quos possidebant, productas, easdemque civilis fere felicitatis parentes. Sane *Livius* lib. XXIII. nobis exposuit, longissimi temporis fuisse Campanorum felicitatem ubi de Annibale post tentatam Neapolis oppugnationem ita dixit: *Capuam flexit iter luxuriantem longa felicitate & indulgentia fortunæ.* Cum *Livio* satis consentit *Polybius*, lib. III. ubi ad eadem respiciens tempora, Ita dixit, ut interpres ejus habet: *In mediis campis sita est Capua, quæ omnes alias felicitate superabat:* licet hi auctores loquuti fuerint, præterquam de possessione divitiarum, de libero etiam illarum usu, unde Campani

Eundem habuit Arabia, dicta proinde Felix cognomine.

Insuper inter hasce regiones hic est altera similitudo, quod ipsis potissimum super alias regiones haece laus est tributa:

Item hæc tertia, quod Arabum & Campanorum felicitas a paribus cœpit principiis.

Eusebius Cæsariensis & Diodorus Siculus collati & illustrati.

Livius & Polybius collati & illustrati.

pani cives omnibus vitæ commoditatibus atque deliciis, ut fere fit in prospera admodum fortuna, plenissime frui potuerunt. Et usque a tam antiquis temporibus ad solam restringimus Capuam fertilitatis adeo celebratæ beneficium, tantæque gloriam laudis, cum eam in rem auctores habeam multos ex veteribus, qui opportunius adducentur paulo post; & etiam multis post annis aliæ hujus regionis urbes ejus comparatione exigua fuerint oppida, ut ex *Strabone* alibi intellexìmus. Atque adeo non tantum hujus sed cujuscunque adeo alterius prærogativæ fastigium in ipsa Capua resplendebat.

Ceterum ad Capuam pertinent laudes in genere Campaniæ.

Ceterum si neque primum, potissimum Campaniæ nostræ hoc fuit encomium, quo illa *Felix* dicta est, quia isto nonnisi una demonstrata est pars bonorum ejus, quibus eam ornare natura voluit; certe integram ejus laudem hanc fuisse alteram oportet, qua idem *Polybius* citato lib. III. conjunctim extulit fœcunditatem ejus agrorum, & cœli ejus clementiam atque amœnitatem. Atque hæc quidem major in ora maritima, quam in quacunque alia parte ejus erat. *Ager* (ita Latine verba *Polybii* reddidit interpres) *& copia rerum, & fertilitate regionis, ac amœnitate & pulchritudine loci excellentissimus.* Sed exquisitiori artificio utriusque hujus dotis laudator nobilis fuit *L. Florus* lib. I. cap. XVI. ubi ita scripsit: *Omnium non modo Italia, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga est. Nihil mollius cœlo. Denique bis floribus vernat. Nihil uberius solo; ideo Liberi Cererisque certamen dicitur. Nihil hospitalius mari.* De eadem gemina & sublimi laude ejus itidem *Varro* mihi videtur dicere voluisse apud *Servium* ad lib. X. *Æneidos.* Existimavit ille, *Capuæ* nomen, stratus. unde cives ejus *Capuani*, sive *Campani*, & ipsa regio dicta est *Campania*, inde ortum, quod illa contineret, quodcunque ad salutem prodest atque usus humanos. *Servii* verba hæc sunt: *Varro dixit, propter cœli temperiem & cespitis fœcunditatem campum eundem Capuanum, sive Campanum dictum, quasi sinum salutis & fructuum.* Neque alia, quam hæc ipsa, fuit ista laus quam illi *Cassiodorus* tribuit lib. IV. *epist.* L. ubi illam dixit *terris deflo-ratam provinciam.* Nam ad hasce duntaxat duas laudes, fertilitatis nimirum atque amœnitatis, omnium regionum omnes omnino dotes in unum conjunctæ restringuntur. Sed natura videtur bona sua dividere voluisse inter nostra loca, & fertilitatem speciatim concedere mediterraneis, amœnitatem maritimis. Atque hoc apprime intelligens *Torquatus Tassus*, de Tancredo, quo duce finxit octingentos equites ex Campania nostra abiisse ad Hierosolymam liberandam, cecinit ad hunc modum:

Summa Campaniæ dos hæc fuit, quod simul FOECUNDA esset & AMOENA;

Polybius & Florus collati.

Varro illustratus.

Et contineret omnes omnium regionum dotes.

Et fœcunda quidem illa fuit in locis mediterraneis, amœna in maritimis.

Torquatus Tassus illustratus & laudatus.

Gli ottocento a cavallo, à cui fa scorta,
Lasciar le piagge di Campagna amene,
Pompa maggior de la natura, e i colli,
Che vagheggia il Tirren, fertili e molli.

id est:

Octingenti equites, quos ille ducebat,
Reliquerunt plagas Campaniæ amœnas,
Maximam naturæ pompam; atque colles,
Quos [1] *respicit mare Tyrrhenum, fertiles ac molles.*

Igitur & mihi hæc erit lex observanda quam similiter observaverunt multi veterum auctorum: atque adeo ex eorum verbis de iisdem dotibus separatim, & aliquanto etiam copiosius agere pergam.

1. *Vagheggiare* Italis proprie dicuntur amantes, qui puellas suas respiciunt, ipso vultu prodente amorem. Voluit igitur *Tassus* maritimorum Campaniæ collium significare amœnitatem ac pulchritudinem, cujus quasi amore captum mare Tyrrhenum avide istos contemplari dixit.

Equidem quod ad amœnitatem attinet, ab qua super omnes alios tractus ejus laudata fuerunt loca ejus maritima, *Pomponius Mela*, postquam lib. II. cap. II. sigillatim descripserat eandem ejus oram, narrationem suam, quasi epilogo, clausit hisce verbis: *Amœna Campaniæ littora.* Ad hujus exemplum *Solinus* cap. VIII. idem fecit prorsus occasione pari, qui etiam ad summum usque gradum hanc laudem amplificavit, ubi ita dixit: *Amœnissimus Campaniæ tractus.* Item *Seneca* lib. VI. cap. I. *Nat. Quæst.* & cum eo *Plinius Cæcilius* lib. VI. *epist.* XVI. dixerunt, alter quidem speciatim de littore, quod Pompejos urbem habebat: *Mare ex aperto conductum amœno sinu cingit*; alter autem de littore vicino, cui Vesuvius imminebat: *Frequens erat amœnitas oræ*, ut prolixius in descriptione eorundem locorum notavimus *Dissertatione* præcedenti: ut ne heic dicam similem aliorum ejusdem oræ littorum laudem. Neque de alia, quam de hac amœnitate loquebatur *Tacitus*, lib. III. Historiarum *beatos* appellans hujus maris sinus: *Beatos Campaniæ sinus promitti*, ubi apparet, eum *Plinii Secundi* sententiam imitatum, qui eandem ejus felicem atque beatam amœnitatem autumaverat summum esse totius Italiæ decus, ubi lib. III. cap. V. insigni cum admiratione ita dixit: *Qualiter Campaniæ ora per se, felixque illa ac beata amœnitas? ut palam sit, uno in loco gaudentis opus esse naturæ.* Ceterum in hisce verbis non videtur ille mihi conjunxisse, ut quidem fecerunt alii, fœcunditatem ejus, significatam per vocem *Felix*, atque amœnitatem, significatam per vocabulum *Beata.* Etenim ipse de Arabia *Felice* loquens lib. V. cap. XI. eam cognomine *Beatam* dixit, atque alterum cum altero nomen confudit hisce verbis: *Ultra Pelusiacum Arabia est, ad Rubrum mare pertinens, & odoriferam illam & divitem, ac Beatæ cognomine inclytam.* Nisi tamen potius est credendum, per divitias ejus regionis, unde illa erat atque appellabatur *Felix*, eum intellexisse ubertatem ejus aromatum, exaggeratione quadam laudis eadem hac de causa sive felicitatem, sive fœcunditatem ejus voluisse dicere *beatam.* Atque adeo ille quidem *Felicis* cognomen perinde Arabiæ & Campaniæ concessit: cum *Tacitus* interim loquutus solummodo fuerit de sinuum nostrorum amœnitate. Quod si hic per beatitudinem illorum intellexit forte fertilitatem, certe confudit, ut & fecit alias, non tam hæc vocabula, quam eorundem littorum naturam, ut paulo post demonstrabo. Ceterum hac quidem ratione *Cassiodorus* respexisse possit ad *Plinii* verba in dicto isto, quod modo retulimus: *Terris deflorata provincia.* nam hoc pari passu ambulat cum illo, fœcunditatem atque amœnitatem Campaniæ *uno in loco, gaudentis opus esse naturæ.* Sed de hisce sufficiat.

Propria fuit oræ Campanæ laus amœnitatis;

Quam prœinde nonnulli etiam dixerunt Beatam;

Et alii eodem sensu Beatam & Felicem.

Nisi tamen illi separatim intellexerunt amœnitatem & fertilitatem ejus.

Plinius secundus, Tacitus, & Cassiodorus ambigue illustrati & collati.

Porro per ejusdem amœnitatis causam *Statius* lib. III. *Silvarum*, *carm.* III. littora nostra dixit.

Eadem amœnitate ora ejus, quæ dicta fuit mollis;

—— —— *molles Campani littoris oras.*

Item *Silius* lib. VI. amœnam hanc & plenam deliciis oram demonstravit hisce versibus, loquens de Annibale.

Quo spolia invitant, transfert populantia signa,
Donec pestiferos mitis Campania cursus
Tardavit, bellumque sinu indefensa recepit.

Mox interposita alia narratione eundem narravit Literni contemplatum victorias depictas, quas Romani primo bello Punico reportaverunt. Ceterum non defuerunt alii veterum auctorum, inter

Falso multi dixerunt emollitum fuisse robur Annibalis;

ter quos est *Florus* lib. II. cap. VI. *Sidonius carm.* V. & *Prudentius* lib. II. *contra Symmachum*, qui robur ducis istius ejusque copiarum emollitum fuisse dixerunt per amœnas nostri maris voluptates. Nimirum attenderunt illi non ad illorum, sed ad recentiorum temporum mores, ut deprehendi potest ex illis, quæ de primis Puteolorum incrementis, item ex illis, quæ ea de re in prima *Dissertatione* diximus, & forte etiam ex *Martiani Capellæ* verbis, quæ paulo post afferentur.

Nam hujus ævo deliciæ istæ non adeo fuerunt usitatæ, ut quidem deinde fuerunt;

Sed de amœnitate quidem eorundem littorum, multum suis temporibus usitata, succincte loquutus est *Symmachus* lib. VIII. epist. XXV. ad Albinum scribens in hunc modum: *Credo arbitreris, circumsessum me Campaniæ amœnitatibus, scribendi ad te hactenus negligentem fuisse.* Item lib. I. *epist.* II. hisce ad patrem verbis: *Licet Campaniæ amœna præniteant, mihi tamen esset accommodatius agitare vobiscum.* Et ipse hanc in rem certissimum suppeditat indicium lib. IX. *epist.* XLII. ubi de jucundis in iisdem littoribus otiis ad amicum quendam ita scripsit: *Pervectæ sunt ad me literæ tuæ, cum in Campanis littoribus otiarer. Credo autem, te, fando an lectione, didicisse, quanta sit hujus regionis venustas. Vicit epistola tua appositas voluptates. Spretis igitur cæteris quæ ingerebat loci gratia, totum animum recensendæ paginæ usque ad memoriam mancipavi.*

Unde tum illa ora alias, id est, venustatis *&* gratiæ *laudes etiam accepit;*

Jam quod ad venustatem & gratiam loci attinet, fuit hæc ora ab *Tacito* etiam nobili isto encomio celebrata *Historiarum* lib. III. ubi loquitur de urbibus, quæ relictis Vitellii partibus, adjunxerant se Vespasiano: *Jam Misenensem classem, & pulcherrimam Campaniæ oram descivisse.*

Isidorus & Plinius Secundus illustrati.

Neque *Isidorum* aliud Campaniæ nostræ solum intellexisse oportet *Etymol.* lib. XIV. cap. IV. ubi ita scripsit: *Campania habet terras, hyeme & æstate vernantes. Sol ibi mitis, temperiesque grata: aër purus & blandus.* Hinc aëri ejus adeo temperato *Plinius Secundus* lib. II. cap. L. illud tribuit, quod heic solummodo & in tractu circa Romam *juxta hyeme & æstate fulgurat, quod non in alio situ.*

Et esse ibi quasi certamen cujuscunque humanæ voluptatis;

Atque adeo idem lib. III. cap. V. de Oscis, Græcis, Umbris, Tuscis, & Campanis ita dixit: *Hoc quoque certamen humanæ voluptatis tenuere:* ubi speciatim hæc littora significare voluit, quo multo celebrius redderet illorum populorum imperium, qui tenuerunt etiam loca mediterranea, quæ alio, id est, fœcunditatis nomine Laudata fuerunt, ut supra indicavimus & jamjam latius demonstraturi sumus.

Solummodo in illam non conveniente felicitatis laude.

Hinc forte *Tacitus* non satis recte aut proprie loquutus est, ubi *Historiarum* lib. I. commemoravit infortunia, quæ Titi temporibus acciderant, interque ea numeravit etiam Vesuvii incendium, quo destructa erat *fœcundissima Campaniæ ora*; cum hanc oram appellaverit *amœnam Plinius Cæcilius*, itidem ista de calamitate narrans, item *Seneca*, quos jam adduximus. Igitur ille gravi censura dignus erit ex sententia *Servii*, qui ad *Æneidos* lib. V. ita commentatus est: *Amœna loca sunt, solius voluptatis plena, quasi amunia, unde nullus fructus exsolvitur: unde etiam nihil præstantes immunes vocamus.*

Tacitus dupliciter notatus.

Et ad sequentem lib. VI. *Carminum* & *Varronem* citavit pro eadem etymologia: quæ licet videri possit aliquantum esse aliena, tamen ipse *Tacitus* alibi lib. XIV. *Annalium*, ubi de Camaloduno, nova Romanorum colonia, narrat, satis animadvertit, amœnitatem nullius esse ad utilitatem usus, dum ita scripsit. *Nec arduum videbatur exscindere coloniam, nullis monumentis septam: quod ducibus nostris parum provisum erat, dum amœnitati prius, quam usui, consulitur.*

Contra autem amœnitas convenire potest locis etiam mediterraneis.

Contra autem potuit eadem laus amœnitatis satis convenire quibusdam nostrorum locorum mediterraneorum, quibus illa tantummodo cura impensa, ut jucundi redderentur. Et hanc in rem habemus auctorem *Livium* lib. VII. qui militum Romanorum verbis, quæ aliquanto post afferentur, Capuæ perinde amœnitates maritimas tribuit, atque terrestres: & ipsemet quoque suis verbis, ubi de hac urbe ita dixit lib. XXIII. *Prona semper civitas in luxuriam, non ingeniorum modo vitio, sed affluenti copia voluptatum, & illecebris omnis amœnitatis, maritimæ terrestrisque.*

Livius secum collatus & illustratus.

Insuper ille lib. XXVII. notavit amœnitatem, non villarum ejus, sed illam, qua intra muros ejus frui licebat, intelligens cujuslibet alterius generis commoditates. nam de Fulvio Flacco, postquam ille eam occupaverat, ita dixit: Timens, *ne suum quoque exercitum, sicut Annibalis, nimia urbis amœnitas emolliret, in portis murisque sibimet ipsos tecta militariter coëgerat ædificare.*

Imo illa communis fuit omnibus istis locis, quæ qualicunque modo aquis erant irrigua.

Porro quod ad hoc argumentum attinet, haud negligam istud monere, per loca *amœna* multos Latinos auctores non modo illa intellexisse, quæ qualicunque tandem modo jucunda erant deliciisque plena, sed illa proprie, quæ aquis erant irrigua. Atque hæc usurpatio credi possit orta esse ex ista alia, quam notavit *Casaubonus* ad *Suetonii* lib. II. cap. LXXII. quamque repetiit *Capacius*, qui verbum de *Casaubono* non fecit lib. I. cap. IV. *Historiæ Neapolitanæ*.

Casaubonus refutatus.

Nimirum cum nobiles Romani in more positum haberent, per æstatem relicta Urbe, voluptatis causa in Campaniæ nostræ urbes secedere, & maxime quidem in maritimas, factum inde, ut postea absolute *amœna* dicerentur jucunda ad mare loca. Sed amœnitas revera ab antiquis tributa fuit aliis etiam aquis, quam marinis.

Plinius Secundus, Tacitus, & Vellejus collati.

Nam &, quæ per aquæ ductus in urbes deferebantur aquæ, *Salubres* atque *amœnæ* dicebantur, ut observari potest ex *Plinii Cæcilii* lib. X. *epist.* XC. & XCI. & ex hisce *Taciti* verbis lib. I. *Historiarum*: *In modum municipii, exstructus locus, amœno salubrium aquarum usu frequens.* Hinc aqua Julia, quam Augustus donaverat Campanis, ab *Vellejo* nostro lib. II. dicta est *singulare & salubritatis instar, & amœnitatis ornamentum.*

Et secundum quosdam simul erant umbrosa.

Atque hinc etiam multi mediæ ætatis scriptores promiscue *amœna* dixerunt quælibet loca, dummodo irrigua essent qualicunque lympha; ad hoc quidem attendentes etiam, ut simul illa nemoribus umbrosa essent. Inter hos est *Leo Ostiensis* lib. I. cap. X. & XVI. *Chronici Casinensis*, *Petrus Diaconus* in *Appendice* ad idem *Chronicon*, *Alexander*, *Abbas Telesinus*, in *Historia Rogerii regis*, & *Gulielmus Brito* lib. III. & VIII. *Philippidos*, ut taceam plures alios.

Leo Ostiensis, Petrus Diaconus, Alexander Telesinus, Gulielmus Brito, Servius, & Virgilius collati.

Atque hos ego arbitror respexisse ad sensum istum, quem *Servius* tribuerat hisce *Virgilii* versibus lib. VII.

—— —— *hunc inter fluvio Tiberinus amœno*
Vorticibus rapidis - - - -,

vocem *amœno* hisce exponens verbis aliis: *umbroso, sylvis circumdato.* Sane idem Poëta tam in hisce verbis, quam alibi lib. VI. *Æneidos*, conjunxit amœnitatem atque umbras nemorum, ubi campos Elysios dixit *amœna vireta fortunatorum nemorum.*

Atque adeo eadem littora nostra credita sunt, nisi tamen revera etiam fuerunt, quondam fuisse silvosa.

Atque hinc forte *Martianus Capella* ad eundem respiciens sensum, neque satis capiens quemadmodum suis etiam temporibus Campaniæ tractus maritimi dici poterant *amœni*, qui cum maxime (licet ejus ætas sit ignota, certum tamen est, eum neque ante *Strabonem*, neque post *Symmachum* vixisse) quoquoversum ornati erant hortis atque prætoriis, *ita inter se continentibus* (verba sunt interpretis *Straboniani* lib. V.) *ut unius urbis præ se ferrent figuram*; opinatus est, ut ego quidem ejus accipio verba illos olim fuisse syl-

sylvosos. Verba ejus lib. VI. *De nuptiis Philologiæ* hæc sunt: *In Campaniæ amœnis antiquitus nemora. Phlegræi de hinc campi, habitatioque Circeja.* Quod si ille hoc nobis non suapte conjectura, sed certis motus documentis exposuisset, apprime illud conveniret cum eo, quod sæpius notavimus, nimirum Campanos, cum antiquissimis temporibus hanc regionem tenerent, ad alias attendisse, quam ad maritimas delicias. Porro hæc littora, tanquam culta etiam, descripsit *Symmachus*, ubi lib. VII. *epist.* XXXV. ad Decium, a quo invitatus ad eorum delicias respondit temporibus æstivis sibi gratiora videri nemora: *Animum meum Campani littoris commemoratione, sollicitas: sed nobis quoque in Prænestino rure degentibus non minus voluptatum suppetit. Sint licet plures hominum sententiæ, quæ maritimis montana postponunt, ego tamen vitandis æstibus magis judico nemorosa, quam cultu aperta, congruere.* Propter nimiam culturam hæc ora facile solebat sui movere fastidium, quod *Seneca* dicere voluit hisce verbis cap. II. *De tranquillitate animi*: *Peregrinationes suscipiuntur, & littora pererrantur, & modo mare, modo terra experitur: semper præsentibus infesta levitas. Nunc Campaniam petamus. Jam delicata fastidio sunt, inculta videantur: Brutios & Lucanos saltus persequamur.* Idem disertius notavit *Symmachus* in *epistola*, quam modo citavimus, ubi de Campania ita scripsit: *Ut est absentibus desiderabilis, ita facile explet morantes*: quanquam ille lib. I. *epist.* I. Baulos, villam suam, scripserat ejus esse conditionis, ut, *quam diutius visatur, plus ametur*; & lib. II. *epist.* XXXII. ad Flavianum fratrem scribens, se constituisse dixerat, non alibi majorem ætatis exigere partem, quam in Campania, quo relicta Roma propter quandam animi molestiam, ut se recrearet, advenerat: *Qua in re* (hæc sunt ipsius verba) *inter Campaniæ terminos major pars ætatis agitabitur*, (alii legunt *æstatis*, contra mentem auctoris, & illa, quæ sequuntur) *quando & præsentia illius placet, & ea conditio est patriæ, ut, qui excludi per improbos possumus, abesse interim, velut ex nostro arbitrio, debeamus.* Quod intra Campaniæ terminos se velle agitare dicit, intelligit, se ex more communi, quem alibi exposuimus velle peragrare hanc regionem animi causa, quemadmodum etiam lib. I. *epist.* II. quam supra adduximus eodem sensu usus est hac loquendi forma. Hinc in multis *epistolis* leguntur frequentes ejus mansiones Neapoli, Bajis, Puteolis, & alia loca omittamus, Capuæ, ubi & ipse *prætorium* habuit, (*Juretus* in *Notis* hoc exposuit *amœnum ædificium in agro rustico*) ut legitur ejusdem libri *epist.* IV. Ceterum hinc jam colligi potest, si Prænestinæ silvæ usque adeo illi placuerunt, ut illas nostrorum littorum præferret amœnitatibus; non minus gratas illi debere fuisse Tifatorum silvas, quandoquidem utræque perinde erant ilicetis umbrosæ, de quibus alibi diximus. Jam vero cum de amœnitate, quæ maris nostri laus fuit peculiaris, non habeam, quod dicam aliud, hinc jam exponere incipiam de laudibus locorum nostrorum mediterraneorum, quibus fœcunditas proprium fuit ac singulare ornamentum.

Fœcunditas itaque mediterraneorum Campaniæ nostræ agrorum maxima fuit atque propria laus: licet non multo ante ex *Livio* intellexerimus, eos haud minus pro amœnis fuisse habitos. Et ad hanc illorum duplicem prærogativam videri possit etiam *Cicero* respexisse, speciatum loquutus de agro Campano, quem Rullus dividere volebat, non autem de integra Campania; ubi *Agraria* II. de novis legibus istius deductionis ita dixit: *At enim ager Campanus hac lege dividetur, orbis terræ pulcherrimus; & Capuam colonia deducetur, urbem amplissimam atque ornatissimam.* Ceterum fœcunditatis, quæ mediterraneæ fuit Campaniæ, altissima laus esse mihi videtur illa, cujus nos admonuit *Dionysius Halicarnassensis* lib. I. nimirum oriri illam a providentia divina atque aquis cœlestibus non autem ab humana quadam industria aut fluminum irrigationibus. *Cui frumentariæ regioni* (dixit interpres ejus) *cedunt campi, qui vocantur Campani, qui non fluviis, sed aquis cœlestibus rigantur?* Atque hoc encomium tanto est excellentius, quia prorsus est illi consimile, quo *Moses*, populum Hebræum alloquens, terram Judæam Ægypto antepofuit, ut legitur *Deuteronomii* cap. XI. ubi dixit, ut vulgata habet versio ad hunc modum: *Terra, ad quam ingredieris possidendam, non est, sicut terra Ægypti, de qua existi, ubi jacto semine, in hortorum morem, aquæ ducuntur irriguæ: sed montuosa est & campestris, de cœlo exspectans pluvias; quam Dominus Deus tuus semper invisit, & oculi illius in ea sunt a principio anni usque ad finem ejus.* Ita ad populum suum divinus iste propheta, & sapientissimus legislator. Et ad hunc quidem locum nunquam certe attendisset *Capacius*, quoniam ille *Historiæ Neapolitanæ* lib. I. cap. I. duplicare forsan hanc laudem studens, geminis aquis fœcundari dixit Campaniam: cœlestibus nimirum & fluvialibus, gemino certe cum errore. nam & veritati hoc, & ejusdem *Dionysii* sententiæ repugnat, quem ipse allegavit. Verba ejus hæc sunt: *Frumentorum dicit Halicarnassæus, & fluviis, & cœlestibus aquis irriguam.* Porro in genere de fœcunditatis ejus laude loquutus etiam est *Prudentius* lib. II. *contra Symmachum*, ubi de Anibale dixit hisce versibus:

Illic lascivum, Campania fertilis, hostem
Deliciæ vicere tuæ - - - -

Ad eandem multo jam ante respexerat *Propertius* lib. III. *Elegia* III. ubi de se ipso, tenuique fortuna sua ita dixit:

Nec mihi mille jugis Campania pinguis aratur.

Item *Tibullus*, licet non ita aperte, isto lib. I. *Elegiæ* IX. versu:

Non tibi si pretium Campania terra daretur.

Dionysius Africanus, sive *Alexandrinus*, postquam in *Periegesi* de Roma exposuerat, mox pergens hanc describere regionem, & eandem fertilitatem ejus, itidem loquutus est solummodo de agris ejus mediterraneis; si recte attendatur ad ejus verba, quæ hisce Græcis versibus continentur.

Τῆ δ' ἔπι Καμπανῶν λιπαρὸ πέδον, ἧχι μέλαθρον
Ἁγνῆς Παρθενόπης, ςαχύων βεβριθὸς ἀμάλλαις.
Παρθενόπης, ἣν πόντ☉ ἑοῖς ὑπεδέξατο κόλποις;

Et in prosa Latina ita habent:

Post hanc Campanorum pingue solum, ubi domus
Castæ Parthenopes, spicarum onustum manipulis:
Parthenopes, quam pontus suis suscepit finibus.

Igitur non video, quomodo *Claudius Dausquius* ad hunc *Silii* versum lib. XII:

Parthenope non dives opum, non spreta vigoris,

Cogitare potuerit, hæc utriusque hujus auctoris verba posse inter se conferri, ita ut *Dionysius* stricte loquutus fuerit de agro Neapolitano: unde secundum istam opinionem suam istorum *Dionysii* versuum partem interpretatus est ad hunc modum.

Castæ Parthenopes spicis gravidata legendis
Hic domus est - - - -

Neque video etiam, quidnam illi in mentem venerit, cum *Periegetem* illum existimavit ubertatem frugum potius ad castæ Parthenopes domum, quam

Martianus Capella varie illustratus.

Ceterum deinde adeo illa fuerunt culta, ut facile sui fastidium moverent.

Seneca & Symmachus collati.

Symmachus ab se ipso dissentiens.

Proinde ex altero in alterum transire locum gratius erat.

Symmachus bis illustratus.

Campaniam mediterraneam quæ parte quadam amœnitatis quoque laudem habuit.

Nonnemo insigniter laudavit à fœcunditate, tanquam cœlestium aquarum beneficio.

Dionysius Halicarnassensis cum Deuteronomii libro collatus.

Capacius notatus pluribus de causis.

Alii eandem fœcunditatem aliis in genere encomiis celebraverunt.

Prudentius, Propertius, & Tibullus, collati.

Dionysius Alexandrinus illustratus.

Hæc autem laus non ad Neapolim, urbem amœnam.

Claudius Dauquius refutatus pluribus modis.

quam ad fœcunditatem ſoli Campanorum retuliſſe, de qua ipſe proxime dixerat. Denique non video etiam, quomodo ille ſibi perſuadere potuerit, ab *Silio* Parthenopen dictam fuiſſe *non divitem opum*, ſi illa fuit, ut ipſe expoſuit, *dives ſegetis*. Et magis etiam hoc miror, quia *Polybius* lib. I. Nolæ, non vero Neapoli, adſcripſit celebres agros, monti Veſuvio proximos, ut notavimus in *Diſſertatione* prima, qui etiam ab *Strabone* lib. v. ſatis fuerunt laudati. Sed ille debuiſſet, & ſatis juſta ratione, hanc laudem ad Capuam reſtringere, cui *Paulinus Nolanus* epitheton *divitis* addidit *Natali* III. S. Felicis: nimirum fertilitatem ejus intelligens, & ad imitationem *Virgilii* lib. II. *Georgicorum*, ut poſtea notabo. Contra autem Neapolim ille appellavit *pulchram*, amœnitatem ejus intelligens, hiſce verſibus:

Sed ad Capuam quæ inde dicta dives, pertinuit.

— — *quos mœnibus amplis*
Dives habet Capua, & quos pulchra Neapolis

S. Paulinus Nolanus & Virgilius collati & illuſtrati.

Omitto dicere, *Livium* lib. XXVI. manifeſte Capuæ tribuiſſe Campanum iſtum agrum, *quem omni fertilitate terræ ſatis conſtabat primum in Italia eſſe*. Atque hinc cives ejus ſuperbi, & vitam agentes nimis delicatam, ab Græcis & Latinis auctoribus graviter fuerunt reprehenſi, qua de re videtur mihi heic aliquanto latius eſſe agendum.

Equidem ad Capuam univerſæ fœcunditatis, qua Campania præſtabat, beneficium magis, quam ad quamlibet aliam ejus regionis urbem, redundaviſſe, vel hinc cognoſci poſſit, quod ipſa ſatis diu ejuſdem metropolis fuit atque caput. Atque ego arbitror, quandoquidem *Caſſiodorus*, lib. XII. *epiſt.* XXII. laudans quandam ſatis fertilem Iſtriæ regionem, nobis expoſuit, eam vulgo appellari *Ravennæ Campaniam*, id eſt, ut alibi explicavimus, *horreum Ravennæ*; & item vel una ſola Campaniæ noſtræ pars fuit, ut *Cicero* dixit *Agraria* II. *fundum pulcherrimum populi Romani, caput pecuniæ, pacis ornamentum, ſubſidium belli, fundamentum vectigalium, horreum legionum, ſolatium annonæ*; neutiquam dubitari poſſe, quin integram Campaniam oporteat non tantum haſce, ſed alias quoque non minores commoditates ſatis copioſe eidem urbi noſtræ ſubminiſtraviſſe. Hinc Romani, poſtquam una cum priſtina dignitate illam priſtino quoque ſplendore ſpoliaverunt, hac tamen parte nihil immutarunt ordinem rerum, & adeo *cellam atque horreum Campani agri eam* (ut idem dixit Orator) *eſſe voluerunt*. Ceterum ſi hæc ſententia mea forſan a vero eſſe aliena videatur, quare jam *Virgilius*, ubi *Georgicorum* lib. II. fertiliſſimos eſſe Capuæ, Nolæ, atque Acerrarum agros dixit, divitias ſoli adſcripſit Capuæ?

Capua ſola, qualicunque etiam in fortuna poſita, horreum fuit Campaniæ:

Talem dives arat Capua, & vicina Veſevo
Nola jugo, & vacuis Clanius non æquus Acerris.

Virgilius illuſtratus.

Verum ad noſtram certe urbem præcipue pertinuit univerſa Campaniæ fœcunditas: atque inde cives ejus more ſuo proprio nimium inflati atque ſuperbi fuerunt habiti. *Campani* (dixit *Cicero* in eadem *Agraria* II.) *ſemper ſuperbi bonitate agrorum, fructuum magnitudine*. Et ut appareat, eum non in univerſum intellexiſſe omnes hujuſce regionis Campanos, ſubjunxit, *urbis ſalubritate*. Scripſit *Appianus Alexandrinus* in *Punicis*, ab Romanis Campanos campeſtri agro ſpoliatos, qui frugum ferax erat ſupra modum. *Inde* (ita Latine verba ejus reddidit interpres) *in ipſos Campanos converſi, auctores defectionis extremo ſupplicio, cæteros agro mulctarunt. Eſt autem Campanus ager, quia campeſtris, frugum ferax. Capua Romanis reſtituta, magnum ad res in Italia gerendas momentum Carthaginienſibus ablatum erat.*

Atque ſolis ejus civibus fœcunditas hujus regionis cauſa fuit ſuperbiæ, & luxus immodici, ultimæque ruinæ.

A Et diſertius eandem in rem *Athenæus* lib. XII. *Polybii* narrationem retulit, verbis iſtis, quæ ita Latine habent: *Polybius* lib. X. *ſcribit Campanos, qui in Italiæ Campania ſunt, ob agri bonitatem tantum opum congeſſiſſe, ut voluptati ſumptuoſoque luxui ſe dederint. Eam ſcilicet opulentiam & felicitatem cum temperantes ferre non poſſent, Annibalem acciverunt; quamobrem a Romanis poſtea graviſſimis & atrociſſimis ſuppliciis maliſque ſunt affecti.* Ceterum cuinam ex noſtris populis alii *Livius*, quotieſcunque commemoravit fertilitatem hujus regionis, ejuſdem adſcripſit dominium, quam iiſdem noſtris Campanis, id eſt, Capuæ B civibus? Ita ſane fecit iſtis lib. XXV. verbis, quæ non multo ante retulimus; exponens, qua ab Romanis affecti fuerunt, violatæ fidei, amicitiæque cum Annibale initæ pœnam. Ita etiam lib. VII. Campanorum legatos introduxerat, multis ante annis ad Senatum Comanum loquutos de Campania, deque fertilitate ejus, tanquam de re ſua, cum una ſecum ipſius quoque regionis liberam deditionem offerrent Romanis: *Capuam ergo & Campaniam omnem veſtris, an Samnitium viribus accedere malitis, deliberate.* Et mox: *Vobis arabitur ager Campanus: vobis Capua urbs frequentabitur.* Et ſubjunxit, plurimos Senato- C rum cenſuiſſe, accipiendam eſſe hanc deditionem, quia *urbs maxima opulentiſſimaque Italiæ, uberrimus ager marique propinquus, ad varietates annonæ horreum populi Romani fore videbatur.* Eodem libro refert, ſeditioſos milites Romanos, qui ad tuendam Capuam Samnitibus oppoſiti, eandem occupare volebant, queſtos eſſe, *cur potius Campani agrum Italiæ uberrimum, dignam agro urbem, qui nec ſe, nec ſua tutari, poſſint, quam victor exercitus haberet, qui ſuo ſudore ac ſanguine ſamnites inde depuliſſet? An æquum eſſe, dedititios ſuos illa fertilitate atque amœnitate perfrui*; (de hac amœnitate ſupra diximus: Sequenti au- D tem *Diſſertatione* examinaturi ſumus, quomodo etiam poſt deditionem Campanis hac fertilitate atque amœnitate frui licuerit) *ſe militando feſſos, in peſtilenti atque in arido ſolo luctari? aut in urbe inſidentem tabem creſcentis in dies fœnoris pati?* Et in hac Campani Romanique agri comparatione, & item ſalubritatis, quæ Capuæ multo major erat, quam Romæ, iſta narratio ejus cum illis convenit, quæ de Roma ſcripſit *Dionyſius Halicarnaſſenſis* lib. VIII. *Strabo* lib. V. *Frontinus* lib. II. *De aquæductibus*; quæque de Capua *Volcatius* & *Cicero* dixerunt, quos retulimus, ubi de Capuæ ſitu fuit actum. Quod ad reliqua, idem E quoque *Livius* ſibi conſtans, & ut conveniebat etiam, bene morem expreſſit militum eorundem, qui ſuam virtutem extollentes, ignaviam increpabant alienam. Ceterum verba *Dionyſii*, prout illa Marcium Coriolanum in Volſcorum concilio feciſſe ſcribit. Latine ita habent. *Ager, quem populus Romanus principio habebat, eſt exiguus, & ſterilis, ſed quem armis ſibi quæſivit & finitimis ademit, eſt & amplus & fertilis: & ſi unuſquiſque populus partem ſuam, ſibi per vim contra jus & fas ereptam, velit* repetere ac recipere, *nihil erit tam parvum, tam debile, tam egenum, quam reſpublica Romana. Strabonis* autem qui non F poteſt dici ex aliena perſona fuiſſe loquutus, ita Latine reddita ſunt verba, quibus de Romulo & Remo loquitur, qui Romam condiderunt *loco, non tam delecto, quam neceſſitate capto: nam neque munitus natura erat, neque ſolum habebat proprium, & quod urbi ſufficeret; neque homines, qui incolerent.* Denique *Frontinus* ita dixit: *Immunditiarum facies, & impurus ſpiritus, & cauſæ gravioris cœli, quibus apud veteres Urbis infamis fuit aër*,

Appianus Alexandrinus & Polybius collati.

Iidem multo jam ante regionem ſuam ſeque ipſos dediderant Romanis;

Quorum urbs atque ager multum erant laude inferiores.

Livius laudatus, & collatus cum Dionyſio Halicarnaſſenſi, Strabone, Frontino, Volcatio, & Cicerone.

Livius notatus.

aër, *sunt remotæ*. Atque adeo viderit ipse *Livius*, quam hoc [1] recte fecerit, quod præter omne decorum introduxit legatos Campanorum, quos supra diximus, in eodem senatu cedentes Romanis tum omni alia dignitate, tum etiam agri sui præstantia satis impudenti adulatione ad hunc modum: *Campani, etsi fortuna præsens magnifice loqui prohibet, non urbis amplitudine, non agri ubertate ulli populo, præterquam vobis, cedentes, haud parva, ut arbitror, accessio bonis rebus vestris, in amicitiam veniamus vestram.* Speciatim itaque ad Capuam ejusque cives tantopere celebrata Campaniæ fœcunditas pertinuit, ut demonstrare volebamus.

II. *Peculiares Campaniæ Felicis agri, a fertilitate laudati. Origo nominis*, Mazzone delle Rose.

Amplissimam a fœcunditate laudem habuit ager NOLANUS, ACERRANUS, & CAMPANUS,

JAm vero cum hinc ego transeam ad describendam exactius hujusce regionis fertilitatem; per illa, quæ dixi, neutiquam ad Capuæ duntaxat territorium, id est, ad Campaniam Capuanam, quam *Dissertatione* prima descripsimus, istiusmodi restringo laudem, cujus Nolano quoque atque Averrano territorio partem deberi suam nequaquam me fugit. Nam & horum populorum finibus supra allegato *Georgicorum* lib. II. *Virgilius*, perinde eandem adscripsit prærogativam, ubi de qualitate atque signis aptæ propter fœcunditatem terræ ad varios usus humanos ita scripsit.

Quæ tenuem exhalat nebulam, fumosque volucres,
Et bibit humorem, &, cum vult, ex se ipsa remittit,
Quæque suo viridi semper se gramine vestit,
Nec scabie, nec salsa lædit rubigine ferrum;
Illa tibi lætis intexet vitibus ulmos:
Illa ferax oleæ est: illam experiere colendo
Et facilem pecori, & patientem vomeris unci.
Talem dives arat Capua, & vicina Vesevo
Nola jugo, & vacuis Clanius non æquus Acerris.

Quo una comprehendebatur CUMANUS, *qui etiam* LEBORIUS, *laudatus supra omnes.* Virgilius illustratus.

Atque heic non gravabor repetere prolixius aliquantum, tanquam loco opportuniore, quod breviter monui in eadem *Dissertatione* prima: nimirum poëtam istum, cujuscunque antiquitatis callentissimum, inter celebres hosce Campaniæ agros non commemoravisse etiam Cumanum, cui omnes primam fertilitatis laudem tribuerunt supra quoslibet agros alios. Scilicet ille continebatur Capuæ finibus, [2] Cumis in Campanorum potestate constitutis. Ceterum Cumanum sane

1. Viderit auctor, (ut ipsius verbis utar) quam ipse hoc recte fecerit; quod hic reprehendit *Livium*, qui supplicum orationem referens, ita eos loquutos fuisse prodidit, ut fortuna eorum & conditio postulabat. Neque enim eos hic magnifice loqui, sed humiles esse conveniebat, ac sua extenuare præ rebus illorum, quorum implorabant opem. Et tanto magis nota indignus *Livius*, quod potissimum & primo loco *urbis amplitudine*, secundo autem *agri ubertate*, quæ minor prærogativa, Campanos dixisse se Romanis inferiores, memoravit. Sed habebant certe etiam Romani jam tum temporis satis amplum & fertilem agrum, quem armis sibi quæsiverant, ut ipse auctor paulo ante retulit ex *Dionysio Halicarnassensi*.

2. Habet sane speciem hæc observatio auctoris. Sed omnino tamen laborat illa quadam difficultate. Nam etiamsi hoc concedamus *Peregrino*, *Virgilium* hic respexisse ad tempora prisci Campanorum imperii, quibus Cumas illi tenebant, quod ego in medio relinquo; vel sic nulla apparet ratio, cur ille memorare voluerit agrum Acerranum, & tacere de Cumano. Certe enim æque Acerras, ac Cumas, ad Campaniam Capuanam, sive ad Campanos olim pertinuisse, in *Dissertatione* II. cap. XXVII. & alibi ipse dixit auctor.

Livius illustratus.

agrum, quo de ita loquutus est *Livius* lib. XXIV. *Sacro inde perpetrato, ad quod venerat, & dum ibi moratur, pervastato agro Cumano usque ad Miseni promontorium, Puteolos repente agmen convertit ad opprimendum præsidium Romanum*; & ita lib. XXV. *Inde consules, ut averterent Capua Annibalem, nocte, quæ sequuta est, diversi, Fulvius in agrum Cumanum, Claudius, in Lucanos, abierunt*; hunc, inquam agrum Cumanum, si recte rem putare volumus, speciatim intellexit *Dionysius Halicarnassensis* lib. I. licet etiam videri possit loquutus esse de Campania in genere, verbis istis, quæ ex parte supra jam retulimus: *Cui enim frumentariæ regioni cedunt campi, qui vocantur Campani? qui non fluviis, sed aquis cœlestibus rigantur, in quibus ego vidi arva vel trifera, sementem æstivam post hybernam, & autumnalem post æstivam sementem nutrientia.* Atque hoc apparere potest, si ille conferatur cum *Strabone* lib. V. & uterque cum *Plinio secundo* lib. XVIII. cap. XI. Verba geographi istius Latine ita habent: *Traditum memoriæ est, quædam Campaniæ arva toto anno conseri, bis zea, tertium panico: quædam etiam quarto satu olera producere.* Omnia hæc *Plinius* dixit de campo Leborio, quem alibi vidimus vicinum fuisse Cumis, & primitus ad eandem quoque pertinuisse urbem; deque laudibus ejus loquutus est in hunc modum: *Seritur toto anno: panico semel, bis farre: & tamen vere, cum segetes interquievere, fundunt rosam*, (ita legendum arbitror ex manuscriptis quibusdam, non vero, ut editi libri habent: *& tamen vere segetes, quæ interquievere* [3] *fundunt rosam, odoratiorem sativa. adeo terra non cessat parere: unde vulgo dictum, plus apud Campanos unguenti, quam apud cæteros olei fieri. Quantum autem campus circumcampanus universas terras antecedit tantum ipsum pars ejus, quæ Leboriæ vocantur, quem Phlegræum Græci appellant.* Atque adeo eundem campum oportet eum, quoque intellexisse ejusdem libri cap. XXIII. ubi ita scripsit: *Si fuerit illa terra, quam appellavimus teneram, poterit sublato hordeo milium seri: eo condito, raphanus, his sublatis, hordeum vel triticum, sicut in Campania: satisque talis terra aratur, cum seritur.* Neque tamen ideo nego, in agro Neapolitano, qui hodie est; atque *Aversano*, qui citra Cumanum istum sunt, item multis in locis Capuani, Nolani, ac Nucerini, solere hodieque uno eodemque anno plures fieri sementes: unde & *Dionysius*, & *Strabo*, & *Plinius* præter agrum Cumanum possunt etiam de his locis fuisse loquuti, quorum eadem & æqualis fere fertilitas vel hinc observari potest, quod perinde *non fluviis, sed cœlestibus imbribus rigantur*, & nihilominus producunt *sementem æstivam post hybernam*, quanquam *æstiva frumenta* (verba sunt ejusdem *Plinii* lib. XVIII. cap. X.) *riguis magis etiam, quam imbribus gaudent.* Atque adeo, quo admirabiliorem redderet hanc singularem infinitæ fœcunditatis illorum prærogativam, superare hic se ipsam, & communes leges suas rumpere natura contendit.

Pluries enim conserebatur uno eodemque anno.

Dionysius Halicarnassensis, Strabo, & Plinius Secundus illustrati & collati.

Atque hæc laus hodieque communis est aliis etiam agris nostris,

In quibus se ipsam superat, & communes leges suas etiam rumpit natura.

IL MAZZONE DELLE ROSE, campus admodum herbosus, & per sese rosarum fœcundus,

Verum *Plinius* qui, secus ac jam apparet esse verum, de solo pronunciavit Leborio, de omnibus autem aliis agris nostris tacuit ejusmodi laudem, forsan eodem quoque modo dixit, hoc illi, proprium esse & peculiare, ut medio tempore,

3. Non displicet correctio auctoris. Neque enim segetes fundere rosam dici possunt. Sed omnino pro *fundunt* insuper reponendum erat *fundit*, ut ad ipsum agrum referatur: quod vitii nescio an ipsius auctoris, an vero Typographi culpa hæc relictum sit.

re, quo consertus non esset, rosam produceret: cum florem hunc quotannis affatim videamus enitere multo in ampliore regione, quæ neque conseritur unquam, neque aratur. Ad dextram Clanii fluminis ripam, versus Septentrionem, ad Occidentem ubi nonnihil deflectas, tribus circiter passuum millibus a nova Capua, planus est atque late patens campus, qui admodum herbosus, sed incultus, prope ad Volturnum usque amnem pertinet, & versus mare etiam porrigitur, atque idem sponte magna copia fert rosas, quæ satis grato sunt, licet tenui odore. Proximis seculis communi vocabulo appellabatur ille *Il mazzone delle rose*, quemadmodum eum dixit auctor *Historiæ* illius, quæ necdum in lucem edita, de nomine primi sui domini dicitur *Il libro del Duca di Monte Leone*. Et ita quoque appellavit illum *Antonius Panormitanus* lib. II. cap. XXV. *De dictis & factis Alphonsi I.* hisce verbis: *Venabatur rex in campis Leboriis*, (etiam hic auctor in eadem cum illis fuit sententia, quos alibi refutavimus: nimirum hunc esse campum Leborium *Plinii Secundi*) *quos nunc Rosarum vocant, quo nuncius affertur, Ricium, regiorum peditum ducem, ad hostes defecisse.* Eodem vocabulo plus semel usus *Pontanus* in *Historia belli Neapolitani*, insuper voluit ejus etymologiam indicare, ubi principio lib. V. ita dixit: *Campani nunc agri pars Gallica appellatione Mansio Rosarum dicitur.* Atque adeo a corrupta voce Gallica *Magione*, quæ apud nos *habitationem* seu *domicilium* significat, credidit ille ortum fuisse *Mazzone* nomen, quo campus ille addito *rosarum* epitheto fuerit appellatus a copia floris ejusdem. Hodie absolute vocatur ille *Il mazzone*, & ne quidem omnibus est notum istud cognomen ejus, quod etiam tacuit, vel non cognovit *Volaterranus* in *Geographia* sua, qui non ex more nostro per ultimam, eamque geminatam alphabeti literam, sed per simplex *x* illum appellavit *Maxonem*. Verba ejus hæc sunt: *Agri tres in Campania celebres: Leborinus, Falernus, & Stellatis. Hic ultimus, ager & campus dicitur, ultra Capuam circiter mille passus: duo versus oram, quem hodie Maxonem accolæ vocant.* Falso eum existimavisse, hunc esse campum Stellatem, ex illis liquet, quæ alibi de hoc argumento diximus, licet quod eundem distinxit a campo Leborio, eo laudem illam mereatur, quam neque *Panormitanus*, neque multi alii, qui ex duobus istis unum facere voluerunt agrum, sibi pepererant. Porro autem descripsit ille situm ejus confuse nonnihil, & satis late, nimirum sequens usum recentiorem, quo idem nomen denique ad majorem quoque regionem cœpit extendi.

Qui falso creditus fuit esse campus Leborius,

Antonius Panormitanus illustratus, & alio nomine refutatus.

Ab eodem flore nomen istud accepit sermone Gallico.

Ceterum alii minus recte Maxonem *eum dixerunt, & eundem esse cum* stellate *crediderunt.*

Volaterranus refutatus, & alio nomine laudatus.

Sed videntur mihi ista verba ejus, duobus diversis modis, licet re vera aliquantum occulte, nonnihil controversiæ posse movere etymologiæ isti, quam *Pontanus* attulit. Et primum quidem, si per causam fœcundorum pascuorum, de quibus dicere voluit *Augustinus Niphus* lib. I. *De rebus aulicis*, hisce verbis: *Mulomedici, quum equos restituere nesciunt, illos ad Campanum agrum delegant*; credi potuit *Mazzonis* campus idem esse, qui olim Stellatis, quia, ut verbis, utar *Festi*, *Stellam significare ait Atejus Capito lætum & prosperum*, qua de re satis prolixe egimus in *Dissertatione* præcedenti; potuit ille cognomen accepisse *dell- rose*, quasi *roseus*: perinde ut prisci Latini *Roseam* dixerunt itidem herbosum ad Reate campum, non ab *rosis*, sed ab *rore*: *Rosea*, dixit *Festus*, sive ejus epitomator *Paulus Diaconus*, *in campo Reatino campus appellatur, quod in eo arva rore humida semper feruntur*, seu potius *feruntur*. Et ita *Plinius Secundus* lib. XVII. cap. IV. *Cæsar Vopiscus, cum causam apud Censores ageret, campos Roseæ dixit Italiæ sumen esse, quibus perticas pridie relictas gramen operiret. Sed nonnisi ad pabulum probantur.* Hoc Vopisci dictum legitur etiam apud *Varronem* lib. I. cap. VII. *De re rustica*, ubi ille ita scripsit. *Cæsar Vopiscus ædilitius, causam cum ageret apud Censores, campos Roseæ Italiæ dixit esse sumen, in quo relicta pertica postridie non apparet propter herbam.* Et lib. II. cap. I. denuo loquutus fuit de uberibus ejusdem campi pascuis, de quibus etiam scripsit *Servius* ad hosce versus lib. VII. *Æneidos.*

Cum per causam uberum pascuorum Stellatis *campus communi* Mazzonis *nomine potuerit dici,*

Videri ille possit etiam Delle rose *cognomen accepisse ab*

Latina voce Ros, *a qua itidem* Roseus *dictus fuit consimilis ad* Reate *campus.*

—— —— *Qui rosea rura Velini*
Qui Tetricæ horrentes rupes, montemque Severum,
Casperiamque colunt, - - - - -

ad hunc modum: *Velinus lacus est circa Reate, juxta agrum, qui Roselinus vocatur. Varro tamen dicit, lacum hunc a quodam Consule in Narram, vel Narren (nam utrumque dicitur) esse diffusum; post quod tanta est ea loca sequuta fertilitas, ut etiam perticæ longitudinem altitudo superarit herbarum:* (quisnam hoc credere possit? sane enim *Varro* non de perticæ longitudine loquutus est) *quin etiam quantum per diem demptum esset tantum per noctem crescebat.* Et mox, ubi de nomine Severi montis agit, ita subjunxit: *Proprium nomen montis est, sicut agri Roseum.* Videri itaque possit etiam noster ille campus ad imitationem campi Reatini, perinde pascuis fœcundi, sive etiam ab ipsa roris sui copia principio dictus fuisse *roseus*: atque hoc nomen, cum ab rosis ortum fuisse crederetur, denique ad istum alium modum fuisse enunciatum *delle rose*, id est, rosarum. Sane vero neutiquam mihi displiceret hæc opinio, (neque propterea tamen quicquam aliud sentio de situ campi Stellatis, quam de illo asseruimus suo loco) si perinde ut *Pontani* sententia, quam idcirco omnium esse verissimam arbitror, exponeret nobis originem alterius partis, quæ sola de integro ejusdem campi nomine hodie superest, & dicitur *Il Mazzone*. Equidem, licet eam leviter refutaverit *Michaël Monacus* noster *Sanctuarii* sui *Parte* III. tamen ille nullo prorsus pacto suam mihi persuadere possit sententiam. Hic ubi loquitur de donationibus constantini Magni Imperatoris, quas ille fecit ecclesiæ Campanæ, ab ipso conditæ & dedicatæ Apostolis descriptas a *Anastasio Bibliothecario* in *vita S. Sylvestri*, inter quas & *Massa Statiliana* occurrit, hæc verba habet: *Massa in hunc usum non est ab antiqua Latinitate usurpatum nomen. Est meo judicio ager frumentarius, late patens, habens ædificium cum familia rusticorum. Sanctus enim Gregorius Papa lib. I. epist. XLII. scribens ad Petrum Diaconum in Sicilia, hæc habet. Scripta mea ad rusticos, quæ direxi, per omnes Massas fac relegi, ut sciant, quid sibi contra violentias debeant defendere. Ergo in Massis habitabant rustici, quibus relegendæ erant literæ S. Gregorii. Hinc ipse latissimum campum, vulgo Mazzone, non a nomine Francico Magione, sed ab hoc nomine Massa puto derivatum.* Huc usque noster ille scriptor, qui si cognitum habuisset, ab *Volaterrano* campum hunc fuisse dictum *Maxonem*, non vero *Mazzonem*, forte constantius adhuc credidisset, nomen ejus ortum fuisse ab isto vocabulo *Massa*: quasi scilicet propter amplitudinem dictus fuerit *Massone*, id est, *Massa grandis*. Atque hic videri possit esse alter modus, quo idem *Volaterranus*, ut ante proposui, sese opposuerit etymologiæ *Pontani*. Verum quis est, qui *Monaco* nostro hoc negabit, *Massarum* nomine dicta fuisse loca, in quibus ha-

Festus, Plinius Secundus, Varro, & Servius collati.

Servius notatus.

Sive ob similitudinem istud accepisse ad hujus imitationem.

Atque hæc quidem etymologia possit aliquo modo admitti:

Verum illa, quæ credita fuit a Massis *esse orta, nullo prorsus modo probari potest.*

Illa enim fuerunt, pagi habitati ab ru-

habitabant ejus generis rustici, qui per hereditariam servitutem, ex veteri usu natam, stabili lege destinati erant ad vicinorum agrorum culturam? Et hoc quidem argumentum cum non sit hujus loci pertractare fusius, confirmabo illius sententiam, quæ hac parte eadem est cum nostra, unico exemplo, quod nobis idem ille sacer scriptor suppeditat, quem ipse allegavit. Hic lib. VII. *Indict.* II. *epist.* CIV. scribens ad Gregorium, Romanum Defensorem, injunxit illi, ut Petrum quendam admoneret, *ne filios suos quolibet ingenio, vel excusatione, foris alicubi in conjugio sociare præsumat: sed in ea Massa, cui lege & conditione ligati sunt, socientur.* Et mox: *Certum illi sit, quia noster consensus nunquam illi aderit, ut foris de Massa, in qua nati sunt, aut habitare, aut debeant sociari.* *Panvinius* in libello *De septem Romæ ecclesiis*. ubi de Lateranensi agit, ita dixit: *Massa erat, quam nunc Casale* (vox Italica est, *pagum* denotans) *diceremus: multitudo agrorum, & rusticorum, illos incolentium, in unum coacta.* Ceterum ille prætermisit alteram illarum & rusticorum, qui illas colebant, exponere proprietatem & conditionem, propter quam *Massæ* veteres non respondebant omni ex parte pagorum nostrorum, quales hodie sunt, conditioni. Verum cum ego hac in re neque ab ipso, neque a *Monaco* nostro dissentiam ullo modo, vellem nostrum hunc auctorem ab se ipso non dissensisse. Sane enim postquam dixerat: *In Massis habitabant rustici*, quidnam inde conclusit? nimirum hoc: *Latissimum campum, vulgo Mazzone, a Massa fuisse derivatum.* Atque hæc consequentia nimium sane coacte deducitur ex istis prioribus: & satis longas per ambages, non eundo, sed syllogismos formando perveniri possit ab *Massa* ad ejusdem *campum*, licet conjunctum. Fuit, & hodieque est, *Mazzone delle Rose* isti campo nomen, de quo dictum est, non quasi grandi *Massæ*, quod idem foret, ac si diceremus grandi pago rusticorum servilis conditionis; sed quasi domicilio, sive mansioni rosarum, quas tanta ille copia producit. Et Gallicæ linguæ periti satis noverunt, quantum illa hujusmodi loquutionibus delectetur, cum & quodlibet aliud idioma suas habet & peculiares metaphorarum formas. Jamque de his sufficere potest: quare repetito argumento nostro de illis rebus exponere pergam, a quarum fœcunditate Campaniam nostram veteres singulari celebraverunt laude.

Filiis servili conditione, qui per naturalem successionem colebant agros.

S. Gregorius Magnus illustratus. Panvinius notatus. Michael Monacus refutatus pluribus modis. Pontanus defensus.

Neutiquam vero Massæ fuerunt agri.

III. *Flores & herbæ celebres in Campania Felice.*

VErum undenam prius incipere debere videor, quam a floribus atque rosis, quas modo sumus odorati leviter, quæque primus anni partus sunt, & item gratissimus, quem hac in regione speciatim proferat natura, quæ perinde ex sese, quam adjuta ab industria humana, heic illas magna copia producit & præstantissimas? Equidem de utroque illarum genere nos admonuit *Plinius*, ubi de illis dixit, quæ in campo Leborio sponte nascebantur, & odoratiores erant (dixit ille hoc forte per exaggerationem) sativis: sive jam eas diversa, sive una eademque specie fuisse intelligamus neque enim heic subtiliter hisce de rebus disputare nostri est instituti, ut qui de Felicis Campaniæ laudibus agere constituimus, quatenus hoc ad antiquitatum nostrarum notitiam prodesse potest, non vero, ut ejus describamus historiam naturalem. De aliis rosis, quæ sponte hoc in campo nascebantur, præter illas, quæ vulgo inter vepres, tam ibidem, quam in reliqua hac regione, & alibi etiam, florere solent, certa satis adest experientia: atque adeo *Plinium* arbitror, in ejusdem Leborii laudes vehementius intentum, præterquam quod illi hanc insignem adeo tribuit laudem, insuper etiam illam addidisse, ut rosarum ejus extolleret odorem, & contra omnibus aliis campis hanc negaret laudem. *Rosa nascitur*, dixit ille lib. XXI. cap. IV. *spina verius, quam frutice, in rubo quoque proveniens: illic enim jucundi odoris, quamvis angusti.* Atque illi sane, qui crediderunt, campum Leborium, æque ac viam Consularem, pertinuisse a Puteolis & Cumis usque Capuam, non videntur posse decepti esse alia fallaci ratione, quam illa, quod etiam extra verum campum Leborium rosæ inter spinas atque rubos florent per eundem integrum tractum.

Campania æque fœcunda est sativis rosis, quam nativis.

Licet hæ alii etiam in regionibus sponte proveniant.

Plinius Secundus illustratus & notatus.

Verum heic, ut jam indicavi, dubitari possit, an hæce nostræ rosæ nativæ (sive jam campi solummodo Leborii, sive *Mazzonis* etiam rosas intelligamus) ejusdem generis fuerint cum illis, quæ in hac regione plantabantur: quandoquidem perinde ex utrisque conficiebantur unguenta, unde ortum est proverbium: *Plus apud Campanos unguenti, quam apud cæteros olei fieri.* Hoc amplius, sive fuerint ejusdem, sive diversi generis, quænam hodie nobis sint illæ rosæ, quas idem *Plinius* semel iterumque *Campanas* dixit loco paulo ante allegato: *Genera ejus nostri fecere celeberrima, Prænestinam & Campanam.* Et denuo: *Præcox Campana, sera Milesia, novissime tamen desinit Prænestina.* Tertio, utrum Campanarum fuerit proprium & peculiare genus, diversum ab omnibus aliis, an vero illæ generis ejusdem cum nonnullis aliis, sed apud nos præstantiores fuerint. Denique, utrum illæ, quæ dictæ fuerunt *Centifoliæ*, & Philippis, Macedoniæ, sive Græciæ urbe, quo translatæ erant ex vicino monte Pangeo; in Campania autem sponte proveniebant; fuerint eædem cum nostris in Leborio & *Mazzone* nativis, an vero Campanæ, quæ non aliunde huc illatæ, in hortis conserebantur: ut adeo iste auctor tria, aut duo, aut unum duntaxat rasarum nostrarum genus nobis demonstraverit. De *Centifoliis* hæc ejus sunt verba: *Paucissima quina folia, ac deinde numerosiora, cum sit genus ejus, quam Centifoliam vocant, quæ est in Campania Italiæ, Græciæ vero circa Philippos: sed ibi non suæ terræ proventu. Pangeus mons in vicino fert, numerosis foliis ac parvis, unde accolæ transferentes conserunt, ipsaque plantatione proficiunt.* Jam licet ad me non pertineat de hisce rebus disputare, ne tamen lectorem meum heic prorsus dimittam vacuum, solummodo illud dicam, cum multa fuerint, & sint hodieque rosarum genera, (ut ne dicam, hoc nomen fuisse aliis etiam floribus commune, qui nobis non sunt inter rosas) cumque de illis dixerit idem: *Plinius Differunt multitudine foliorum, asperitate, lævore, colore, odore*; certe sativas nostras diversas fuisse a nativis, & utrasque a Centifoliis, quas ipse etiam in orationis suæ serie tanquam tertium genus recenset. Et ne quidem ex hisce solummodo tribus generibus istius floris, heic admodum abundantis, arbitror unguenta sua confecisse nostros Campanos, qui, ad illorum copiam quod attinet, teste eodem *Plinio* lib. XIII. cap. III. palmam tantum concedebant Ægypto. *Terrarum omnium*, dixit ille, *Ægyptus accommodatissima unguentis: ab ea Campania est, copia rosæ.* Ceterum, si Centifoliæ, ex Pangeo, ubi sponte proveniebant parvis foliis, licet numerosis, translatæ, & Philippis consertæ *proficiebant*; quod mihi videtur,

Rosæ, in campo Leborio nascentes, ex quibus, ut & sativis, unguenta conficiebantur.

Item celeberrimæ ROSÆ CAMPANÆ,

Et CENTIFOLIÆ in Campania,

Variæ fuerunt ROSARUM genera.

Et fuerunt illæ quoque diversæ ab aliorum regionum rosis.

tur, si recte attendatur ad ejus verba, intelligendum esse de numero & magnitudine foliorum, (& facillime sane mutatur hic flos, unde in multa distinguitur genera) a soli virtute oportet celebratas adeo rosas Campanas fuisse diversas ab aliorum locorum rosis, aut foliorum numero, aut minore asperitate, aut colore, adderem & fortiori odore, nisi Auctorem *Universalis historiæ plantarum* lib. II. cap. II. credere viderem, nostras rosas Campanas esse illas, quæ albi sunt coloris, & minimi ex omnibus pretii, ac nullius omnino, vel paucissimi odoris. Verum cum hac de re controversiam movere non sit meum, illud solummodo dicam, si rosæ albæ nulli sunt in re medica usui; & unguenta, ex hisce floribus confecta, tanto erant præstantiora, quanto olebant fortius, (*Cyrenis odoratissima est*, dixit *Plinius*, *ideoque ibi unguentum pulcherrimum*) me nescire, quænam possit esse, nisi hæc eadem, ista rosarum Campanarum celebritas, quam prædicavit idem auctor. Nam ille quidem ubi dixit: *Omnes sine odore præter Corneolam, & in rubo natam*; mea sententia non de omnibus illis rosis est loquutus, quas in præcedentibus memoraverat, inter quas & Campana erat; sed de illis, quas descripserat post Græcam istam, quæ Græcis dicta *Lychnis*, *violæ magnitudine*, *odore nullo*. Quod si celebres illæ rosæ Campanæ fuissent albæ, itidem albæ fuissent omnes aliæ, quæ inter Italicas maxime commendabantur: id est, Pæstanæ, Tiburtinæ, Tusculanæ, Prænestinæ. Corona enim illa, quam dono misit *Martialis* amico suo Sabino, ex rosis erat conserta: & has ille lib. IX. *epigr*. XLV. optabat ut Sabinus crederet ex prædio suo Nomentano esse, etiamsi essent aut hæce nostræ, aut istæ aliæ rosæ. Versus ejus, quibus eandem coronam alloquitur, hi sunt.

Plinius Secundus illustratus. — *Ceterum CAMPANÆ non erant albæ,* — Auctor Universalis Historiæ Plantarum refutatus. — Plinius Secundus illustratus. — *Sed eodem colore, quo* Pæstanæ, Tiburtinæ, Tusculanæ, *&* Prænestinæ: — Martialis illustratus.

Seu tu Pæstanis genita, es, seu Tiburis auris,
Seu rubuit tellus Tuscula flore tuo;
Seu Prænestino te villica legit in horto,
Seu modo Campani gloria ruris eras;
Pulchrior ut nostro videare corona Sabino,
De Nomentano te putet esse meo.

hoc est, rubro.

Jam si Tusculanæ rubri coloris erant, ejusdem coloris, ut ex iisdem versibus patet, oportet fuisse quoque alias istas, quas ille memoravit, ideoque & Campanas nostras. Quod ad cetera attinet, de rosa Centifolia dixit etiam *Theophrastus* lib. VI. cap. VI. item *Athenæus* lib. XV. qui existimavit, illam proprie centum habuisse folia, cum non amplius sexaginta habuerit, ut affirmavit *Herodotus* lib. VIII. Neque enim *Theophrastus*, ab eodem *Athenæo* citatus, exacte posuit numerum centenarium, sed ita, ut Græci Latinique auctores eo solent uti ad denotandam quamlibet magnam copiam: & eundem morem apud recentiores etiam scriptores Tuscos observavit *Jacobus Mazzonus* in *Dantiana Defensione secunda*, lib. I. cap. XXIX. Et de his jam sufficiat. Nam de unguentis, quæ admodum præstantia magnaque copia ex rosis nostris conficiebantur, reservamus disputationem in alium locum, ubi de artificiis nostrorum Campanorum sumus acturi.

Ceterum CENTIFOLIÆ proprie non habebant centum folia. — Athenæus notatus.

Jam vero hic etiam opportunus esse locus videtur, quo de *Sertula Campana* dicamus herba simul & flore, quæ alio eoque Græco nomine dicta fuit Μελίλωτον, *Melilotum*, (nobis *Aurioli*) ex qua antiquiores coronas texere solebant, quibus inter epulas & comessationes cingebant caput. *Coronas*, dixit *Plinius Secundus* lib. XXI. cap. IX. *ex hac antiquitus factitatas, indicio est nomen Sertulæ, quod occupavit.* Et *Cratinus*, vetus Poëta Græcus, in comœdia, cui nomen *Effœminati*, apud *Athenæum* lib. XV. introduxit quendam liliis, rosis, aliisque floribus atque herbis coronatum, &, ut Latine habent ejus verba, ita dicentem.

SERTULA CAMPANA, herba & flos, ad usum coronarum adhibita.

—— —— *Meliloto circumsepiente caput*
Mihi semper tegitur - - - -

Verum idem *Plinius* etiam hoc nos admonuit, eam istud nomen accepisse, quod hac in regione laudatior, quam alibi, nasceretur illa: non vero, quasi apud Campanos singularis aliquid artificii habuerint coronæ, ex illa consertæ: *Est enim in Campania Italiæ laudatissima, Græcis in Sunio, mox Chalcidica & Cretica: ubicunque vero asperis & sylvestribus nata.* Cum itaque Sertula nostra, perinde ut rosæ nostræ nativæ, sponte in locis incultis provenerit atque asperis, nihil illa pertinet ad loca ista, quæ ad colendum quoque erant apta. Atque adeo *Dioscoridem*, qui lib. III. eandem ad territorium solummodo Nolanum restrinxit, oportet ita intelligi, quasi ille loquutus fuerit de ista parte hujus territorii, cui non convenit illa laus, quam alioqui satis altam tribuit agro Nolano *Virgilius*, versibus istis, quos supra adduximus. Jamque de hac herba, de cujus odore ac flore idem *Plinius* dixit: *Croco vicinus est & flos: ipsa cana*; aliud dicere nihil ad me attinet. Ceterum hoc quidem mihi videtur observandum, si veteres Romani non poterant ex Campania nostra secum abducere ejusdem amœnitatem, illos hoc saltem omni studio curavisse, ut eam secum asportarent, quatenus illa in unguentis rosarum nostrarum, nostrique meliloti coronis consistebat: (nam de rosis quidem dixit *Plinius* lib. XXI. cap. IV. *Earum usus in coronis prope minimus est*) unde ipsi uncti & coronati sine suo vituperio reddebant suopte exemplo multo magis immortalem Campanorum nimis delicatorum notam. Sane antiquiores populi non Campani, sive non cognoverint illi, sive recipere noluerint Græcum *Meliloti* nomen, herbam illam appellaverunt *Sertulam Campanam*, non a virtute ejus in re medica, qua de loquutus est idem *Dioscorides*, sed ab usu, quem illa præstabat in contexendis coronis. Neque alias ego herbas nostras, aliosve flores speciatim laudari video a scriptoribus propter virtutem quandam medicam: quasi scilicet natura, quæ Campaniæ nostræ singularem concessit amœnitatem, Arabiam autem reddidit felicem aromatibus suis, quorum plurimus usus; summa etiam prærogativa ornaverit hosce solos flores nostros atque herbas, ut ad solas inservirent delicias humanas. Dicebant nonnulli, *juncum odoratum* quoque nasci in locis nostris, ut refert *Plinius Secundus* lib. XII. cap. XXII. *Traduntque, juncum odoratum & in Campania inveniri.* Sed *Matthiolus*, animadvertens *Plinium* loqui ex aliorum opinione, illud non esse verum arbitratur in *Commentaria ad Dioscoridem*, lib. I. cap. XVI. Etiam *brassicæ*, quæ nascebantur, & hodieque nascuntur in Campania, multum commendatæ fuerunt a *Columella* lib. X. *De agricultura*, sive, *De cultu hortorum*, ubi sigillatim loca, in quibus illæ nascebantur, descripsit hisce versibus:

Nomen istud inde accepit, quod præstantior in Campania, quam alibi, nasceretur: — *Nimirum in locis sylvestribus territorii Nolani.* — Dioscorides illustratus, & conciliatus cum Virgilio. — *Fuit autem illa in pretio apud Romanos ad usum coronarum, perinde ut rosa Campana ad usum unguentorum, etiam extra Campaniam.* — *Et adeo videtur natura Arabiæ Felici concedere voluisse aromata ad multos usus, Campaniæ autem herbas atque flores ad solas delicias.* — Columella illustratus, & cum Eudemo Atheniensi atque Diphilo collatus.

Tum quoque conseritur, toto quæ plurima terræ
Orbe virens, pariter plebi regique superbo
Frigoribus caules, & veri cymata mittit.
Quæ pariunt veteres Thespoto littore Cumæ:
Pinguis item Capua, & Caudinis faucibus horti:
Fontibus & Stabiæ celebres, & Vesvia rura,
Doctaque Parthenope, Sebethide roscida lympha:
Quæ ducis, Pompeja palus, vicina salinis
Herculeis —— —— ——

Et convenienter ille primo loco memoravit brassicas

ficas *Thespoti* littoris, sive Cumani, (ita legendum esse, non vero *cesposo*, aut *Thesproto*, demonstravimus alibi) quarum formam descripsit *Plinius Secundus* lib. XIX. cap. VIII. *Cumanum Sesili folio, capite patulum.* Nam & *Eudemus Atheniensis*, qui apud *Athenæum* lib. IX. dixit, tria esse hujus herbæ genera, primas illi tribuit, quæ *Halmyris* dicebatur, & Cumis alibique etiam nascebatur: *Halmyridem gustus voluptate censeri primam omnium, nascitur Cumis, Rhodi*, &c. Eadem fuit ibidem apud eundem auctorem *Diphili* quoque sententia, qui affirmavit *Speciosissimam & dulcem brassicam oriri Cumis, amaram in Alexandria.* De aliis eximiis in genere laudibus ejus loquutus est *Cato*, quæ huc nihil pertinent. Atque adeo post herbas atque flores de fructibus nostræ regionis agere pergam.

IV. *Laudati & copiosi maxime fructus in Campania Felice. Arbusta ejus. Vina ejus.*

CERASA Campaniæ, dicta PLINIANA, aliis fuerunt præstantiora, & a duritie dicta Duracina.

ET satis convenit, ut secundum jam cœptum atque observatum a nobis anni ordinem, primum loquamur de *cerasis*, utpote primo ejusdem fructu: de quibus idem *Plinius*, sæpius nobis citatus dixit lib. XV. cap. XXV. omnium optima esse, illa, quæ in Campania dicebantur *Pliniana*, & usitatius alio nomine *Duracina*. Verba ejus hæc sunt: *Principatus Duracinis, quæ Pliniana Campania appellat: in Belgica vero Lusitanis in ripis etiam Rheni.* Idem auctor lib. XIV. cap. III. indicavit, uvam illam, quæ etiam appellata fuit *Duracina*, accepisse hoc nomen, quia admodum firma erat atque dura: *Duracina sine ullis vasis in vite servabilis: tanta est contra frigora, æstus, tempestatesque firmitas.* Ceterum de cerasis, quæ eodem modo fuerunt appellata, quia forte aliis erant duriora, post priora ista verba, quæ modo retulimus, scripsit ille ad hunc modum: *Tertius iis color e nigro ac rubenti, viridique similis, maturescentibus semper.* In *Universali Historia plantarum* lib. III. cap. VIII. Duracina illa esse dicuntur, quæ sunt *multa carne, prædura, magna ex parte albicantia, prædulci gustu, callo corporis, nucleo pertinacius hærente: qua de causa putat Ruellius Duracina nuncupari. Matthiolus* ad *Dioscoridis* lib. I. cap. CXXIX. illa esse autumat, quæ Tusci hodieque vocant *Duracina*, & alio nomine *Marchiana*.

Laudata PIRA FALERNA non fuerunt propria & peculiaria Campaniæ.

Cerasis invalescente anno succedunt *pira*. Ex his illa videri possint magno in pretio fuisse, quæ nascebantur in agro Falerno Campaniæ, atque inde dicta fuisse *pira Falerna*, de quibus etiam fecit mentionem *Plinus Secundus* lib. XV. cap. XV. Sed ex ejus verbis, quæ afferentur, ubi de vino Falerno sumus acturi, videor mihi posse colligere, ea non fuisse nobis propria & peculiaria.

PERSICA Campana etiam antiquitus fuerunt celebria.

Anno jam adultiore succedunt *persica Campana*, de quibus dixit *Julius Capitolinus* in *Vita Albini*, ubi eum unica cœna comedisse refert *quingentas ficus passarias, centum persica Campana, & melones Ostienses decem, & uvarum Lavicanarum pondo viginti, & ficedulas centum, & ostrea quadraginta.* Satis nota & copiosa hodie sunt persica Puteolana, & adhuc magis illa, quæ nascuntur *Arienzi*, inter Suessulam veterem & Caudium, ubi hodie *Arpaia* est.

Quidam CUCUMERES Campaniæ mira erant forma.

Jam autem cum ad auctumnum usque pervenerimus, non omittendi sunt hujus regionis *cucumeres*, quorum idem *Plinius* lib. XIX. cap. V. propter peculiarem illorum formam fecit mentionem singularem hisce verbis: *Iidem in fistula, flore demisso, mira longitudine crescunt. Ecce cum maxime nova forma eorum in Campania provenit, mali cotonei effigie.* Forte illi formam istam inde accipiebant, quod ad illud attenderetur, ut flos illorum in aliquod vas includeretur, mali cotonei formam exhibens. Nolui tamen hoc referre inter res artificiosas, quoniam re vera totum hoc esse naturæ opus autumo.

FICUUM copiam in Campania arguit modus istic peculiaris easdem servandi.

Ceterum de *ficubus* sane aliquantum sum incertus utrum inter nostræ regionis artificia, an vero hoc loco mihi sit dicendum. Hæ cum variis modis conservarentur apud veteres *Palladius* lib. III. *De agricultura* illum maxime laudavit, qui in Campania observabatur, quique artis cujusdam erat atque industriæ: *Ergo hoc genere*, (verba sunt *Palladii*,) *quo Campania tota custodit, servare debemus. In cratibus ficus expanditur usque in meridiem, & adhuc mollis in qualum infunditur* &c. Nihilominus autem, cum hinc concludi possit, magnam illarum fuisse in Campania copiam, non incongrue hac occasione de iisdem dixisse videor.

Singularis Campani soli proprietas, alibi damnosa, heic utilis vitibus.

Jam vero quemlibet alium, qui aliis in regionibus esse possit, autumnum superabat uvarum apud nos proventus: de quibus antequam agere incipiam, de arbustis nostris atque vineis disserere expediet, ut ita denique ex illis magna copia vina colligamus Campana, & variorum generum, & multum laudata. Esse hanc regionem admodum aptam vitibus nutriendis, affirmavit *Plinius Secundus* lib. XVII. cap. IV. ubi de variis soli proprietatibus, maxime aptis ad easdem fœcundandas, scripsit ad hunc modum: *A cœlo proximum est terræ dixisse rationem, haud faciliore tractatu: quippe non eadem arboribus convenit & frugibus plerumque: nec pulla, qualem habet Campania*, (de terra pulla uberius dicturi sumus in sequentibus) *ubique optima vitibus, aut quæ tenues exhalat nebulas.* Sed *Virgilius* dixit, tenuis nebulæ exhalationem, quæ aliis locis nocere vitibus solet, heic multum iisdem prodesse; ut intelleximus ex ejus versibus, quos supra attulimus.

Virgilius & Plinius Secundus collati.

> *Quæ tenuem exhalat nebulam fumosque volucres,*
> *Illa tibi lætis intexet vitibus ulmos:*

Et harum quidem ARBUSTA conserta erant ex populis: item ex ulmis.

Ad cujus verba alludere voluit *Plinius*. Verum hice auctores, qui hic nihil dissentiunt, etiam non videntur mihi inter se discordare, ubi idem Poëta dixit, vites in nostris agris lætas intexi ulmis; *Plinius* autem de iisdem vitibus ita scripsit lib. XIV. cap. I. *In Campano agro populis nubunt, maritasque complexæ, atque per ramos earum procabibus brachiis geniculato cursu scandentes, cacumina æquant, in tantum sublimes, ut vindemitor autoratus rogum ac tumulum excipiat.* Neque enim *Plinius* ab se ipso dissentit, ubi lib. XVII. cap. XI. modum indicans conserendi ulmos, (& ad quem credimus alium finem, quam ad vites in arbustis sustinendas?) demonstravit; illas etiam conseri in Campania: Verba ejus hæc sunt: *Maritas ulmos autumno serere utilius, quia carent semine: nam eæ e plantis seruntur.* Et mox: *Sulco, qui novenarius dicitur, altitudine pedum trium, pari latitudine: & eo amplius circa positas pedes terni undique e solido adaggerantur. Arulas id vocant in Campania.* Atque adeo ex populis & ulmis separatim conserebantur arbusta nostra, ut etiam hodieque fieri, solet, pro locorum varietate. Et arbitror ego *Virgilium*, quo exemplum nobis ante oculos poneret arbustorum insigniter fœcundorum, tantum ulmos commemoravisse, respicientem ad agri Falerni, optimorum vinorum feracissimi, arbusta, quæ mea sententia ex ulmis erant conserta, si hodiernus usus, qui in tota ultra Volturnum regione obtinet, idoneo potest esse argumento moris prisci. Nam & *Iuvenalis*

Plinius Secundus secum & cum Virgilio conciliatus.

Ex his maxime agri Falerni arbusta.

Juvenalis illustratus. *nalis* eundem non obscure indicavit hisce *Satyræ* II. versibus:

—— —— *poscitque maritum*
Pastores, & ovem Canusinam, ulmosque Falernas:

præterquam quod *arbores*, ut dixit *Plinius Secundus* lib. XVII. cap. XXIII. *eliguntur*, *prima omnium ulmus*. Eodem in tractu, & alibi quoque vulgus easdem ulmos proprio vocabulo appellat *Aruolas*, forsan ab istis *Arulis Plinii*: licet vulgus nostrum omnes promiscue plantas eodem nomine dicat, a corrupto communi vocabulo Latino *Arbor*. Verum certe ulmi inter alias arbores nullam habent prærogativam, propter quam credi debeant dictæ fuisse *Aruolæ* ab isto potius nomine generali, quam ab istis *Arulis Plinii*, quæ speciatim ad ipsas pertinebant. Jam cum ex arbustis atque vineis suis, de quibus jam dicere pergam, Campania sua habuerit vina, maxime omnium laudatum fuit vinum arbustivum, ut ex *Polybio* intelligemus, de vino Campano ubi agetur.

Virgilius illustratus, & collatus cum Plinio Secundo.

Præter arbusta habuit etiam VINEAS *Campania*,

Insuper satis heic frequentes fuerunt vineæ, quarum mentionem fecit idem *Plinius* lib. XVIII. cap. XXXIV. ubi de vento Aquilone Sermonem habens, ita de illo admonuit: *In hunc Asiæ, Græciæ, Hispaniæ, maritimæ Italiæ, Campaniæ, Apuliæ arbusta vineæque spectent.* Et lib. XIV. cap. VI. loquutus est de vinis vinearum Surrentinarum, quæ verba paulo post afferemus. Etiam *Varro* lib. I. cap. VIII. *De re rustica* diserte loquutus est de vineis agri Falerni, ubi de illis agit, quæ appellabantur *jugatæ*, deque aliis, quæ *pedamenta* dicebantur. Verba ejus hæc sunt: *Vinearum nomina duo: pedamenta & juga. Quibus stat rectis vinea, dicuntur pedamenta; quæ transversa junguntur genera fere quatuor: pertica, arundo, restes, vites. Pertica, ut in Falerno: arundo, ut in Arpino: restes, ut in Brundisino: vites, ut in Mediolanensi.* In Falerno etiam erant arbusta, deque illis atque iisdem vineis loquutus est *Livius* lib. XXII. cujus verba aliquanto post afferemus.

Quæ in agro Falerno peculiaris erant generis.

Ceterum rodebantur in Campania vites a Byturis.

Sed licet in Campania singulari quadam diligentia, ut deprehendi potest ex illis, quæ diximus, ad vitium curam attenderetur, infestabantur illæ tamen ab animalculis quibusdam, quæ dicebantur *Byturi*: qua de re *Plinius* lib. XXX. cap. XV. *Ciceronem* citavit auctorem hisce verbis: *M. Cicero tradit, animalia byturos vocari, qui vites in Campania erodant.* Videatur de illis *Aldrovandus* in *Prolegomenis* librorum *De insectis*.

Cognitæ quidem, sed non celebres fuerunt in Campania hæ UVÆ: SIRCULA, POMPEJANA, HORCONIA, & GEMELLA:

Ex uvis quoque nostris *Plinius* lib. XIV. cap. II. *Sirculæ*, *Pompejanæ*, & *Horconiæ* mentionem fecit unica loquendi periodo. Præter hæc tria uvarum genera deprehendo ab ipso & *Columella* speciatim fieri mentionem uvarum *Gemellarum*, quæ neque solummodo nostræ erant, neque ex nostris, si recte video, præstantiores: *Veniculam*, dixit *Plinius*, *inter optime deflorescentes, & ollis aptissimam, Campani malunt Sirculam vocare: alii Staculam: Tarracini Numisianam, nullas vires proprias habentem, sed totam perinde ac solum valeat. Surrentinis tamen efficacissima testis Vesuvio tenus: ibi enim Murgentina e Sicilia potissima, quam Pompejanam aliqui vocant*, (Pompeji inter Vesuvium & Surrentum oppidum fuit, ejusdem *Plinii* temporibus terræ motu exstinctum, a quo uvam illam istud nomen oportet accepisse) *Latio demum feracem: sicut Horconia in Campania tantum utilitatis ubariæ, sed ubertate præcipua.* Huc usque *Plinius*. Ceterum fœcunditas vitium duobus modis considerari potest: sive quod pluries producant uvas uno eodemque anno, sive quod simul & semel producant uvas magna copia. Si Horconia fuit ex uvis primi generis, videri possit illa non fuisse diversa ab uva Falerna, de qua loquutus est *Poeta* iste facetus apud *Terentianum Maurum* hisce versibus:

Ex quibus Horconia *fuit ubertate præcipua, sed satis vilis.*

Vetus Poeta apud Terentianum Maurum illustratus.

Atque ille Poëta Faliscus,
Quom ludicra carmina pangit:
Uva, uva sum, & uva Falerna,
Et ter feror, & quater in anno.

Sed ille forsan sub metaphora uvæ Horconiæ, quam vilem admodum more Poëtico introducebat gloriantem de ubertate, seque ipsam æquiparantem uvæ Falernæ, irridere voluit quendam suorum temporum scriptorem, fœcundum scriptis (forte Poëticis) vilissimi pretii. Nam de uva Falerna, quantum quidem ego sciam, non fuit proditum ab quoquam veterum, eam ejusmodi fuisse naturæ: & ecquis est, qui ignoret vini Falerni celebritatem? Etiam satis fœcundæ fuerunt istæ vites, quæ *Gemellæ* dictæ fuerunt, quia semper ferebant geminas seu duplices uvas. Et hæ quidem diversi fuerunt generis, & minor illarum insigniter in Vesuvio Surrentinisque montibus germinabat. *Aliæ duæ geminæ* (dixit *Columella* lib. III. cap. II. *De agricultura*, ubi de vitibus loquitur) *quæ ab eo, quod duplices uvas exigunt, Gemellæ vocantur: austerioris vini, sed æque perennis. Earum minor vulgo notissima, quippe Campaniæ celeberrimos Vesuvii colles Surrentinosque vestit. Hilaris inter æstivos Favonii flatus. Austris affligitur.* Eodem modo loquutus est *Plinius Secundus* lib. XIV. cap. II. *Ex iis minor Austro læditur, cæteris ventis alitur; ut in Vesuvio monte, Surrentinisque collibus.* Verum hæce uvæ Gemellæ non potuerunt eædem fuisse aut ejusdem vilitatis, cum uva Horconia: quandoquidem *Plinius* separatim de illis & modo diverso fuit loquutus: neque iste etiam *Poëta* vetus serio dixisse de nobili quadam uva potuit. Porro autem cum de Surrentinis quidem montibus hoc sit verum Gemellas vites in illis non potuisse lædi, ab Austro, eædem tamen videri possint ab illo damnum sensisse certe in Vesuvio, ad cujus radices mari imminebat Herculaneum oppidum, de quo *Strabo* dixit lib. V. *Africo mirifice perspiratur, ut salubris inde ibi fiat habitatio.* Verum auctores illi loquuti fuerunt de latere montis istius, quod versus Occidentem spectat & Septentrionem, & versus illam cœli partem, quam Surrentini quoque montes respiciunt, secundum descriptionem, quam de illorum situ *Galenus* reliquit *Methodi* lib. V. cap. XII. *Porro* (ita habet interpres ejus, Surrentinum promontorium describentis) *totum id latus collis est satis magnus, longitudine ad Tyrrhenum mare porrectus. Inflectitur autem leniter collis hic ad Occasum, nec in Meridiem in totum plane procurrit. Ergo hic collis a ventis iis, qui ab Ortu flant, Euro, Subsolano, & Borea tantum defendit sinum.* Et ita de Vesuvio: *Omnibus vero ventis, qui ab Arcto ad Æstivum Occasum perflant, Vesuvius collis objicitur.* Et de hisce jam sufficiat: nam oportet jam ex hisce uvis exprimere celebre nostrum vinum Campanum in genere suptum, & deinde speciatim alia nostra vina, quæ itidem fuerunt multum laudata.

Etiam Gemella satis fuit fœcunda, sed maxime in Vesuvio Surrentinisque montibus:

Id est, in istis eorum partibus, quas non afflabant Austri.

Columella & Plinius Secundus illustrati.

Et satis ampla, sed certa, est illa vini Campani laus, cujus argumentum peti potest ex *Ulpiani Jurisconsulti* verbis *Digestorum* lib. XIX. Tit. II. l. XII. ubi ille exemplum afferre volens vinorum, quæ ex uno in alium locum transferebantur, usus ad illud est vino Campano. Idem *Digestorum* lib. XLV. Tit. I. l. LXXV. & cum eo *Paulus Jurisconsultus* lege præcedenti, loquentes de certis & incertis stipulationibus, itidem a vino Campano exemplum desumpserunt, cujus frequens esse debebat negotiatio inter mercatores, quo

VINUM CAMPANUM, a mercatoribus translatum in varias orbis partes,

Ulpianus & Paulus Jurisconsulti

fulti collati cum Plinio Secundo.

quo illud iterum venderent exteris in regionibus: atque adeo magna fuit heic ejus copia, & magna ubique æstimatio ejus. Cum his optime concordat *Plinius Secundus*, qui lib. III. cap. V. laudes Campaniæ nostræ exponens, quæ ab sinu Sinuessano incipiebat, ita dixit: *Ab hoc sinu incipiunt vitiferi colles; & temulentia, nobilis; succo per omnes terras inclyto.* Hinc *Martialis* ex omnibus vinis primum locum facile concessit Campano, ubi lib. XIII. *epigr.* CXIII. Tarracunensi suam quoque laudem tribuit, eique secundum locum concessit.

Primum inter vina locum obtinuit.

Tarraco, Campano tantum cessura Lyæo.
Hæc genuit Tuscis æmula vina cadis.

Et ab illo nihil diversus *Auctor* unius ex *Glossariis*, quæ publicavit *Henricus Stephanus*, itidem vinum Campanum antepos uit omnibus aliis in catalogo vinorum celebrium, quæ ille recensuit ordine secundum præstantiam quodque suam. Etiam *Sidonius*, ubi res varias enumeravit, quæ aut ab natura, aut ab industria humana, variis partibus orbis maxime laudatæ erant & singulares, Campaniæ vinum inter illas reposuit.

Martialis & Sidonius collati.

Arma Chalybs, frumenta Libys, Campanus Iacchum.

Vinum, quod nascebatur circa Capuam, laudatum super omnia alia.

Sed quoniam veteres commemoraverunt & laudaverunt varia simul vinorum nostrorum genera, quibus hoc solummodo inter se commune fuit, ut notavit *Plinius Secundus* lib. XXIII. cap. I. quod *Campaniæ quodcunque tenuissimum* erat; an forte illis communis etiam fuit ista principatus prærogativa? an vero hæc propria fuit singulari cuidam vino Campano, quod intellectum fuit sub hoc nomine communi? Si ad verba *Polybii* apud *Athenæum* lib. I. attendamus, hoc adeo celebre fuit *Capuæ* urbis vinum: nam ille *excellens vinum)* verba sunt *Athenæi*, Latine reddita ab *Dalecampio*) *Capuæ nasci scribit*, Ἀναδενδρίτην, *nuncupatum*, (Latine diceretur *Arbustivum*) *quo cum nullum sit comparandum.* Atque hoc inde confirmari videtur, quod idem *Athenæus* magnopere laudavit vinum *Caulinum*; (ita idem *Dalecampius* Latine reddidit vocabulum Καυκῖνος) quod simile dixit esse celeberrimo vino Falerno: *Caulinum Falerno simile, ac generosum est.* Nascebatur Caulinum juxta Capuam, ut *Plinius*, quem sæpius citavimus testatur, licet ille affirmet, illi demum sua ætate celebritatem accessisse. Sed responderi possit, per cultorum negligentiam seculis præcedentibus (vixit autem *Polybius* circiter CCL. annis ante *Plinium*) & copiam ejus & famam fuisse imminutam. Sane *Delecampius* licet ad tot tantasque res non attenderit, sibi persuasit tamen, de uno eodemque vino loquutos fuisse *Athenæum* & *Polybium*. Ceterum *Plinii* lib. XIV. cap. VI. hæc sunt verba: *Campania nuper excitavit novis nominibus auctoritatem: sive cura, sive casu. ad quartum a Neapoli lapidem Trebellicis: juxta Capuam Caulinis: & in suo agro Trebulanis: alioqui semper inter plebeja, & Trifolinis gloriata.* Hæc vina *Caulina* nomen ego accepisse arbitror ab loco, in quo nascebantur, qui *Caulum* dicebatur, & erat *juxta Capuam*, id est, satis prope mœnia priscæ urbis nostræ, versus Cumas & Puteolos, ab utroque latere viæ Consularis, quam sæpius descripsimus. Atque hic olim fuisse vicum, eodem modo appellatum, videor mihi manifeste colligere posse ex hodierno tractus ejusdem nomine, qui corrupte appellatur *Vicaudo* pro eo, quod recte & integre dicendum erat *Vico Caulo:* vina autem, quæ ibidem nascuntur, hodieque inter alia nostra vina satis in pretio sunt. Verum si maxime ego cuperem supra exterarum regionum vina extollere Capuæ vinum,

Prope cujus mœnia, in loco, cui nomen Caulo, nascebatur Caulinum, quod satis fuit laudatum;

Non fuit unum idemque vinum:

non opus haberem celebre vinum Campanum ad peculiarem quendam agrum nostrum restringere, hoc argumento, quod ille urbi nostræ admodum vicinus erat. Integra enim Campania ad Capuam ejusque cives pertinuit, ut pluries notavimus. Atque hinc neque *Polybium* ego arbitror loquutum fuisse de Caulino; aut in specie de quoquam alio vinorum Campanorum: sed in genere de omni vino, quod in regione circa Capuam nascebatur in arbustis, de quibus diximus: quam ob causam ille hoc dixit Ἀναδενδρίτην, *Arbustivum.* *Athenæus*, qui *Caulinum*, sive *Caucinum* simile dixit esse Falerno, cum illo commutavit, si quid video, *Gaurani* nomen, quod alioquin satis ipsi fuit notum. *Nam* (verba sunt *Plinii Secundi* lib. XIV. cap. III. ubi de vitibus loquitur) *Gauranas scio a Falerno agro translatas, vocari Falernas, celerrime ubique* (id est, omnibus in locis, præterquam in monte Gauro) *degenerantes* Et ejusdem libri cap. VI. ubi de vinis generosis disserit, ita dixit: *Certant Massica* (hæc eadem sunt, quæ vina Falerna: appellantur autem duplici hoc modo, perinde ut promiscua fuerunt nomina Massici montis & Falerni) *æque ex monte Gaurano Puteolos Bajasque prospectantia. nam Falerno contermina.* Atque adeo Gauranum fuit quasi quædam Falerni species, sicut & *Faustianum* fuit. *Antea* (dixit idem auctor loco citato) *Cæcubo erat generositas celeberrima, quod jam intercidit. Secunda nobilitas Falerno agro erat; & ex eo maxime Fausliano: cura culturaque id collegerat. Exolescit hoc quoque, copiæ potius quam bonitati studentium. Tria ejus genera: austerum, dulce, tenue. Quidam ita distinguunt: Summis collibus Gauranum gigni, mediis Faustianum, imis Falernum.* Ita hic auctor, ex cujus verbis forte ortus est error, quo Gaurus & Massicus, qui dictus etiam Falernus, crediti fuerunt fuisse unus idemque mons, & diversis in locis, qua de re suo loco copiose disputavimus. Atque hinc arbitror, *Latinum* quoque *Pacatum* non distinxisse alterum ab altero vinum, ideoque dixisse in *Panegyrico* suo ad Theodosium Imperatorem, singulare Campaniæ nostræ decus esse Gaurum montem. Fuerunt enim hujus quidem vina multum laudata ab *Silio* lib. XII. & *Galeno* lib. I. cap. III. *De antidotis*, quorum verba retulimus in ejusdem montis descriptione; attamen sine ullo dubio multo celebriora fuerunt pretiique majoris vina Falerni montis. *Sint, ut scribitur* (dixit *Pacatus*) *Gargara proventu læta tritici: Mevania memoretur armento: Campania censeatur monte Gaurano: Lydia celebretur amne Pactolo* &c. Itaque non jam *Caulinum*, sed *Gauranum* fuit istud vinum simile Falerno: neque idem etiam *Caulinum* fuit vinum istud *Campanum*, quod præter omnia alia fuit celebratum.

sed in genere omne illud, quod in arbustis Campaniæ nascebatur.

Polybius illustratus.

Dalecampius refutatus.

Caulinum *autem forte confusum fuit cum* Gaurano, Atheneus notatus.

Quod quædam quasi Falerni species fuit.

Ideoque propter eorum similitudinem Gaurum Campaniæ decus singulare nonnemo judicavit.

Latinus Pacatus notatus.

Inter vina Campana a *Plinio Secundo* *Trifolinum* quoque numeratum simul & laudatum est; quod tamen non multum commendavit *Martialis* lib. XIII. *epigr.* CXIV.

Non sum de primo, fateor, Trifolina Lyæo.
Inter vina tamen septima vitis ero.

Galenus loco, quem supra citavimus, Trifolinum in colle juxta Neapolim nasci dixit. Insuper idem *Plinius* *Trebellicum* laudavit, itidem vinum Neapolitanum, de quo non satis scio an idem quoque *Galenus* dicere voluerit loco, quem diximus, & item *Methodi* lib. XII. cap. IV. de Neapolitano loquens *Amineo.* Etiam *Surrentinum* *Æquanum* satis fuit in pretio, de quo ita *Silius* lib. V.

—— —— felicia Baccho
Æquana, & Zephyro Surrentum molle salubri.

Verum *Martialis* lib. XIII. *epigr.* CV. quem afferemus,

Ex vinis Neapolitanis olim celebre fuit TRIFOLINUM, *licet non perinde apud omnes: item* TREBELLICUM, *quod alii fortasse dixerunt* AMINEUM.

Etiam satis in pretio fuit ÆQUANUM Surrenti, dictum Surrentinum: sed itidem non perinde apud omnes.

remus; ubi de rebus ad artificia spectantibus agetur, *Proculus Jurisconsultus Digestorum* lib xxxiv. *Tit.* vi. l. xvi. *Galenus* utroque loco, quem citavimus, &, ut omnes alios taceam, *Plinius Secundus* lib. xxiii. cap. i. varia nec satis certa laude absolute dixerunt illud *Surrentinum*. *Plinii* verba hæc sunt: *Surrentinum veteres maxime probavere: sequens ætas Albanum, aut Falernum.* Et lib. xiv. cap. vi. *Surrentina in vineis tantum nascentia, convalescentibus maxime probata propter tenuitatem salubritatemque. Tiberius Cæsar dicebat, consensisse medicos, ut nobilitatem Surrentino darent: alioquin esse generosum acetum; C. Cæsar, qui successit illi, nobilem vappam.* Ita ille. Etiam *Strabo*, cujus verba paulo post afferemus, lib. v. nobis exposuit, variam fuisse variis temporibus, licet alia de causa, hujus vini æstimationem. Sed quidnam de eo jam dixit *Galenus*? *De Surrentino autem* (verba sunt interpretis) *quid me dicere opus est? quod omnes sciunt ante annum ferme vegesimum crudum adhuc esse: vigesimo enim tandem anno viget, potuique aptum diu perseverat: nec facile amarescit, præstantiaque cum Falerno contendit.* Forte ille non loquutus est respectu vovoluptatis, quæ hujus vini erat in bibendo: sed ut medicus, exponere voluit, quidnam illud noceret aut prodesset sanitati: quocum satis conveniunt ista Tiberii & *Plinii* dicta, quæ jam retulimus. Neque alio modo lib. i. *Athenæus* affirmavit mea quidem sententia, sive jam intellexerit ille Caulinum, sive quodcunque aliud vinum, vinum Capuæ multum simile esse Surrentino; qua nihilominus de re judicium penes medicos esto. neque enim ego constitui de vinis nostris disputare. secundum illam, quæ nihil ad me pertinet, accuratam illorum observationem.

Idem simile fuit Capuæ vino.

Verum temporibus antiquioribus maxime in pretio fuerant FALERNUM, STATANUM, & CALENUM,

Ceterum *Strabo*, Campaniam describens, ejusque extollens fœcunditatem, ex vinis ejus solummodo memoravit *Falernum*, *Statanum*, *Calenum*, & *Surrentinum*. Et Surrentinum quidem nuper temporibus suis ad magnam celebritatem processisse dixit: unde apparet, sicut & *Plinius* affirmavit, indies novas accessisse vinis laudes, quæ antea prorsus ignobilia fuerant. Verba ejus Latine ita habent: *Vinum optimum hinc habent Romani: Falernum, Statanum, Calenum. atque hodie Surrentinum quoque his non cedit, quod ætatem ferre nuper est exploratum.* Et de Surrentino quod dicam, non mihi restat aliud. Ceterum *Calenum*, quod nascebatur in territorio Calium, quæ nunc *Calvi*, eodem modo, quo Falernum, *Horatius* memoravit nobilissimi vini loco, ut notavimus in *Dissertatione* præcedenti. Atque adeo propter illorum non disparem celebritatem, addita ipsorum agrorum vicinitate, non adeo mirum est eorum nomina nonnunquam fuisse confusa inter se aut permutata. Idem credi potest de vino *Statano*, quod descripsit nobis *Plinius Secundus* lib. xiv. cap. vi. itidem Caleno conjunctum, sed cujus proprium solum hodie prorsus est ignotum; *Statano*, dixit ille, *ad principatus venere non dubie, palamque fecere, sua quibusque terris tempora esse, sicut rerum proventus occasusque. Juncta his præponi solebant Calena.* De vino *Falerno*, quod *Strabo* primo loco recensuit, & omnes alii magnifice laudaverunt, & cujus nomine, ut aliquanto ante notavimus, Gauranum quoque & Faustianum comprehendebatur, nonnisi sigillatim est dicendum. Et propter ejus abundantiam juxta & celebritatem insignem ego arbitror, illud potius, quam quodlibet aliud vinum nostrum speciatim intellexisse multos illorum, qui in genere laudaverunt *vinum Campanum*. Jam de *Pompejanis* nostris taceo, quæ *Plinius*, quem non

Quæ forte propter suam non disparem præstantiam, ut & vicinitatem, nonnunquam unico nomine dicta fuerunt FALERNA.

Ceterum omnium vilissimum

A multo post afferemus, non multum laudavit.

fuit POMPEJANUM.

V. *Falernum Felicis Campaniæ vinum celebratum præter vina omnium aliarum terrarum. Pyza Falerna. Succinum Falernum. Longa vini Falerni ætas. Vinum Opimianum. Vinum Amineum.*

Communi nomine vini CAMPANI demonstratum fuit FALERNUM,

IGitur apud *Servium* certe vinum *Campanum* non aliud est, quam *Falernum*. Hic enim ad istos *Virgilii* versus lib. ii. *Georgicorum*, in quibus ille de nobilibus uvis loquitur:

—— —— *Et quo te carmine dicam,*
Rhætica? nec cellis ideo contende Falernis,

ita commentatus est: *Hanc uvam* (Rhæticam intelligit) *Cato præcipue laudat in libris, quos scripsit ad filium. Contra Catullus eam vituperat, & dicit, nulli rei aptam esse, miraturque, cur eam laudaverit Cato. Sciens ergo utrumque Virgilius, medium tenuit, dicens: Quo te carmine dicam, Rhætica? nec cellis ideo contende Falernis. Licet a Catone sis laudata, tamen vino te Campano præferre non debes.* Atque hæc ὑπεροχὴ videtur mihi posse orta esse ex duabus insignibus prærogativis C hujus vini: id est, ex magna copia ejus, magnaque æstimatione. De prima præter ceteros nos admonuit *Martialis* lib. xii. *epigr.* xlvi. ubi demonstrare volens copiosum vinum, hoc dicto usus est:

Propter insignem hujus copiam,

Nec in Falerno monte major autumnus.

Neque modicum sane poterat esse vinum istud, quod ex copiosissimis arbustis atque vineis agri Falerni legebatur: in quem conclusus ab Fabio Maximo Annibal videbat, ut lib. xxii. narrat *Livius*, se haud admodum diu posse in eo stativa agere: *Nam ea regio præsentis erat copiæ, non* D *perpetuæ: arbusta, vineæque, & consita omnia magis amœnis, quam necessariis fructibus.* Sed videri possit hujus vini nobilitas aliquanto fuisse inferior, quam ego prædicavi, quia agri istius, in quo nascebatur, non fuerit prima laus inter omnes alios agros. Dixit enim *Plinius Secundus* lib. xiv. cap. vi. *Secunda nobilitas Falerno agro erat.* Nihilominus non pugnat hic secundus illius locus cum nostris dictis. Neque enim de principatu vinorum aut semper, aut omnium hominum eadem fuit sententia, ut ipse nobis exposuit, ubi de *Caulino* nostro vino, deque aliis, quæ jam indicavimus, est loquutus. Nam, ut ipsis ejus verbis utar, *genera vini alia aliis gratiora esse, quis dubitet? aut non ex eodem lacu aliud præstantius* E *altero germanitatem præcedere, sive testa, sive fortuito eventu? quamobrem de principatu se quisque judicem statuat.* Sed hujus litis ego judex esse nec volo nec possum, cum illam judicaverint ipsi veteres, de quibus jam vidimus ex *Virgilio*: de ejusdem vero principatus simul & copiæ ejus laude jam videbimus ex *Dionysio Halicarnassensi*, *Varrone*, & *Tibullo*. Nam hic quidem lib. i. *Eleg.* ix. agrum ejus *singularem Bacchi curam* dixit in hisce versibus:

quæ colligebatur ex copiosis arbustis atque vineis agri Falerni.

Et in singulari quoque illud fuit, licet vario variis temporibus, & apud varios judices, pretio.

Plinius Secundus illustratus.

Non tibi si pretium Campania terra daretur;
Non tibi si, Bacchi cura, Falernus ager.

F Verba *Dionysii*, quibus ille de singularibus Italiæ dotibus exposuit lib. i. apud interpretem ejus ita habent: *Cui vitiferæ regioni cedunt Etruscus, Albanus, & Falernus, agri, vitibus mirum in modum amici, qui plurimos simul & optimos fructus minimo cum labore facile ferunt?* Et denuo de vino Albano ita dixit: *Excepto Falerno, cætera omnia vina bonitate longe superat.* *Varronis* verba, lib. i. cap. ii. *De re rustica* itidem laudes Italiæ

Tibullus, Dionysius Halicarnassensis, & Varro collati & illustrati.

liæ recensentis, hæc sunt: *Quod far conferam Campano? quod triticum Apulo, quod vinum Falerno? quod oleum Venafro?* Idem apud *Macrobium* lib. III. cap. XVI. *Saturnalium*: *Ad victum optima fert, ager Campanus frumentum, Falernus vinum.* Atque hi auctores agrum illum, qui ferebat hoc vinum, [1] distinxerunt a *Campano*, intelligentes Campaniam Capuanam, non vero Felicem: nam alioquin in eundem agrum Falernum etiam *Campani* nomen conveniebat secundum hanc latiorem, non vero secundum alteram illam restrictiorem descriptionem. Porro autem, si poëta ille vetus, cujus versus retulit *Terentianus Maurus*, quos & nos supra adduximus, loquutus est de propria uva Falerna, etiam ille nobis demonstravit insignem ubertatem ejus atque pretium. Veruntamen perinde vera Falerna & quælibet alia nobilis uva credi sane possunt dictæ fuisse uno eodemque modo, quasi nomine communi. Nam eodem quoque vocabulo nonnunquam appellatum fuit quodvis vinum nobile: atque eo sensu videtur mihi illud accepisse *Latinus Pacatus* in *Panegyrico*, quem & supra citavimus, ad Imperatorem Theodosium, hisce verbis: *Nam delicati illi, ac fluentes, & quales tulit sæpe respublica, parum se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hybernæ poculis rosæ innatassent, nisi æstivam in gemmis capacibus glaciem Falerna fregissent.* Atque eadem hujus nominis usurpatio seculis etiam inferioribus satis fuit frequens, ut apparere potest ex *Gregorio Turonensi* lib. II. cap. XXXV. *De miraculis*, & ex eodem *De gloria confessorum* cap. LXXXIV. ex *Epistola Pauli Diaconi* ad Desiderium regem: ex *Vita S. Maclonii*, sive *Machutis*, cap. IX. ex *Vita S. Romani*, descripta a *Gisleberto* lib. II. cap. XIV. & ex aliis auctoribus, quos silentio præterimus. Eodem quoque modo *Virgilius* ex sententia *Philargyri* ad lib. III. *Georgicorum* cani egregio *Amyclæi* epitheton addidit, *Cressamque* dixit habilem & instructam recte pharetram. Et nos quoque in prima *Dissertatione* ostendimus, Campaniæ atque amœnorum in ea locorum nomina a scriptoribus fuisse quoque aliis locis indita, quæ non absimili censebantur laude. Neque diverso modo pyra quoque ista, si quid video, quæ Plinius inter optima retulit loco Secundo, dicta fuerunt *Falerna*: (*Ruellius* lib. III. cap. VI. hæc esse pyra illa arbitratur, quæ hodie dicuntur *Bergamottæ*) nam lib. XV. cap. XV. de illis ita scripsit: *Cunctis Crustumina gratissima. proxima iis Falerna a potu: quoniam tanta vis succi abundat. Lactea hæc vocantur, in iisque alia colore nigro donant Syriæ.* Etiam propter ejusdem vini celebritatem *Falerni* nomine dictum fuit, etsi neque esui, neque potui aptum, solummodo quia colorem ejus referebat, *succini*, quod nobis *ambra*, genus quoddam. Audiatur idem auctor, qui de Succinis lib. XXXVII. cap. III. ita dixit: *Summa laus Falernis, a vini colore dictis: molli fulgore perspicuis.* Ex cujus verbis vicissim intelligere possumus, quinam fuerit vino Falerno color, quod *Martialis* lib. II. *epigr.* XXXVII. *fuscum* dixit:

Condantur parco fusca Falerna vitro.

Lib. autem VIII. *epigr.* LXXVII. nigrum ejusdem colorem notavit:

Candida nigrescunt vetulo crystalla Falerno.

Igitur nullo prorsus pacto negandum esse arbitror, ex copia atque nobilitate vini nostri Falerni factum, ut illud communi nomine *Campanum* etiam diceretur. Nam & propter easdem dotes

Hinc Falernum etiam dicta fuit quælibet nobilis uva, & Falernum quodlibet nobile vinum:

Latinus Pacatus, Gregorius Turonensis, & Gislebertus illustrati.

Et FALERNA, quæ copiosioris, quam alia, succi erant, pyra.

Etiam SUCCINUM FALERNUM dictum ita fuit a similitudine coloris ejus.

Idem Falernum commune vini Latini nomen accepit, ad differentiam veterum vinorum Græcorum.

1. Eandem hanc sententiam retulit auctor in *Dissertatione* I. cap. V. non longe a principio: sed minus probabiliter. Vide, quæ ibi notavimus.

suas ad differentiam laudatissimorum Asiæ Græciæque vinorum appellatum illud fuit *vinum Latinum*, multo adhuc magis universali nomine. Hanc in rem *Silium* auctorem habeo qui ut summam ejus exprimeret laudem, non contentus cum *Tibullo* Falernum quasi *Bacchi curam* prædicare, poëtica fictione Deum istum introduxit in montem sive agrum Falernum delatum, eumque nobili vino fœcundantem: tumque ita subjecit:

—— —— ex illo tempore dives
Tinolus, & Ambrosiis Arvisia pocula succis,
Ac Methymna ferax Latiis cessere Falernis.

Et quid aliud dicere voluit *Plinius Secundus*, ubi vinis transmarinis, quæ itidem Asiatica erant atque Græca, idem Falernum opposuit hisce verbis lib. XIV. cap. XIV. *Diu transmarina in auctoritate fuere, & ad avos usque nostros: quin & Falerno jam reperto.* Atque adeo minus veram esse arbitror illorum opinionem, qui apud *Cœlium Rhodiginum* lib. XXVIII. cap. XXX. crediderunt, Falernum esse hodie illud vinum, quod in monte Vesuvio nascitur, diciturque *Græcum*: satis enim apud veteres diversa fuerunt vina, Græcum & Falernum. Mea sententia hujus montis vinum ejusmodi nomen accepit, non quod in hoc & vicino tractu Neapolitano primum Græci habitaverint, sed ætate demum Longobardorum ab iisdem Græcis Neapolitanis. Neque enim primi Romani vina nostra distinxerunt pro nationum nostrarum varietate, omnibus jam Italiæ locis in Romanum & Latinum nomen transcriptis: sed oportet illa ad hunc modum distincta esse ab Longobardis, quorum in potestate nunquam fuit Vesuvius. Nam hic illorum temporibus ad Neapolitanos pertinuit, ut apparet ex *Capitulari* Sichardi, principis Beneventani, nosque demonstravimus in *Descriptione Beneventani Ducatus.*

Verum ex similitudine vini Falerni cum optimo & temperati fulgoris succino, de quo non multo ante nos edocuit *Plinius*, deprehendi illud potest, quod aliunde quoque non ignotum esse oportebat: nimirum vinum istud, quod ex communi usu, qui temporibus antiquis observabatur in quolibet vini genere, multos per annos in vasis intactum servabatur, ita congelasse denique, ut manifestior & perfectior appareret illa comparatio ejus cum præstantissimo succino, quod proinde *Succini Falerni* nomen accepit. De congelatione ejus nobis auctor est *Plinius Secundus* lib. XIV. cap. IV. quem paulo post afferemus. Atque hinc cum ad minorem illud decoqueret modum, locum habuit istud *Ciceronis* dictum, qui, ut narrat *Macrobius* lib. II. cap. III. *Saturnalium*, *cum apud Damasippum cœnaret, & ille mediocri vino apposito diceret: Bibite Falernum hoc, annorum quadraginta est: Bene, inquit, ætatem fert.* Sed ad dominum major inde redundabat utilitas, si recte intelligo, quod *Varro* dixit *De agricultura* lib. I. cap. LXV. *Genera sunt vini, in quo Falerna: quæ quanto plures annos condita habuerunt, tanto, cum prompta, sunt fructuosiora.* Idem *Plinius*, in hac *Dissertatione* nobis auctor familiaris, lib. XIX. cap. IV. querens de immodico suorum temporum luxu, dixit, ut cunque fuisse tolerabile, *inveterari vina, saccisque castrari: nec cuiquam adeo longam esse vitam, ut non ante se genita potet.* Atque adeo pro vili erat istud vinum, cui aut domini diligentia, aut naturæ beneficio non esset multorum annorum ætas, ut partim ex *Strabone* paulo ante intelleximus exemplo vini Surrentini, partim etiam colligi potest ex eo, quod *Plinius*, de aliis istis Campaniæ vinis exponens, quæ sua ætate ad celebri-

Silius & Plinius Secundus collati & illustrati.

Nam nostri Vesuvii vino Græco hoc nomen indiderunt Longobardi nostri.

Servabatur multos per annos Falernum, ideoque concrescebat: unde ad minorem quidem modum, sed ad majus pretium redigebatur.

Cicero & Varro collati & illustrati.

Veruntamen medici admodum esse noxium dixerunt nimis vetustum bibere Falernum.

lebritatem processerant, dixit de Pompejano: *Summum decem annorum incrementum est, nihil Senecta conferente:* nempe cum in longum tempus servari non posset, neque multum sibi æstimationis, neque domino multum utilitatis pariebat. Ceterum non negligebant admonere medici, vina nimiæ vetustatis, & maxime Falernum, multum nocere valetudini: ex quorum sententia idem *Plinius* lib. XXIII. cap. I. de Falerno ita scripsit. *Nec in novitate, nec in nimia vetustate corpori salubre est. Media ejus ætas a quintodecimo anno incipit. Hoc non in rigido potu Stomacho utile, non item in calido: & in diutina tussi sorbetur merum utiliter jejunis: item in quartanis. Nullo æque venæ excitantur: alvum sistit: corpus alit. Creditum est obscuritatem visus facere, nec prodesse nervis aut vesicæ.* Huc usque *Plinius.* Et *Athenæus* ex *Galeni* etiam opinione ita dixit, ut interpres ejus habet: *Falernum vinum potui anno decimo tempestivum est, & ab anno decimoquinto ad vigesimum. Vetustius autem caput dolore afficit, & nervos tentat.* Consimili modo de mediocris ætatis Falerno loquutus etiam est *Cicero* in *Bruto*, qui comparationem instituit inter præceptum illud medicum, & prudentium oratorum, aut nimis vetustæ, aut recentis nimis ætatis, imitationem, ubi ita dixit: *Thucydides rerum gestarum pronunciatione sincerus, & grandis etiam fuit: hoc forense concertatorium judiciale non tractavit genus. Orationes autem, quas interposuit, (multæ enim sunt) eas ego laudare soleo: imitari neque possim, si velim, nec velim fortasse, si possim: ut si quis Falerno vino delectetur: sed eo nec ita novo, ut proximis consulibus natum velit, nec rursus ita vetere, ut Opimium aut Anicium consulem quærat.* (vinum L. Opimio consule natum, de quo jamjam acturi sumus, antiquitate vincebat omnia alia: L. Anicius autem aliquanto ante illum consul fuit) *Atqui eæ notæ sunt optimæ: credo. Sed nimia vetustas nec habet eam, quam quærimus suavitatem,* (gratam nempe temperantis palato) *nec est jam sane tolerabilis.* (hominibus scilicet sanis) *Num igitur, qui hoc sentiat, si is potare velit, de dolio sibi hauriendum putet; minime: sed quandam sequetur ætatem. Sic ego istis censuerim & novam istam, quasi de musto ac lacu fervidam orationem fugiendam, nec illi præclaram Thucydidi nimis veterem, tanquam Anicianam notam persequendam.* Ita Cicero.

Cicero cum Plinio Secundo collatus & illustratus.

Longa vini Falerni ætas ambitiose ostentata fuit in cœnis.

Nihilominus, ut indicatum est, tanto majori in pretio fuit Falernum, quanto illud majoris erat vetustatis: & ad hanc cum multa cum cura attenderent veteres, hoc illi singulare esse & proprium existimaverunt; ut servari posset quolibet alio vino diutius. Hanc ob causam *Petronius Arbiter*, describens *Satyrici* cap. XXXIV. quandam ambitiosam cœnam, finxit in triclinium fuisse illatas vitreas amphoras, *diligenter gypsatas, quarum in cervicibus pittacia erant affixa cum hoc titulo: Falernum Opimianum annorum centum. Franciscus Pithœus* in *Notis* ad hunc locum reprehendit eo nomine auctorem dixitque: *Non admodum convenienter additum est: annorum centum*; & de vino Falerno allegavit verba *Ciceronis in Bruto*, quæ modo retulimus. Verum modo intelleximus etiam fuisse medicos, qui longævum Falernum vituperabant: his autem non præbebant aurem, qui eo delectabantur, atque illud, quasi ad ostentationem majori in pretio habebant. Potius itaque *Satyricus* iste mihi videtur illius vanitate, qui istam dabat cœnam, notare voluisse communem sui seculi vanitatem, qua multi convivis suis apponere solebant falsis antiquissimorum vinorum titulis additis vina, quæ aut nullius erant, aut minoris multo vetustatis. Argute notavit hoc *Martialis* lib. VII. *epigr.* LXV.

Franciscus Pithœus refutatus. Petronius Arbiter defensus & illustratus.

Sed pro vetusto etiam apponebatur, quod nullius erat antiquitatis.

Potavi modo consulare vinum.
Quæris, quam vetus atque liberale?
Ipso consule conditum: sed ipse,
Qui ponebat, erat, Severe, consul.

Martialis pluribus locis illustratus.

In collis autem sive oribus istorum vasorum *Petronianorum* non debebat legi signatus annorum numerus, quos istud vinum habebat, sed ille duntaxat annus, quo conditum erat & sigillis clausum, ut alioqui fieri solebat. Porro quod ad hoc argumentum attinet de conservando ad hunc modum Falerno loquutus est *Martialis* lib. XIII. *epigr.* CVI. licet illud appellaverit communi nomine *Massici*, quod idem valebat, ut sæpe monuimus:

De sinuessanis venerunt Massica prælis
Condita quo, quæris, consule? nullus erat.

Et lib IX. *epigr.* LXXIV. ad longissimam ejus ætatem alludens, *immortale* illud appellavit hoc versu:

Addere quid cessas, puer, immortale Falernum?

Neque *Petronius* isto *Falerni Opimiani* vocabulo, quod in usum venit per occasionem, quam nobis indicavit *Plinius Secundus* lib. XIV. cap. IV. aliud intelligere voluit, quam longam istius vini, quod apponebatur, vetustatem, quam convivis persuadere volebat convivator. Verba *Plinii*, quibus etiam multa illorum, quæ jam diximus, indicantur, hæc sunt: *Anno fuit omnium generum bonitas, L. Opimio consule cum C. Gracchus Tribunus, plebem seditionibus agitans, interemptus, ea cœli temperies fulsit, quam cocturam vocant: Solis opere, natali Urbis* DCXXXIV. *durantque adhuc vina ducentis fere annis, jam in speciem redacta mellis asperi: etenim hæc natura vinis in vetustate est, nec potari per se queunt, nisi pervincat aqua, usque in amaritudinem carie indomita. Sed cæteris vinis commendandis minima aliqua mixtura medicamenta sunt: quo fit, ut ejus temporis æstimatione in singulas amphoras centeni nummi statuantur.* Huc usque *Plinius.* Atque adeo de nomine consulis *Opimii* dicta fuerunt ista vina, quæ ipso consule maxima copia fuerunt collecta, & in vasis integra duraverunt ultra centum annos. Atque horum antiquitas omnium aliorum superabat ætatem: nam ab eo tempore, ut idem auctor ejusdem lib. cap. XIV. affirmavit, mos ille deinde est ortus, *jam intelligente suum bonum Italia: nondum tamen ista genera in claritate erant: itaque omnia tunc genita unum habebant consulum nomen.* Sed hoc si verum est, *Petronii* Falernum Opimianum, quod centum esse annorum perhibebatur, manifeste aut verum non erat Opimianum, aut si videri poterat esse verum, credere necesse erit auctorem illum vixisse centum annis post Opimium consulem, id est, anno ab Urbe condita DCCXXXIV. cum illi vulgo tribuatur serior ætas, atque hæc ad ejusdem epochæ annum DCCC. referatur, volunt enim vixisse eum imperante Nerone. Ceterum *Plinio*, qui sua ætate genuinum Opimianum superesse asseveravit, elapsis jam ab isto usque consule annis ferme ducentis, aperte contradicit *Vellejus* noster. Hic enim lib. II. negavit, vinum servari potuisse vel per CL. annos, ubi de eodem Opimio dixit, eum fuisse illum, *a quo consule celeberrimum Opimiani vini nomen, quod jam nullum esse spatio annorum colligi potest., cum ab eo sint anni* CLI. Certe de Falerno, quod *immortale* nuncupavit *Martialis*, Damasippus ille apud *Macrobium* loco paulo ante allegato dixit, se convivis præbere quadragenarium, quasi illud satis provectæ esset ætatis: quanquam *Strabo* lib. XI. quædam Asiæ vina refert

Falernum OPIMIANUM *dicebatur quodcunque vinum, quod L. Opimio consule natum, & diutissime servatum erat.*

Ætas Petronii Arbitri illustrata.

Sed non omnes crediderunt, illud servari potuisse in tantum usque tempus.

Vellejus a Plinio Secundo discors.

fert servata esse per tres ætates integras, quæ comprehendere solent centum annorum spatium. Atque hæc sufficiant de vino Falerno, copiosissimo simul laudatissimoque, & ex longa ætate, licet noxio, attamen multo majoris æstimato, ideoque pretii carissimi. Igitur de Falerno, quod tanto rarius erat, quanto antiquius, disputationem finimus *Diodori Siculi* verbis lib. XXXVI. apud *Constantinum Porphyrogenitum*: *Vini Falerni amphora centum denariis venibat.* Ceterum de illo deque aliis vinis nostris omnia veterum auctorum testimonia colligere nolui: quandoquidem illa nihil amplius, quam intelleximus jam indicantia, magis tædio, quam voluptati forent.

Vinum ex vitibus AMINEIS natum, quæ creditæ fuerunt ex Thessalia in agrum Falernum fuisse translatæ ab Amineis.

Sed nondum mihi excidit, in *Dissertatione* præcedenti de agro Falerno agentem non recusavisse, quo minus possit esse verum, incoluisse illum Amineos, populos ex Thessalia advectos, eosque in illum transtulisse vites suas, & eorundem quoque nomine quondam appellatum fuisse hunc tractum: quam in rem auctores ibidem citavimus *Macrobium* & *Aristotelem.* Et igitur vinum Amineum, cujus sæpe mentionem fecerunt auctores Græci & Latini, videri possit idem fuisse cum Falerno vinum. Verum hoc nemo unquam affirmavit: imo *Virgilius* manifeste hæc vina ab invicem distinxit versibus illis lib. II. *Georgicorum*, quibus de uvis atque vinis nobilioribus exponit:

Diversum fuit a Falerno vinum.

—— —— *Et quo te carmine dicam,*
Rhætica? nec cellis ideo contende Falernis.
Sunt & Amineæ vites, firmissima vina.

Insuper cum vinum Falernum proprie non alibi provenerit, quam in Campaniæ nostræ agro Falerno, & quodammodo etiam in monte Gauro: Amineum contra commune fuit locis pluribus vinum, varii quidem generis secundum varietatem soli, quæ multum potest ad immutandam vitium naturam: licet *Palladius* lib. III. cap. IX. *De agricultura* dixerit, singularem esse vitium Aminearum prærogativam, *quod ubicunque sint, vinum pulcherrimum reddant.* Hinc solus *Columella* lib. III. cap. IX. Amineum tribuit agro Ardeatino, Carseolano, atque Albano: iterum alii aliis regionibus. Sed non omnes *Palladii* astipulantur sententiæ, aut unam eandemque Amineo laudem tribuunt. *Galenus* lib. I. cap. III. *De antidotis* illud in collibus juxta Neapolim nasci scripsit, *sed tenue, nec tale, quale in Sicilia & Bithynia nascitur.* Atque hæc verba illam mihi dubitationem eximunt, an ille forsan loquutus esse potuerit de vino Vesuvii montis, ex uvis Gemellis expresso, quas *Plinius Secundus* numeravit inter Amineas, de quibus jam diximus. Igitur hoc quidem verum erit, Thessalos Amineos, id est, Pelasgos, ex Thessalia in agrum, qui deinde dictus est Falernus, advectos esse, ut ex opinione *Dionysii Halicarnassensis* indicavimus in præcedenti, & latius ostensuri sumus in sequenti *Dissertatione*: sed eos secum adduxisse istuc vites suas, hanc oportet esse conjecturam grammatici cujusdam, qui nominum similitudini insistens existimavit, uvam ac vinum Amineum, quod deinde sparsum est per varias regiones, primum fuisse ab Amineis Thessalis in Campaniam delatum: quasi scilicet vites Amineæ non potuissent deinde translatæ esse in Italiam, cum ejus vini notitia illuc pervenisset, quod multo probabilius est, temporibus longe serioribus. Ceterum numeratur certe Amineum inter Græca vina, prout videtur mihi intelligendum esse edictum illud Censorium, P. Licinii Crassi, & L. Julii Cæsaris, relatum a *Plinio Secundo* lib. XIV. cap. XIV. quo *anno Urbis conditæ* DCLXXV. *edixerunt, ne quis vinum Græcum Aminiumque octonis æris singula quadrantalia venderet.* Eodem modo intelligenda esse arbitror *Jurisconsulti Proculi* verba *Digestorum* lib. XXXIII. *Tit.* VI. l. XVI. quæ in variis libris varie leguntur, sed ex eorum collatione cum istius edicti verbis, nullus dubito, quin hæc sit illorum genuina lectio: *Si ita esset legatum vinum amphorarium*, Ἀμεινον, *Græcum, & dulcia omnia; nihil inter dulcia, nisi quod potionis fuisset, legatum putat Labeo ex collatione vini amphorarii: quod non improbo.* Et laudes, quæ eidem vino tribuebantur, non dissimiles vini Falerni laudibus, conjecturam istam satis reddunt verisimilem.

Idem pluribus locis commune fuit, nec ubique pari celebritate, non constantibus inter se auctoribus.

Palladius & Galenus discordes.

Sed hoc quidem verum esse videtur, illud fuisse Græciæ vinum.

Plinius Secundus & Proculus Jurisconsultus collati & illustrati.

De etymologia autem ejus variæ fuerunt opiniones.

Ceterum de vocabulorum etymologiis atque originibus, nisi certo de illis & liquido constaret, semper fuerunt pro varietate ingeniorum variæ opiniones. Nam *Servius* quidem ad *Virgilii Georgicorum* lib. II. quem supra citavimus, sive ex sua, sive ex aliena sententia ita dixit: *Amineum dictum est, quasi sine minio, id est, rubore: nam album est.* Neque defuerunt quidem recentiorum, qui apud *la Cerdam* in *Commentariis* ad allegatum ejusdem poëtæ locum existimaverunt, *Galenum* aliosque medicos per Aminea intellexisse vina austera. Et cum hac sententia sane ipse *Galenus* non pugnat, qui uvas Gemellas dixit austeras in verbis illis, quæ adduximus ubi de uvis istis actum fuit, quarum saporem asperrimum dixit *Plinius Secundus*, qui easdem retulit inter Amineas. Verum hinc consequeretur, vina Aminea Neapolitana fuisse illa, quæ in Vesuvio monte nascebantur, ubi magna erat uvarum Gemellarum ubertas: & ex tribus Falerni generibus, quæ nobis idem *Plinius* non multo ante recensuit, Amineum fuisse illud quod austerum erat. Verum de hisce penes alios esto judicium. Nam ego quidem ad ultimam anni nostri tempestatem transeo.

VI. *Oleum Campaniæ Felicis, supra quodlibet aliud laudatum.*

Non habent heic locum convenientem castaneæ Neapolitanæ.

NOn possunt justa ratione in hac descriptione nostra locum poscere etiam *castaneæ* Neapolitanæ, quanquam *Plinius Secundus* eas satis laudavit hisce verbis lib. XV. cap. XXIII. *Patria laudatissimis Tarentum, & in Campania Neapoli.* Nam præcipue hoc nobis est propositum, de communibus hujus regionis agere laudibus, inter cujus multa deliciarum genera quemnam idoneum possint habere locum castaneæ, quantumvis hic, quam multis aliis in locis, præstantiores? Sed *Plinius* quidem in copiosa descriptione sua *Historiæ naturalis* non poterat sane, neque debebat etiam eas prætermittere. Claudetur itaque uber annus Campanus ex olivis nostris expresso oleo, quia ex ejusdem *Plinii* sententia lib. III. cap. V. *nusquam generosior oleæ liquor.* Etiam supra intelleximus ex *Virgilio*, Campaniæ solum, aptum gignere magna copia vina, fruges, pastusque, æque *ferax olea esse.* Atque hic mihi notandum videtur, naturam fuisse quasi occultam atque artificiosam deliciarum Campanarum magistram, dum hanc regionem pari fertilitate olei ac rosarum præstantissimarum ornavit, (*Rosa*, dixit *Plinius* lib. XXI. cap. IV. *oleo maceratur*) ut inde Capuæ atque Neapoli confici possent unguenta omnium celebratissima. Frequens olei mercatura fuit in urbe Capua, ut argumento sunt verba *Pauli Jurisconsulti Digestorum* lib. XLIV. *Tit.* I. l. LX. qui scribens de stipulationibus, exemplum istius olei adduxit, quod promissum fuerit in eadem urbe datum iri, hisce verbis: *Idem erit, & si Capuæ certum olei pon-*

Atque adeo uberem annum Campanum claudet præstantissimum hujus regionis OLEUM,

Quod plurimi usus erat in unguentis.

Hinc frequens ejus mercatura erat in urbe Capua.

pondus dari quis stipuletur. Sed *Varro* vult, celebre istud oleum fuisse Venafranum, ut affirmavit verbis istis, quæ aliquanto ante retulimus: neque satis scio, an ille Campaniæ nostræ una cum ista urbe etiam hanc auferre laudem voluerit, cujus bonam partem ad nos pertinuisse quoquo modo vult *Strabo*, dum lib. v. variam hujus regionis exponens fertilitatem, de oleo ita dixit: *Et olei ferax est Venafranus tractus, prædictis campis contiguus.* Sane vero si spectemus experientiam, quæ hodieque apparet, optimum oleum Venafranum oportet in territorio ejus urbis provenisse, quod versus Campanum erat, & quidem in illa ipsa parte ejus, quæ dicebatur *Liciniana*, unde *Licinianum* quovis alio nobilius fuit Italiæ oleo, sicut Italia in universum omnibus terris palmam hance præripiebat. *Principatum*, dixit *Plinius Secundus* lib xv. cap. II. *in hoc quoque bono obtinuit Italia toto orbe: maxime, agro Venafrano, ejusque parte, quæ Licinianum fundit oleum, unde & Liciniæ gloria præcipua olivæ. Unguenta hanc palmam dedere, accommodato ipsis odore: dedit & palatum delicatiore sententia.* Ita *Plinius*. Sed diserte *Martialis* ad Campaniam retulit oleum Venafranum, dum Venafrum urbem *Campanam* dixit hisce versibus lib. XIII.

Verum illud adeo laudatum proprie fuit oleum agri Venafrani, versus Campaniam,

Strabo & Plinius Secundus collati & illustrati.

Quod tamen quoquo modo Campanum fuit, & in re cibaria multa, licet secunda laudis.

> *Hoc tibi Campani sudavit bacca Venafri,*
> *Unguentum: quoties sumis, & istud olet.*

Atque hic contentus fuit memorare ejus hanc solummodo, velut præcipuam laudem, licet illud quoque multum fuerit laudatum propter usum in re cibaria, ut ex *Plinio* intelleximus, qui dum hanc ejus virtutem secundo loco retulit, primam nobilitatem ejus unguentis deberi Campanis indicare voluit.

Plinius Secundus illustratus.

VII. *Campania Felix frugum ferax: maxime farris, unde alica, heic, quam alibi præstantior conficiebatur. Item ferax siliginis, milii, & tragi.*

Celebrata Felicis Campaniæ fœcunditas, quæ non ad unam solam anni tempestatem restricta fuit,

SEd videbor ego una cum æstate uberis adeo anni nostri Campani etiam reliquisse uberrimam segetum nostrarum laudem. Atque hoc omnino foret verum, si veteres nobis dixissent, in istam tantum anni tempestatem heic illarum incidere messem, cum illi quosdam ex agris nostris unius ejusdemque anni temporibus diversis plus unam producere messem affirmaverint. Cum itaque Campaniæ nostræ, ut ita dicam, integri anni continua fuerit æstas, primum in genere conquiram frugum nostrarum laudes: deinde de quibusdam illarum dicam, quæ speciatim & præter ceteras fuerunt celebratæ. De frugibus *Plinius Secundus* lib. XVIII. cap. VII. ita scripsit: *Sunt duo prima earum genera: frumenta, ut triticum, hordeum: & legumina, ut faba, cicer.* Atque adeo frugum nostrarum fuit laus generalis, unde *Columella* lib. III. cap. VIII. *De agricultura*, ubi naturam dicit plures simul variosque locos iisdem ornavisse dotibus, loquutus est ad hunc modum: *Ad genera frugum redeo. Mysiam Libyamque largis ajunt abundare frumentis: nec tamen Apulos Campanosque opimis defici segetibus.* Neque aliud, licet paucioribus verbis, dicere voluit *Dionysius Africanus*, quem supra adduximus, ubi Campanos agros gravidos atque onustos spicis appellavit. Atque adeo *Varro* etiam non alio modo est exponendus, qui ita dixit: *Ad victum* (igitur intelligendus ille est de quolibet frumento, humanis usibus apto) *optima fert, ager Campanus frumentum, Falernus vinum.* Neque aliud sentiendum est de *Dionysio Halicarnassensi* & *Livio*, qui Romanos frumenti causa sæpius in hosce tractus misisse referunt magna annonæ caritate. T. Geganio Macerino, P. Minucio consulibus, qui fuit Urbis conditæ annus CCLXI. *Dionysius* lib. VII. dixit Senatum *legatos dimisisse in Etruriam, & Campaniam, & in agrum Pomptinum, ut quantam maximam possent, frumenti copiam coëmerent.* (Græca habent ὅσον πλεῖσον) Atque hi venerunt potissimum Cumas, cum illis temporibus in Cumanorum potestate esset fertilissimus campus Leborius, dictus etiam Phlegræi nomine. Ad eandem urbem M. Fabio Vibulano, M. Fossio, L. Sergio Fidenate Tribunis militum consulari potestate, qui fuit Urbis conditæ annus CCCXX. denuo iidem Romani miserunt frumenti causa: item tertium duobus & viginti annis post, M. Papyrio, C. Nautio Rutilo consulibus: hoc fortasse ideo, quod in proclivi erat frumentum mari devehere Romam a Cumis. Sigillatim hac de re scripsit idem *Livius* lib. IV. ad hunc modum: *Famem cultoribus agrorum timentes*, (propter pestilentiam, qua magna hominum multitudo perierat) *in Etruriam, Pomptinumque agrum, & Cumas, postremo in Siciliam quoque frumenti causa misere.* Et aliquanto post: *Dimissis circa omnes populos legatis, qui Etruscum mare, quique Tiberim accolunt, ad frumentum mercandum, superbe ab Samnitibus, qui Capuam habebant. Cumasque*, (alludit ille ad eundem campum Leborium: verum an Samnites unquam tenuerint Capuam & Cumas, alibi cognoscetur) *legati prohibiti commercio sunt.* Ita *Livius*. Etiam *Cicero Agraria* II. loquens ad populum Romanum in universum de cujuslibet generis annona agri Campani, id est, Campaniæ Felicis, non integræ, qua Romani multo post suos exercitus aluerint bello Italico, ita dixit: *An obliti estis, Italico bello amissis cæteris vectigalibus quantos agri Campani fructibus exercitus alueritis?* Eadem oratione, & præcedenti etiam, eodem sensu dixit suis etiam temporibus hunc agrum esse *Subsidium annonæ: horreum belli: horreum legionum: solatium annonæ.* Et certe apud veteres satis commune fuit pluribus frugum generibus uti: sicut, ne longe argumenta conquirere necesse habeamus, demonstrari, potest ex iisdem laudibus, quæ speciatim prædicatæ sunt de Campaniæ nostræ frugibus, inter frumenta locum non habentibus.

Neque etiam ad unum duntaxat frumenti genus,

Columella & Dionysius Alexandrinus collati.

Varro & Dionysius Halicarnassensis collati & illustrati.

Temporibus antiquioribus multum utilis fuit Romanis in maximis necessitatibus.

Nec minus etiam serioribus temporibus.

Ceterum ex Campaniæ nostræ frugibus admodum fuit laudatum illud peculiare genus, a quo *Strabo* lib. v. argumentum desumpsit ad insignem ejusdem regionis fertilitatem probandam, de qua ita dixit, ut interpres ejus habet: *Fertilitatis indicium est, quod frumentum ibi nascitur præstantissimum: triticum inquam, ex quo alica fit*, (Græca habent χόνδρ☉, per quod vocabulum sine controversia omnes omnium Græcorum auctorum, qui illo fuerunt usi, interpretes intellexerunt *alicam*) *omni præstantior oryza, omnique fere alio frumentario alimento.* Verum hoc, quod tanta præstantia nascebatur in Campania frumentum, ex Varronis sententia lib. I. cap. II. De re rustica far erat, quo melius nusquam alibi reperiebatur. *Quod far conferam Campano? quod triticum Apulo?* Sed idem geographus videtur dicere voluisse de zea: nam hujus esse feracissima nobiliora nostra arva scripsit hisce verbis: *Traditum memoriæ est, quædam Campaniæ arva toto anno conseri: bis zea, tertium panico: quædam & quarto satu olera producere.* Ex hac zea, quæ alio quoque nomine *Semen* fuit appellata, *Plinius Secundus* lib. XVIII. cap. XI. alicam fieri dixit: *Alica fit e zea, quam Semen appellavimus.* Et mox: *Alica adulterina*

Laudatissimum fuit istud Campaniæ frumentum; ex quo fiebat ALICA.

Et hac quidem summa laus fuit ejus FARRIS.

Atque adeo, cum alia facta fuerit ex zea, cujus heic uno demumque anno duplex

erat messis, quod idem de farre quoque traditur,

Strabo & Plinius Secundus collati.

terina fit maxime quidem e zea, quæ in Africa degenerat. Et lib. XXII. cap. XXV. *zea, ex qua alicam fieri diximus, efficacior etiam hordeacea videtur, trimestris mollior.* Tamen his adversari videtur idem *Plinius*, licet alioqui satis consentiat cum *Strabone*, in verbis istis, quibus de eodem fœcundo agro nostro loquutus est eodem cap. XI. lib. XVIII. qui *seritur toto anno: panico semel, bis farre.* Atque adeo zea *Strabonis* eadem fuit cum *Varronis* & *Plinii* farre: & ex uno eodemque frumento fiebat alica, licet illud dictum fuerit nomine duplici. Confirmari hoc videtur ex eo, quod manifeste affirmavit *Dionysius Halicarnassensis*, qui lib. II. ut Latine habent ejus verba, ita dixit: *Vocabant antiqui sacras nuptias, Romana quadam appellatione rem exprimentes, confarreationem, a farris communicatione, quod nos zeam vocamus.*

fuerunt hæc nonnisi unum idemque frumentum, sed nomine duplici.

Strabo, Varro, Plinius Secundus, & Dionysius Halicarnassensis collati.

Fuit, qui zea veteres usos deficiente farre dixit, & ex ea factam alicam, quæ omnium optima in Campania.

Nihilominus far a zea distinxit *Plinius*, & indicans, eam minori fuisse in pretio, neque ejus haberi rationem ab illis, qui far haberent, subjecit, eam nasci egregiam in Campania, ubi ex ea conficiebatur alica omnium laudatissima: quamobrem oportet farris ibidem magnam fuisse caritatem. *Qui zea utuntur*, (ita ille dixit lib. XVIII. cap. VIII.) *non habent far: est & hæc Italiæ in Campania maxime, Semenque appellatur.* Et ejusdem libri cap. XI. *Sed inter prima dicatur & alicæ ratio, præstantissimæ saluberrimæque, quæ palma frugum* (per *alicam* heic & alias quoque intellexit ille frumentum, ex qua fiebat alica) *indubitanter Italiam contingit. Fit sine dubio & in Ægypto: sed admodum spernenda. In Italia vero pluribus locis, sicut Veronensi Pisanoque agro: in Campania tamen laudatissima.* Itaque *Varronis* præstantissimum far Campanum, & istud frumenti genus adeo celabratum a *Strabone*, propriæ fuit zea, & observante *plantarum Historiæ universalis* auctore, lib. IV. cap. I. *far pro omni frumenti genere a veteribus usurpatum fuit. hinc far triticeum pro tritico, & far adoreum Columellæ* lib. VIII. cap. V. Veruntamen quoquo modo prima illa difficultas adhuc superest: nam & *Dionysius* speciatim de zea dixit, & eodem modo loquutus est de farre: & multo magis adhuc *Varro*, qui dixit: *Quod far conferam Campano? quod triticum Apulo?* Imo si recte considerentur, quæ de farre, zea, atque alica dixit idem *Plinius* sæpius allegato cap. XI. lib. XVIII. apparet eum de farre & zea loquutum tanquam de uno eodemque frumento. Propositum illi erat de alica tractare, *quæ palma frugum indubitanter Italiam contingit*; & præter ceteras Campanam celebrans, campum nostrum Leborium describere instituit, propter soli & situs, sui naturam cujuslibet frumenti feracissimum, qui *seritur toto anno: panico semel, bis farre.* In continenti subjunxit: *Alica fit e zea, quam Semen appellavimus*: & deinde indicato modo, quo illa frangebatur, ita narrationem suam persequutus est: *Postea (mirum dictu) admiscetur creta; quæ transit in corpus, coloremque & teneritatem affert. Invenitur hæc inter Puteolos & Neapolim, in colle, Leucogeo appellato: exstatque divi Augusti decretum, quo annua vicena millia Neapolitanis pro eo numerari jussit e fisco suo, coloniam deducens Capuam: adjecitque causam afferendi: quoniam negassent Campani, alicam confici sine eo metallo posse.* Quonam igitur modo, aut quem in finem memorare ille potuit campum Leborium farris feracem, si alica, per cujus occasionem de isto campo dicere orsus erat, non ex farre, sed ex zea, quod existimatur esse diversum ab illo frumenti genus, fiebat? Etiam lib. III. cap. V. multum ille laudavit eundem campum a messe sua, quæ alicam dabat, ubi ita dixit de Campania nostra: *Ibi Laborini campi sternuntur, & in delicias alicæ politur messis.* Hæc neque *Matthiolus* neque idem ille *plantarum Historiæ universalis* auctor consideravit: pro certo enim habuerunt alicam ex zea factam, non autem ex farre. Et *Matthiolus* quidem ad *Dioscoridis* lib. II. cap. LXXXVII. postquam satis recte pro opinione sua attulerat, quod ex sententia *Asclepiadis* dixit *Galenus* lib. VII. *De compositione medicamentorum*, & item *Aëtius* lib. IX. cap. XLV. ex auctoritate *Archigenis*; existimavit, idem dixisse quoque *Plinium*: qui re vera si zeam non confudit cum farre, de farre & zea Campaniæ nostræ loquutus est tanquam de uno eodemque frumento. An dicemus forte zeam ipsius soli virtute heic in far fuisse mutatam, cum illa ejusmodi fuerit naturæ, ut facile in aliam segetem degeneraret? *Apud Græcos*, dixit idem *Plinius* lib. XVIII. cap. X. *est zea: traduntque eam ac tiphen, cum sint degeneres, redire ad frumentum, si pistæ serantur, nec protinus, sed tertio anno.* Certe cum abunde verum sit, quod ipse affirmavit ejusdem libri cap. VIII. *Frumenti genera non eadem ubique: neque, ubi eadem sunt, iisdem nominibus*; & mox: *Vulgatissimum far, quod adoreum veteres appellavere, siligo, triticum: hæc plurima terris communia*; contra ex ejusdem verbis zea extra Italiam quibusdam regionibus propria fuit & peculiaris, & speciatim quidem Græciæ: unde nomen ejus *Dionysius Halicarnassensis* dixit esse Græcum. Verba *Plinii* hæc sunt: *Arinca Galliarum propria: copiosa & italiæ est. Ægypto autem, ac Syriæ, Ciliciæque, & Asiæ, & Græciæ peculiares zea, olyra, tiphe.* Et hanc ob causam in continenti ita subjunxit: *Qui zea utuntur, non habent far. est & hæc Italiæ in Campania maxime Semenque appellatur.* Atque adeo cum zea fuerit Græciæ Seges, & itidem hoc nomen ejus fuerit Græcum, apud Græcum quoque poëtam *Homerum* hujus usum ille reperire voluit. *Hoc habet nomen zea res præclara, ut mox docebimus, propter quam Homerus ζείδωρος ἄρουρα dixit*, (locus Homeri est Iliados lib. II.) *non, ut aliqui arbitrantur, quoniam vitam donaret.* Neque de zea postmodum amplius dicens isto loco, prolixe de farre exponere pergit. Ille igitur, ubi de alica agebat, far, ex quo illa fiebat, Græco vocabulo appellare delectatus, a nostro farre distinxit extraneam, non vero nostram zeam, atque hoc modo non dissensit aut ab se ipso, aut ab *Dionysio Halicarnassensi*, aut ab *Varrone*. Ita etiam semper nomine Græco *cenchridem* dixit avem illam, de qua paulo post dicturi sumus, & eandem semel duntaxat Latino vocabulo *tinnunculum* appellavit. Et esse verum, quod diximus multo adhuc magis apparet ex illis quæ idem auctor scripsit ejusdem libri cap. VII. *Far in Ægypto ex olyra conficitur. Tertium genus spicæ hoc ibi est. Galliæ quoque suum genus farris dedere, quod illic brancæ vocant, apud nos sandalum, nitidissimi grani: & alia differentia est, quod fere quaternis libris plus reddit panis, quam far aliud.* Et igitur branca Galliæ, & olyra Ægypti & (adjungam ego) zea Græciæ, etsi nonnulla cum varietate, eædem tamen erant, cum farre segetes. Jamque intelligere possumus, qua ratione *Isidorus, Etymol.* lib. XVII. cap. III. omnia frumenti genera recensens, *adoreum seminis*, nomine appellaverit: cum *zeam seminis* & *far adorei* vocabulo dixerit *Plinius* in verbis non multo ante allatis. *Adoreum* (verba sunt *Isidori*) *tritici genus, quod idem vulgo semen dicitur.* Nimirum *zea*, *far*, *semen*, & *adoreum* varia fuerunt unius ejusdemque frumenti nomina. Atque adeo

Atque hoc videri possit esse verum etiam de farre, quod commune fuit cujuscunque segetis nomen.

Sed nobile far Campanum singulare fuit farris genus: atque ille auctor loquens de zea, verum intellexit far,

Plinius Secundus illustratus, & ipse secum conciliatus.

Matthiolus & plantarum Historiæ universalis Auctor notati.

quod variis in locis varii fuit generis.

Et ab Græcis dictum fuit zea:

Plinius Secundus secum, & cum Dionysio Halicarnassensi, & Varrone conciliatus.

Ab aliis autem nominibus aliis.

Isidorus illustratus.

S. Hieronymus, exponens ista verba *Esaiæ* cap. XXVIII. *Et milium & viciam in finibus suis*, multum audacter affirmavit, far Latinorum esse zeam Græcorum, ubi ita dixit: *Pro farre, quod Græci ζεὰν, vocant, quidam viciam intelligunt.* Non ego tamen propterea nego alios dixisse, ex zea, non autem ex farre factam fuisse alicam, inter quos fuerunt *Archigenes* & *Asclepiades*, auctores Græci: licet *Plinius*, quem jamjam afferemus, negaverit, hujus scholam & sectatores de alica fuisse loquutos: sed cum meum sit institutum de Campaniæ nostræ segetibus agere, abunde mihi demonstravisse videor, ex farre nostro, quod tantopere laudavit *Varro*, factam fuisse alicam, quæ in Campania nostra, ut *Strabo* videtur innuere, sed disertius affirmat *Plinius*, præstantior, quam usquam alibi, conficiebatur. Ceteroqui, vero idem *Isidorus* inter istos quoque fuit, qui ex zea fieri alicam crediderunt, cujus cibi nomen cum frequenter fuerit usurpatum pro ipso, ex quo conficiebatur, frumento, ille quoque originem utriusque nominis inter se confudit, & allegato loco dixit: *Alica Græcum nomen est.* Sed hoc verum erat de *zeæ* nomine, ut *Plinius* lib. XXII. cap. XXV. nobis exposuit hisce verbis: *Alica res Romana est, & non pridem excogitata: alioqui non ptisanæ potius laudes scripsissent Græci. Nondum arbitror Pompeji Magni ætate in usu fuisse, & ideo vix quicquam ab ea scriptum ab Asclepiadis schola.* Farre jam inde usque a temporibus antiquissimis usi fuerant ad cibum Romani, sed alio modo, de quo loquutus est idem auctor lib. XVIII. cap. VII. & VIII. Jamque de hisce diximus, quantum heic sufficere potest.

Atque adeo nonnulli Græcorum auctorum recte dixerunt, alicam fieri ex zea.

Isidorus notatus.

Porro autem jam intelleximus ex eodem *Plinio*, hanc alicam ex sese fuisse nobilissimam laudatissimam, & inter cibos satis delicatam: & summatim intelligi possunt laudes ejus ex illis, quæ ipse paulo ante citato cap. XXV. lib. XXII. de ea notavit paucissimis verbis: *Ptisanæ, quæ ex hordeo fit, laudes uno volumine condidit Hippocrates, quæ nunc omnes in alicam transeunt.* Idem quoque affirmavit, in Ægypto alicam esse admodum spernendam: Italiæ autem in Veronensi Pisanoque agro, præstantiorem: sed in Campania omnium laudatissimam: non tantum, ut ille innuere videtur, per causam farris heic, quam alibi, melioris, sed propter industriam quoque, quam in ea conficienda adhibebant Campani, qui illi metallum sive cretam admiscebant, quæ fodiebatur in montibus inter Neapolim & Puteolos. Hæc igitur omnia cum de alica jam cognoverimus, & non multum supersit, quod de ea dicatur aliud, & ad hanc *Dissertationem* pertinere possit, hoc tantummodo, quod satis est mirum, adjungam, ne illud referre postmodum denuo necesse habeam inter opificia atque artes Campaniæ nostræ, quo pacto illi fuerit admista creta, quæ in cibum sumpta spiritus vitales ita cursu suo prohibet, ut facile inde mori homo queat. Sed prudenter *Matthiolus*, qui ad *Dioscoridis* lib. II. cap. LXXXIX. & forte illud collegit ex *Galeni* lib. I. cap. VI. *De facultatibus alimentorum*) ita existimavit: *Quod, quanquam aliqui cretam, aliqui vero gypsum alicæ commiscerent, ut candidior & mollior evaderet, ablutionibus tamen prius eam expurgabant, quam decoquendam traderent.* Porro eidem cretæ *Plinius Secundus* indidit *metalli* nomen, ubi negavisse Campanos dixit, *alicam confici, sine eo metallo posse.* Nempe prisci Latini ex usu a Græcis desumpto, ut autumat *Josephus Scaliger* ad *Varronis De re rustica* lib. I. cap. XI. hoc nomine dixerunt, quæcunque ex terræ visceribus effoderentur. Et nonnulli mediæ ætatis scriptores ligna quoque & plantas eodem nomine appellaverunt, ut observari potest ex *Vita S. Germani*, episcopi Parisiensis, quam descripsit *Fortunatus*, Pictaviensis episcopus, cap. LXVIII. & ex *Vita S. Bonifacii* martyris, & Archiepiscopi Moguntini, scripta ab *Vilibaldo*, Eichstatensi episcopo & ex aliis. Veruntamen hic cibus adeo delicatus & laudatus, non magni erat pretii, quandoquidem *Plinius Cæcilius* lib. I. epist. XV. retulit eum inter alios cujusdam cœnæ suæ non lautæ cibos, ad quam *paratæ erant lactucæ singulæ, cochleæ ternæ, ova bina, alica cum mulso, & nive, olivæ Bæticæ cucurbitæ, bulbi, alia mille non minus lauta.* Et *Martialis* lib. XIII. *epigr.* VI. aperte dixit alicam esse pauperum, cum quidem mulsum, quod ejus usitatum condimentum erat, esset divitum:

ALICA, licet cibus, ex sese multum commendatus,

& apud Campanos præstantissimus, qui illi quoddam metalli genus, sive cretam admiscebant,

A qua tamen illa purgabatur, antequam comederetur:

Matthiolus laudatus.

Plinius Secundus illustratus.

Nihilominus mensarum non admodum lautarum, & hominum fere tenuiorum cibus fuit.

Plinius Cæcilius & Martialis collati.

> *Nos alicam: mulsum poterit tibi mittere dives.*
> *Si tibi noluerit mittere dives, eme.*

Magnam ejus in Campania fuisse copiam, tum per causam copiosi farris nostri, tum, ni fallor, quod in Campaniam inferretur illa etiam aliunde, [1] ut illi creta nostra admisceretur, quæ pretium illi addebat, hæc manifesto sunt argumento, quæ notavit *Festus*: *Alicariæ meretrices appellabantur in Campania, solitæ ante pistrina alicariorum versari quæstus gratia: sicut eæ, quæ ante stabula sedebant, dicebantur prostibulæ.* Sed tempus est, ut de aliis nostris segetibus exponere pergamus.

In officinis autem alicariis versari solebant meretrices.

Porro autem laudatissima fuit siligo Campaniæ, de qua ita dixit *Plinius Secundus* lib. XVIII. cap. IX. *E siligine lautissimus panis, pistrinarumque opera laudatissima. Præcellit in Italia, si Campana Pisis natæ misceatur. Rufior illa, at Pisana candidior: ponderosior vero cretacea.* &c. Et *S. Paulinus Nolanus* panem ex hoc frumento confectum nobis *Epist.* I. descripsit nomine *panis Campani*, satis lauti: quasi ille nobis fuerit peculiaris: *Panem Campanum* (ita *S. Paulinus*, ad Sulpicium Severum scribens) *de cellula nostra tibi pro eulogia misimus.* Et mox: *Ac ne panis siligineus tibi modum nostræ humilitatis excedere videretur, misimus testimonialem divitiarum nostrarum scutellam buxeam.* Atque adeo neque *Plinii*, neque *S. Paulini* oportet *Ambrosium Leonum*: cum ille tamen simul medicus fuerit, & patria Nolanus, fuisse memorem, cum *Historiæ Nolanæ* lib. I. cap. II. affirmavit siliginem nobis esse *germanum*, quod frumenti genus est, in quod in locis aridis & saxosis degenerat triticum, quod nos *frumentum*, & alio vulgatiori latiorique nomine *granum* appellamus. Verba ejus hæc sunt: *Triticum, hordeum, semen, avena, siligo, quod germanum nunc vocant Campani: item milium, panicum, ac leguminum omnia genera sanequam in agro Nolano luxuriare comperiuntur.* Sed forsitan in ejus textu siligo locum avenæ occupavit. *Matthiolus* ad *Dioscoridis* lib. II. cap. LXXXIV. existimavit siliginem non superesse amplius: quod, videri potest esse verum, siquidem idem *Plinius* lib. XVIII. cap. VIII. affirmavit, eam in majori parte Galliæ duorum annorum spatio in vulgare triticum degenerare

SILIGINEM, tis nobilis, & quasi peculiare Campaniæ frumenti genus,

Ambrosius Leonus refutatus.

Alii crediderunt non superesse amplius:

1. Sane non possum non mirari *Peregrinum* nostrum, qui alicæ magnam copiam credidit debere fuisse in Campania etiam inde, quod illa ex aliis regionibus in eam inferretur cretæ admiscendæ causa: cum multo sit probabilius, cretam illam, quod utique commodius fieri poterat, ex Campania in alias regiones illatam, ibique alicæ fuisse admistam. Sed fortasse verius est, alicam, utpote tenuiorum fere cibum, non tanti fuisse habitam, ut in aliis regionibus cretam istam Neapolitanam illi addere curarent. Atque hinc forte etiam ista alicæ Campanæ præstantia singularis.

rare. Atque adeo negligentia agricolarum apud nos quoque potuit illa facillime interire, jam mutatis populorum usibus, & insigni candore ejus non amplius compensante istam ponderis levitatem, cujus nomine eodem cap. VIII. notavit illam *Plinius*, qui eam dixit *tritici delicias*, & mox ita subjecit: *Candor est, & sine virtute, & sine pondere: conveniens humidis tractibus, quales Italiæ sunt & Galliæ Comatæ.* Verum auctor *Plantarum Historiæ universalis* lib. IV cap. I. siliginem esse credidit, quod nos hodie *grano bianco*, id est, *frumentum candidum* dicimus, cujus hodieque copia superest: licet agricolæ nostri propter illam vel illam, quam reddunt, causam non multum illo utantur. Sed an hoc verum sit, deprehendi potest, si hæ segetes invicem conferantur. Nam de siligine quidem idem *Plinius* loco citato dixit ad hunc modum: *Nunquam maturescit pariter: nec ulla segetum minus dilationem patitur propter teneritatem, iis, quæ maturuere, protinus granum dimittentibus: sed minus quam cætera frumenta in stipula periclitatur, quoniam semper rectam habet spicam, nec rorem continet, qui rubiginem faciat.*

Alii vero, esse illud, quod nobis est frumentum candidum.

Idem quoque auctor lib. XVIII. cap. X. ita dixit: *Milio Campania præcipue gaudet, pultemque candidam ex eo facit: fit & panis prædulcis.* Atque hæc agri Nucerini & Nolani hodie propria laus est, qui humidiores sunt aliis agris nostris. Amat enim ejusmodi loca milium, ut affirmavit idem *Plinius* ejusdem libri cap. VII. *seri debet in humidis.*

Campania MILII quoque satis est ferax, nempe in agro Nucerino & Nolano.

Hoc amplius, *tragum*, quod genus frumenti ex Oriente ad nos delatum est, aut nascebatur in Campania solummodo & Ægypto, aut certe in iisdem duntaxat regionibus ex eo præparabatur cibus iste, qui eodem nomine fuit appellatus. De illo ita loquutus est *Plinius* lib. XVIII. cap. X *Adjiciuntur his genera, bromos, siligo exceptitia, & tragos: externa omnia ab Oriente invecta, oryzæ similia.* Et ita præcedenti cap. VII. *Simili modo, ex tritici semine tragum fit, in Campania duntaxat & Ægypto. Dalecampius in Notis* ad hunc *Plinii* locum tragum pro frumento agnoscit, ut etiam fecit auctor *plantarum Historiæ universalis* lib. IV. cap. I., & utroque prior *Matthiolus* ad *Dioscoridis* lib. II. cap. LXXXIV. sed primus illorum ostendit, priscos auctores de eo quoque loquutos fuisse. tanquam de cibi genere quodam, & hodieque illud superesse, sed alio nomine affirmat. Alter autem ejusdem lib. IV. cap. V. refert negare quosdam, illud esse, frumentum. Denique tertius neque de cibo loquitur, neque *Dioscoridem* aliud quam frumentum dicere voluisse autumat, cujus semen hodie apud nos desiderari credit. Nos satis habemus varias illorum notavisse opiniones, & auctores adduxisse, qui tragum qualicunque modo inter segetes annumeraverunt. Jam vero ad animalia Campaniæ, & primum ad aquatilia, tum ad reliqua transeamus.

TRAGUM frumenti genus fuit, aliunde ad nos delatum.

Nisi tamen cibus fuit, apud nos ex isto frumento confectus, quod hodie non superest amplius.

VIII. *Maxime laudata in Campania Felice ostrea Bajana. Peculiare columbarum Campanarum, genus. Tinnunculi aves.*

COmmunes piscium & conchyliorum in nostro mari laudes conjunxit in satis brevem verborum periodum *Plinius secundus*, ubi lib. III. cap. V. ita scripsit: *Hæc littora fontibus calidis rigantur, præterque cætera in toto mari conchylio & pisce nobili annotantur.* Et cum heic mihi non sit attendendum speciatim ad illorum vivaria admodum celebria, qualia Livinius Muræna, Philippus, Hortensius, Lucullus, Sergius Orata, aliique fortasse habuerunt in Campania, quorum ope industria humana nobilitatem addebat, naturæ beneficio, non multa mihi de hoc argumento dicenda supererunt. Sergius ille Orata primus fuit, qui *ostrearum vivaria* (verba sunt ejusdem *Plinii* lib. IX. cap. LIV) *invenit in Bajano sinu, ætate L. Crassi oratoris ante Marsicum bellum*: (id est, ante annum ab Urbe condita DCXXXIII. (*nec gulæ causa, sed avaritiæ, magna vectigalia tali ex ingenio percipiens; & optimum, saporem ostreis Lucrinis adjudicavit. Valerius Maximus* autem lib. IX. cap. I. eum vult *ædificiis etiam spatiosis & excelsis deserta ad id tempus ora Lucrini lacus pressisse, quo recentiore usu conchyliorum frueretur*, & insuper illum piscium helluonem immodicum fuisse narrat. Verum, sive illum jam impulerit grandis lucri, sive lautioris cibi aviditas, ex ipsius certe invento ad peculiares & naturales littorum nostrorum, quæ isto tempore deserta erant, delicias tum accesserunt illæ novæ: unde cum ad ejus imitationem deinceps etiam in reliquo isto lacu eadem adhiberetur industria, ostreorum istic facta est piscatio uberrima, & propter illorum grande pretium reipublicæ Romanæ lucrosissima, quam in rem *Strabonem* & *Ciceronem* testes habemus, quos alibi adduximus. Atque hic illud notetur, siquidem Puteolorum in eodem sinu Bajano oppidum, cœptum frequentari a temporibus ultimæ Campanorum calamitatis, deinde semper magis magisque invaluit, ut sæpius observavimus; & item ex sententia *Martiani Capellæ*, qui supra nobis citatus est, & consentit cum *Valerio Maximo*, quem modo retulimus, eadem nostra amœna littora per longissimam ætatum seriem fuerunt deserta; non posse Campanis inter alias immodicas delicias jure adscribi etiam usum istarum adeo jucundarum thermarum, istiusque adeo delicati cibi. Igitur cum neque de privatis vivariis, neque de piscibus eorum vel conchyliis nos agamus, non etiam conveniet de pisce illo dicere, qui dictus fuit *Aurata*, de quo ita *Martialis* lib. XIII. *epigr.* LXXXV.

Mare nostrum conchylio & pisce nobili fecundum fuit, tum ex se, tum per privatorum vivaria;

Et præcipue OSTREIS, unde multum solebat redundare lucri,

Plinius secundus & Valerius Maximus discordes.

cum illa magno in pretio cœpissent esse, post ruinam Campanorum.

Valerius Maximus & Martianus Capella collati.

> *Non omnis laudem pretiumque Aurata meretur:*
> *Sed cui solus erit concha Lucrina cibus.*

Atque adeo ostendit, hunc piscem, itidem in vivariis privatorum nutritum conchis, non autem per ingenitam quandam nostri maris prærogativam, saporatiorem & pretiosiorem, quam alibi, fuisse.

Iisdem ostreis Aurata nutriebantur, ut saporatiores evaderent.

Communis illa fuit ostreorum Bajanorum laus, quam prædicavit Mutianus apud *Plinium secundum* lib. XXXII. cap. VI. ille omnium optima judicavit illa, quæ nascebantur ad Cyricum, urbem insulamque cognominem juxta Mysiam in Propontide, eaque nostris prætulit non sapore quidem, sed magnitudine. *Cyricena* (dixit ille) *majora lucrinis dulciora Britannicis.* Atque hæc Britannica adeo fuerunt laudata, ut invidiam facere possent Lucrinis, ut videor mihi colligere posse ex istis ejusdem *Plinii* verbis, quæ sunt lib. IX. cap. LIV. *Nondum Britannica serviebant littora, cum Orata* (intelligit sergium Oratam, cujus supra mentionem fecimus) *Lucrina nobilitabat.* Verum deinde illa summam adepta sunt laudem, cum Brundisina, quæ propter certum aliquem & peculiarem saporem multum æstimabantur, translata, sunt in Lucrinum, ibique pasta. *Postea* subjecit idem auctor) *visum tanti in extremam Italiam petere Brundusium ostreas, ac ne lis esset inter duos sapores, nuper excogitatum famem longæ advectionis a Brundusio compascere in Lucrino.* Et citato cap. VI. lib. XXXII. *Gaudent & peregrinatione, transferrique in ignotas aquas. Sic Brundusina in*

Ostrea Bajana, magnitudine, non vero sapore inferiora Cyricenis,

Plenissime obtinuerunt deinde primam laudem, Brundisinis in lacum Lucrinum translatis.

in Averno (jam novimus, Avernum & Lucrinum duos fuisse lacus in unum conjunctos) *compasta*, *& suum retinere succum*, *& a Lucrino adoptare creduntur*. Ceterum hic auctor de modo, quo generantur ostrea, lib. IX. cap. LI. aliter loquutus est atque *Strabo* lib. III. Nam hic geographus nativitatem illorum retulit ad æstum maris, unde apud interpretem suum *in universum* affirmat *exterum mare omni ostreorum concharumque abundare genere*, *numero*, *& magnitudine*: *Plinius* autem ita scripsit: *Quæ siliceo tegmine operiuntur*, *ut ostrea*, *proveniunt putrescente limo*, *aut spuma circa navigia diutius stante*, *defixosque palos & lignum maxime*. Et ad hunc certe modum nascebantur illa in istis lacubus nostris, de quibus supra, quos *L. Florus* dixit quædam maris otia, cum in hanc rem, [1] testem quoque habeamus *Ausonium Gallum*, qui *Epist.* XIII. celeberrima variorum locorum ostrea recensens, & multo quidem copiosius quam fecit Mutianus apud *Plinium*, palmam dedit ostreis ad Medulum natis, quæ peninsula est juxta Burdigalam, ipsius patriam, & Bajana dixit fluitare palis dependentia:

Ceterum non nascebantur ostrea uno eodemque modo ubique:

Strabo & Plinius secundus discordes.

Et nostra quidem, perinde ut Medulina, circa palos nascebantur, qui in aquis erant.

> *Vel quæ Bajanis pendent*, *fluitantia palis.*

Igitur admittere non possum emendationem, quam primum cogitavit *Lipsius* in *Notis* ad *Taciti* lib. XIV. *Annalium*, & deinde repetiit *la Cerda* ad *Virgilii* lib. IX. *Æneidos*, qui in versu isto legere volebant *pilis*, non *palis*: quasi scilicet *Ausonius* alludere voluisset ad istud *Virgilii*:

Lectio Ausonii defensa. Lipsius & La Cerda refutati.

> *Saxea pila cadit*, —— —— ——

Ubi loquebatur de novo opere portus Sulii, quem exstruxit Agrippa in lacu Lucrino. Ceteroqui vero idem *Ausonius*, qui per poëticam exaggerationem, & amore patriæ suæ accensus illius ostrea nostris ante posuit, secus fecerat *Epist.* VIII. ubi contentus fuit dicere, illa certare cum Bajanis, cum potius eorum laudes in majus extollere debuisset, siquidem triginta eorundem dono acceperat ab amico suo Theone, cui gratias agens ita scripsit:

De his autem non constans fuit sermo, an illis fuerint præstantiora, nec ne.

> *Ostrea Bajanis certantia*, *quæ Medulorum*
> *Dulcibus in stagnis r flui maris æstus opimat*,
> *Accepi*, *dilecte Theon*, *numerabile munus.*

Sed conceditur hæc licentia poëtis, ut immutent loquendi formas prout ipsis accidit commodissimum: nisi tamen recte observato istius Epistolæ titulo atque fine credere libet, cum illi videretur numerus iste nimium esse exiguus, & ipsum quoque voluisse parcum esse in laudandis illis, forte eam ob causam, quod ad justam cœnam centum ostrea requirerentur, quot numero comedit aliquando Albinus Imperator, & item *Juvenalis* attribuit mensæ laute viventis hisce *satyræ* VIII. versibus:

Sed hoc quidem vulgo dictum fuit, unam cœnam centum postulare ostrea:

Ausonius per jocum notatus.

> *Dignus morte perit*, *cœnet licet ostrea centum*
> *Gaurana*, *& Cosmi toto mergatur aheno:*

Igitur *Ausonius* cum amico suo jocari voluit, ego cum *Ausonio*.

Nunc ab aqua ad aërem, id est, a piscibus ad aves transitum facere opportunum, si horum animalium observentur principia, poterimus: quandoquidem utraque quinto die, conditi hujus universi e manu Dei prodierunt. Imo duplici ratione aves memorari poterunt post ostrea, quæ circum ligna generantur atque palos, cum ex iisdem hodieque nasci aves quasdam in Oceano & septentrionalibus æquoribus non fabulosa prodatur, sed satis admirabili historia. Sed quænam fuere jam illæ Campaniæ nostræ aves, quæ speciatim laudatæ fuerunt a priscis auctoribus? sequentes naturam laudatorum piscium nostrorum in domesticis vivariis, clausoque lacu Lucrino, ad quorum piscationem non opus habuimus subtilissimo lino Cumano, nunc quoque ad venationem nostrarum avium non necesse erit illo uti, de quo ita dixit *Plinius secundus* lib. XIX. cap. I. *Est sua gloria & Cumano in Campania ad piscium & alitum capturam*: sunt enim illæ in domibus nostris satis familiares. Columbas intelligo, quas prisci gentiles sacras esse crediderunt voluptatum & amorum deæ, quam natam esse finxerunt ex spuma maris, unde & ostrea nascebantur in amœnissimo sinu Bajano. Multum itaque laudatæ fuerunt *columbæ Campanæ*, memoratæ etiam a *Columella* lib. VIII. cap. VIII., ubi diversi, generis columbas conjungi prohibet, si quis eas cuperet multum fœcundas. *Sin aliter*, (hæc sunt ejus verba) *certe nec alieni generis conjunguntur*, *ut Alexandrinæ & Campanæ. Minus enim impares suas diligunt*, *& ideo nec multum ineunt*, *nec sæpius fœtant.* Sed de quanam illarum patria loquutus est *Plinius secundus* lib. X. cap. XXXVII.? ubi de columbis narrans, occultis admirandisque in obsidione Mutinensi nunciis, quas multi immodice amabant, ita subjecit: *Quin & patriam nobilitavere*, *in Campania grandissimæ provenire existimatæ.* Contextus verborum, ejus demonstrat, magnitudinem Campanarum, quæ omnibus aliis erant majores, celebre reddidisse nomen patriæ suæ, id est Campaniæ, etiam hoc altero modo: & non diversi generis fuisse illas fortasse columbas, quarum *L. Axius*, *eques Romanus ante bellum civile Pompejanum denariis quadrigentis singula paria venditavit*, *ut M. Varro tradit.* Atque has etiam magni inprimis æstimavisse oportet illos, qui sua ætate ad insaniam usque columbis delectati, in ædium suarum tectis altas erigebant turres, ut in illis nidos construerent, quique antiquorum sequentes exemplum, memoriter sciebant atque exponebant cujuscunque nobile genus.

Justa ratione a piscibus ad aves transitus fieri potest.

Et ab ostreis ad COLUMBAS CAMPANAS.

Quæ quidem illis erant majores, patriam suam nobilitaverunt.

Plinius secundus illustratus.

De aliis peculiaribus Campaniæ avibus nihil memini legisse apud priscos auctores. Tantum *tinnuculos* [2] arbitror, itidem domesticas aves quodammodo, quia in excelsis ædificiis nidos facere solent, & natura columbis sunt amici defensoresque contra accipitres, quam illorum proprietatem itidem nobis descripserunt *Plinius* & *Columella* locis citatis; hasce, inquam, aves in Campania nostra arbitror non offensas fuisse aut exagitatas, sed benigne indulgenterque habitas. *Ob id* (dixit *Plinius*, postquam de columbis exposuerat) *cum iis habenda est avis*, *quæ tinnuculus vocatur*: *defendit enim illas*, *terretque accipitres naturali potentia*, *in tantum*, *ut visum vocemque ejus fugiant. Hac de causa præcipuus columbis amor eorum.* Et ita *Columella*: *Genus accipitris*, *tinnuculum vocant rustici*, *qui fere in ædificiis nidos facit.* Hodie prorsus apud nos ignota est hujus avis virtus, fere penitus intermisso usu illo columbas alendi in columbariis domesticis. Et adeo

TINNUCULI autem olim grati, quod natura columbarum essent defensores,

Hodie autem ignota scilicet eorum virtute, nullius te pretii.

1. Hodie quidem non crediderint forte multi Philosophorum, nasci quoque hoc modo ostreæ, quo *Plinius* & *Peregrinus* noster voluerunt. Verum hoc dijudicare non est nostrum. Sed illud quidem silentio præterire non possum, certe *Ausonium* non videri loquutum de modo isto singulari, quo nascantur ostrea, sed potius de ipsa natura & victu ostreorum, quæ saxis scopulisque maritimis adhærere solent. Atque adeo non erat, quod *Peregrinus* istam *Lipsii* & *La Cerdæ* emendationem rejiceret, licet & vulgata lectio ferri possit.

2. Libri editi, quos mihi quidem videre contigit, constanter exhibent *tinnunculus.* Et ita quoque ista *Plinii* editio, quam omnium optimam in usum Serenissimi. Delphini concinnavit, notisque doctissimis illustravit *Joannes Harduinus.* Et miror sane, me nusquam reperire potuisse istum auctoris *tinnuculum*: ut adeo eum oporteat fuisse usum libris corruptis.

deo solet etiam tædio nobis esse frequens ejus tinnitus, quem gutture edit, unde *tinnuculi* quoque nomen accepit: imo admodum pro vili habetur, quia, ut verbis utar *Bellonii* apud *Aldrovandum* lib. v. cap. vi. *Ornithologiæ* suæ, *cum pascitur, in aëre suspensus, & tanquam immotus hæret.* Et credit vulgus eum ita stare immotum & otiosum, ut hauriat ventum, unde itidem rusticæ nostræ gentes eum dicunt *Scacciaventolum.* Idem *Aldrovandus* credidit, non fuisse *Plinio* notum istud ejus Latinum *tinnuculi* nomen: *Nam Græca voce* (hoc ille argumentum affert) *ubique cenchridem vocat, & tinnuculi semel tantum meminit: locum tamen illum non ex Græcis transtulit, sed a Columella sumpsit,* Sed fallitur ille, siqui dem omnino nomen istud non fuit obscurum *Plinio.*

Nomen istud acceperunt a vocis tinnitu. Græci cenchridas dixerunt.

Plinius Secundus defensus. Aldrovandus refutatus.

IX. *Equarum armenta in Felice Campania. Boves ejus. Lac vaccarum Campanarum insigniter utile infirmis. Greges ejus caseo præstantissimo fœcundi.*

Solum Felicis Campaniæ, aptum ad quodlibet pecoris genus alendum.

JAm vero, licet de animalibus quibusdam terrestribus, quorum heic magna copia fuit, & virtus multum fuit laudata, non legatur expressa mentio apud priscos auctores, facile tamen & certo idoneam de illis notitiam percipiemus, eamque colligemus ex aliis eorum narrationibus. Neque de ullo apud nos pecoris genere dubitare poterimus, nisi pariter non modo de quotidiana, quæ satis manifesta adest, experientia, sed, quod magis est, de *Virgilii* dicto dubitare volumus: nam hic quidem versibus illis, quos adduximus, ubi de agri Campani, Nolani, atque Accerrani fœcunditate fuit actum, affirmavit, quemlibet illorum æque pecuariæ, quam agriculturæ esse aptum:

Et facilem pecori, & patientem vomeris unci.

Atque heic *pecoris* voce, ut interpretatus est *Servius* ad *Æneidos* lib. I, denotatur *omne, quod humana lingua & effigie caret, id est, a pascendo.* Sed speciatim armenta equarum apud nos magna copia & præstantia fuisse oportet, ut colligi, quodammodo potest ex istis *Lucilii* versibus, quos retulit *A. Gellius* lib. I. cap. VI. & in quibus esse sermo videtur de equorum Campanorum velocitate:

Abundavit EQUARUM armentis: unde homines nobiles facile obtinuerunt administrationem reipublicæ Nolanæ, & Campanæ, Lucilius illustratus.

Hunc mille passum qui vicerit, atque duobus
Campanus sonipes succussor nullus sequetur
Majore in spatio, ac diversus jubebitur ire.

Et multo certius idem apparet, si recte consideretur priscus Capuæ atque Nolæ status quibus urbibus & *Virgilius*, & *Polybius*, quem alibi adduximus speciatim adscripserunt ejusmodi pingue solum. Nam regimen harum urbium in paucorum, id est, in hominum nobilium, non vero in multitudinis, id est, in popularium hominum fuit manu. Et ex *Aristotelis* præcepto *Politicorum* lib. VI. cap. VII, quod Latine habet ad hunc modum: *Ubi contingit agrum equis accommodatum esse, hic quidem natura aliquo modo factum est, ut constituatur validus paucorum dominatus:* de Nola *Livius* lib. XXIII, ut omittam præcedentem & prolixiorem narrationem ejus in eundem sensum, ita dixit, res bello Punico II. gestas exponens: *Senatus Romanorum, plebs Annibalis erat: consiliaque occulta de cæde principum, & proditione urbis inibantur.* De Capua autem, per admirabilem prudentiam Paculli Calavii sui liberata a consimili hominum popularium furore, qui perinde animo meditabantur *per cædem senatus vacuam rempublicam tradere Annibali ac Pœnis*, itidem certum est, in ea ordinem senatorium distinctum fuisse a populo: quantumvis idem auctor mihi videatur de ordinibus illis loquutus esse eodem modo, quo apud Romanos sese res cum illis habebant. Nam de plebe Campana, reconciliata senatui, dixit, postea *nihil in senatu actum aliter, quam si plebis ibi adesset concilium:* Atque hæc conjectura magis etiam confirmatur tum ex, copioso equitum numero, quos ex Campania, ut affirmat lib. II. *Polybius*, conscribere poterant in auxilium Romani bello Gallico; tum speciatim ex virtute & robore equitum Campanorum, qui ipso consentiente *Livio* lib. citato, equitibus Romanis longe erant superiores. Verba *Polybii* apud interpretem suum, qui neque Romanorum equitum neque Campanorum peditum distinxit numerum ob rationem, quam in sequenti *Dissertatione* afferemus, ita habent: *E plebe Romana atque Campana dedere nomina militiæ peditum ducenta & quinquaginta millia, equitum tria & viginti millia.* Idem hoc bellum narrans etiam *Paulus Orosius* lib. IV. cap. XIII. quem deinde sequutus est auctor *Historiæ miscellæ* lib. III, & testem citans *Fabium Pictorem*, veterem historicum, qui eidem interfuit bello; majorem etiam numerum dixit Romanorum & Campanorum equitum peditumque, non tantum conscribi potuisse ab ipsis Romanis, ut narravit *Polybius*, sed re ipsa sub illorum signis fuisse. Hæc sunt ejus verba: *in utriusque consulis exercitu octingenta millia armatorum fuisse referuntur, sicut Fabius historicus, qui eidem bello interfuit, scripsit: ex quibus Romanorum & Campanorum fuerunt peditum trecenta quadraginta octo millia ducenti, equitum vero viginti sex millia sexcenti.* Quando sermo est de quodam numero militum, ex pluribus populis in unum exercitum conscriptorum, nec alia additur distinctio major, quemadmodum ita loquutos fuisse apparet *Polybium* & *Fabium*, sive *Orosium*, nullus ego dubito, separatim alterum numerum ab altero aut nihil, aut parum fuisse disparem. Ceterum de equitibus Campanis, in quibus reipublicæ Campanæ vires maximam partem consistebant, dixit *Livius*, eos deinde in bello cum Romanis virtutis suæ satis manifesta dedisse specimina: *Sex millia armatorum habebant: peditem imbellem: equitatu plus poterant. Itaque equestribus præliis lacessebant hostem.* Et lib. XXVI. *In multis certaminibus equestria prælia ferme prospera faciebant, pedites superabantur.* Et ad hæc alludere voluit *Torquatus Tassus*, ubi in versibus istis, quos supra retulimus, narravit ex Campania nostra ad expugnandam Hierosolymam non alias, quam equestres copias fuisse profectas: ubi porro monendum est, ut poëtico more describeret nostram regionem, eum dixisse, copias istas reliquisse *plagas & colles* illius. Nam ceteroqui satis illi notum fuit istud *Aristotelis*, præceptum, quod non multo ante retulimus: unde & in *Comparatione Italiæ cum Gallia* in eadem fuit sententia, cum ita dixit: *Ne' paesi piani la nobiltà ordinariamente è guerriera, come quella, che può commodamente nudrir cavalli, & essercitarsi à questo modo di guerreggiare: In regionibus planis nobiles plerumque sunt bellicosi, ut qui commode possunt equos alere, & exercere se in hoc militiæ genere.* Et ad hoc apprime facit, illud, quod neque negare mihi solebat, & deinde quoque judicavit non debere se tacere cap. III. *Gymnasii Neapolitani* amicus meus *Petrus la Sena:* nempe Neapolitanos suos, quorum urbs, ut supra observavimus, ex sententia *Silii* neque *dives opum* fuit, neque *dives segetis*,

Aristoteles & Livius collati.

Et copiosus admodum fuit equitum Campanorum numerus,

Polybius & Paulus Orosius collati, & alio nomine discordes.

Polybius & Paulus Orosius illustrati.

Qui virtute superiores fuerunt equitibus Romanis.

Atque hoc quasi proprium & peculiare fuit hisce locis, quæ nec montuosa erant, nec littoralia.

Torquatus Tassus illustratus, & secum conciliatus.

Petrus la Sena laudatus.

tis, priscis temporibus se exercuisse *più che in altro nelle cose del mare, & ch'essendo la citta collegata co' Romani, par che solamente nelle marittime imprese venisse impilgata*; id est: *potissimum in re navali, & cum civitas eorum in societate cum Romanis esset, eos tantum ad maritimas expeditiones videri adhibitos fuisse.* Et de his sufficiat.

Boves Campaniæ Felicis non multi quidem sed idonei roboris, fuerunt ad ejusdem culturam.

Non tecte, sed apertis verbis de bobus nostris loquutus est *Columella* lib. VI. cap. I. Quod si de illis non amplas prædicavit laudes, ubi dixit: *Campania plerumque boves progenerat albos & exiles*, nihilominus satis eximia mihi videtur ista laus eorum fuisse, & non tantum ipsorum, sed & soli nostri, naturam dedidisse illis vires idoneas & ad agricolarum nostrarum usus accommodatas: unde idem auctor subjecit: *Labori tamen & culturæ patrii soli, non inhabiles.* Atque adeo hoc mediocre boum nostrorum robur neutiquam fuit quasi impotentis naturæ defectus si illa, quæ nihil operatur incassum agros nostros summa ornavit fœcunditate, & ipsis bobus, qui eos arare debebant, majorum virium, quæ nihil opus erant, largiri munus inutile noluit.

Lac vaccarum in monte Lactario, unde Lettere urbs nomen accepit, certissima in firmis solebat esse medicina.

Atque hoc satis esse verum inde apparet, quod illa admodum liberalis fuit in præstanda armentis atque gregibus nostris insigni virtute lactis modis pluribus. Illarum vaccarum lacti, quæ pascebantur in monte, qui Stabiis imminebat, hanc indidit virtutem, ut infirmis medicina esset certissima. Et ab hujus celebritate cum primo ortum esset nomen *montis Lactarii*, deinde *Lettere nomen* accepit urbs episcopalis ibidem condita, quæ tempore conscripti *Capitularis* Sichardi, principis Beneventani, cujus verba attulimus de promontorio Surrentino agentes, id est, anno epochæ Christianæ DCCCXXXVI. una erat ex *massis* sive pagis Ducatus Neapolitani, & forte omnium maxima. De hoc monte ita dixit *Cassiodorus* lib. XI. epist. X. *Salubritas aëris ejus cum pinguis arvi fœcunditate consentiens, herbas producit dulcissima qualitate conditas, quarum pastu vaccarum turba saginata, lac tanta salubritate conficit, ut, quibus medicorum tot consilia nesciunt prodesse, solus videatur potus ille præstare.* Et eandem laudem Stabianorum armentorum lacti tribuit *Symmachus* lib. VI. *epist.* XVIII. *Stabias* (dixit ille de liberis suis loquens) *ire desiderant, ut reliquias longæ ægritudinis armentali lacte depellant.* Sed hac de re nulli hominum tutius fidem habere poterimus, quam *Galeno*, prolixe de eodem lacte agenti *Methodi* lib. V. cap. XII. ubi de adolescente quodam infirmo narrat, qui a Roma *quarto tandem die navi Stabas pervenit, ususque est lacte, quod mirandam sane vim habet, nec sine causa prædicatur.* Et mox: *Pecora vero, quæ in colle ad Stabias pascuntur, boves sunt.* De hac virtute igitur laudatum fuit lac vaccarum Campaniæ nostræ ad terminum ejus Orientalem.

Cassiodorus, Symmachus, & Galenus, concordes.

Greges in campo Cæditio ad Sinuessam nobilem caseum Vescinum *dabant.*

Sed ad latus Occidentale e lacte gregum nostrorum in campo Cæditio ad Sinuessam fiebat nobilis ille caseus *Vescinus*, istoc nomine dictus ab urbe *Vescia*. De illo loquuti sunt *Plinius Secundus* lib. XI. cap. XLII. & *Martialis* lib. XIII. *epigr.* XXXI. quos attulimus in secunda *Dissertatione*, de Vescia ejusque agro agentes. Neque heic eadem denuo esse repetenda videntur.

X. *Solum Felicis Campaniæ facili cultura, dictum Latinis* Terra pulla.

In Campania asini etiam & vaccæ poterant arare.

Itaque naturam, quæ adeo munifica fuit & indefessa concedendo non unam virtutem solam lacti armentorum atque gregum nostrorum, nequaquam existimare oportet, aut parcam fuisse, aut impotentem, cum boves nostros non multarum voluit producere virium. Sane enim illa satis eos fortes creavit ad usus nostros, quandoquidem nostri agri, ut *Varro* dixit lib. II. cap. VI. *De re rustica*, ab asinis etiam arari haud difficulter poterant, quorum alii ad alia opera, & *plerique deducuntur ad molas aut ad agriculturam, ubi quid vehendum est, aut etiam ad arandum, ubi levis est terra, ut in Campania.* Et lib. I. cap. XX. affirmaverat hic vaccas etiam arare, ubi ita de juvencis dixit: *Ubi terra levis, ut in Campania, ibi non bubus gravibus, sed vaccis aut asinis quod arant, eo facilius ad aratrum leve adduci possunt.* Igitur hoc solummodo deerat, ut heic quoque fœminæ ararent, sicut in quibusdam regionibus fieri proditur. Ceterum de hac adeo facili Campaniæ, cultura denuo etiam *Columella*, qui nos ad hujus argumenti tractationem perduxit, loquutus est lib. V. cap. IV. ubi de singulari quodam arandi modo exponens scripsit ad hunc modum *Campania quoniam vicinum ex nobis capere potest exemplum, non utitur hac molitione terræ, quia gracilitas ejus soli minorem operam desiderat.* Et dixerunt veteres, heic adeo facilem esse culturam, quia terra Campaniæ, ut eam Latino vocabulo Campani appellabant, erat *pulla*, id est nigra, & simul pinguis atque fragilis. *In aliis regionibus* (verba sunt ejusdem *Columellæ* proœmio librorum *De agricultura*) *nigra terra, quam pullam vocant, ut in Campania, est laudabilis.* Et lib. II. cap. X. *Putre solum, quod Campani pullum vocant.* Veruntamen non hac, sed alia expositione descripsit hanc terram *Cato*, quamvis eandem ejus naturam demonstret, cap. CLX. *De re rustica: Per ver serito, in loco, ubi terra tenerrima erit, quam pullam vocant.* Et denuo apud *Plinium Secundum* lib. XVII. cap. V. ille *agrum optimum judicat ad radicem montium, planitie ad meridiem excurrente, qui est totius Italiæ situs; terram vero teneram, quæ vocatur pulla. Erit igitur hæc optima, & operis & satis.* Nam & *pullam* ille proprio vocabulo appellavit terram Campaniæ nostræ cap. CXLIV. *Aratra in terram validam Romanica bona erunt, in terram pullam Campanica.* Et ad hujus imitationem idem *Plinius* loquutus est lib. XVIII. cap. XXIII. hisce verbis: *Si fuerit illa terra, quam appellavimus teneram, poterit sublato hordeo milium seri, eo condito raphanus: his sublatis hordeum vel triticum, sicut in Campania: satisque talis, terra aratur, cum seritur.* Sed *Jovianus Pontanus* in *Dialogo*, cui nomen *Actius*, terram hanc *pullæ* nomen accepisse credidit, quod *pulverea*, non autem quod *pulla* esset, id est, nigra, & pro sententia sua citavit *Columellam*: ut adeo illa dicta fuerit *quasi pulvilla, id est, resolubilis & in pulverem versa, qualis est terra Campana, ut ait Columella, quæ nequaquam nigra est, ut quidam perperam arbitrantur, sed resolubilis & putrida, quæque sæpius arata in pulverem abit.* Et *Columella* sane posteriore ex duobus locis, quos proxime ex eo attulimus, cum *Pontano*; priore autem mecum loquutus est, & utroque loco verum dixit, tum quod ad se ipsum, tum quod ad naturam hujusce soli nostri attinet. Ad significationem vero hujus vocis quod attinet, priore loco diserte affirmavit, *pullam* idem valere quod nigram, de quo vel ipso tacente nihil omnino potuissem, dubitare, ut qui hanc esse vocis ejus in lingua Latina significationem noveram. Certe pulverea est hæc terra, quæ simul etiam pulla sit ista significatione, qua eam vocem accipiebant Campani. Audiamus quæso eundem *Plinium*, qui lib. XVIII. cap. XI. Ita dixit de campo Leborio: *Gratia*

re, nedum boves ejus.

Hoc ideo, quod istic facili cultura solum erat, quod dictum fuit TERRA PULLA, *id est, nigra.*

Columella, Cato, & Plinius Secundus collati variis locis.

Non autem pulverea.

Jovianus Pontanus refutatus.

Licet etiam pulverea sit terra pulla.

Gratia terræ ejus, ut protinus soli natura dicatur, pulverea summa, inferior bibula. Et mox: *Seritur toto anno, panico semel, bis farre.* Atque adeo & tenera, & pulla, & pulvera erat istius agri terra, de quo eum apparet fuisse loquutum in præcedentibus. Sed non molestum fore puto legentibus itidem ex *Plinio* intelligere alias veræ terræ pullæ sive teneræ conditiones, de quibus ille lib. XVII. cap. V. scripsit ad hunc modum: *Intelligere modo libeat, dictam mira significatione teneram & quicquid optari debet, in eo vocabulo invenietur. Illa temperatæ ubertatis, illa mollis facilisque culturæ, nec madida, nec sitiens. Illa post vomerem, nitescens, qualem fons ingeniorum Homerus in armis a Deo cælatam dixit* (nempe *Iliados* lib. XVIII.) *addiditque miraculum nigrescentis, quamvis fieret in auro. Illa, quam recentem exquirunt improbæ alites, vomerem comitatæ, corvique aratoris vestigia ipsa rodentes.* Ita *Plinius*. Sed forte perspicaci ingenio *Pontani* nebulas offudit copiosus ille pulvis, quem *Horatius* lib. II. *Sat.* VIII. dixit in agris nostris ab Aquilone concitari:

Cujus insuper aliæ ad hunc fuere qualitates.

Et admodum pulveri fuerunt agri Campani.

Interea suspensa graves aulæa ruinas
In patinam fecere, trahentia pulveris atri,
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.

Et potest etiam, ille accessisse pulvis, qui equitum suorum cursu excitatus Rogerium, Siciliæ Comitem, ne hostes persequeretur, impedivit, cum hic una, cum Rogerio, cognato suo eodemque Apuliæ Duce, anno a Servatoris ortu MXCVIII. mense Majo, in auxilium venit Richardo II. Principi nostro Normanno, ut Capuam recuperaret & principatum Campanum, unde Richardum post mortem patris sui, Jordani I. expulerant Barones Longobardi principio anni MXCI. cumque fines Campanorum ingressus ad latere versus Beneventum, & *cum mille armatis exercitum præcedens*, (verba sunt *Godefridi Malaterræ* lib. IV. cap. XXVI.) *ad urbem accessit: extractos plurimos, militariter dejectos, damnose ludificavit. multosque amplius læsisset, ni pulvis equorum pedibus excitatus, & a vento condensissime agitatus, intercessisset.* Sed transeamus ad alia.

Horatius & Godefridus Malaterra conciliati.

XI. *Campania Felix industria in colendis agris: item in formandis instrumentis rusticis, variique generis vasis; ut & in aliis operibus artificiosis.*

Abundavit itaque Campania nostra omnibus naturæ dotibus, iisque magnam partem singulari laude celebratis, supra quamlibet aliam regionem: insuper, ut supra intelleximus, mitissimo cœlo, locisque ornata fuit amœnissimis. Atque adeo *ex hac copia*, ut *Ciceronis* utar verbis in *Agraria* II. *atque omnium rerum affluentia primum illa nata sunt: arrogantia, qua a majoribus nostris alterum Capua consulem postulavit: deinde luxuria, quæ ipsum Annibalem, armis etiam tum invictum, voluptate vicit.* Sed nolim propterea quenquam existimare, omnes in universum Campanos hisce vitiis adeo fuisse immersos, ut alia non curantes, non studuerint quoque suapte industria augere patriæ suæ tantopere laudatæ naturales dotes. *Cicero* verba sua accommodavit ad causam, quam agebat: sed audiamus *Cassiodorum*, qui lib. VIII. *epist.* XXXIII. de frequenti quodam mercatu narrans, qui habebatur in Lucaniæ loco, qui *Leucothea* dicebatur, & forsan ille est, cui hodie *la Licosa* nomen; affirmavit, quasi ad æmulationem aliarum regionum istuc e Campania mitti solere non tantum quicquid illa naturæ beneficio eximium, sed & quicquid incolarum labore & industria præcipuum habebat, quasi etiam hæc altera fuerit illi propria laus & peculiaris. Verba ejus hæc sunt: *Est enim conventus iste & nimia celebritate festivus, & circumjectis provinciis valde proficuus. Quicquid enim præcipuum aut industriosa mittit Campania, aut opulenti Brutii, aut Calabri peculiosi, aut Apuli idonei, vel ipsa potest habere provincia, in ornatum pulcherrimæ illius venalitatis exponitur.* Igitur Campaniam ille *industriosam* appellavit: & ex verbis ejus ego colligo, hanc nostrorum Campanorum industriam non tantum ad rem spectare rusticam, sed ad multa quoque opificum artificumque opera, quæ ab iisdem veteribus satis fuerunt celebrata. Atque ex his cum quorundam nobis nonnulla supersit notitia, in unum illa colligere ab instituto nostro atque argumento non erit alienum.

Campania Felix, cujus summa fertilitas Campanos reddidit arrogantes & luxuriosos,

Nihilominus INDUSTRIOSÆ encomio laudata fuit,

Propter exercitia rei rusticæ, ut & aliarum artium.

Narravit *Livius* lib. XXVI. & eadem affirmavit *Cicero* loco, quem paulo ante citavimus, Capua subacta ab Romanis bello Punico secundo *urbem servatam esse, ut esset aliqua aratorum sedes: urbi frequentandæ*, (cum jam magna Senatorum pars morte mulctata esset, & reliqui cives loci honestioris ejecti essent in exilium) *incolarum, libertinorumque, multitudinem & institorum, opificumque retentam.* Atque hoc modo iidem victores *illam Campanam arrogantiam atque intolerandam ferociam ratione & consilio* (cum solummodo locum ibi reliquissent *sellulariis* artibus, quæ dictæ etiam *sedentariæ*) *ad inertissimum & desidiosissimum otium perduxerunt.* Atque adeo cum eam in præfecturæ formam redegissent, quasi mercatum eam voluerunt esse ad quoslibet usus ruricolarum in Campania gentium. *Illi Capuam receptaculum aratorum, nundinas rusticorum, cellam atque horreum Campani agri esse voluerunt.* Et ejusdem mercatus, sive eorundem, sive aliorum temporum occurrit mentio in ista veteris cujusdam *Calendarii* parte, quam *Gruterus* retulit in libro *Inscriptionum* pag. 136. ad hunc modum: *Æstas ex* XI. K. *Mai in* X K. *Augusti. Dies* LXXXXIIII. *Nundinæ Aquini in Vico. Interam. Minturn. Romæ. Capuæ. Casini. Fabrat.* Jam hinc mihi videor in eodem communi mercatu Campano cognoscere posse, in quibus potissimum artibus operibusque præter cetera Campania nostra fuerit industria. Et primum quidem de rebus ad agriculturam pertinentibus dicere libet, quoniam isto hominum genere temporibus illis abundabat idem mercatus, & ipsi quoque Campani maximam partem non alia tum temporis erant conditione, unde & a *Cicerone* dicti fuerunt *tunicati* in eadem *Agraria* II. *Jam vero qui metus erat tunicatorum illorum, & in Albana, & Seplasia?* (publicorum locorum hæc fuerunt nomina in urbe Capua, & viarum ejus) *quæ concursatio percunctantium, quid prætor edixisset? ubi cœnaret? quid enunciasset?* Veruntamen, ut hoc obiter moneam, *Livius* lib. XXIII. ubi de præcedentibus narrat temporibus, nobiles homines nostros descripsit nobis tanquanquam *togatos*, cum de Perolla, patri consilium interimendi Annibalis aperiente, ita dixit: *Toga rejecta ab humero latus succinctum gladio nudat.* Ad illud autem tempus quod attinet, quo hæc urbs deinde fuit Romanorum colonia, satis certum est, togam tunc frequenti in usu apud nos fuisse. Igitur ut hanc disputationem, sicut dixi, de re rustica potissimum incipiamus, heic mihi videor agrimensores nostros videre tractantes de isto suo peculiari modo metiendi agros, qui teste *Varrone* lib. I. cap. X. *De re rustica* diversus fuit ab illo, quo Hispani, & item, quo Romani utebantur. *In Hi-*

Capua rebus adversis suis, communis fuit Campaniæ mercatus,

Livius Cicero & vetus Inscriptio collati.

Ad quem principio non aliud hominum genus conveniebat, quam tunicati,

Cum quidem antea, & deinde etiam Campani fuerint togati.

Ibidem oportet affuisse agrimensorum copiam, quibus peculiaris erat in Campania mensura,

Hispania ulteriore (verba sunt *Varronis*) *metuntur jugis, in Campania versibus*, (hoc nomen hodie penes Apulos residet, qui *versuras* dicunt) *in agro Romano ac Latino jugeris*. Atque hinc *Ciceronem* deprehendimus, de agro Campano loquentem in citata *Oratione*, & item *ad Atticum* lib. II, *epist.* XVI. ejusdem agri mensuram demonstravisse modo Romanis suis usitato, non autem modo nostro, dum illam expressit jugerum numero usus. Porro ad communes venditorum emptorumque usus oportet heic admodum istud peculiare *staterae* genus, quae proprio nomine dicebatur *Campana*, & cujus iidem nostri Campani fuerunt inventores, ut *Isidorus* testatur lib. XVI. cap. XXIV. ubi de ponderibus tractans haec verba habet: *Campana a regione Italiae nomen accepit, ubi primum ejus usus repertus est. Haec duas lances non habet, sed virga est, signata libris & unciis, & vago pondere mensurata.* Atque huc facit, quod in veteribus legitur *Glossariis*: Καμπανὸς, stater. Sermones autem heic mihi videor audire nescio, utrum Latino, an vero Osco idiomate: sed confuse forsan utroque, (qua de re alibi sumus acturi) tum de rebus aliis, tum quo pacto nostros agros arari oporteret. Neque enim nostri homines eodem arandi modo fuerunt usi cum Romanis, ut affirmat *Columella* lib. V. cap. IV. *De agricultura: Campania, quoniam vicinum ex nobis capere potest exemplum, non utitur hac molitione terrae, quia facilitas ejus soli minorem operam desiderat.*

Ut & statera, quae dicta fuit Campana, *& statera peculiare genus fuit.*

Loquebantur autem ibi sermone Osco, vel Latino, tum aliis de rebus, tum de proprio nostros agros arandi modo.

Capuae mercatu veniebant aratra Campana:

Jam vero ut colligi potest ex illis quae notavit *Cato*, quem non multo ante retulimus, oportet in hoc mercatu nostro magnam fuisse copiam levium aratrorum Campanorum, quae cum soli nostri facilitate conveniebant. Idem de falcibus quoque dici potest, quae siquidem heic peculiare a nobis acceperunt nomen, non possum non credere, earum itidem peculiarem apud nos fuisse formam, licet illud tacuerit *Varro* lib. IV. *De lingua Latina*, qui hoc tantummodo dixit: *Falces a farre, litera commutata. Hae in Campania seculae, a secando.* Atque heic tacere nequeo, mirum videri hoc mihi multaeque difficultatis, Campanos nostros, qui supra quemlibet alium Italiae populum praestantissimi farris ubertate gaudebant, potius *seculae*, quam *falcis* adscivisse nomen, si hoc ab eodem farre ortum erat. *Josephus Scaliger* in *Notis* ita existimavit: *Purum putum Syriacum est. Itaque saepe labitur Varro ignoratione peregrinarum linguarum.* Sed videat ipse *Scaliger*, ne haec etymologia sua nimium a Latio sit remota & aliena. Idem *Cato*, cujus supra mentionem fecimus, loco citato prudentem & frugi ruricolam dixit emere debere aliam supellectilem in aliis Campaniae oppidis: nempe *Calibus & Minturnis cuculliones, ferramenta, falces, palas, ligones, secures, ornamenta, murices: catellas Venafro, tegulas ex Venafro, trapetos Pompejis, Nolae ad Rufri maceriam claves, fiscinas Campanas.* cujus in eodem quoque communi mercatu Campano oportet affuisse non vilem & pretii non magni copiam: sed pariter etiam dixit, *hamas urnas olearias, urceos aquarios, urnas vinarias, alia vasa aheneae Capuae* bene emi, ut & *funem subductarium, spartum omne Capuae.* Atque haec supellex non ad unam duntaxat, sed ad varias pertinebat artes. Verum heic longam moveri posse quaestionem video an ille per funes *subductarios*, id est, quibus quaelibet res graves tolluntur & moventur, forte etiam intellexerit funes, qui variis modis conficiebantur ex vero sparto, quod virgulti genus est, ut contra *Cardanum* notavit *Julius Caesar Scaliger Exercitat.* CXXXIX. medium inter fruticem atque herbam, & affirmante *Matthiolo* ad *Dioscoridis* lib. IV. cap. CLIX. multum simile genistae. Verum spartum, sed nullius utilitatis in Africa nascitur, & multo praestantius in Hispania, ut adeo facillime potuerit *Cato* non verum intellexisse spartum, sed ipsam genistam: nam *genista quoque*, teste *Plinio Secundo* lib. XXIV. cap. IX. *vinculi usum praestat.* Idem se dubitare dixit, *an haec sit, quam Graeci auctores sparton appellavere, cum ex ea lina piscatoria apud eos factitari docuerit: & nunquid hanc designaverit Homerus, cum dixit* (nempe *Iliados* lib. II.) *navium sparta dissoluta: nondum enim fuisse Africanum vel Hispanum spartum, certum est.* Nequit sane Campania nostra credi fuisse sparti ferax, cum hoc ut ejusdem auctoris utar verbis lib. XIX. cap. II. *non queat seri, juncusque proprie aridi soli, uni terrae dato vitio. namque id malum telluris est, nec aliud ibi seri aut nasci potest.* Atque hanc ob caussam genista quoque heic non nascitur, quae consimilis est naturae. Igitur nisi credere volumus, ex Hispania ad nos delatos funes istos, perinde ac navibus cuniculi magna copia indidem advehebantur Ostiam & Puteolos, ut lib. III. affirmat *Strabo*, cujus verba ita Latine reddidit interpres: *Abundantiam vero eorum, quae ex Turditania exportantur, navium magnitudo & multitudo indicat. maximae enim onerariae naves inde ad Dicaearchiam & Ostia, quod est Romae navale, advehuntur*; hoc inquam nisi credere volumus, ita ut ista in regione magna eorundem funium fuerit copia, qua de re penes alios esto judicium, dicendum est, *Catonem* intellexisse funes ex genista nostra confectos, more Graecorum, & *Homeri*, atque illos laudavisse, qui Capuae veniebant, delati eodem vicinis ex locis, ubi hodieque affatim nascitur ista herba. Idem quoque *Cato*, quae vinitori opus sint ad vineam recte curandam exponens, inter vasa numeravit *urnas sparteas* VI. *amphoras sparteas* IIII. Atque hae si ad vinum aliumve laticem servandum fuerunt adhibitae, ut *urnarum* atque *amphorarum* nomen demonstrare videtur, lubens assenserim *Marcello Donato* in *Notis* ad *Livii* lib. XXII. *ex funibus sparteis confectas, pice postea, vel resina, cerave oblinitas fuisse.* Nam minus placet ista altera ejus expositio, posse etiam dici, *ex sparti juncis easdem contextas fuisse*: id est in modum vulgarium apud nos canistrorum, quae solummodo ad aridarum rerum usus expediunt.

Item seculae, *Latinis dictae* falces; *sed nec a* farre, *ut videtur, nec a voce quadam Syriaca:*

Varro & Josephus Scaliger notati modis diversis.

Tum multa alia instrumenta rustica, & vasa varii generis, ut & crassi funes, & varii operis funes ex sparto,

Id est genista, quae sparto similes est herba,

Et in vicinis regionibus nascitur. Quod si funes illi ex vero sparto erant, aliunde ad nos invecti fuerunt.

Ex eodem sparto conficiebantur etiam vasa humidis continendis.

Marcellus Donatus laudatus, & alio nomine refutatus.

Porro autem Capuae emi vasa ahenea suasit *Cato*. Sed cum nec formas eorum nec nomina distinguat, videtur in universum intellexisse omnia, quae ad qualemcunque usum confecta erant ex aere. Atque horum magnam oportet Capuae fuisse copiam, quia aes erat in Campania satis eximium. *Plinius* lib. XXXIV. cap. VIII. scripsit de multis generibus aeris: de *coronario*, *regulari*, & *Caldario*, & nullibi praestantius esse, quam in Cypro insula dixit, tumque ita subjecit: *In reliquis generibus palma Campano.* Idem cap. I. ejusdem libri Campano primorum temporum palmam dedisse videtur supra quodlibet aliud. *Fit* (haec ipsius sunt verba) *& e lapide aeroso, quem vocant Cadmiam. celebritas in Asia, & quondam in Campania: nunc in Bergomatium agro, extrema parte Italiae.* Non distinxit tempora *Isidorus*, & supra omnia genera aeris Campanum laudibus extulit, nec id forsan sine communi sui saltem seculi sententia, ubi *Etymol.* lib. XVI. cap. XIX. ita dixit: *Campanum inter omnia genera aeris vocatur a Campania provincia, quae est in Italiae partibus, utensilibus & vasis omnibus probatissimum.* Et ex hujus verbis ista in mentem co-

Capuae optima erant vasa ahenea, propter boni aeris in Campania copiam;

Quod si non primam, ab omnibus laudem habuit, certe apud omnes satis in pretio, & peculiari nomine dictum fuit Campanum.

Et ab hoc non vero

Campania dicta fuerunt campanæ, quæ olim a loci nomine nolæ.

cogitatio incidit notissima illa ex ære instrumenta, quibus ad sacra inservientibus homines ad divina convocantur officia, quæque vulgo dicuntur *Campanæ*, & quondam dicta fuerunt *nolæ*, inventaque esse creduntur a S. Paulino, episcopo Nolano, *campanarum* nomen accepisse a materia, & *ære Campano*, non vero a *Campania*. Primum a patria inventoris *nolarum* nomen acceperunt, quod jam in desuetudinem abiit, sicut *gloccas* quoque & *cloccas* dixerunt a sono. Cumque primo nomine demonstraretur illorum causa materialis, secundo efficiens, tertio formalis, deesse videbatur causa quarta, nempe finalis, & adeo dicta etiam fuerunt *signa*, ut satis esse notum arbitror.

Abundavit Campania Felix varietate vasorum minus nobilibus ex metallis, unde illa dicta supellectilis Campanæ nomine,

Insuper *Cato*, ut supra intelleximus utile judicavit esse, Capuæ emi vasa quædam humidis continendis, id est: *hamas*, *urnas olearias*, *urceos aquarios*, *urnas vinarias*. Sed cum ille subjecerit: *alia vasa ahenea*, verba ejus duplicem admittere possunt interpretationem: nempe eum & posterioribus hisce verbis postquam speciatim quædam vasa memoraverat, voluisse demonstrare se idem quoque dicere de omnibus aliis vasis aheneis cujuscunque formæ & nominis; & æque se loqui de his atque de illis ex creta formatis, quæ priore loco retulerat. Sane *Horatius* nomine *supellectilis Campanæ* appellavit vasa, quibus ipse utebatur ad parcam suam tenuemque mensam, cum non haberet alia ex nobiliore metallo, hisce lib. I. *Sat.* VI. versibus:

—— —— *adstat echinus*
Vilis cum patera guttus, Campana supellex.

Licet alioqui satis in pretio essent,

Ad quæ ita commentatus est vetus interpres ejus: *Campana supellex. fictilis: quia in Campania vascula optima fingebantur ex argilla, vel ære.* Et ita *Acron: Fictilis. viminea, vel ænea: quia in Campania dicebantur æneæ res optime fabricari.* Denique *Porphyrio: Campana scilicet, quia Capuæ hodie ærea vasa studiosius fabricari dicuntur.*

Horatius illustratus. Veteres interpretes ejus refutati.

Verum, si recte video, non plenissime illi sunt assequuti mentem auctoris, qui non elegantiam, sed tenuitatem solummodo mensæ suæ notare volebat. Ita quoque descriptus ab eo est lib. II. *Sat.* III. avarus ille, sed satis locuples Opimius, ad sordidissimam mensem suam.

—— —— *Vejentanum festis potare diebus*
Campana solitus trulla, vappamque profestis.

Ut specialiter fuerunt vasa cretacea: id est obbæ Calenæ, calices Cumani,

Et iidem interpretes neque hæc verba alio sensu acceperunt. Sed iste poëta si pro vilibus habuit vasa Campana per causam materiæ, non potuit idem judicare de multis illorum, licet ficta essent ex creta, cum hæc vulgo satis in pretio fuerint. Non satis certus sum, an inter illa fuerint etiam *obbæ Calenæ*, *Varroni* memoratæ apud *Nonium Marcellum* hisce cap. II. verbis, ad vocem *Obba: Dolia atque apothecas tricliniares Melicas, Calenas obbas*, (ita lego ad similitudinem illorum, quæ sequuntur, non vero sejuncte, *Calenas*, *obbas*) *& Cumanos calices.* Ceterum de *Cumanorum calicum*, & adeo omnium aliorum vasorum Campanorum nobilitate, quo nomine *Plinius Secundus* lib. XXXV. cap. II. illam celebravit urbem, nihil quicquam, dubitare possum: *Nobilitantur iis* (ita *Plinius*) *opida quoque, ut Rhegium & Cumæ.* Et *Martialis* lib. XIV. *epigr.* CXIV. cui titulus *Patella Cumana*, scripsit hosce versus:

Varro emendatus.

Hanc tibi Cumano rubicundam pulvere testam
Municipem misit casta Sibylla suam.

Et calices Surrentini.

Parem apud eundem *Plinium* laudem habuerunt eodem loco *calices Surrentini* de quibus ita ille dixit: *Major quoque pars hominum terrenis utitur vasis. Samia etiamnum in esculentis laudantur. Retinet hanc nobilitatem & Arretium in Italia, & calicum tantum Surrentum, Asta, Pollentia.* Nec minus eosdem calices laudavit *Martialis* lib. XIII. *epigr.* CV. cui titulus *Vinum Surrentinum.*

Surrentina bibis nec murrhina picta, nec aurum
Sume: dabunt calices hæc tibi vina suos.

Et denuo lib. XIV. *epigr.* CII.

Accipe non vili calices de pulvere natos,
Sed Surrentinæ læve toreuma rotæ.

In Cumanis autem primum laudabatur rufus color, in Surrentinis levitas ponderis.

Inter varia opera fabrilia, quæ Latinis dicta intestina, Campanum quoque genus fuit ex ligno confectorum,

Jam vero post vasa metallica ex ære atque argilla, quæ satis industrie fingebant artifices nostri Campani, dicendum est de operibus, ex ligno quæ fiebant, quod itidem metalli nomine dixerunt auctores nonnulli, quos de alica agentes supra citavimus. Opera hæc Latini appellaverunt *intestina*, unde illorum fabri *intestinariorum* nomen acceperunt. *Firmissima* (dixit *Plinius Secundus* lib. XVI. cap. XLII.) *ad tectum abies. Eadem valvarum repagulis, & ad quæcunque libeat intestina opera aptissima, sive Græco, sive Campano, sive Siculo fabricæ artis genere spectabilis.* *Gulielmus Philander* in *Notis ad Vitruvium* lib. VI. cap. III. nos admonuit, *omne opus materia constans, significari intestini operis appellatione.* Et huic quidem ego non moveo controversiam: sed *Plinium* apparet speciatim loquutum fuisse tantum de operibus ex ligno. Et in *Codice Theodosiano* lib. XIII. *tit.* IV. *intestinarii* sunt artifices lignarii, qui numerantur inter aliarum varii generis artium magistros numero ad triginta quinque, quibus Imperator Constantinus immunitatem concessit a publicis negotiis, ut in sua quisque arte ad perfectionem se exercere posset.

Plinius Secundus illustratus.

quorum artifices dicti fuerunt intestinarii.

Peristromata Campana æque nobilia fuerunt ac picti panni Babylonici.

Sed inter opera nostra maxime elegantia fuerunt *peristromata Campana*, qui nobis dici forte possint *panni razzi*, id est, panni acu picti: aut fuerunt panni, picti non multum dissimili modo. Hæc peristromata *Plautus* in principio *Pseudoli* servorum quorundam lateribus assimilavit, lividis notis post multa verbera variegatis, hisce versibus.

Ita ego vestra latera loris faciam, ut valide varia sint:
Ut ne peristromata quidem æque picta sint Campanica,
Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia.

Plautus illustratus.

Et oportet illa in magno fuisse pretio, quandoquidem ab isto Comico pariter cum nobilissimis tapetibus Alexandrinis in eandem comparationem sunt conjuncta.

Unguenta ex rosis Campanis confecta, copiosa propter harum abundantiam, & pretiosa propter præstantiam earundem.

Igitur cum jam ab agris nostris eorumque cultura, ut & instrumentis vasisque rusticis quasi per gradus ad pulchre exornatas adscenderimus nostrorum Campanorum cameras, qui immodico quarumlibet deliciarum studio notantur; quonam alio, quam hoc loco commodius de unguentis nostris disputare poterimus, quæ orbem perinde odore atque laudibus suis impleverunt? Festinatione quadam, ut ita dicam, contendebat ad principatum inter omnes rosas rosa *Campana*, quasi indigne latura scilicet, si penes ipsam solam non esset summa laus inter omnes. Nam *genera ejus* (verba sunt *Plinii secundi* lib. XXI. cap. IV.) *nostri fecere celeberrima, Prænestinam, & Campanam.* Existimavit illa igitur palmam obtinere posse præcoci maturitate, ut ita tempore quoque unguenta sua, non secus ac celebritate, prima essent inter omnia aliorum locorum unguenta. *Præcox Campana:* (subjecit *Plinius*) *sera Milesia: novissime tamen desinit Prænestina.* In hac nobili contentione non cessavit adjuvare virtute sua commune

mune *rosarum Campanarum* nomen quidam ex agris nostris, qui non aratus *fundit rosam*, (ut idem auctor affirmavit lib. XVIII. cap. XI.) *odoratiorem sativa. Adeo terra non cessat parere*: ut ita per hanc quoque insignis rosarum copiæ caussam ex omnibus unguentis penes nostra laus esset sine exceptione integra. *Unde dictum est*, (pergit idem *Plinius*) *plus apud Campanos unguenti, quam apud cæteros olei fieri.* Denique natura hanc regionem olei præstantissimi feracem esse voluit, ut ita modis omnibus unguenta Campana singulari essent in pretio. *Nusquam generosior oleæ liquor*, dixit idem auctor, ut supra intelleximus. Nihilominus, ut ejusdem verbis utar lib. XIII. cap. III, habita fuit *terrarum omnium Ægyptus accommodatissima unguentis*, & post Ægyptum secundo loco Campania: *Ab ea Campania est, copia rosæ.* Et *Athenæus* lib. XV. ex opinione cujusdam *Apollonii Herophilii* multum quidem laudavit unguenta nostra, ex rosis confecta, sed nec minus aliarum quoque regionum ungueta, sive ex eodem, sive ex alio flore. *Dalecampius* ita Latine reddidit ejus verba: *Pro varietate locorum unguenta fiunt præstantissima, quod ita scribit Apollonius Herophilius in libro de unguentis: Irinum optimum in Elide & Cyrico: rosaceum nobilissimum ex Phaselide, Capua, & Neapoli*, &c. Neque etiam *Plinius Secundus*, qui ex omnibus unguentis ad Italica, denique palmam devenisse affirmavit solis tantum Campanis illam tribuet, quandoquidem ita dixit lib. XIII. cap. I. *Irinum Corinthi diu maxime placuit, postea Cyrici. Simili modo Rhodinum Phaseli, quam gloriam abstulere Neapolis Capua, Præneste.* Igitur siquidem verum est, & negari nequit, *unguentorum, præstantiam* (ut itidem affirmavit *Athenæus* eodem loco) *locis imputandam non esse, sed artificum peritiæ, & materiæ, quæ suppeditatur*; & siquidem verissimum quoque est, materiæ, id est, florum præstantiam præ cultorum deligentia majorem solere esse aut minorem; unguenta nostra serioribus demum temporibus palmam obtinuerunt ab extraneis, & peritiæ gloria in hoc artificio non fuit penes antiquiores nostros Campanos. Atque adeo *Plinius* etiam, & *Apollonius* ab *Athenæo* relatus, non inconvenienter Capuam perinde & Neapolim prorsus æquali gradu & nullo cum discrimine laudaverunt de unguentorum nobilitate: & ita propter harum urbium propinquitatem, utrobique & artificum diligentiam, & materiæ, id est, rosarum præstantiam prorsus oportet fuisse parem.

Ut & olei Campani, *Principio non ab omnibus prima laude fuerunt celebrata*, *Nec deinde etiam inter Italica unguenta ipsis solis palma est adjudicata.* *Neapolitanorum enim eadem fuit laus, quæ Campanorum, propter artis unguentariæ & rosarum præstantiam parem.*

Verum satis amplior & antiquior etiam fuit illa Campanorum unguentariorum laus, quæ ad cujuscunque generis unguentorum atque odoramentorum, pertinuit apud nos artifices, qui inde usque a temporibus reipublicæ Campanæ peculiarem nostræ urbis incolere vicum consueverant nomine *Seplasiam*, cui magna inde celebritas accessit. *Seplasia* (dixit *Festus*) *forum Capuæ, in quo plurimi unguentarii erant.* Et *Asconius Pedianus* ad *Ciceronis Pisonianam* ita commentatus est: *Dictum est in dissuasione legis agrariæ apud populum, plateam esse Capuæ, quæ Seplasia appellatur, in qua unguentarii negotiari sint soliti. Sed & ipse Tullius* in *Agraria* II. mentionem fecit hujus plateæ, & una illius itidem in urbe Capua, cui nomen *Albana*, & utramque descripsit, tanquam etiamnum suo ævo satis nobilem & frequentem urbis locum. Verba ejus retulimus principio hujus de Capuæ mercatu disquisitionis in quo commaxime adhuc moramur. Insuper ille in *Oratione pro Sextio* Seplasiam descripsit, tanquam locum deliciis ac voluptate plenum: unde *Valerius Maximus*, ubi lib. IX. cap. I. de Annibale commorante Capuæ loquitur, ita dixit: *Tum demum fracta & contusa Punica feritas est, cum Seplasia ei & Albana castra esse cœperunt.* Nec in *Pisoniana* quoque aliter de Seplasia loquutus est *Tullius*, in qua perinde atque in illa *pro Sextio* in eundem Pisonem invehitur, qui Capuæ duumvir fuit una cum A. Gabinio, ut coloniam ordinaret atque componeret, quam eo deduxerat Cæsar. In *Pisoniana* dixit ad hunc modum: *Quam teter incedebat, quam truculentus, quam terribilis aspectu? unum aliquem te ex barbatis illis, exemplum imperii veteris, imaginem antiquitatis, columen reipublicæ diceres intueri. Vestitus asper, nostra hac purpura plebeja, ac pene fusca: capillo ita horrido, ut Capua, in qua ipse tum imagines formandæ causa duumviratum gerebat, Seplasiam sublaturus videretur.* In altera *pro Sextio* contra eundem Pisonem ita dixit: *Seplasia meherele, ut dici audiebam, te ut primum aspexit, Campanum consulem repudiavit. Audiverat Decios Magios*, (in quibusdam codicibus distincta leguntur hæc nomina, quæ apud *Livium* lib. XXIII. unius ejusdemque sunt hominis) *& de Taurea illo Jubellio aliquid acceperat:* (hi fuerunt nobilissimi Campani, in ejusdem *Livii Historiarum* libris satis celebres) *in quibus si moderatio illa, quæ in nostris solet esse consulibus, non fuit*, (non ad hunc modum nobis discripsit illos *Livius*, qui de prudentia, & animi corporisque robore multum illos laudavit) *at fuit pompa, fuit species, fuit incessus*, (non hæc ipsorum proprie, sed vulgo Campanorum fuerunt vitia, qui habitu, ad spectu, & incessu fastum prodebant) *saltem Seplasia dignus & Capua.* Sed cum neque ex his, neque ex superioribus verbis, ut nec ex *Agraria* illa II. in Seplasia nominatim artem unguentariam fuisse exercitam deprehendi queat, licet ceteroqui de illa loquutus fuerit, tanquam de loco, jam antiquioribus Capuæ temporibus multum celebri; nihilominus deinde in *Pisoniana*, converso in *Gabinium* ejus collegam sermone, nobis exposuit, in ea unguentarios egisse magna copia, ut & mollissimi, delicatissimique ornatus magnos artifices: *Gabinium denique* (ita subjecit ille) *si vidissent duumvirum vestri illi unguentarii, citius agnovissent. Erant illi compti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ, & fluentes cerussatæque buccæ, dignæ Capua, sed illa vetere* (en sine ullo obscuritatis velo veteres unguentarios Campanos) *nam hæc quidem, quæ nunc est, splendidissimorum hominum, fortissimorum virorum, optimorum civium, mihi amicissimorum, multitudine redundat.* Certe unguenta, ex rosis Campanis plurium generum confecta, hujus oratoris, & item *Plinii Secundi* ævo, qui non multo post tempore vixit, per frequentissimum usum, tam apud indigenas, quam exteros etiam, ad summum laudis gradum processerant: atque adeo novi hiçe Campani nostri, & ipsi deliciis immersi, quæ priscas etiam superabant, magno miraculo fuerunt tamen magis ad virtutem formati & temperantiores majoribus suis. Potest solvi hic nodus: nam erant illi coloni Romani. Nec multum diverso modo solvit eum *Tullius*, cum illos dixit, *sibi amicissimos.* Ita igitur iste orator, verba sua accommodans ad affectus suos solenni sibi more etiam aliis in occasionibus, quam in foro duntaxat & senatu. Consueverat enim ille sedere duabus in sellis, ut exprobratum illi fuit ab *Laberio* apud *Macrobium* lib. II. cap. III. *Saturnalium.*

Capuæ negotiabantur unguentarii *in* Seplasia, *Qui satis nobilis atque elegans erat vicus.* Valerius Maximus illustratus. *Frequentabant Seplasiam potissimum nobiles illi Campani, qui majestatem & pompam præferebant.* Cicero a Livio dissors. *Eadem mollities ad luxum & mollitiem pertinentia, submini strabat.* *Quorum vir tiorum nomine notati fuerunt antiquiores, non vero recentiores Campani.* Cicero notatus.

Abundavit itaque omnibus temporibus Capuæ Seplasia unguentariis, quorum *Ciceroni* negare non possumus etiam hanc artem fuisse, ut fucum & cerussam componerent, quarum altera satis bene

Fuit etiam celebritas unguentis Neapolitanis, quorum

Artificibus propria fuit ars componendi fuci.

bene jungebatur alteri arti. Sed, ut verum dicam, videtur mihi hujusce artificii laus proprie & speciatim penes Neapolitanos fuisse unguentarios, cujus urbis unguenta non minus fuerunt celebrata Campanis. Atque hac de re satis conciso sermone, quem fortasse non integrum nobis retulit *Nonius Marcellus* cap. III, nos admonere *Varro* voluit ad hunc modum: *Hic narium Seplasiæ, hic hedycus Neapolis.* Quicunque non prorsus est alienus ab hujusmodi considerationibus, levi negotio in Seplasiæ nomine odorari poterit unguenta ejus odorifera ad unguendum corpus, quæ Campanorum erant propria: atque adeo pro voce *Hedycus*, cum ad Neapolim pertineat, nec ullus inde, si ad hunc modum legatur, commodus elici queat sensus, tuto credere licet, restituendum esse *Hedychrum*, quod elegans fuit & Græcum cujusdam unguenti nomen, ut notavit *Petrus Victorius* ad *Ciceronis Tuscul. Quæst.* lib. III, quod ita dictum fuit, *quod gratam aspectu, suavemque, & nitidam cutem redderet, ac bonitatem coloris præstaret.*

Varro emendatus & illustratus.

A nomine Seplasiæ Campanæ, quæ dives evasit per artem unguentariam, & abundavit aromatibus exoticis, Varro & Plautus collati & illustrati. Turnebus laudatus.

Ceterum ad istam, quam diximus, insignem peritissimorum unguentariorum Campanorum in Seplasia frequentiam, unde illam multis oportet abundasse divitiis respexit idem *Varro* loco citato hisce verbis aliis: *Doti dato insulam Chium, agrum Cæcubum, Seplasia Capuæ, Macellum Romuli.* Atque huc alludere voluit etiam *Plautus* in *Rudente* hisce Act. III. Sc. II. versibus.

—— Teque oro & quæso, si speras, tibi
Hoc anno multum futuram sirpe & Laserpitium
Eamque eventuram exagogam Capuam salvum & sospitem,

ut ad *Ciceronis Agrariam* II recte observavit *Turnebus*, qui ex iisdem versibus ita collegit: *Capuam ex ultimis prope terris aromata, pigmenta, quæque ad unguentarios pertinent, ferebantur.* Atque adeo *Pomponius*, vetus poëta Latinus quem retulit *Festus* in voce *Sterilem*, introduxit in quadam comoedia sua hominem quendam, alteri, qui scire volebat, unde ipse unguentum haberet, respondentem ad hunc modum: *Unde hoc unguentum sit, quæris? atqui lepidum; Unde unguentum, nisi ex Seplasia est?* quasi scilicet per frequentissimum artis unguentariæ in Campana Seplasia exercitium dici potuerit unguenta ex illo solo provenire loco. Sed *Pomponius* forte *Seplasiæ* nomine quemcunque locum intellexit, in quo unguenta conficiebantur, & exercebatur ars odoraria, ut *Plinium* quoque *Secundum* sæpius fecisse videmus, qui lib. XVI. cap. X. ita dixit: *Picea plurimam resinam fundit, interveniente candida gemma, tam simili thuri, ut mixta visu discerni non queat, & inde fraus Seplasiæ.* Et denuo lib. XXXIII. cap. XIII. *Non obliti, Demetrium a tota Seplasia Neronis principatu accusatum apud consulem.* Item lib. XXXIV. cap. XI. *Credunt Seplasiæ, ea omnibus quidem fraudibus corrumpenti.* Et paulo post, *Fraus Seplasiæ sic exteritur.* Eodem modo *Ausonius* quoque usurpavit istud nomen hisce *epigr.* CXVI. versibus, turpi in Eunum ironia metaphorica.

Quæ illi quasi peculiares fuerunt prærogativæ.

Pomponius, poëta vetus varie illustratus.

Seplasiæ dicta fuerunt omnia loca, in quibus odoramenta componebantur.

Plinius Secundus, Ausonius, Lampridius, & vetus Glossarium collati & illustrati.

Perspice, ne mercis fallant te nomine, vel ne
Aere Seplasiæ decipiare, cave.

Hinc omnes ejusmodi compositionum artifices dicti fuerunt *Seplasiarii*: & ita *Lampridius* de Heliogabalo Imp. in ejusdem *Vita* dixit, *Pinxit se, ut cupedinarium, ut seplasiarium.* Jam quia multa unguenta atque odoramenta ad usus etiam medicos inserviebant, novissime *Seplasiæ* dictæ fuerunt tabernæ illæ, quæ nobis sunt *Speciariæ*, id est, pharmacopolia, seu myropolia, ut ex *Plinio*, quem modo citavimus, observari potest.

Item unguentarii, & qui nobis sunt Speciales, id est, Pharmacopolæ dicti fuerunt Seplasiarii.

Atque adeo in quodam ex *Glossariis*, ab *Henrico Stephano* publicatis, vox παντοπώλης, qua Latine notatur *species omnes vendens*, exponitur per hanc alteram: *Seplasiarius.* Atque hinc liquet, in *Glossario Isidori* non recte hodie legi: *Pantapola. Seplasiarius.* Igitur Seplasiarii omnes aromatum tractaverunt atque odoramentorum species, tam compositas, quam simplices, & æque illas, quæ ad voluptatem, quam quæ ad medicinam pertinebant, nec magis domesticas, quam extraneas. Atque hinc denique apud nos est ortum *Specialium* nomen, quod & pharmacopolis aromatopolis est commune.

Vetus Glossarium illustratum aliud emendatum.

Jam vero eorundem unguentariorum Campanorum artificium, quod ab occasu reipublicæ Campanæ ad ætatem usque *Plinii Secundi*, id est, annorum circiter trecentorum spatio semper magis magisque inclaruit, & ad summum celebritatis gradum produxit unguenta rosarum Campanarum, seculis sequentibus non fuisse minus celebre, si recte attendimus, deprehendere licet; Sicut enim eorum arte unguentaria oportet quoque comprehensam fuisse artem illam odoramentis inficiendi mortuorum animalium pelles, ita *Corippus Africanus* versibus illis, quibus Imperatorem Justinum juniorem perinde laudibus eximiis quam vestibus ornavit Imperatoriis, eundem nobis descripsit illis calceatum pellibus, quæ lectæ ex omnibus aliis mollitiam & rufi coloris fulgorem ab arte Campana acceperant:

Ex odoratis unguentariorum Campanorum pellibus calceos gestare solebant Imperatores.

Parthica Campano dederant quæ tergora fuco
Sanguineis prælata rosis, laudata rubore,
Lectaque pro sacris tactu mollissima plantis.
Augustis solis hoc cultu competit uti.

Atque de hoc singulari cultu calceorum purpurei coloris, quibus soli utebantur Imperatores, pleni sunt Græcorum libri & historiæ seriorum temporum. Atque huc forte accommodari possit illud, quod legitur in quodam ex iisdem *Glossariis*, quæ publicavit *Henricus Stephanus*, de genere quodam pellium Babylonicarum, (auctor *Glossarii* scripsit Βαβυλωνικὸ δέρματ(α) ἔδ(η)) quod Latine unico vocabulo dictum fuit *Beneventanum*, quod scilicet in Bobylonia odoramentis inficeretur eodem modo, ac fieri solebat in regione & Ducatu Beneventano, qui conditus fuit ab Longobardis, & Capuam exinde locaque Campaniæ mediterranea comprehendit. Nam in desuetudinem adducto hujus regionis nomine, celebre evasit istud novum, ut alibi indicavimus. Certe junioris illius Justini ætatem proxime insequuta sunt eorundem Longobardorum tempora. Nequaquam autem vox Βαβυλωνικὸ credi potest corrupta esse ex sincera Ἀβελλινικὸ, ut existimavit *Paulus Merula Geographiæ* suæ *Parte* II. lib. IV. cap. XXIX, quandoquidem ea in *Glossario* isto suum occupat locum inter illas, quæ ab litera B incipiunt, non vero inter illas, quarum A prima est litera. Sed quoniam jam ad tempora illa pervenimus, quibus per imperia regionum, ut & descriptiones nominaque earundem mutata Campaniæ nostræ laudes ad novas transierunt regiones, non est quod ulterius pergam. Satis igitur habeo indicavisse, apprime in Campaniam *industriosæ* convenisse titulum, quasi ipsi proprium & peculiarem & simul demonstravisse, quo pacto ab artificiis rerum rusticarum, ceteræque supellectilis vulgaris & plebejæ, quarum rerum magnus iste mercatus erat Capuæ temporibus suis minus secundis, populus iste sub imperio Romanorum ad nobiliorum artium processerit exercitia, ita ut ad ornandas pretiosi tapetibus potentium ædes provectus sit, & eorundem corpora delicatis unguens unguentis, exterisque odora-

Quæ deinde dictæ fuerunt Beneventanæ, mutatis jam regionum imperiis atque descriptionibus.

Vetus Glossarium illustratum, Paulus Merula refutatus.

Atque adeo de Capua mercatu non est quod ulterius dicere pergamus.

doramentis inficiens, selectus etiam sit ad calceandam solenni in pompa majestatem Imperatoriam. Verum non omittamus sequentes quorundam unguentariorum nostrorum *Inscriptiones* antiquas, quæ nobis mansere reliquæ. Prima illarum inter multas alias est, quas ex variis territorii nostri locis collectas in mea *Casapullæ* villa reposui. Atque hanc ex indiciis, quæ alia occasione exponam, arbitror altioris antiquitatis esse, quam reliquas duas, quantum quidem ad illam partem ejus attinet, quæ ad ipsius lapidis imitationem heic literis majoribus exhibetur. Nam reliqua, quæ eadem de causa minoribus characteribus sunt expressa, apparet serioribus multo temporibus sculpta esse in ista parte marmoris, quæ vacabat. Secunda Capuæ conspicitur ad templum vetus Monacorum Gulielmitarum. Tertia, ita ut exhibetur mutila, est in monasterio, sive Collegio Patrum Societatis Jesu ad latus Septentrionale.

Tantum addendæ sunt unguentariorum Campanorum pauca quædam Inscriptiones.

M. FVLVIVS
APOLLONIVS
VNGVENT. SIBI ET
VALERIÆ RODIÆ
VXSORI FVLVIAE IANI
L. CÆSIO GLICONI CÆSIÆ L. L.
NARDINI

L. NOVIUS
LVCRIO VNGVENT
PATRONO ET SIBI
. . . . PHILO·DA . . . .
. . . . VENTARIO . . . .
. . . . HILARIO LIBER . . . .
. . . . CONLIBERTÆ . . . .

XII. *Campania Felix commune totius orbis forum: & integræ Italiæ quasi compendium.*

Ad Lucaniæ mercatum industriosa Campania mittere solebat merces suas atque opera,

Istas igitur merces, de quibus prolixo satis exposuimus, & multa etiam, ut non sine ratione credi potest, alia opera præstanti artificio laborata, quæ nobis in obscuro relicta sunt, oportet intellexisse *Cassiodorum*, ubi *industriosam Campaniam* magna copia merces mittere solitam dixit ad Lucaniæ mercatum, unde facile illæ spargebantur per vicinos tractus. Atque adeo, cum illarum satis magna debeat fuisse copia in Campaniæ urbibus, & præter ceteras potissimum Capuæ propter rationes, quas sæpius allegavimus, arbitror itidem afferi posse satis probabiliter, vicissim ad Capuæ mercatum ex remotissimis regionibus veluti ex Oriente præter odoramenta & aromata, ex Occidente & Hispania præter funes sparteos aut saltem magna copia cuniculos, de quibus supra intelleximus ex *Strabone*, mari delata fuisse quæcunque etiam alia, quorum apud nos copia non erat, & istos mercatores vicissim nostras secum asportavisse merces: ut adeo Capua regioque Campana dici potuerit continuus & communis totius orbis mercatus.

Et erat illa continuus & communis mercatus respectu suarum urbium, & maxime Capuæ,

Jam supra intelleximus, Campana vina ad exteras quoque regiones fuisse devecta, & Capuæ eodem modo olei frequentem negotiationem fuisse exercitam. Hisce exemplis, quæ ideo allegavi, ne sententia mea prorsus niti conjecturis solummodo videatur, illa etiam possunt addi, quæ per causam ejusmodi negotiationum occurrunt apud multos Jurisconsultorum veterum, neque illos unius ejusdemque ætatis, qui loquuti fuerunt de solutionum præstationibus, quæ Capuæ fieri promissæ essent ex locis longinquis, quique promiscue Ephesi Capuæque nominibus fuerunt usi. Inter illos Scævola & Africanus sunt, *Digestorum* lib. XIII. Tit. IV. leg. III. & leg. VIII. Ulpianus *Digestorum* lib. XLV. Tit. I. leg. LX. Julianus & Papinianus *Digestorum* lib. XLVI. Tit. I. leg. XVI. & XLIX. & forte nonnulli etiam alii. De Puteolorum urbe, quæ, ut lib. V. *Strabo* scripsit, *emporium est facta maximum*, *quia* habuit *stationes navium*, *manu constructas*, ideoque ad istum usum aptissimas *natura arenæ eam commoditatem præstante*, non arbitror opus esse ut repetam, quæ supra loco itidem opportuno jam notavimus. Igitur *Statium* solummodo addemus, qui *Silvarum* lib. III. *carm.* V. ita dixit de Puteolis.

Ut & Puteolorum.

—— —— *Hic auspice condita Phœbo*
Tecta, Dicarchæi portus, & littora mundi
Hospita.

Statius & Polybius collati.

Atque hoc fuerat etiam verum multo ante ætatem suam, & jam inde usque a *Polybii* temporibus, qui in paucissima verba conjungens quæ in universum de laudibus hujusce regionis supra ex multis aliis copiose, intelleximus, ita dixit lib. III. ut interpres ejus habet: *Planities circa Capuam pars est Italiæ totius nobilissima. Regio bonitate atque amœnitate præstans: ad hoc mari adjacens, & emporia habens, ad quæ solent appellere, qui ex omnibus fere orbis partibus in Italiam navigant.* Cum igitur in Italiam insignis fuerit & admirabilis hominum concursus ex omnibus undique partibus orbis propter imperii Romani, cui omnia parebant, majestatem atque amplitudinem, satis apte in eandem quoque Campaniam nostram tantis ornatum muneribus cœlestibus, & ab quolibet hominum genere frequentatam variorum negotiorum causa, istud potuit encomium convenire, esse eam

Atque adeo fuit illa quasi totius orbis forum.

Simulacro del ciel, piazza del mondo:
id est:
Simulacrum cœli, forum orbis:

quod de ipsa Italia nuper dixit *Joannes Baptista Marinus* in *Panegyrico* ad Carolum, Sabaudiæ Ducem.

A commerciorum frequentia Campania Felix divitis accepit titulum,

Satis igitur manifeste hinc potest colligi, ab *Silio* admodum proprie huic regioni additum fuisse *divitis* epitheton hisce lib. VIII. versibus:

Jam vero quos dives opum, quos dives avorum,
Et toto dabat ad bellum Campania tractu;

Et item ab *Sidonio*, serioris ævi scriptore, quem proinde veterem & communem famam oportet esse sequutum hisce *carminis* VIII. versibus:

Lucrinum dives stagnum Campania nollet,
Æquora si nostri cerneret illa lacus.

Nam hunc non intellexisse reditus, qui ex lacus Lucrini piscatione proveniebant, est manifestum. Et forte uterque illorum imitatus est *Virgilium*, qui ex omnibus urbibus nostris, quæ in fœcundissimis hisce agris erant sitæ, nonnisi Capuæ soli istam tribuit *divitis* laudem, quia scilicet ad eam tantundem pertinebat illorum descriptio ut apparet ex verbis *Strabonis*, quæ modo retulimus, & in principio præcedentis *Dissertationis*, demonstravimus, quantum fertilitas eorundem ut in principio hujus abunde mihi videor ostendisse.

quo ex omnibus ejus urbibus sola fuit ornata Capua, cui etiam commune fuit cum Campania pinguis epitheton.

Certe præter illud *divitis* commune etiam fuit Campaniæ & Capuæ *pinguis* epitheton, quod itidem ad divitias utriusque spectat. De Campania *Propertius* lib. III. *eleg.* IV. ita dixit:

Nec mihi mille jugis Campania pinguis aratur.

De Capua lib. X. sive *de cultu hortorum* ita *Columella*:

Pinguis item Capua, & Caudinis faucibus horti.

Et tam hic quam *Virgilius* de nova Capua, non autem de primis hujusce urbis temporibus aut de

de priscis ejusdem divitiis est loquutus, quæ satis celebres sunt ex historia *Livii*, a quo lib. VII. vetus Capua dicta fuit *urbs maxima opulentissimaque Italiæ*, & populus ejusdem *ille potens opibus populus*. Et *Plutarchus* in *Fabio Maximo* Annibalis in Italia progressus enarrans ita dixit ex versione interpretis: *Ad eum plurimæ & maximæ gentes ultro defecerunt: tum, cujus plurimum secundum Romam pollebant opes, Capuam suarum fecit partium.* Etiam *Florus* easdem ejus intellexit priscas divitias, ubi Capuam, Carthaginem, & Corinthum cum Numantia comparavit hisce verbis: *Numantia quantum Carthaginis, Capuæ, Corinthi opibus, inferior, ita virtutis nomine & honore par omnibus, summumque, si viros æstimes, Hispaniæ decus.* Omitto *Polybium*, quem alibi adduximus, & etiam ille, quæ ex ejus auctoritate de eadem notavit *Athenæus*, cujus verba retulimus in hac ipsa *Dissertatione*, ubi de fertilitate Campaniæ Felicis actum fuit. Sed non omittenda sunt, quæ *Ausonius* in catalogo illustrium suis temporibus urbium non tacenda esse judicavit.

Livius, Plutarchus, Florus, Polybius, & Ausonius collati.

Nec Capuam pelago, cultuque penuque potentem
Divitiis, opibus, famaque priore silebo.

Atque hic deinde in eodem carmine non minus deploravit, quam extulit præteritas ejus divitias, potentiam, ac dignitatem, sua ætate jam ita extenuatas, ut inter orbis alias nobiliores urbes vix octavum illa locum obtineret:

Heu, nunquam stabilem sortita superbia sedem!
Illa potens, opibusque valens, Roma altera quondam,
Comere quæ potuit paribus fastigia conis,
Octavum rejecta locum vix pone tuetur.

Ausonius notatus.

Veruntamen ille manifesto & gravi errore ad veterem ejus famosamque superbiam tanti retulit decrementi, cum eadem fuerit totius Italiæ calamitas cummunis inclinato jam Romanorum imperio: & ipsa Capua medio tempore eorundem fuerit satis fortunata & magni nominis colonia. Igitur *Virgilius* & *Columella*, ut diximus, de suorum temporum Capua loquuti sunt, quo a Cæsare colonia civium Romanorum deducta fuit, suasore legis Pompejo cum & *jus* (ut verbis utar *Velleii* nostri lib. II.) *ab his restitutum post annos circiter* CLII. *quam bello Punico in formam præfecturæ redacta erat.* Eadem tempora intellexit etiam *Pomponius Mela* lib. II. cap. IV. ubi de urbibus Italiæ, ita dixit: *Quæ procul a mari habitantur, opulentissimæ sunt. Ad sinistram Patavium, Antenoris, Mutina & Bononia, Romanorum coloniæ: ad dextram Capua, a Tuscis, & Roma, quondam a pastoribus condita.* Neque poterat ille nos admonere manifestius, per Campaniæ divitias hujus ejusdem Capuæ divitias intelligi, quæ reliquis ejus regionis maritimis & mediterraneis urbibus erat opulentior. Hoc jam supra quoque intelleximus ex *Strabone*, cujus verba ita Latine reddidit interpres: *In mediterraneis est Capua, revera id, quod nomine ejus significatur. reliquas enim si ei compares, opida sunt:* unde de eorundem temporum Campanis non multo post in hunc sensum loquutus est: *Nunc rebus utuntur prosperis, colentes concordiam cum vicinis, civitatisque suæ vetustam dignitatem, amplitudinemque, & virtutem tuentur.* De eadem Capuæ nova dignitate atque amplitudine, quæ veterem æquiparabat, instaurata per constantem undique pacem, quam ipsa non cum vicinis tantum, sed & remotis colebat populis sub formidabili Romanorum imperio atque potentia, *Vellejus* quoque loquebatur lib. I. non videri sibi verisimile dicens, *tam mature* (id est, quingentorum annorum spatio, ut *Cato* crediderat) *tantam urbem crevisse, floruisse, concidisse, resurrexisse.*

Neque hæc intelligenda de Capua vetere, sed de illa, quæ deinde colonia Romanorum, & inter opulentissimas Italiæ fuit urbes,

Nedum potentissima ex omnibus urbibus vicinis.

Atque hinc illa non inferior judicata fuit Capua vetere,

Atque adeo non temeraria erit conjectura, si ex Puteolorum incrementis & celebri adeo mercatu Capuam multo majorem percepisse utilitatem arbitror ad commercia & negotia trans mare, quam illa perceperat ex Volturno flumine & Casilino, postquam propter imperii Romani magnitudinem ex remotissimis etiam regionibus cœptæ jam erant fieri mutuæ & frequentes admodum navigationes in Campaniam. Et ad hunc usum satis commoda fuit illa via, quæ a Puteolis ad Capuam directa erat, quæque quod vicissim etiam in terrestribus itineribus a Puteolano portu Romam frequentaretur multum, ut de via Domitiani agentes demonstravimus, dicta fuit *Consularis*. Sed redeamus ad illas laudes, quæ in universum ad totam pertinent Campaniam.

Strabo & Vellejus collati.

Multum autem illi ad has opes profuit Puteolanus portus præ Casilinensi.

Igitur satis apte in Campaniam convenire queat encomium istud, quod nuper Italia tributum fuisse diximus. Atque hoc esse verum etiam inde potest apparere, si observare libet, potissimas utriusque laudes prorsus ambulare passu pari: ut adeo Campania, multo, quam Italia, minor, ejusdem quoque *compendiam* dici possit ratione manifesta. Non heic dicam, proprias Campapaniæ fuisse laudes illas, propter quas *Varro* lib. I. cap. II. *De re rustica* Italiam aliis regionibus antepostuit hisce verbis: *Quid in Italia utensile non modo nascitur, sed etiam non egregium fit? Quod far conferam Campano? Quod triticum Apulo? Quod vinum Falerno? Quod oleum Venafro?* Equidem de farre Campano, de vino Falerno, de oleo Venafrano, deque egregia Campanorum industria in opificiis & sellulariis artibus abunde jam loquuti sumus. Etiam non dicam, *Plinium Secundum*, ubi lib. III. cap. V. itidem multis modis extulit Italiam, videri illam propter solas Campaniæ nostræ dotes nobilissimam inter omnes in orbe regiones judicavisse hisce verbis: *Qualiter Campaniæ oræ* PER SE, *felixque illa ac beata amœnitas? ut palam sit uno in loco gaudentis opus esse naturæ.* Contenti sumus, ut diximus, utramque utrique parem ponere: atque hanc in rem non aliud afferemus, quam ejusdem *Plinii*, auctoris non Campani, testimonium, qui post relata modo verba recensere pergens omnes istas nobiles naturæ dotes, quibus Italia præter ceteras regiones gloriabatur, loquutus est in hunc modum: *Jam vero tota ea vitalis, ac perennis salubritatis cœli temperies est. Tam fertiles campi, tam aprici colles, tam innoxii saltus, tam opaca nemora, tam munifica sylvarum genera, tot montium afflatus tanta frugum, & vitium, olearumque fertilitas, tam nobilia pecori vellera, tot opima tauris colla, tot lacus, tot amnium fontiumque ubertas, totam eam perfundens, tot maria, portus, gremiumque terrarum, commercio patens undique, & tanquam ad juvandos mortales ipsa avide in maria procurrens.* Ita *Plinius*, qui certe de integra loquutus est Italia. Sed quis non videt, omnia hæc apprime etiam convenire in Campaniam nostram? Atque hinc multi scriptorum recentiorum, tanta similitudine, ut & nomine ejus, quod istam descriptionem proxime præcedit, decepti, eum ipsius Campaniæ laudes exposuisse crediderunt: quamvis errorem suum ex ultimis verbis ejus potuissent deprehendere, quæ nonnisi ad Italiæ situm possunt accommodari. Veruntamen ex illorum hallucinatione tanto sum ego certior, me non admisisse errorem, ubi Campaniam Felicem appellavi totius Italiæ *compendium*: & interim una cum multis aliis, unde comparatio possit institui inter Italiam & Campaniam, etiam hoc silentio prætereo,

In universum illæ fuerunt præcipuæ laudes Italiæ, quæ propriæ erant Campaniæ Felici.

Quæ per se fuit terra præstantissima.

Et quicquid tota habuit Italia maxeme laudatum,

Etiam Campania Felix, quasi ejus quoddam compendium, in se continebat,

reo, quod utraque, licet nonnihil diverso modo, perinde cincta & montibus atque mari: item hoc alterum, quod utraque iisdem de causis fuit variis inhabitata populis. Audiatur de Italia *Ælianus* lib. IX. cap. XVI, *Variæ Historiæ*, cujus verba ita Latine reddita sunt: *In Italia permultos variosque populos habitasse ferunt, plures quidem, quam in ulla alia terra, eam potissimum ob causam, quod omnium anni partium in ea sit moderata tempestas, quod regio bonitate telluris excellens sit, & aquis irrigua, fertilisque omnium fructuum atque compascua, itemque quod fluviis perfusa, mare quoque commodos appulsus habeat, portubusque ex omni parte interstincta, & appellendis solvendisque navibus idonea.* Jam quonam alio, quam hoc modo, potuisset ille naturæ dotes describere Campaniæ? Equidem de salubri aëre, de fœcundis agris pascuisque, de fluminibus navium patientibus, deque opportunis portubus ejus jam in hac ipsa & præcedenti *Dissertatione* abunde tractavimus: atque adeo superest tantum, ut de variis populis dicamus, qui tantis allecti bonis eam inhabitaverunt, quod in sequenti *Dissertatione* faciendum erit. Conjunxit itaque natura, quicquid per totam disperserat Italiam, in unum solummodo agrum ejus, nempe Campaniam, in qua, *Cicero* in *Agraria* I. agnovit *ubertatem agrorum, abundantiamque rerum omnium.* Eadem de causa *Dionysius Halicarnassensis.* Italiam censuit esse præferendam quibuscunque aliis in orbe terris celebratissimis. Jam ut hæc denique similitudo itidem non deesset in hac comparatione, ager Campanus ab eodem oratore dictus fuit *orbis terræ pulcherrimus:* & de eodem *Plinius Secundus* lib. XVIII. cap. XI. ita dixit: *Universas terras campus circumcampanus antecedit.* Etiam *Florus* lib. I. cap. XVI. quasi dicere vellet, Italiam per causam solius Campaniæ palmam obtinere inter omnes terras alias, eam ipsi anteposuit Italiæ hisce verbis: *Omnium non modo Italia, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga est.* Atque hoc modo ille re vera Italiam fecit inferiorem Campania, & nonnullis etiam, quod ipse forsan non animadvertit, regionibus aliis. Sed audiatur contra illum idem *Dionysius*, qui prædicans Italiæ præstantiam, pariter de excellentia Campaniæ gravia nobis adduxit argumenta: *Si unam regionem* (ita habet interpres ejus lib. I.) *cum altera conferas, quæ sit ejusdem magnitudinis, Italia meo judicio non solum in Europa, sed & quamlibet aliam totius orbis regionem sua præstantia longe superat: quanquam non me latet fore, ut multis res incredibiles dicere videar, considerantibus Ægyptum, & Africam, & Babyloniam, & si quæ aliæ regiones ob suæ fertilitatis felicitatem celebrantur. Sed ego terræ opes non in una sola frugum specie pono, nec me subit desiderium habitandi in ea regione, in qua sunt tantum arva pinguia, cæterarum vero rerum aut nulla prorsus, aut perexigua utilitas percipitur: sed eam regionem optimam esse puto, quæ facile magnam rerum ad vitam necessariarum copiam hominibus semper suppeditare potest, & quæ plerumque bonis aliunde in ipsam importatis minimum indiget. Italiæ vero* (nosque dicere poterimus *Campaniæ*) *hanc rerum omnium fertilitatem, copiam, ac variam utilitatem præter cæteras regiones, quæcunque illæ sint, quæ cum ista conferantur, præcipue concessam credo.* Hucusque *Dionysius.* Jam satis liquido apparet, hasce de Campeniæ ubertate laudes neque inter poëticas exaggerationes, neque inter fabularum inventa numerandas esse, quibus ceteroqui hæc regio, dummodo apud nos primis temporibus Græcorum floruisset poësis, ejusmodi commentorum magistra atque artifex;

Ælianus cum Plinio Secundo collatus.

Regio omnibus rebus abundans,

Cujus ager non tantum in ipsa Italia, sed omnium omnino agrorum pulcherrimus,

Ideoque omnibus terris aliis præferendus, quoniam plurimis abundabat rebus ad vitam humanam necessariis.

Atque adeo hæc regio commodam suppeditare poëtis nobilium commentorum materiam potuisset:

admodum idoneam suppeditare materiam potuisset. Nam, ut hoc tantum attingamus fingi poterant Ceres & Proserpina heic primum docuisse frumenti usum, ut dictum fuit de Sicilia, cujus itidem celebratissima fertilitas. *Si quæritur* (ita ex versione interpretis dixit *Diodorus Siculus* lib. V. hanc ipsam exponens fabulam de frumento primum omnium in hac insula, ipsius patria, reperto) *ante frumenti usum, ubi primum id repertum sit, consentaneum est primas tribuere optimæ regioni.* Atque heic fortasse quis dicere possit, siquidem Campanis, qui utique Campaniam tenebant, nihil deerat illorum, quæ ipsi habituri erant tota subacta Italia, hac quoque de causa eos peccavisse duplici nomine, cum relicta Romanorum amicitia defecerunt ad Carthaginienses; persuaderi sibi passi a Vibio Virio, Senatore Campano, & Annibale, ut narrat *Livius* lib. XXIII. brevi se armorum vi occupare posse Italiam: *Tempus venisse ait,* (sermo est de Virio) *quo Campani non agrum solum, ab Romanis quondam per injuriam ademptum, recuperare, sed imperio etiam Italiæ potiri possint.* Annibal autem *inter cetera magnifica promissa pollicitus, brevi caput Italiæ omnis Capuam fore, juraque cum cæteris populis Romanum etiam petiturum.* Neque aliter ego quoque de isto veterum Campanorum nostrorum facto judicarem, si homines ad necessitatis duntaxat normam semper dirigerent regnandi cupiditatem, cujus gratia secundum istud Eteoclis dictum apud *Euripidem* in *Phœnissis* quod deinde alii etiam usurpaverunt, divina humanaque violare jura licere sibi fere putant.

Et ejusdem imperium priscis sufficere Campanis potuisset,

Dummodo regnandi cupido finem aliquem sceret ullum aut limitem.

XIII. *Unicum & perpetuum Felicis Campaniæ malum ejectiones ignium sunt ex Vesuvio monte, & locis circa Puteolos.*

SEd quænam ista nimium utique dura conditio est, quam *Strabo* lib. V. conjunctam esse dixit cum celebrata tantopere nostrorum agrorum ubertate, & præcipue illorum, quos *Phlegræos* dixerunt Græci, Latini *Leborios*? *Quæ de Phlegræis campis fabulantur,* (ita ejus verba Latine reddidit interpres) *ac re ibi cum gigantibus gesta, non aliunde videntur orta, quam quod eam regionem ob soli virtutem multi sibi certatim vindicarent.* Atque de his plenius & ex professo acturi sumus in sequenti *Dissertatione*, prout ipse aliique nonnulli de illis distincte maxime narraverunt. Nihilne itaque hoc profuit, quod *natura sua hæc loca* (ut verbis utar *Polybiani* interpretis lib. III.) *sunt munita, & in hos campos aditus est difficillimus. cinguntur enim aliqua ex parte mari, & majore vero montibus, ubique magnis atque continuis, per quos venientibus e mediterraneis tres duntaxat viæ patent?* Nihil omnino. Neque tamen hoc natura loci habet in se vitium, neque pro ejusdem incommodo haberi justa ratione potest, nisi bonorum abundantiam defectum dicere volumus; cum illa non per sese, sed si perperam ea utamur, vitiorum soleat esse causa. *Campani* (dixit *Cicero* in *Agraria* II.) *semper superbi bonitate agrorum, & fructuum magnitudine.* Atque hinc forsan ortæ fuerunt fabulæ de gigantibus in Campania, propter superbiam suam occisis ab Hercule, qui eodem modo sustulit alios quoque tyrannos aliis in locis. Atque adeo illas *Strabo* non recto sensu, *Diodorus* autem *Siculus* lib. IV. quasi sinceras Historias est interpretatus, neque enim quicquam continent, quod fabulosum videri possit, ut ex ipsius verbis deprehendi potest, quæ retulimus de campo Phlegræo agentes,

Dura fortis Felicis Campaniæ conditio, et ipsius fertilitate attracia nasci suorum gigantum bella,

Quod superborum atque arrogantium & ejus incolarum fuit vitium.

Quos olim Hercules exstinxit sub Gigantum nomine, Strabo refutatus.

tes. Sed hi quidem fabulam prodiderunt, qui apud *Silium* lib. XII.

quosque fabulose dixerunt flammas etiam spirare.

Tradunt Herculea prostratos mole gigantes
Tellurem injectam quatere, & spiramine anhelo
Torreri late campos, quotiesque minantur,
Rumpere compagem impositam, expallescere cœlum.

Eadem de re in *Pythiis* loquutus est *Pindarus Ode* I. ubi Typhoëa gigantem integrum illum, in quo sepultus erat, tractum a Cumis ad Ætnam usque Siciliæ montem corpore suo occupavisse dixit, peræque & magis etiam commento fabuloso. Sed ut missas faciamus Poëtarum fabulas, non videtur mihi *Straboni* esse assentiendum, ut bellorum externorum ingenitum esse & perpetuum huic regioni malum dicamus. Idem arbitror de frequenti terræ motu, etsi *Plinius Cæcilius* lib. VI. *epist.* XX. illum affirmavit *Campaniæ non solum castella, verum etiam opida vexare solitum. Seneca* enim lib. VI. cap. I. *Nat. Quæst.* Campaniam dixit *nunquam securam hujus mali: indemnem tamen, & toties defunctam metu.* Et Plinius Secundus, postquam lib. II. cap. LXXXII. loca cava, minus quam alia, terræ motibus concuti docuerat, ita subjecit: *Multo sunt tutiora in iisdem illis, quæ pendent: sicut Neapoli in Italia intelligitur, parte ea, quæ solida est, ad tales casus obnoxia.* Atque hic forsan innuere voluit Neapolitani theatri ruinam, quod collapsum est Neronis temporibus, ut *Tacitus* narrat *Annalium* lib. XV. licet hic nihil dicat de terræmotu, ut quidem fecit *Suetonius* lib. VI. cap. XX. qui contra illud solummodo terræmotu concussum fuisse narravit, de ruina autem ejus tacuit. Verum uterque pro argumenti sui diversitate verum dixisse potest. *Suetonii* verba, eundem Neronem primum Neapoli in scenam prodiisse narrantis, hæc sunt: *Prodiit Neapoli primum, ac ne concusso quidem repente motu terræ theatro, ante cantare destitit, quam inchoatum absolveret* νόμον. *Ibidem sæpius & per complures cantavit dies. Tacitus* autem ita habet: *Egresso, qui affuerat, populo, vacuum & sine ullius noxa theatrum collapsum est.* Nempe assignetur alius dies concussioni, alius ruinæ ejus: & ita utriusque narratio poterit esse vera. Mihi itaque unicum & perpetuum Campaniæ nostræ malum esse ejectiones ignium videntur ex Vesuvio monte, & locis circa Puteolos & Cumas, quæ jam olim fuit *Cassiodori* sententia, cujus lib. IV. *epist.* L. hæc sunt verba: *Laborat hoc uno malo terris deflorata provincia, quæ ne perfecta beatitudine frueretur, hujus timoris frequenter acerbitate concutitur.* Perpetuitas hujus mali, quam significaverunt nobis illi Poëtæ, qui horum incendiorum causam ad gigantes retulerunt, sepultos in iisdem Campaniæ nostræ tractibus, satis est manifesta non tantum per illam, quæ per incertum antiquissimorum temporum cursum ante Titum Imperatorem exstitit, eorum experientiam, qua de actum fuit a nobis in *Dessertatione* præcedenti; sed per illam quoque certiorem insequentium variorumque temporum, quam multi testantur gravissimique auctores. Acerbitatem vero ejusdem mali proximis hisce temporibus ipsi adeo vidimus atrocem, ut hujus universi incendio, quo totus die novissimo conflagrabit orbis, jure assimilari magna ex parte queat.

Magno quoque illi malo forent terræmotus, si damnosi essent.

Plinius Secundus illustratus. Tacitus & Suetonius conciliati.

Unicum igitur, & perpetuum ejus malum spontanea sunt ejus incendia.

ELENCHUS
RERUM POTISSIMARUM, QUÆ TRACTANTUR IN DISSERTATIONE QUARTA.

I. *Multi variique fuerunt populi veteres, qui egregia terræ hujus fertilitate allecti, armorum vi alii post alios transierunt in Campaniam Felicem, ubi deinde otio fuerunt dediti.*

II. *Ad primas Campaniæ Felicis antiquitates aditum nobis aperire possent Græciæ & Italiæ antiquitates olim descriptæ, nisi vera illarum notitia prorsus in incerto esset. Nihilominus Dionysio Halicarnassensi poterimus uti bono duce.*

III. *Vulgo receptas antiquissimorum Italiæ Latiique populorum, ut & ROMÆ urbis conditorum, historias refutaverunt quidam sine justis rationibus.*

IV. *Siculi non fuerunt antiquissimi Campaniæ Felicis populi peculiares, sed Opici, & Ausones, qui dicti etiam* Aurunci, *proles verorum, non fictorum Campaniæ gigantum.*

V. *Osci, qui ab Opicis orti fuerunt, retinuerunt etiam eorundem sedes in Campania Felice cis Volturnum flumen. Eorum mores. Crediti fuerunt CAPUÆ conditores. Lingua eorundem.*

VI. *Quidam Pelasgorum, olim e Græcia egressi, & novissime in Italiam delati tribus ante bellum Trojanum seculis, Auruncis partem Campaniæ Felicis ultra Volturnum flumen ademerunt: alii illorum, nomine* Sarrastes, *ultra Sarnum amnem loca tenuerunt.*

VII. *Aliquot ante Bellum Trojanum annis, Cacus, latro famosus ille, in Campaniam Felicem transgressus, circa Volturnum flumen; Oebalus autem, in Capreis insula regnans, circa Sarnum amnem loca occupavit. Post idem Bellum CAPUAM delatus est, ut nonnulli volunt, Capys Trojanus: quæ urbs ex aliorum sententia condita est*

est a Remo, sive Romo, Æneæ filio.

VIII. *Græci, qui secundo post Bellum Trojanum seculo Cumas condiderunt, diu magnam Felicis Campaniæ partem cis volturnum flumen versus Orientem tenuerunt, quam Oscis ademerant. Quidam ad Capyn Silvium, Albæ in Latio regem, retulerunt ortum, Capuæ, tertio post gesta ad Trojam seculo.*

IX. *Quidam ex Umbris, gente Italica, Etruscorum amici, una cum hisce Campaniam Felicem incoluerunt. Etrusci, sive indigenæ, sive extranei Italiæ populi, cum ex duodecim Etruriæ suæ urbibus totidem colonias emisissent in regiones circa Padum flumen, alias duodecim in eandem Campaniam deduxerunt, qua isto tempore comprehendebatur etiam Campania vetus, quo deinde se receperunt Etrusci ad Padum, fugientes Gallorum arma.*

X. *CAPUA, vulgo credita urbs Etruscorum, fuit eorundem metropolis in Campania Felice, & in Campania vetere, & ex quorundam sententia aliquot annis ante ab iisdem fuit condita, quam Romulus ROMAM condidit.*

XI. *Samnites, gens Italica, qui Etruscis ademerunt Campaniam veterem, non indiderunt nomen Capuæ urbi, quæ diu sparsim habitata per vicos, & principio seculi quarti a condita Roma in unam conjuncta urbem, nunquam* Volturnum *dicta, aut ab Samnitibus ullo modo occupata fuit: ut nec Cumarum urbs, quam olim Campani in suam redegerant potestatem. Samnites autem Nolam eique vicinam regionem occupaverunt ista fraude, qua Capuam cepisse dicuntur.*

XII. *Etrusci Campani fuerunt illi, qui in Sicilia perfide occupaverunt Entellam: qui Messanam,* Samnites *Campani: cives autem Romani, qui Rhegium.*

XIII. *Campani genere Etrusci novum adversus Samnites bellum cum suscepissent ad Sidicinos defendendos, in eoque inferiores evasissent, opem imploravere Romanorum, qui per illorum deditionem primum potiti sunt Campania Capuana, & deinde reliqua Campaniæ Felicis una cum Campania vetere suæ ditionis fecerunt.*

XIV. *Cum apud veteres varii generis deditiones fuerint, prima, qua Campani sese Romanis dediderunt, minus dura fuit, quam illa, quæ tempore belli Punici secundi subsequuta est, per quam Capua Romanorum facta est præfectura. Novissime illa fuit eorundem colonia, atque ita pristinum splendorum atque dignitatem recuperavit.*

XV. *Cum in Romanorum servitute esset Campania Felix, Neapoli, Græcæ urbi, tum ut eam præmio aliquo afficerent propter inveteratam fidem, tum quod victu moribusque Græcorum delectabantur, peculiarem concesserunt libertatem, quod idem in aliis quoque fecerunt urbibus.*

DE

POPULIS CAMPANIÆ FELICIS

DISSERTATIO IV.

Grata solet esse gentibus rerum bello gestarum ab sese memoria.

FERI patris filia amabilis est gloria illa; quæ ex armorum tractatione nascitur, quæque generoso adspectu hominum animos alliciens, & præteritorum quoque damnorum gratam efficiens memoriam, ignavissimorum juxta atque fortissimorum solet abblandiri mentibus. Sane enim si recte rem reputemus neque homo, neque gens ulla fuit unquam, quin magnopere se extulerit, nec est hodieque, quin cummaxime, plusquam qualibet alia laude sua, se efferat rerum bello gestarum, sive ab sese, sive a majoribus suis, claritate. Itaque mihi videor posse certus esse, cum in hac *Dissertatione* sim aucturus de antiquissimis Campaniæ nostræ populis, quorum alii semper superaverunt alios, secundi pri-

Quare grata etiam nobis esse debet hæc

De primis bellicosis populis nostris Dissertatio,

primos; nos quoque, qui illorum sumus proles qualicunque modo non minorem inde capturos voluptatem inter acerbam quidem etiam, sed pariter jucundam memoriam virtutis illorum. Equidem satis video, posse hoc argumentum nobis molestiam afferre nonnullam, & ex hisce praeteritorum malorum documentis; aliorum futurorum nobis injicere metum: quippe quibus non caruerit usque adhuc, neque carere ullo modo possit, quae eorundem semper fuit pro insitorum nostrorum bonorum modo foecunda mater. Verum enimvero, utcunque alius justa ratione posse has comparationes pari ambulare passu credat, nobis certe non amplius est metuendum ab ejusmodi calamitatibus. Nam itidem & hoc sperare justum est, multo tutiori, quam montes nostri sunt, fore nobis propugnaculo a bellis externis victricia DEOQUE cara nostrorum REGUM CATHOLICORUM arma, quae per continuum centum quinquaginta annorum spatium sine ulla fere interruptione, nullo certe cujuslibet etiam potentissimi exemplo, felicissimam nobis atque illibatam procuravere pacem. Atque haec, nuper ablata nobis pari fastu atque atrocitate ab terrae filiis, qui subito facti erant quasi novi gigantes nostri, alio novo singularique exemplo reddita nobis est paucis diebus & pulchior & gratior opera nobilissimi herois, *Ennici Vellesii De Guevara*, Oniatae Comitis, & praefecti nostri, novique *Herculis Iberi*. Igitur, si unquam, jam certe ab omni solicito metu securi, geminam etiam voluptatem ex hac poterimus *Dissertatione* percipere, utpote ex antiquissimorum populorum nostrorum rebus bello gestis tanto clarius perspicientes, quam Felices nunc ab acerbis illorum calamitatibus longe remoti agamus.

Quippe qui securi sumus a bellis externis sub nostrorum REGUM CATHOLICORUM regno.

Jam quoque exstinctis ab novo Hercule Ibero novis gigantibus nostris domesticis.

I. *Multi variique fuerunt populi veteres, qui egregia terrae hujus fertilitate allecti, armorum vi alii post alios transierunt in Campaniam Felicem, ubi deinde otio fuerunt dediti.*

Scribere nobis animus est de primis Campaniae Felicis usque ad Romanorum tempora populis,

FRequentissimae sane fuerunt in Campania nostra populorum mutationes, quorum temporibus antiquissimis alii hanc, alii illam ejus partem occupaverunt certaminibus inter se atrocibus donec integram tandem Romani satis diu, neque tamen sine externis aut intestinis bellis, in sua habuerunt potestate. Post horum imperium breviore annorum curriculo alias illa non minus freqentes aut acerbas experta est mutationes, quibus nonnunquam tota quoque Italia, nonnunquam regiones ejus cis Romam misere fuerunt afflictae. Verum cum de hisce posterioribus, quas multi jam auctores descripserunt, agere non efflagitet instituti nostri ratio, videtur mihi, ut hinc potissimum incipiamus, de multa antiquissimorum illorum Campaniae nostrae populorum varietate potest loquutus esse *Virgilius*, ubi Turni exercitum recensuit, & *Aeneidos* lib. VII. de Haleso, qui copias suas ex nostrae terrae tractibus conscripserat, ita dixit:

Qui varii multique fuerunt,

Curru jungit Halesus equos, Turnoque feroces
Mille rapit populos. —— ——

Virgilius illustratus.

Atque hoc manifestius nobis exponere voluit ejus imitator *Silius* occasione consimili: nempe ubi Romanorum exercitum recensuit ante praelium ad Cannas. Nam ille nostrarum urbium catalogum, quae copias suas auxilio miserant bello Annibalico, exorsus est hisce lib. VIII. versibus:

Jam vero quos dives opum, quos dives avorum,
Et toto dabat ad bellum Campania tractu.

Silius duobus locis collatus cum Virgilio.

Nam praeterea etiam eadem ille loquutione usus est, qua idem iste magister ejus, a quo lib. X. *Aeneidos* dicta fuit

Mantua dives avis: sed non genus omnibus unum;

nempe itidem ut significaret, multos fuisse conditores ejus. *Bene dives avis*, (ita *Servius* ad hunc versum commentatus est) *quia non ab Ocno*, (forte *non tantum ab Ocno*) *sed ab aliis quoque condita sit: primum namque a Thebanis, deinde a Tuscis novissime a Gallis, vel ut alii dicunt, a Sarsinatibus, qui Perusiae consederant.* Variorum Campaniae populorum nomina in brevem catalogum conjunxit *Plinius Secundus* hisce lib. III. cap. V. verbis: *Hoc quoque certamen humanae voluptatis tenuere Osci, Graeci, Umbri, Tusci, Campani.* Aliquanto copiosius de iisdem loquutus est *Strabo* lib. V. a quo *Plinius*, licet ita videatur, re vera tamen non multum dissentit, ut sigillatim demonstraturus ero. Verba ejus ita Latine reddidit interpres: *Post Latium Campania est.* Et mox: *Antiochus ab Opicis habitatam fuisse eam regionem narrat qui iidem & Ausones appellarentur. At Polybius significat se pro duabus diversis gentibus eos habere: ait enim, Opicos & Ausones terram, quae est circa craterem, incoluisse. Alii ferunt, cum ea loca quondam Opici & Ausones tenuissent, fuisse ea deinde ab Osca gente occupata, quae a Cumanis pulsa inde sit, quos rursum Etrusci ejecerint: etenim ob praestantiam campos illos multis fuisse certaminibus expetitos. Tyrrhenos, cum duodecim urbes habitarent, quae earum quasi caput esset, ea de causa Capuam nuncupasse. Eosdem cum per luxuriam ad mollitiem se trandidissent, sicut & regione ad Padum sita pulsi fuerunt, ita Samnitibus Campania cessisse, quos Romani postmodo profligaverint.* Ita *Strabo*, qui penitus exposuisse nobis illam Historiam videri possit, quam tractare sumus orsi. Et ejus sane narratio multum nobis offeret lucis ad illorum, quae dicenda erunt, explanationem, ut & ipsorum temporum ordinem. Verum nescio, qua ratione ille, sive per imprudentiam, sive de industria, nullum omnino verbum fecerit aut de Pelasgis, aut de Oebalo, cui genus ex Teleboarum populo, aut de Caco, famoso latrone, aut de Capy Trojano, aut de Romo, Aeneae filio, aut denique de Capy Sylvio, Albanorum rege. Nam illos incoluisse Campaniam nostram, & quosdam illorum istic quoque urbes condidisse alii veterum sigillatim quisque narraverunt.

Et sparsim variis memorantur auctoribus.

De Attica, id est, Atheniensium regione, *Thucydides* ex interpretis versione ita scripsit lib. I. *A vetustissimis usque temporibus propter agri tenuitatem, seditionum immunem iidem homines semper incoluerunt.* Etiam *Strabo* eadem de causa factum fuisse dixit principio lib. VIII. ut tam Athenienses, quam Dorienses, sinceri semper atque incorrupti fuerint populi, ita ut facile diuque suam quique dialectum retinuerint non mutatam: *Probabile est*, (ita Latine habent ejus verba) *Dorienses, cum pauci essent, ac solum asperrimum colerent, eo quod aliis non permiscerentur, linguam suam retinuisse, ad ejus societatem alios quoque cognatos suos populos, pertraxisse. Quod idem Atheniensibus quoque usu venit, qui cum agrum tenerent tenuem atque asperum, a nemine sunt oppugnati, sed pro indigenis habiti: cum ut ait Thucydides, nemo eos pelleret, neque quisquam ipsorum agrum affectaret. Haec igitur, ut apparet, causa fuit, cur quanquam exigua, gens tamen essent peculiaris, & suo sermone uterentur.* Contra itaque Campania nostra tam frequentes, ut jam a principio monuimus, incolarum mutationes experta est

Steriles fere terra non obnoxia sunt incolarum mutationibus.

Qua frequentes fuerunt in Campania

Felice propter fœcunditatem ejus, Silius cum Strabone collatus & illustratus.

est propter fertilitatem suam eximiam: quod manifeste nobis indicavit idem ille geographus verbis istis, quæ primo loco retulimus, & tectius aliquanto *Silius*, qui versibus allegatis pariter populorum ejus atque opum conjunxit ubertatem. Verum heic illud non est silentio prætereundum, easdem gentes, quæ primo adeo solent ad bella esse proclives, tantum ut regionem aliquam obtineant a fœcunditate laudatam, postmodum quasi ingenita quadam & naturali proprietate utplurimum otii atque pacis fieri cupidas. Monente enim eodem *Strabone* lib. II. *quæ gentes vivunt in regione felici*, (per felicitatem terrarum intelligi ab hoc auctore earundem fœcunditatem monuimus in principio præcedentis *Dissertationis*) *eæ pacis sunt studiosæ; quæ autem incolunt loca sterilia aut incommoda, pugnaces sunt ac fortes.* Itaque neutiquam est mirandum, quod ipse de Etruscis Campanis nostris dixit, eos cum in voluptuosam se luxuriosamque transdididissent vitam, (quod idem de aliis quoque priscis populis nostris forsan credibile, & de quibusdam recentioribus satis certum est) expulsos male defensa regione sua. Præterito seculo majores nostri in sollennibus sive lætitiæ sive luctus pompis, regum nostrorum in honorem celebratis, item in locis publicis, ubi ingenioso aliquo Symbolo nostra erat exprimenda respublica, soliti fuerunt præter consueta ejus insignia, coronatam nempe crucem auream, & septem serpentes, sive dracones in scypho aureo, insuper picturæ addere Amaltheæ imaginem cum copiæcornu, & quarto loco virum insigniter ornatum armis & gladium in vaginam recondentem. Nimirum exprimere voluerunt primum urbis nostræ conditorem, & pariter, ni fallor, significare, eum, postquam armis occupaverat hanc opulentam regionem, cum populo suo placidum atque jucundum vitæ genus fuisse amplexum. Prudenti igitur observatione ad *Strabonis* dictum, quod paulo ante attulimus, alluserunt: atque adeo per istiusmodi picturam illos hoc intellexisse convenit, Capuæ conditorem fuisse Etruscum: licet omnes eam Capys esse Trojani putent.

Unde etiam Campani vitam sectati sunt mollem atque delicatam.

Capuæ conditoris nova ingeniola pictura laudata & illustrata.

II. *Ad primas Campaniæ Felicis antiquitates aditum nobis aperire possent Græciæ & Italiæ antiquitates olim descriptæ, nisi vera illarum notitia prorsus in incerto esset. Nihilominus Dionysio Halicarnassensi poterimus uti bono duce.*

Ipsi veteres etiam pro fabulosis habuerunt antiquissimorum temporum historias,

VErum quemnam veterum auctorum jam eligimus, aut invenire poterimus, qui tam altæ atque obscuræ antiquitatis tempora pecurrentibus dux possit esse idoneus, cum de illis juxta *Plinius Secundus* atque *Strabo* tacuerint? Quod si maxime aliquem habeamus ducem, quomodo poterit ille nobis dixisse verum siquidem *Phlegon Trallianus*, qui referente *Photio Bibliothecæ* parte XCVII. *Chronicon* suum universale, quod conscripsit, demum a prima orsus est Olympiade, quod nimis utique serum est tempus illorum comparatione, de quibus ante alia nobis erit agendum, de antiquioribus noluit exponere temporibus? *quod priora*, (ita Latine habent, quibus *Photius* rationem *Phlegontis* exposuit) *ut & alii fere omnes affirmant, nullum accuratum verumque scriptorem sint nacta; Sed aliter atque aliter ea, in quæ forte inciderunt, neque inter se convenientia scripserint etiam ii, qui ex hac scriptione gloriam quæsiissent.* Neque tamen solo heic *Phlegontis* stare judicio possemus, nisi eadem quoque fuisset inter Græcos *Eusebii Cæsarienses* sententia, inter Latinos *Varronis*, *Censorini*, *S. Augustini*, & aliarum, qui primorum illorum temporum Historias judicaverunt esse fabulosas. Sed num forsan hoc verum solummodo fuerit de primorum Græcorum Historiis, quæ lucem afferre possent antiquissimis rebus nostris: ita ut deinceps tamen insequentis ævi gesta, maxime in Italia, & Romanorum, diligentia & fide majore memoriæ fuerint mandata a *Fabio Pictore*, *Catone Censorio*, aliisque nonnullis primorum Historicorum Latinorum, quorum scriptis, etsi hodie desiderantur, usi tamen fuerunt illi scriptores, qui etiamnum supersunt? Equidem ego ita judicarem, nisi *Livius* lib. VI. & cum eo consentiens *Plutarchus* in libello *De fortuna Romanorum* nos admonuissent, etiam hasce res gestas multum esse ambiguas atque obscuras per confusionem atque varietatem suam. Igitur non est, quod notitiam nobis superesse credamus fabularum expertem, nisi illarum duntaxat rerum gestarum, quæ descriptæ sunt ab auctoribus, qui ad illarum ætatem quam proxime accesserunt. Atque hi sunt oppido pauci, de quibus insuper non facile decernere possis, quam fuerint liberi ab affectibus suis, id est, aut aliorum amore, aut odio nimio. Quid igitur faciemus? Num forte a cœpto absistere argumento lubet, & de recentioribus duntaxat notioribusque populorum nostrorum gestis cantilenam eandem canere, quam multi recentiorum scriptorum a veteribus edocti toties jam cecinere? Sane vero qualemcunque tandem eruere notitiam illarum rerum, quæ antea prorsus fuerunt in obscuro, non poterit non esse voluptati: & tanto quidem majori, si ex rebus certis aliquanto accuratius examinentur antiquiorum temporum Historiæ. Speramus itaque, etiam non ingratum fore hunc novum laborem nostrum neque diffidimus nos placere posse, ubi demonstraverimus, quantum a vero alienæ sint narrationes quædam, toties exceptæ communi applausu; & item nos posse per antiquitatum, quæ ad primos populos nostros pertinent, tenebras quodammodo incedere non sine idoneo aliquo lumine. Nihil quidem de eorundem populorum temporibus dixit *Plinius Secundus*, quemadmodum de illis prorsus quoque tacuit *Strabo*, quorum uterque tantum successionem illorum nobis demonstravit: verum si ad illorum dicta addiderimus & accommodaverimus illa, quæ de antiquissimis Italiæ populis *Dionysius Halicarnassensis* sane quam prudenter nobis exposuit, temporum quoque illorum bonam percipiemus notitiam. Neque est quod pœniteat nos tantum sumpsisse magistrum atque ducem, cujus in hisce rebus diligentiam atque peritiam severissimi etiam criticorum consensu commendant egregie.

Tam Græcas, quam Latinas & Romanas.

Neque tamen ideo nos ab incœpto nostro desistimus;

Dionysium Halicarnassensem certum nobis fore ducem.

Verum heic ego animadverto, protinus in ipso limine fieri mihi obviam cum doctissima sua *Dissertatione De antiquitate Panormi*, patriæ suæ, eximie mihi amicum *Marianum Valguarneram*, qui severe me admonet, ne multum fidam modo illo tempora computandi per ætates, quo magna cum inconstantia idem *Dionysius* est usus, quique per se etiam satis est ambiguus & obscurus. Sane enim ille auctor, ubi lib. II. de Pythagoræ ætate agit, totidem annos affirmat effluxisse a media Olympiade XVI. ad finem usque quinquagesimæ, qui sunt anni CXXXVIII. singulis Olympiadibus quadriennium si assignemus, quot annos continent ætates quatuor: ut adeo istic cuique ætati assignet annos triginta, & amplius. Verum lib. I. & itidem II. Romam vult conditam

Quod Dionysius Halicarnassensis in computatione temporum usus est ætatum calculo, quas ipse plusquam uno modo accepit.

tam fuisse CCCCXXXII. annis post captam Trojam, qui annorum numerus secundum eundem calculum tredecim ætates conficeret: & nihilominus utroque loco citato sedecim ille generationes numerat, id est, singulas annorum XXVII. Ita *Valguarnera*, qui primus notavit ejusmodi varietatem in *Dionysio*, cum alii, inter quos est *Cluverius* lib. III. cap. I. & lib. IV. cap. XVI. *Italiæ antiquæ*, crediderunt eum constanter cuilibet ætati dedisse annos XXVII. persuasi nimirum non tantum isto posteriore loco ejus, quem ipse observavit, sed insuper etiam hoc altero, qui est eodem lib. I. ubi *Dionysius* de Æneæ in Italiam adventu narrans, LV. annos duabus ætatibus æquiparavit: *Post Herculis discessum* (ita verba ejus Latine reddidit interpres) *ætate secunda, circiter quinquagesimum & quintum annum, ut ipsi Romani tradunt, rex Aboriginum erat Latinus, Fauni filius.* Veruntamen neutiquam ego arbitror mihi propterea opus esse aut cœptam relinquere viam, aut alium sequi ducem: ut qui probe intelligam, *ætatis* vocabulum multo adhuc magis esse æquivocum, multoque plures habere significationes in denotando annorum spatio, quam observavit *Mazzonus* lib. I. cap. XIV. secundæ *Defensionis Dantianæ*: atque adeo *Dionysium* pluribus modis illo usum neutiquam secum pugnare autumo. Permisit mihi humanissimus ille *Valguarnera* in familiari quondam colloquio in urbe Neapoli mense Augusto anni MDCXXVII. cum ipse ad regis nostri properaret aulam ministerium obiturus in regio sacello, hujus auctoris defensionem suscipere, quam non violatis amicitiæ legibus heic mihi videor posse continuare. Igitur ut clarius intelligantur, quæcunque ad hunc computandi tempora modum pertinent, quo *Dionysius* aliique etiam fuerunt usi, supponendum esse ajo, primum & speciatim *ætatis* vocabulo significari vitæ cursum hujus vel illius hominis, sive ille diutius vivat, sive secus: quemadmodum ad *Orationem Ciceronis pro M. Scauro* de eodem dixit *Asconius Pedianus*: *Ita fuit patritius, ut tribus supra eum ætatibus jacuerit domus ejus fortuna: nam neque pater, neque avus, neque etiam proavus, propter tenues opes & nullam vitæ industriam, honores adepti sunt.* Ita *Asconius*: atque has ætates licet appellare *naturales*. Aliæ sunt, quæ ab his nascuntur, ætates *chronologicæ*. Nam prisci auctores nonnunquam fuerunt usi *ætatis* nomine, ad denotandum certum temporis spatium, licet itidem non semper eodem modo, ut nos admonuit *Servius* ab lib. III. *Georgicorum*, ubi ita commentatus est *Ætatem plerumque generaliter dicimus, pro anno, pro triginta, pro centum, pro quovis tempore:* nisi tamen ille *naturales* ætates intellexit, & varium quasi vitæ spatium hujus vel illius rei. Sed si maxime hoc sit verum, non tamen ideo *Chronologicas* ætates, diversas ab *naturalibus*, in dubium vocare poterimus. Nam manifestum hanc in rem est argumentum, quod *naturalium* variæ sunt periodi, modo multorum, modo paucorum annorum, maxima cum inconstantia; *chronologicæ* autem etiam pro variis auctorum opinionibus, sive pro eorundem inconstantia, triginta fere plus minusve annorum numerum attingunt. De hisce *chronologicis* ætatibus sapienter quærebat *Scipio Amiratus* in principio *Dissertationum* suarum. *De familiis nobilibus: Onde è, ch'una età non più che trenta anni esser si trovi?* id est: *Unde est, quod ætas non esse plusquam triginta annorum deprehenditur?* Et non minus sapienter respondit, *che ciò proceda, perciocche gli huomini per lo più ne' trenta anni incominciano à dar principio alla successione; dal qual tempo innanzi venendo á sorgere la nuova & à del figliuolo, chiamasi per suo rispetto la seconda età, non ostante, che l'età d'un huomo maggior numero d'anni contenga, & perciò Nestore huomo di tre età fu chiamato.* id est: *Hoc inde procedere, quod homines plerumque successioni principium constituunt circiter triginta annos nati: a quo tempore cum nova filii ætas prodeat, ejus respectu secundam ætatem dici, quantumvis hominis ætas majus contineat annorum spatium: ideoque Nestorem tres vixisse ætates dictum.* Jam si hoc verum est, itidem verum erit, easdem ætates *chronologicas* duobus modis fuisse sumptas: nempe ut illæ vel comprehenderent vagum atque incertum annorum numerum, pro incerto illo spatio generationis, quod tamen qualicunque modo triginta plus minus annorum erat; vel ad arbitrium scriptorum demonstrarent certum aliquod annorum spatium, aut majus, aut minus annis triginta, pro variis ipsorum considerationibus. Atque inde factum est, cum quisque illorum potius hoc quam illo *chronologicarum* ætatum genere gauderet uti, ut hodie aliquantum diversæ de illis sint opiniones. Insuper tertium quoque genus ætatum apud scriptores in usu fuisse mihi videtur, quod neque *chronologicum*, neque *naturale* potest dici, cum non certum contineat annorum numerum, aut naturali quadam successione censeatur. Igitur tertium illum fuisse convenit modum computandi tempora per numerum atque ætates regum, quorum aut ipsis regnorum moribus atque usu, aut per alios casus, non semper accidit, ut filii sint successores: atque adeo periodi annorum, quos illi imperaverunt, multum solent esse inæquales. Denique silento non est prætereundum, nullo horum modorum potuisse ullo pacto tempus exacte demonstrari rerum gestarum, quæ describebantur, quandoquidem quælibet ætas longam continebat plurium annorum periodum, ut quivis facile intelligere potest. Hisce igitur positis, facile illud discernere poterimus, quandocunque *Dionysius* vel primo, vel secundo vel tertio modo tempus supputaverit; & quatuor illas ætates, quibus ipse annos istos CXXXVIII. æquiparavit, elapsos a media Olympiade XVI. ad finem usque quinquagesimæ, sumptas ab illo fuisse modo *chronologico*; idem sedecim illas generationes, quas ipse a Troja capta usque ad Romam conditam numeravit, non esse accipiendas eodem illo modo. Atque adeo neque *Valguarnera* justa ratione reprehendit *Dionysium* obscuritatis atque inconstantiæ nomine; neque *Cluverius*, neque quisquam alius persuadere sibi debebat, ex prædictis apud eundem *Dionysium* exemplis cuilibet ætati XXVII. annos esse assignandos. Nimirum illi neque ad hanc diversitatem attenderunt, neque ad necessitatem illam, qua non possunt ad istum modum tempora computantes exacte definire certum rei cujusdam gestæ annum. Observari hæc omnia, quæ diximus, ex eodem possunt Historico, & præcipue lib. I. proœmio, lib. III. fortasse quatuor locis, lib. V. lib. VI. & denique lib. VII. duobus locis. Neque de *Herodoto* etiam, qui & ipse solet accusari, quod ætatibus inæqualem tribuit annorum numerum, aliud est dicendum: quod ut manifestius appareat, nostraque etiam clarius percipiatur disputatio, ipsius referre verba non gravabor, quæ Latine habent ad hunc modum, suntque lib. I. *Jardane ancilla & Hercule geniti per quingentos & quinque annos, duas & viginti virorum ætates tenuerunt, filius patri succedens, usque ad Candaulem Myrsi.* Igitur heic singulis ætatibus tres & viginti annos dedit, quia lo-

Neque nostro instituto obest, neque propterea Dionysius sibi contradicit.

Aliæ enim sunt naturales ætates,

Aliæ chronologicæ, quæ nascuntur a naturalibus,

Et triginta circiter annorum sunt, per causam naturalem.

Scipio Amiratus laudatus.

Etiam tempora computantur per ætates regum modo tertio.

Atque adeo, si recte observetur ejusmodi varietas, neque inconstans, neque obscurus fuit in computationibus Dionysius.

Marianus Valguarnera & Cluverius refutati.

Herodotus illustratus, & secum conciliatus duobus locis.

loquutus est de *naturalibus*: at lib. II. tres ætates omnino centum annos æquare voluit *chronologicas* videlicet intelligens, & dicens, ex Ægyptiorum traditionibus, qui affirmabant, *a primo rege ad Vulcani sacerdotem, qui postremus regnavit, progenies hominum fuisse trecentas quadraginta unam, & totidem interea pontifices, totidemque reges*, hoc colligi, spatium illud fuisse undecies mille trecentorum & quadraginta annorum. *Trecentæ autem progenies* (ita subjunxit de totidem regum atque potificum ætatibus) *decem millia annorum sunt: nam tres virorum progenies centum anni sunt*: (ecce eum heic non attendentem ad singulorum vitæ spatium, quod incertum erat & varium, sed ad certam firmamque normam *chronologicarum* ætatum dimetientem *naturales* ætates) *una & quadraginta, quæ reliquæ sunt ultra trecentas, sunt anni mille trecenti quadraginta*. Idem lib. I. dixit, regni Medorum CL. annos effluxisse per quatuor ætatum successionem, denotans quatuor ultimorum regum ætates, nam alii quidem reges novem numeraverunt. Igitur hic *naturales* intellexit ætates, quæ definitum non habent annorum, numerum licet soleant aliquantum aut citra aut ultra triginta annos consistere, quod certum est *chronologicarum* spatium secundum eundem ipsius computandi modum. Atque hoc cum itidem sit usus *Dionysius*, si recta observatione ejus legerimus vestigia, ad altissima nos deducet primorum Italiæ atque Latii populorum tempora, unde primorum Campaniæ nostræ incolarum tempora denique poterimus inter tantam caliginem quodammodo perspicere.

Primi Latii populi fuerunt Siculi.

Itaque affirmavit ille lib. I. quasi re satis certa, primos Latii populos fuisse Siculos. His proximos recensuit Aborigines, quos *Cato* & *Sempronius* origine Græcos crediderunt, quique ex ipsius sententia fuerunt iidem [1] qui Oenotri, qui

His successerunt Aborigines, *qui fuerunt Græci* Oenotrii,

1. Hanc *Dionysii* sententiam impugnavit in Doctissima *Dissertatione De primis Italiæ colonis & Æneæ adventu*, cap. I. *Theodorus Ryckius*: dubito, an satis probabiliter. Et possit pro *Dionysio* etiam illud dici, Janum Aboriginum regem videri eundem fuisse cum Oenotro; non tantum inde, quod Janus antiquissimus in Latio rex fuisse proditur, & item Oenotrius; sed magis ex ipsa nominum convenientia, quæ prorsus sunt eadem. *Janus* enim ut Hebraice docti volunt, formatum ab Hebraica voce, quæ vinum notat: *Oenotrus* autem a Græco οἶνος, quod itidem vinum significat. Ceteroqui vero, an jam ante Aborigines incoluerint Italiam Siculi atque Ausones, ut itidem voluit *Dionysius*, & sequitur eum *Peregrinus* noster; de eo in utramque partem multa disputari possunt. Contra enim Aborigines primos fuisse Italiæ cultores, alii prodidere, quos sequitur *Ryckius*. Atque hæc sententia probari videtur ex ipso nomine *Aboriginum*, sive jam sequi placet illorum opinionem, qui illud inde deducunt, quod ab origine ultima Italiam incoluerunt; sive *Dionysii* sententiam, quem hic quoque sequitur auctor noster; Aborigines ita dictos ἀπὸ τῶν ὀρῶν, quod in montibus habitarent. Sane enim prisci primique mortalium habitaverunt in montibus, ut recte observarunt *Cluverius* & *Casaubonus*, quorum verba refert noster non longe a fine sequentis cap. III. & quidem in antris & specubus illorum. *Ovidius Metam.* lib. I.

Tum primum subiere domos: domus antra fuerunt.

Ceterum Jani atque Aboriginum antiquitati etiam hinc accedere argumentum possit, quod veteres multa Jano tribuisse videntur, quæ per traditionem ab Noacho acceperant, ut colligi potest tam ex isto nummo ejus, in cujus altera parte navis, in altera caput biceps expressum erat, quam ex ipso nomine Jani, in quo historiam vini ab Noacho inventi cernimus. Et adeo nonnulli quoque veterum vini inventionem Jano tribuerunt, unde etiam confirmatur eum eundem cum Oenotro fuisse. Vide Dickinsoni *Delphos Phœnicizantes* cap. XII. Sed meo quidem judicio frustra quis laboraverit, qui de hisce rebus antiquissimis certam aliquam prodere notitiam, & ipsorum quoque temporum hic exponere seriem velit. Nimium illæ incertæ, & fabulis involutæ multiplicibus: unde factum, ut ex traditionibus diversis variisque conjecturis adeo diversa prodiderint de illis ipsi veteres.

duce Oenotro, a quo ita dicti fuerunt, omnium primi e Græcia atque Arcadia in Italiam transierunt, septendecim ante bellum Trojanum ætatibus, quæ secundum calculum *chronologicum*, quem prædiximus, DLXVII. annos æquant. Advenerunt illi, ut narrare pergit *Dionysius* primum in illum Italiæ angulum, qui ad Occidentem spectat, & isto tempore ab Ausonibus tenebatur, unde vicinum mare dictum fuit *Ausonium*. Interjecto tempore posteri illorum, novas sedes quærentes, in loca, quæ ab Siculis, quos diximus, colebantur, inque Latium commigravere, cui tum temporis nondum hoc erat nomen. Hic diu cum indigenis continua exercuere certamina: sed ad ultimum auxilio Pelasgorum, qui recens advenerant in Italiam, & itidem origine Græci atque Arcades erant, ideoque ipsorum consanguinei, adegerunt illos prorsus relinquere sedes avitas, qui tum in extremam hanc Italiæ partem ad mare fugientes, ab nullo populo cum reciperentur, freto trajecto in Siciliam transgressi sunt. Primi Pelasgi ex ejusdem *Dionysii* sententia patria sua Arcadia tribus post Oenotrum ætatibus excesserant. Eorum posteri cum jam quinque ætates in Thessalia egissent, circa sextam pulsi a Deucalione Dodonam inde concesserant, & denique brevissimo post tempore in Italiam transcenderant, nempe post ætatem nonam, quam eodem appulerat Oenotrus. Nec multum temporis intercessit, cum amicitiam cum Oenotris inierunt, ut diximus, damno Siculorum, jam cognito sibi genus esse commune. Jam hice Pelasgi ut *Dionysius* subjunxit, proximis annis ducentis multum auxerunt fortunas suas: verum deinde divino quodam fato ita cœperunt ex sese atteri atque imminui, ut pene omnes fuerint extincti duabus ante bellum Trojanum ætatibus, id est, annis circiter LXVI. ut apertius post exponam ex eodem Historico: pauci autem aliquot, qui tum adhuc superarant, & ipsi brevi interierunt, urbibus illorum occupatis ab aliis Italiæ populis, & maxime ab Etruscis, qui illarum obtinuerunt potissimas. Subjungit *Dionysius*, LX. annis ante idem bellum Trojanum in Latium advenisse Evandrum, & ipsum Arcadem, patremque Pallantis, (jam tum cœperant deficere Pelasgi) & non multo post eodem accessisse Herculem, qui deinde in Campaniam transgressus, Neapolim inter & Pompejos exiguum condididit oppidum juxta portum, ubi classis ipsius tuta egerat stativa, suoque nomine Herculaneum sive Heracleam illud appellavit. Clausit denique *Dionysius* narrationem suam relatione rerum ab Ænea Trojano gestarum, quem & ipsum in Latium fuisse delatum dixit una cum Ascanio filio aliisque Trojanis duabus post ætatibus seu exactiore calculo LV. post annis, quam Hercules ex eo excesserat. Triennium vero jam per maria jactatus erat Æneas, postquam ex patriæ urbis excidio evaserat. Posteri deinceps ejus diu in eodem Latio imperitaverunt, ex quibus Romulus instauravit Romam anno post Trojam captam CCCCXXXII. primum conditam, ut nonnulli volunt, ab Romo, ejusdem Æneæ filio; ex Antiochi autem Syracusani sententia jam ante Romum ab aliis quoque exstructam, ut ita Romulo tertium illa suum ortum debeat. Atque hæc sunt breviter, quæ de primis Latii populis prodidit *Dionysius Halicarnassensis*.

Et Siculos Latio expulerunt nova Pelasgorum auxilio,

Qui & ipsi ex Græcia in Italiam delati, deinceps interciderunt ex sese aliquanto ante bellum Trojanum,

Et nonnullas eorum urbes occupaverunt Etrusci.

Eodem fere tempore ex Græcia in Italiam advenit Evander, *& mox* Hercules:

Item post bellum Trojanum Æneas Trojanus,

A cujus stirpe Romulus ortus, qui ROMAM *ampliavit.*

III. *Vulgo receptas antiquissimorum Italiæ Latiique populorum, ut & ROMÆ urbis conditorum Historias refutaverunt quidam sine justis rationibus.*

Historiam Italiæ Latiique populorum, proditam nobis ab Dionysio Halicarnassensi, negaverunt nonnulli.

VErum heic video novum mihi impedimentum objici ab eodem *Valguarnera*, qui Oenotros negat posse secundum eundem *Dionysium* fuisse eosdem illos populos, qui alio nomine dicti fuerunt *Aborigines*, eosque in Italiam advenisse ante Pelasgos. Et magis adhuc se objicit mihi *Cluverius*, qui *Italiæ antiquæ* lib. III. cap. II. non tantum *Dionysio*, sed omnibus adeo vetustis auctoribus tantum non omnino negat, quæcunque ipsi tam de Latii cultoribus, quam de Ænea atque Romulo, deque Roma ab illo condita prodiderunt. neque hoc solum, sed unquam quoque exstitisse negat ille reges Albanos. Igitur si cœptum persequi iter volumus, amolienda nobis sunt manifesta adeo offendicula, certe non dissimulanda. Et *Cluverius* quidem, ut hunc prius absolvamus, qui pedem nos movere non sinit, multis pro sententia sua rationibus allatis, quæ non possunt omnes hoc loco examinari, de multa narrationum varietate, quod ad Romæ ortum Romulique personam attinet, irridet veteres, & præter ceteros *Dionysium*, qui voluerit illos in concordiam quodammodo redigere, dum esse Romam ter conditam dixit. Porro illis habere fidem detrectat, qui Æneam advenisse in Italiam prodiderunt: & adeo placet ipsi *Dionis Chrysostomi* opinio, qui Trojam ab Græcis non fuisse captam probare annixus est. Hinc adventum illum prorsus esse fictum autumat, magnum eam in rem argumentum suppeditante *Homero*, qui *Iliados* lib. XX. sub Neptuni persona dixit, Jovi odio esse stirpem Priami, regis Trojani, & Æneam ejusque posteros imperaturos Trojanis. Versus ejus Latine ita habent:

Is fuit, qui diceret, Æneam nunquam advenisse in Italiam,

Jam enim Priami stirpem odit Jupiter,
Nunc vero Æneæ virtus Troibus imperabit,
Et filii filiorum, qui ex eo nascentur.

In eundem quoque sensum Venerem in ejus *Hymno* loquentem introduxit cum Anchise, quos versus referre mihi non videtur opus esse. In eadem sententia nonnulli quoque veterum fuerunt, iisdem ex *Homero* argumentis persuasi, quos retulit *Strabo* lib. XIII. *Dionysius* autem illa voluit interpretatione quadam dissolvere, ut mox dicemus. Sed *Cluverius* denique ne quidem Evandrum Arcadem, vult ætate Herculis in Italiam advenisse, sed illum eundem fuisse cum Ænea hominem autumat, sicut & eundem cum Pallante Ascanium, quorum hic Æneæ, ille Evandri filius proditus: item Evandrum fuisse illum, quo duce in Italiam tempore antiquiore, quod demonstravit *Dionysius*, transierunt Pelasgi, quorum nomen a scriptoribus in Evandri historia silentio prætermissum. Atque hujus rei magnum credidit esse indicium, quod omnia alia, quæ sigillatim de Pelasgorum, de Evandri, deque Æneæ adventu in Italiam prodita sunt, unius ejusdemque gentis res esse gestas appareat, quoniam multum sint invicem sibi consimilia. Concludit igitur, Romam credi debere temporibus antiquissimis primum esse conditam a Siculis, qui patrii sermonis vocabulo illam dixerint *Valentiam*, (& sunt multi veterum testes, eam hoc quoque nomine dictam) deinde autem ampliatam ab Evandro Pelasgo, appellatam fuisse suo, id est, Græco idiomate, Ῥώμην *Romam*, quo vocabulo itidem significatur robur & valentia. Verum si ille irrisit *Dionysium*, quia is varias antiquorum receperat narrationes de origine & incrementis ejus urbis, easque studuerat ista, quam diximus, ratione in concordiam redigere, quomodo suæ vanitas opinionis potest non fuisse major? nam ille pro lubitu & majore etiam cum audacia hanc negans, hanc recipiens traditionem, quæ utique perinde suos habebant ex veteribus auctores, ex illis formavit tertiam eamque prorsus novam historiam, & insuper ipse illud comprobavit, cujus nomine reprehenderat *Dionysium*, nempe plusquam unum fuisse Romæ urbis ortum. Argumentum ex *Homero* desumptum, quo Æneas arguitur non advenisse in Italiam, sane magni est momenti, atque illud parum forsan commode solvit idem *Dionysius*, qui ita existimavit: *Fieri potuit, ut imperaret Trojanis, quos secum duxerat, quamvis in alia regione viverent.* Nam poëta iste regnum Æneæ opposuit Priami regno, ita ut satis ostenderit se intellexisse Trojæ Trojanos, quorum nomine satis improprie demonstravisset Trojanos Italiæ, id est, Latinos ab Trojanis ortos. Atque hac de causa forte nonnulli veterum Æneam in Italiam delatum deinceps in Asiam revertisse existimaverunt, quorum sententiæ non videtur accedere voluisse *Dionysius*. Mihi animus inclinat credere si fidem habere libet *Dioni Chrysostomo*, qui ab Græcis unquam fuisse captam Trojam negavit, sique nihilominus iste poëta, non verens poëmatibus suis a manifesto adeo mendacio materiam, desumere, adeo celebrem concitavit ea de re famam, posse etiam hoc concedi, eum eodem modo [1] ex suo confinxisse cerebro, Æneam atque ejus posteros post incendium ejusdem patriæ urbis suæ diu adhuc ibidem regnavisse. Atque hoc non possit mihi negare *Cluverius*, qui cum *Dione* consentit. Verum similitudo, inquit ille horum factorum, quæ & Æneæ, & Evandro, & Pelasgis sunt a veteribus adscripta, magno

Eumque eundem fuisse cum Evandro Pelasgorum duce,

Qui urbem, antea Valentiæ nomine dictam, Græce appellaverit ROMAM.

Sed non animadvertit ille, in eundem se errorem incidere, quem imputabat aliis,

Licet de Æneæ regno in Troja non leve habeat argumentum.

Dionysius Halicarnassensis refutatus.

Sed nihilominus illud secundum eandem ipsius sententiam est inutile.

Et sine ratione voluit ille omnes inter se consimiles casus ad unum duntaxat casum restringere.

1. Nimium infeliciter mea quidem sententia istam ex *Homero* difficultatem tollere conatur *Peregrinus* noster hoc suo novo commento: ut melius fecisset, isti expositioni & sententiæ *Dionysii* acquiescere, quam talem producere opinionem, quæ cum ipsius hypothesi pugnat e diametro. Adstipulatur *Dioni Chrysostomo*, & hoc esse *Homeri* figmentum poëticum vult, Trojam ab Græcis fuisse captam atque dirutam; adeoque eum hoc quoque perinde ex suo cerebro confinxisse, Æneam ejusque posteros regnavisse Trojæ. Sed profecto, qui Trojam captam negat, ille quoque Æneæ adventum in Italiam negat, quem tamen auctor cum maxime afferere studebat contra *Cluverium*. Certe enim veteres ita dixere, Æneam post captam ab Græcis dirutamque Trojam, collecta Trojanorum manu, qui patriæ suæ excidio superstites evaserant, naves conscendisse, & petiisse Italiam. Sed quod ad *Dionem Chrysostomum* attinet, qui Trojam ab Græcis captam negavit, refutavit hoc commentum *Ryckius* in *Dissertatione de primis Italiæ colonis, & Æneæ adventu*, cap. IX. quo lectorem remittimus. Et ille quidem autumat, *Dionem* in isto paradoxo voluisse facere virium ingenii periculum, perinde ut *Isocrates* laudavit Busirim, *Phavorinus* philosophus febrim quartanam. sed fortasse ille etiam adulari voluit Iliensibus ista *Oratione* sua panegyrica. Itaque potius admittenda *Dionysii* interpretatio istorum versuum Homericorum, cum utique Æneas ejusque posteri, licet in Italia, regnaverint tamen inter Trojanos, quod prædicebat apud *Homerum* Neptunus. Et adeo nihil est, quod dicit auctor de Trojæ & Italiæ Trojanis, quandoquidem poëta iste dixit *Trojanos* respectu generis, non vero sedis avitæ. Neque enim ille expressit regni *Æneæ* locum, sed tantum gentem, cui ipse ejusque posteri essent imperaturi. Atque hanc satis improprie *Peregrinus* noster dicit *Latinos ab Trojanis ortos*: nam hæ fuerunt gentes diversæ, quamvis deinde in unum, populum ac regnum coaluerint. Plura de adventu *Æneæ* in Italiam videri possunt apud *Ryckium* in *Dissertatione*, quam diximus, cap. ultimo, ubi refutavit *Cluverium*, & *Samuelem Bochartum*, qui Æneam nunquam fuisse in Italia acrius afferere conatus est post *Cluverium* in singulari *epistola ad Seyresium*.

gno est argumento, illa, cum unius duntaxat hominis vel populi fuerint, in tres fuisse narrationes multiplicata: quasi scilicet *Plutarchi Parallelis minoribus* non edoceamur, frequenter multos magis aut minus notabiles accidisse casus, qui prorsus fuerunt sibi consimiles, ut alios priscorum & recentiorum temporum taceamus, quos satis in proclivi est ex multis aliis observare historiis. Neque vero opus est ad Pelasgorum in Latium adventum recurrere, ut, ratio reddi possit, quo pacto *Roma* hoc Græci idiomatis nomen acceperit, quæ alio modo dicebatur *Valentia*, quod idem valebat, nisi etiam necesse sit, ut perinde dicamus in Campania nostra eosdem, Pelasgos urbem nostram appellavisse Græca voce *Capuam*, quæ ejusdem significationis vocabulo *Volturnum* dicebatur: ut partim ostendimus in secunda *Dissertatione*, & in hac ipsa denuo sumus demonstraturi alio loco opportuniore. Atque hæc de quæstione adeo obscura sufficere mihi posse videntur, quæ certe prætermittere non debebamus. Interim eidem *Cluverio* in memoriam revocamus, quam parum ille soleat alias fidere illis, quæ ex ingenio duntaxat suo protulerunt grammatici, ubi de ejusdemmodi rebus antiquis sunt loquuti, cum tamen illorum fide magnam partem nitantur eædem hæce considerationes ejus.

Cluverius refutarus & notatus.

Alii Dionysio Halicarnassensi concedunt, Oenotrum XVII. ætatibus ante bellum Trojanum vixisse,

Non adeo amplam, utpote in solum duntaxat *Dionysium*, censuram exercuit *Valguarnera*, qui Oenotros, ut supra indicavimus, non posse eosdem fuisse cum Aboriginibus & eosdem non advenisse in Italiam ante Pelasgos credidit. Neque tamen ille negat, ab Oenotro, qui fuit quintus a Phoroneo, Inachi primi regis Argivorum filio, usque ab bellum Trojanum effluxisse ætates septendecim: ut adeo, si Oenotrus septendecim ætatibus ante idem bellum sit natus, Phoroneus XXI. ante illud ætatibus debuerit nasci, patre ejus Inacho primum constituente regnum Argivorum, quot numero ætates annos conficiunt septingentos. Et totidem annos numero rotundo numerat *Eusebius Cæsariensis* in *Chronici* sui procemio Græco, ubi Latinus ejus textus hac quidem parte desideratur: deinde autem exacto numero annos computat DCLXV. Itaque hæc quidem omnia ille vera, sed hoc judicat esse falsum, ab Oenotri ætate usque ad egressum e Thessalia Pelasgorum, qui a Deucalione expulsi sunt ante diluvium, quod ejusdem temporibus accidit, novem ætates effluxisse. Nam inquit, cœpit regnare Deucalion ex ejusdem *Eusebii* sententia XIV. annis ante istud diluvium, quod ante bellum Trojanum annis CCCXLI. accidit. Igitur Pelasgorum fuga ex Thessalia CCCLV. annis præcessisse idem bellum statui potest, id est, paulo minus XI. ætatibus, cum *Dionysius* heic non amplius sex numeret ætates, quæ annos conficiunt CC. atque adeo anni supersunt CLV. qui si una cum istis quadraginta annis, qui desunt ad explendam istam DCC. annorum periodum ab Inachi regno ad bellum usque Trojanum, detrahantur XVII. istis ætatibus, quas ipse ab Oenostro usque ad eandem epocham numerat, in ipsum fere tempus incidemus, quo vere natus est Oenotrus. Nam ætates XVII. annos conficiunt DLXVII. ablatis inde CXCV. reliqui sunt CCCLXII. Jam totidem circiter annis ante bellum Trojanum oportet natum fuisse Oenotrum: & annus iste CCCLXXII. ex *Gordoni* sententia incidit in quintum annum ante regnum Cecropis, primi regis Athenarum, & in septimum decimum ante excessum, quem indicavimus, Pelasgorum ex Thessalia. Neque tantum ex *Dionysii* errore

Sed eidem negant, IX ætatibus ante Pelasgos advenisse in Italiam,

A chronologico, sed ex aliorum quoque Scriptorum, id est, *Pausaniæ* & *Apollodori* testimoniis colligit *Valguarnera*, Oenotrum Cecropis atque Deucalionis fuisse æqualem. *Pausaniæ* verba lib. VIII. ita Latine reddidit interpres: *Eadem ætate & Cecropem Athenis, & Lycaonem in Arcadia regnasse arbitror.* Et hujus Lycaonis filius fuit Oenotrus. *Apollodorus* autem lib. III. diluvium Deucalioneum dixit accidisse Nyctimi temporibus, qui itidem filius Lycaonis & frater Peucetii, quem idem *Dionysius* fratrem fuisse Oenotri, & una cum eo in Italiam advenisse affirmat. Præter hosce duos auctores insuper etiam *Eusebii Cæ-*B *sariensis* utitur testimonio, qui regnum Arcadis, quem omnes filium dixerunt Calistus, quæ & ipsa Lycaonis filia, XLII. annis post idem collocavit diluvium. Jam vero ipsi possit objici, quod *Dionysius* dixit, Pelasgum, Lycaonis patrem, filium fuisse Niobes, quæ filia Phoronei, secundi regis Argivorum: unde colligere liceat, non posse Oenotri ætatem infra quintam a principio regni Argivi ætatem collocari, & multo minus ad annum usque CCCLXXII. ante bellum Trojanum demitti, quod tempus non in quintam illam ætatem, sed in finem decimæ & principium undecimæ incidit. Sed respondet ille, etiam C heic *Dionysium* esse falsum, quandoquidem & *Hesiodus*, apud *Apollodorum*, quem modo citavimus, & *Asius* poëta antiquissimus apud *Pausaniam*, quem itidem citavimus, & item *Æschylus* in tragœdia, cui nomen *Supplicantes*, cum genus atque originem istius Pelasgi nescirent, eum Arcadiæ finxerint Aboriginem, ex terra ibidem progenitum. Denique allegat ille, quod de Pelasgis scripsit *Marcianus Heracleota* in *Periegesi*, cujus versus Latine habent in hunc modum:

Cum ille Deucalionis fuerit æqualis, qui ipsos Pelasgos e Thessalia expulit.

Item illi negant cognitum fuisse, quisnam fuerit pater Lycaonis, cujus filius Oenotrus.

> *Nempe a Ligustica Pelasgi porro sunt,*
> *Qui a Græcia primi hic domicilia fixerunt,*
> D *Tuscisque communem usque regionem colunt.*

Et adeo concludunt, eosdem Pelasgos ante Oenotrum advenisse in Italiam,

Igitur hac ratione Italiæ Aborigines, id est, illi, ante quos in Italia non fuerunt alii populi antiquiores, non possunt fuisse Oenotrii: neque etiam Oenotrus. qui vixit temporibus Deucalionis, potuit eo transire ante diluvium Deucalioneum, ante quod Pelasgorum eodem adventus est collocandus, qui a Deucalione Thessalia pulsi sunt ante idem diluvium. Imo neque ipsi Pelasgi possunt fuisse, qui in Italia offenderunt Aborigines, ut indicat quoddam eorum vetus oraculum, cujus versus ab eodem *Dionysio* referuntur. Quod si maxime huic auctori (ita conclu-E dit *Valguarnera*) concedamus, Oenotrum in Italiam transiisse XVI. ante bellum Trojanum ætatibus, id est, annis DXXXIII. quod tempus dispersione gentium & condita turri Babylonia serius est annis CCCCVII. non videtur tamen verisimile, tanti temporis intercessisse moram, dum Italia frequentaretur hominibus: præterquam quod Oenotriis, si ille concedit, eos ad mare in Ausones, item in Latio in Siculos incidisse, non potest Aboriginum tribui nomen. Huc usque *Valguarnera*, digna nobili suo intellectu cum doctrina atque acumine. Neque sane dubitari potest, *Dionysium* in diversa a nonnullis aliis scri-F ptoribus fuisse sententia, quod ad intervallum temporis attinet ab Oenotro ad Deucalionem usque, qui Pelasgos e Thessalia expulit. Sed itidem certum est, eum suas non exposuisse sententias sine attenta admodum observatione: ut ex integro ejus libro I. deprehendi potest, ubi prolixe & ex professo disputavit de hisce antiquitatibus Italicis: neque in sequentibus etiam libris eundem pro re nata intermisit morem. Sed utcun-

Qui tamen ideo non fuerint Aborigines, aut omnium primi

Et sane Dionysius, scriptor accuratissimus, diversa ab aliis sententia Deucalionem statuit multo juniorem Oenotro,

cunque nonnunquam potuerit ejus prudentia aut decipi aut defatigari, prout humana fert infirmitas; nunquid satis vera est vulgaris illa priscorum temporum divisio, qua alia, id est, prima, dicuntur, prorsus esse ignota; alia id est sequentia fabulis esse involuta: alia vero, id est, ultima vero convenientius aliquantum esse descripta? Ex historiarum itaque, non vero ex fabularum scriptoribus aut poëtis discere convenit, quænam ex ambiguis antiquorum temporum narrationibus sint maxime veræ, in quarum numerum hæc quidem referri nequit, quam commento poëtico tres illi poëtæ, quos supra citavimus, prodiderunt, quaque Pelasgus traditur ex terra prognatus esse in Arcadia. Neque vero isti fabulæ locus inde datus est, ut autumavit *Valguarnera*, quod patris ejus nomen prorsus ignoraretur: si enim hac in re solius *Dionysii* stare fide noluimus, facile idem intelligere ex *Acusilao*, possumus, qui ipso antiquior eodem modo Pelasgi genealogiam descripsit. Refert vero eum *Apollodorus* lib. II. & denuo lib. III. qui *Hesiodum*, quoque citat pro altera ista sententia, quam contra refutat argumento firmissimo *Pausanias* lib. VIII. ubi, ut Latine habent ejus verba, ita dixit: *Primum omnium Pelasgum memorabant Arcades in ea terra extitisse: sed consentaneum certe est, non solum illum, sed alios etiam una cum eo fuisse. nam quibus omnino imperasset hominibus?* Atque hinc certo intelligimus, Arcades ista gloriatione sua falsos fuisse pluribus modis, ut nec ipse *Valguarnera* negare queat, quandoquidem ille nihil adversatur, quin Inachus qui Arcadiam atque Argos imperio regens, regnum Argivorum constituit, ipso Pelasgo fuerit antiquior. Ceterum si hic non singularis fuit *Dionysii* sententia, ubi Oenotrum a Phoroneo quintum numeravit, perinde etiam non solus ille est, qui eundem Pelasgi nepotem & filium Lycaonis dixerit. Idem enim *Pausanias* quoque sensit, qui ad cetera quod attinet, adeo aperte Oenotrum dixit primum coloniæ Græcæ in Italiam ductorem, ut, si tempus ejus deductæ addidisset, quod notavit *Dionysius*, ex hoc ipso eum illud hausisse crederem. Jam vero non est quod de eo cogitemus hoc etiam altero indicio, quod ipse nobis exposuit nonnulla, quæ prætermisit *Dionysius*, nempe Oenotrum fuisse natu minimum ex fratribus suis, quorum magnus fuit numerus, neque inter illos retulit Peucetium, cujus meminerunt *Dionysius* & *Apollodorus*, quorum contra hic ultimo loco reposuit Nyctimum, & nihil omnino dixit de Oenotro, cum Nyctimum ex omnibus natu maximum addita insuper nonnulla alia varietate prodiderit *Pausanias*. Ceterum ejus verba, quantum illa ad nostrum faciunt institutum, ita Latine reddita sunt: *Natu minimus Oenotrus, pecunia & viris a fratre Nyctimo acceptis,* (jam alii *arbitrio quisque suo, agri partibus occupatis, opida munierant*) *classe in Italiam transmisit, a quo fuit ea terra de regis nomine Oenotria vocitata: atque hæc prima a Græcis colonia deducta. Sed neque barbaræ gentes ante Oenotrum (ut accuratissime revolvatur) ad exteras gentes commigrasse reperiuntur.* Jam Siquidem verum est, Phoronæum XXI. ætatibus, præcessisse bellum Trojanum, Oenotrus, qui ab illo quintus fuit certe natus est XVII. ante idem bellum ætatibus: & ipse primus fuit, quantum quidem sciri poterat, qui ex Græcia in Italiam transiit: licet ceteroqui Deucalionis ætas & ex Thessalia Pelasgorum excessus non in serum adeo tempus ab aliis fuerit rejectus, ut ab *Dionysio*. Sed ea de re forsan non fuit omnium una eademque sententia, cum itidem non una solummodo fuerit de ipso Deucalione opinio, seu, ut melius dicamus, plures in orbe Deucaliones exstiterint. Ceterum si *Marciani Heracleotæ* heic major habenda est ratio, quam alias esse habendam demonstravimus in *Dissertatione* secunda de Cumis & Neapoli agentes, potest ille hoc voluisse, Pelasgos fuisse primos, qui Etruriam incoluerint, sive Etruriam in Italia fuisse primam eorum sedem, etsi longe aliter hac de re sentit *Dionysius*: non vero, eos fuisse primos omnium totius Italiæ incolarum. Græca habent ad hunc modum: Οἱ πρότερον κατοικίσαντες ἐκ τῆς Ἑλλάδος. Denique idem argumentum, quo impugnatur *Dionysius*, nempe Oenotrios, quandoquidem in Italia jam Siculos atque Ausones invenerint incolas non posse fuisse Aborigines, idonei responsi loco esse potest ad illud, quod objicitur, nimis longum illud fore tempus, quo Italia a dispersione gentium ad Oenotri usque adventum nondum fuerit incolis frequentata. Nam & Ausones & Siculos pro lubitu removere possumus ad tempora altiora: & nihilominus secundum ipsius opinionem nihil obstat, quo minus Aborigines fuerint Oenotrii, cum istius nominis ille vulgarem etymologiam non judicaverit esse veram, nimirum eos ita fuisse dictos, quod omnium in Italia populorum fuerint primi, sed existimaverit, *Aborigines vocatos, quod in montibus habitarent: (Arcadicum enim est, montium habitatione delectari) ut ii, qui Athenis Hyperacrii & Paralii.* Et *Cluverio* quidem visa est res mira *Italiæ* suæ lib. III. cap. I. *quomodo nomen sibi peculiare imponere gens hæc una potuerit, quum complures aliæ in eadem terra, adeoque pleræque incoluerint montes:* Sed neutiquam hoc novum est, & multa exempla consimilia observare in proclivi est. Ceterum *Casaubono* in allatis *Dionysii* verbis legere placet Ἀρχαικὸν *antiquum pro* Ἀρκαδικὸν, *Arcadicum*: idque duabus de causis: *Primum enim*, dixit, *quid obsecro te, pertinebit hic, quod de Athenienfibus subjicitur? Deinde certum est, antiquissimos homines habitatione montium fuisse delectatos.* Verum ista lectio vim infringit sententiæ *Dionysii*, qui Aborigines vult fuisse Arcades, id est, Oenotros etiam hoc argumento ab etymologia nominis eorum petito. Neque vero exemplum Atheniensium magis in hanc novam quadrare potest, quam in veterem lectionem, cui quidem satis apte convenit: hoc enim voluit auctor dicere, eodem modo Aborigines hoc nomine dictos fuisse a montium habitatione, quo Athenis dicti fuerunt Hyperacrii cives illi, qui editiorem urbis partem incolebant, & Paralii, qui versus mare habitabant. Quod si illi loco forsan aliquid est vitii, tertium genus atque nomen civium Atheniensium deest, qui dicebantur Πεδιαῖοι, quoniam plana incolebant. atque horum nomen, quod non minus ad suum facere poterat argumentum, non erat illi prætermittendum. Jam vero quod ad cetera attinet, dissimulare non possum, disputationem *Dionysii*, qua ille Aborigines *Catonis* & *Sempronii* fuisse Oenotrios asserit, quia illi eos fuisse Græcos dixerunt, non recte procedere, si forte iidem auctores per Aborigines intellexerint primos Italiæ populos, qui potius fuissent Siculi sive Ausones, sicut & prima Græcorum in Italia colonia non fuisset Oenotrorum. Sed de hisce ulterius disquirere non est animus, qui leviter duntaxat attingere voluimus, quæ hujus erant loci atque argumenti, quo aditum nobis aliquem aperiremus ad exponendam non sine quodam temporum ordine primorum nostrorum populorum antiquitatem atque successionem, quæ tribus annorum perio-

De cujus genealogia non est credendum fabulis poëtarum,

Ut patet etiam ex narrationibus, quæ de ea apud alios exstant auctores,

Acusilaus & Pausanias cum Dionysio Halicarnassensi consentientes.

Ex quibus nonnemo itidem Oenotrum dixit primum omnium Græcorum advenisse in Italiam.

Pausanias & Dionysius Halicarnassensis concordes.

Et non defuerunt forsan alii, qui ipsius ac Deucalionis ætatem longo ab invicem temporis intervallo sejunxerunt.

Etiam potest esse verum, Pelasgos prius in Etruriam, quam in quamlibet aliam Italiæ regionem advenisse,

Et nihilominus Italiam jam esse frequentatam hominibus multo ante adventum Oenotri cum suis Oenotris, qui dicti fuerunt Aborigines, *quod in montibus habitarent,*

Ex more patrio, nec sine consimilium appellationum exemplo.

Casaubonus refutatus. Dionysius Halicarnassensis ambigue refutatus.

Veruntamen potest idem Dionysius dissensisse ab ipsis suis auctoribus antiquis.

riodis comprehenditur. Prima est XVII. ætatum, sive annorum DLXVII. ab Oenotro ad bellum usque Trojanum: altera annorum CCCCXXXII. ab eodem bello ad Romam usque conditam, quod Romuli fertur opus: tertia, a Romæ principio ad fastigium usque Romani imperii, & Servatoris ortum annorum DCCLI. Hisce tribus periodis anni continentur MDCCL. qui præcesserunt hosce ultimos annos MDCLI.

IV. *Siculi non fuerunt antiquissimi Campaniæ Felicis populi peculiares, sed Opici & Ausones, qui dicti etiam* Aurunci, *proles verorum, non fictorum Campaniæ gigantum.*

Siculi, antiquissimi Italiæ populi, & ab recentioribus quibusdam speciatim Campaniæ adscripti,

CUm itaque ex *Dionysii* sententia Siculi atque Ausones Italiam priores incoluerint Oenotriis, & *Antiochus* apud *Strabonem*, ac *Polybius*, aliique, licet in ceteris inter se dissentientes, consensu Ausones primo loco numeraverint inter antiquissimos Campaniæ nostræ incolas; possumus hinc cognoscere, illorum habitationem hac eadem in regione multis ætatibus antecessisse bellum Trojanum. Igitur cum hac quidem de re dubitationi non sit locus, videtur nihilominus aliquantum esse in ambiguo, num idem *Strabo*, qui, ut supra notavimus, omnino quosdam nostrorum populorum in isto suo catalogo prætermisit, Siculos quoque referre neglexerit, quos multi recentiorum & ipsos Campaniam incoluisse crediderunt, quique adeo nullo prorsus dubio fuissent omnium Campaniæ incolarum primi. Fuit hæc jam *Pontani* sententia lib. VI. *De bello Neapolitano*, & nuper idem existimaverunt *Reinerus Reineccius De familiis Juliis*, tomo II. & *Abraamus Ortelius*, in *Thesauro* suo, ac *Theatro geographico*: hic, ubi tabulam Magnæ Græciæ exponit: illic ad vocem *Sicilia*. Et *Ortelius* quidem habere se hoc dixit ex *Livio*, lib. XXIII. & ex *Thucydide* lib. VI. quem citavit etiam *Pontanus*, & *Reineccius*. Verum *Livius* isto loco solummodo loquutus est de trecentis equitibus Campanis, quos bello Punico secundo, id est, multis post conditam Romam, nedum post bellum Trojanum seculis, cum aliquandiu militavissent in Sicilia pro Romanis, exacto deinde militiæ suæ tempore in Italiam rediisse narrat: neque ille alio loco ullum fecit de eo verbum, quod *Ortelius* affirmat. *Thucydides*, ut interpres ejus habet, ita dixit: *Siculi ex Italia, (illic enim habitabant) in Siciliam trajecerunt, fugientes Opicos, ut credibile est, & fama fertur, ratibus observato æstu.* Jam quia Opici, perinde ut Ausones, inter primos Campaniæ populos fuerunt, videtur hinc posse colligi, Siculos eadem regione ab illis fuisse expulsos. Atque hæc fuit etiam *Cluverii* sententia lib. I. cap. II. *De Sicilia*, ubi exponens quæ *Antiochus* dixit apud *Dionysium Halicarnassensem* lib. I. *Siculos fuisse Italia expulsos Oenotrorum Opicorumque copiis*, subjecit hæc verba: *Quippe Opici tunc habitabant Campaniam ad Silarim usque amnem: hinc vero ad fretum usque Siculum Oenotri.* Nihilominus ego non ausim reprehendere *Strabonem* duplicis negligentiæ nomine: id est, quod neque primum Siculis dederit locum inter priscos Campaniæ incolas, neque prorsus ullam fecerit illorum mentionem inter ejusdem regionis populos. Neque enim videtur mihi certo posse asseverari, (atque hanc oportet fuisse causam ejus silentii) Opicos Campaniæ fuisse illos, qui Siculos Italia expulerunt: quia nomen Opicorum, & item terræ Opicæ nonnunquam latiori sensu fuit a quibusdam usurpatum. Et ita fecit *Aristoteles* apud eundem *Dionysium* lib. I. ut & magister ejus *Plato* in *epistola* ad amicos & parentes Dionis, cujus verba mox afferemus. Etiam Aboriginum & Pelasgorum cum Siculis bella, & item aliquot horum urbes in alia Italiæ parte, quam in Campania, descripsit idem *Dionysius*, cujus ne alias narrationes prolixiores referre habeamus opus videtur mihi sufficere posse hoc quod dixit de Pelasgis: *Multas urbes, partim & ante a Siculis habitatas, partim etiam a se ædificatas incolebant una cum Aboriginibus: quo in numero est & Cæretanorum urbs, quæ tunc Agylla vocabatur, & Pisa, & Saturnia, & Alsium, & aliæ quædam.* Atque adeo Campania non fuit illorum propria sedes, licet istic potuerint inter fugæ suæ initia aliquantum temporis esse morati. Verum hoc non idoneo est argumento, eos inter nostræ regionis populos esse connumerandos, aut omnino nostros Opicos fuisse illos qui eosdem in fugam compulerunt. *Cluverius* non satis memor illorum, quæ citato *Siciliæ* suæ loco dixerat, ita scripsit *Italiæ antiquæ* lib. III. cap. I. *Non ex Latio expulerunt Siculos Opici, sed ex inferiore Italiæ apud fretum Siculum parte, quo ejecti ex Latio ab Aboriginibus confugerant.* Et ita cap. IX. *Ab Oenotris, qui jam tum Aborigines vocabantur, vel una cum Pelasgis Latini, pulsi fuere* (nimirum Siculi) *patriis sedibus, antiqua illa ac prima Sicilia, sive Italia, quæ fuit in Latio & agro Sabino: ab Opicis porro ejecti fuere reliqua Italia, ad fretum usque protensa, unde in Sicaniam trajecerunt insulam, quæ ab eorum nomine dicta est Sicilia.*

Citantibus auctores, qui nihil tale dixerunt,

Transierunt in Siciliam, pulsi ab Opicis,

Sed ex alia regione, quam Campania.

Strabo illustratus. Jovianus Pontanus, Reineccius & Ortelius refutati.

Cluverius ab se ipso dissentiens.

Sed ne quidem Opici videri possint satis proprie relati fuisse inter Campaniæ nostræ populos a *Strabone*, quia illi, ut monuimus, multo ampliorem coluerunt regionem. *Aristoteles philosophus* (sunt verba *Dionysii Halicarnassensis*, ex Latina versione interpretis) *scribit, quosdam Græcos, qui ex agro Trojano revertebantur, dum circa Maleam navigarent, violenta tempestate correptos, aliquandiu quidem ventis agitatos per varias maris partes errasse, tandem vero in eum regionis Opicæ locum pervenisse, qui Latium vocatur & mari Tyrrheno alluitur.* Itaque si Latium pars fuit regionis Opicæ, quasi diceremus Italiæ, Opici in universum inter Italiæ cultores sunt numerandi, aut certe non magis ad Campaniam, quam ad Latium referendi. Certe *Plato* illorum nomen promiscua significatione usurpavit ad notandos Italos: & quia eodem modo in genere quoque pro Italis habebantur Siculi, qui in Siciliam transierant, idem in *Epistola* illa VIII. ad amicos & propinquos Dionis memoraturus populos, qui istam insulam in potestate habebant *Opicorum* nomine dixit eosdem Siculos. Verba ejus Latine ita habent: *Quantum ex infelicibus præsagiis fas est portendere, universa Sicilia in Græcæ linguæ oblivionem lapsura videtur, ad Phœnicum,* (intelligit Carthaginienses) *sive Opicorum* (tam hi, quam illi, apud Græcos erant barbari) *potestatem dominationemque translata.* Etiam *Stephanus Byzantinus* non minus lata significatione idem hoc vocabulum usurpavit, ubi de Siciliæ urbe, quæ *Gela* appellabatur, dixit in hunc sensum: *Gela urbs Siciliæ, a flumine, juxta quod sita est, quod pruinam multam gignit: quæ Opicorum & Siculorum lingua gela dicitur.* Atque adeo itidem ex hoc Græcorum more *Catonem* arbitror nomine Opicorum fuisse usum in quadam ad filium epistola, quam retulit *Plinius Secundus* lib. XXIX. cap. I. ubi de Græcis, qui despectabant Romanos loquutus est ad hunc modum: *Nos quoque dictitant barbaros, & spurcius nos quam alios Opicos* (id est, quam reliquos Italos) *appellatione fœdant.* Verum *Cluverius* lib. III. cap. IX. *Italiæ* suæ pre-

Opici majorem Campania regionem incoluerunt,

Eorumque nomen in genere ad omnes promiscue Italos notandos fuit usurpatum: Plato & Stephanus Byzantinus collati & illustrati.

Strabo illustratus.

prehendit Aristotelem, *quod & Latium in Opica regione esse censuerit, quum Siculi, antiquissimi Latii incolæ, longe alieni fuerint generis ab Opicis.* Sed non animadvertit ille, neque hunc philosophum, neque alios istos auctores per istum morem confudisse tamen inter se populorum generationes, licet nomina illorum commutaverint invicem: ut nec illas confuderunt mediæ ætatis Græci, qui eodem modo *Latinos* & *Longobardos* pro Italis dixerunt, & promiscue omnes Occidentales dixerunt *Latinorum* & *Gallorum* sive *Francorum* nomine. Atque hanc ego arbitror multo esse faciliorem tutioremque viam, qua istos, quos retulimus, auctores defendamus, quam ista est variarum opinionum rhapsodia, ab eodem cogitata *Cluverio*: quasi scilicet Siculi Opicorum nomine fuerint appellati, quia *Hellanicus Lesbius* apud *Dionysium Halicarnassensem* lib. I. non distinxerit Siculos ab Ausonibus, *Antiochus* autem Ausones atque Opicos pro una eademque gente habuerit, ut supra intelleximus ex *Strabone*. Ceterum si ad prædictum modum non possunt Opici haberi pro peculiaribus nostræ Campaniæ populis, idem judicare conveniet etiam de Ausonibus, (neque aliter ipse quoque senserim) qui eodem *Dionysio* teste etiam istos incoluerunt tractus, qui sunt versus extremum Italiæ angulum ad Occidentem, unde & mare adjacens dictum fuit Ausonium, licet illud negaverit *Strabo*, qui videtur speciatim intellexisse nostros Ausones Campaniæ. Sed nihilominus utrique inter populos nostros sunt connumerandi, & omnium quidem primi existimandi per aliam causam peculiarem, nimirum hanc, quod in Campania diutius, quam uspiam alibi, manserunt superstites, ut in sequentibus demonstrabitur, unde illa etiam dicta fuit *Opicia*, & *terra Opicorum*, & *Ausonia*, quemadmodum diximus etiam de Cumis & Calibus agentes.

Neque tamen propterea confusa sunt inter se populorum generationes.

Aristoteles defensus. Cluverius refutatus.

Et cum idem verum quoque sit de Ausonibus, nihilominus utrique fuerunt peculiares Campaniæ populi.

Strabo illustratus.

Ab Opicorum antiquitate factum esse arbitror, ut propter morum inelegantiam, quæ apud ipsos erat, res fœdæ, turpes, & obscœnæ ab Latinis dictæ fuerint eorundem nomine ut observari potest apud *Juvenalem Sat.* III. & VI. *Aulum Gellium* lib. II. cap. XXI. lib. XI. cap. XVI. & lib. XIII. cap. IX. *Terentium Scaurum De orthographia*, *Ausonium* epigr. CXX. carm. XXIII. *De Professoribus*, & epist. IV. *ad Theonem*, *Sidonium* lib. VIII. epist. III. *Ennodium* lib. VII. epist. XXII. aliosque. Atque adeo *Josephus Scaliger* in *Notis ad Festum* ita dixit: *Non magis Cimber latronem significat, quam Isaurus piratam, Ambro dissolutum & voracem, Opicus obscœnum. Sed quia tales fuerunt eæ nationes, de eorum nomine vocamus, qui tales sunt.* Itidem de Ausonibus singularia quædam leguntur, quæ jamjam ordine exponemus, quæque illis convenire neutiquam potuissent, nisi æque fuissent antiqui generis. Atque hinc *Antiochus*, qui forte ad prima ista tempora respexit, ex Ausonibus atque Opicis unam eandemque fecit gentem: *Polybius* autem, qui de sequentibus dixit temporibus, cum distinctis utrique nominibus diversas a Campania terras in habitaverunt, aliter de illis est loquutus.

Opicorum antiquitas ipso nomine illorum indicatur, quod turpe & fœdum notat,

Sicut Ausonum quadam ipsorum singulari conditione.

In universum antiquissimi Italiæ populi fuerunt Ausones, non tantum *Dionysio* teste, qui illos, ut ante intelleximus, ab Oenotris jam in Italia fuisse inventos dixit, sed ex constanti satis omnium quoque aliorum auctorum sententia. *Italiam* (*Ælianus* dixit ex versione interpretis lib. IX. cap. XVI. *Variæ Historiæ*) *primi Ausones inhabitarunt, indigenæ.* Idem dicere voluit *Virgilius*, qui illis *antiquorum* epitheton addidit *Æneidos* lib. XI. ubi ita Diomedes ipsos alloquitur:

Ex communi sententia Ausones antiquissimi fuerunt Italiæ populi,

Antiqui Ausonii, quæ vos fortuna quietos
Sollicitat, suadetque ignota lacessere bella?

Virgilius illustratus.

Ad quæ notavit *Servius*, eum recte illos ita cognominavisse, *quia, qui primi Italiam tenuerunt, Ausones dicti sunt.* Cum his satis bene etiam convenit, quod idem *Servius*, alios ejusdem poëtæ versus exponens *Æneidos* lib. VII. quos paulo post adducemus, dixerat de Auruncis: *Isti Græce Ausones nominantur.* Nam & pro una eademque gente habuerunt Ausones & Auruncos *Joannes Tzetzes Chil.* V. Hist. XVI. & *Isacius Tzetzes, Lycophronis Scholiastes*, qui perinde nomina illorum ac Regiones in promiscuo habuerunt. Et legitur etiam ejusmodi quid de Auruncis, quo alia quædam, quod ad ipsorum statum attinet, hodie parum nota conditio indicatur, quæ, siquidem altissimæ fuerint antiquitatis, satis convenienter ad illos referri possit. Idem *Joannes Tzetzes* post relatas varias aliorum sententias de Ausonibus, sermonem suum, prout Latine habent ejus versus, conclusit ad hunc modum:

Qui dicti etiam Aurunci, & utramque Liris amnis ripam accoluerunt.

Auruncos autem solos mihi Ausonas dicere cogita,
Medios inter Volscos atque Campanos ad mare sitos;
Ex quibus per abusum omnem etiam Italiam.

Atque hoc forte collegit ille ex eodem illo *Dione*, quem pro hac sententia allegavit alter *Tzetzes*, cujus Latine hæc sunt verba: *Ausonia, ut Dio Coccejanus tradit, proprie Auruncorum appellatur terra, inter Campanos atque Volscos ad mare sita.* Per *Campanos* hice auctores intellexerunt *Campaniam Capuæ*, quæ ad Volturnum usque flumen pertinebat, ultra quod versus Volscos horum Ausonum fuerunt sedes; ut alibi indicavimus. Jam quod attinet ad Ausoniæ nomen ita diffusum, ut ad totam Italiam, ab unica ejus regione sit translatum, non diverse de eo *Festus* & idem *Servius* ad *Æneidos* lib. III. sunt loquuti, quos afferemus paulo post. Habuerunt itaque Ausones, si non primas, qua de re deinceps agetur, certe antiquissimas sedes suas ab utraque Liris amnis ripa, ab ulteriore Volscis a citeriore Campanis vicinas. Nec dissentit *Strabo*, qui lib. V. post descriptum agrum Pomptinum qui fuit in iisdem Volscis, ita subjecit: *Huic contiguam regionem prius Ausones habitarunt, qui iidem Campaniam quoque tenuerunt.* Ceterum *Virgilius* nullum in hisce tractibus certum domicilii locum assignavit Ausonibus & ut plusquam unum nobis argumentum remotissimæ antiquitatis illorum proderet, *patrum* illis nomen & montium habitationes adscripsit, populos nostros recensens, qui in Turni partibus steterunt contra Æneam:

Joannes Tzetzes & Isacius Tzetzes cum Strabone concordes.

Et illis quidem ad citeriorem ripam propter generis vetustatem patrum cognomen & montium habitatio fuit conveniens.

—— —— *& quos de collibus altis*
Aurunci miseri patres —— ——

Jam alias monuimus, fuisse hunc poëtam accuratissimum omnis antiquitatis observatorem: & satis constat, fuisse eum quoque plus uno modo studiosum imitatorem *Homeri*. Atque adeo non temere me facere arbitror, si imitatum esse eum credo etiam in illo, quod de antiquissima gente loquens, illam descripsit eodem modo, quem in *Homero Plato* observavit: *Conjicit Plato* (*Strabonis* verba sunt lib. XIII. ex versione interpretis) *post diluvia tres vitæ degendæ formas exstitisse. Primam in summis montium, simplicem & agrestem, metuentibus aquas hominibus, etiamnum terras tegentes. Alteram ad radices montium, paulatim recepto animo, cum campi etiam resiccari cœpissent. Tertiam in planis. Addi his posse videntur quarta etiam & quinta. Ultima autem omnium habitandi in ora maritima & insulis, omni jam metu dempto. Hæc Plato discrimina ait ab Homero notari, atque eum*

Virgilius illustratus, & cum Homero collatus.

eum pro exemplo primæ formæ posuisse Cyclopum vitam, qui fructus sponte natos carperent, inque summis montibus ac speluncis habitarent. Huc usque *Strabo.* Sed cum Latinus poëta heic certe Græcum sit imitatus, illud etiam convenire animadvertamus Auruncos nostros etiam in reliquis non multum fuisse absimiles Cyclopibus, ut adeo debuerint quoque gigantes fuisse, quorum in universum prima ista secula fœcunda, ut accurata & docta observatione demonstravit *Valguarnera* in sua *De Panormi antiquitatibus* Dissertatione. Et videtur mihi magnum hanc in rem exstare indicium apud eundem *Virgilium Æneidos* lib. XII. ubi gravem Turni hastam describere volens, postquam eam quasi comparaverat ingenti columnæ, subjunxit eam antea fuisse hominis Aurunci:

Iidem credi possunt fuisse gigantes,

Valguarnera laudatus.

> *Exin, quæ in mediis ingenti adnixa columnæ*
> *Ædibus adstabat, validam vi corripit hastam,*
> *Actoris Aurunci spolium.* —— ——

Virgilius illustratus.

Quod si in hisce acutis observationibus historicis non videtur esse standum sola fide poëtæ, testem citabimus *Dionysium Halicarnassensem*, qui lib. VI. de temporibus exponens multo inferioribus, quam illa prima fuerunt, eosdem Auruncos, qui istam Campaniæ partem coluerunt, quæ ad Lirim amnem vergebat, nobis prodidit fuisse homines *bello studiosos, magnitudineque & robore atque aspectu multum ferini habentes, acritate terribilissimos.* Et certe mihi videor ex hisce verbis manifeste illos agnoscere posteros & prolem antiquissimorum nostrorum gigantum. Veros intelligo, non fabulosos, quos poëtæ finxerunt ab Hercule occisos & sepultos in his tractibus evomere flammas: quæ tamen fabula fortasse a veris, quos diximus, gigantibus est nata, & ex parte etiam ab illis eorum larvis, quæ visæ fuerunt inter prima spontanea, quæ in nostra regione contigerunt incendia, quemadmodum illæ deinceps quoque visæ fuerunt tempore Vesuvianæ conflagrationis, imperante Tito, quam in rem auctorem habemus *Dionem* lib. XLVIII.

Aut certe illorum posteri.

Dionysius Halic. illustratus.

Jam quod ad Auruncos attinet, sive Ausones, qui ultra Lirim amnem coluerunt vicini Volscis, de illis, si recte video, idem credi potest, licet, dum adhuc gigantes essent, neutro horum suorum nominum fuerint appellati. Notissima est historia, in tractu circa Formias, ultra prædictum amnem, ubi hodie Mola est, Læstrygonas habitavisse, vivendi modo simillimos Siciliæ Cyclopibus, *Esse Scytharum genera* (dixit *Plinius Secundus* lib. VII. cap. II.) *& quidem plura, quæ corporibus humanis vescerentur, indicavimus. Id ipsum incredibile fortasse, ni cogitemus, in medio orbe terrarum, ac Sicilia & Italia, fuisse gentes hujus monstri, Cyclopas & Læstrygonas.* Atque hujus inter illos similitudinis collatio fieri potest alio modo ex *Homero*, qui *Odysseæ*, lib. IX. de Pholyphemo Cyclope, ut Latini habent ejus versus, ita dixit:

Læstrygones, *locorum ultra Lirim amnem incolæ, feritate similes Cyclopibus,*

Et itidem quoque gigantes,

> —— *Monstrum erat horrendum, neque similis*
> *Homini humano, sed cacumini Sylvoso*
> *Excelsorum montium* ——

lib. autem X Læstrygonas dixit

> —— *noc hominibus similes, sed gigantibus,*

& fœminam Læstrygonem describens, eam proceram, *velut montis verticem*, dixit. Atque hinc multi veterum scriptorum decepti, Læstrygonas confuderunt cum Cyclopibus & utrisque perinde Siciliam assignaverunt patriam, ut notavit *Cluverius.* Hoc amplius idem poëta Cyclopas ab agricultura alienos descripsit ad hunc modum:

> *Neque plantant manibus plantam, neque arant.*

& idem quoque affirmavit de Læstrygonum locis:

Qui neque ipsi opere faciundo vitam sustentabant,

> *Ibi quidem neque boum, neque virorum apparebant opera.*

Una duntaxat re illos prodidit dissimiles: nimirum Cyclopas separatim quemque sine legum communione egisse in montium jugis atque specubus:

> —— *Celsorum montium inhabitant cacumina*
> *In speluncis cavis: jus autem dat unusquisque*
> *Liberis atque uxoribus, neque se invicem curant.*

Læstrygonas autem urbem in plano incoluisse. Nam de Ulyssis sociis, qui missi erant, ut in conditionem indigenarum inquirerent, ita dixit:

Licet illud haberent amplius quod urbem incolebant,

> *Illi iverunt egressi in planam viam, qua currus utique*
> *Ad urbem ab excelsis montibus deducunt sylvam.*

Atque heic mihi videor non integre veram deprehendere *Platonis* ex *Homero* observationem de mutato primorum hominum vivendi modo, qui tractu temporis & quasi per gradus relicta vita agresti ad cultiorem, & ex montibus in plana se contulerunt. Itaque si Ausones, qui dicti etiam fuerunt Aurunci, ejus fuerint antiquitatis, quam intelleximus, & ab utraque Liris amnis ripa primas habuerunt sedes, fueruntque gigantes illi, qui citra habitaverunt; oportet etiam Ausones fuisse gigantes istos Læstrygonas, qui coluerunt ultra Lirim, ubi hodie Mola est.

Plato notatus.

Non diversi ab Ausonibus sive Auruncis possunt haberi.

Verum huic tam constanter affirmatæ Ausonum antiquitati obstat illorum sententia, qui eos ab Ausonis nomine ita dictos voluerunt, quem Ulysses, ex Circe, sive, ut alii volunt, ex Calypso genuit filium: ut adeo hac ratione bello Trojano, nedum Oenotris esse nequiverint antiquiores. Sed hanc sententiam, quæ manifeste pugnat cum maxime receptis & veris Historiis, jam refutaverunt quasi narrationem fabulosam *Joannes Tzetzes* citata *Chil.* V. Hist. XVI. & post eum *Jovianus Pontanus* lib. VI. *De bello Neapolitano*, & denique *Cluverius Italiæ* suæ lib. III. Atque hic quidem pro certo habuit, fuisse hoc ineptum quorundam grammaticorum Græcorum commentum, creditum deinde ab Latinis: & occasionem ejus procudendi desumptam a vicinitate Ausonum atque insulæ, sive montis Circeii. Ceterum nollem eundem *Cluverium* in refutanda hac illorum imperitia hoc fuisse usum argumento, urbem Auruncam non fuisse conditam ab Ausone, ut illi quoque voluerunt, quoniam illa teste *Livio* lib. VIII. exstructa fuerit multis post conditam Romam seculis, nedum post Ulyssis, ejusque filii ætatem, id est, post bellum Trojanum. Nam *Livius* istic loquutus est de Suessa, cui recens *Auruncæ* cognomen impositum per causam Auruncorum primæ Auruncæ, qui ab Sidicinis oppressi relicta patria Suessam se receperunt. Atque adeo Auson iste, quod ad convenientiam temporis attinet, satis potuit istius antiquæ Auruncæ fuisse conditor.

Ausones multo antiquiores fuerunt Ausone, Ulyssis filio, a quo ab illo nomen suum acceperunt,

Licet illa possit prisca illorum Auruncæ fuisse conditor.

Cluverius notatus.

Atque heic commodum accidit examinare, an verum esse possit, quod uterque *Tzetzes* dixit in verbis supra allatis: nempe Ausoniam primitus illam regionem fuisse, quæ utramque Liris amnis ripam attingit, deinde autem minus proprie universam Italiam eodem nomine fuisse appellatam, quod videri possit ex eo confirmari, quod jam conclusimus, habitavisse istic Ausones inde usque a temporibus antiquissimis, cum illi adhuc gigantes essent. Verum, ut recte rem judicemus, si omnes primi populi tam in Italia, quam extra illam, fuerunt gigantes, ut ab doctissimo *Valguarnera* demonstratum esse diximus, nihil Ausonios nostros gigantes prædictam istorum opinionem adjuvare posse dixerim, in qua fue-

Multi dixerunt Ausoniam proprie dictam Ausonum circa Lirim amnem fuisse regionem.

fuerunt etiam ex Latinis *Servius* & *Festus*, qui satis produnt ita judicavisse ex sua duntaxat sententia atque arbitrio, quandoquidem eodem loco istud quoque somnium retulerunt de Ausonum nomine, ab Ausone, filio Ulyssis orto, quod jam refutatum est. Et *Servius* quidem, *Æneidos* lib. III. exponens, ita dixit: *Appellata est Ausonia ab Ausonio, Ulyssis & Calypsus filio: & primo pars, postea omnis Italia nominata.* *Festi* autem hæc sunt verba: *Ausoniam appellavit Auson, Ulyssis & Calypsus filius, eam primam partem Italiæ, in qua sunt urbes, Beneventum & Cales.* (in secunda *Dissertatione* ostendimus, quam ob causam ille tum duas hasce memoraverit urbes) *deinde paulatim tota quoque Italia, quæ Apennina finitur, dicta est Ausonia ab eodem duce, a quo etiam conditam fuisse Auruncam urbem ferunt.* Sed Ausones jam ante Oenotrum in Italiam cum suis copiis advectum istam ejus incolebant partem, quæ versus Græciam erat: ut adeo potius illinc in nostram transierint regionem, fugientes novos advenas. Atque hac de re nonnihil dixit *Dionysius Halicarnassensis*, ubi lib. I. narrat Oenotrum inde pristinos incolas expulisse: & manifestius nobis hanc illorum fugam exposuit *Antoninus Liberalis Metamorph.* cap. XXXI. *Nicandrum* citans auctorem, qui istud factum adscripsit Peucetio aliisque ejusdem Oenotri fratribus: *Lycaonis filii* (ita Latine habent ejus verba) *fuere Japyx, Daunius, & Peucetius. Hi collecta hominum multitudine ad eam Italiæ partem appulerunt, quæ Adriatico alluitur mari, pulsisque Ausonibus, qui ibi tum habitabant, sedes ipsi illic posuere.* Et conveniunt hæc satis bene cum illis, quæ post exposituri sumus de Pelasgis, qui in hisce locis invenerunt Ausones, qui dicti etiam Aurunci, sicut contra nobis ignotum est, quo pacto fieri potuerit, ut ab nostris Ausonibus nomen Ausoniæ primum sit sparsum per totum hunc Italiæ tractum versus Orientem, deinde autem per alteram ejus partem versus oppositum latus. Sane mihi videtur hanc rem optima ratione explicuisse *Cluverius*: ubi loco supra allegato ita dixit: *Hæc unica causa fuit, cur Græci antiquissimam totius Italiæ atque indigenam censuerint Ausonum gentem: nempe quia hi, ex omnibus Italicis gentibus Græciæ proximi, primi illis innotuerunt, unde etiam ab eorum nomine totam reliquam Italiam ab usque freto Siculo ad Alpes Ausoniam appellavere: quod postea plerique Romanorum pariter ac Græcorum imitati sunt poëtæ.* Hæc itaque Ausonia, restricta inter Volscos & Campanos, non prima fuit, sed postrema Ausonia: in qua cum Ausones ad citeriorem Liris ripam diutius, quam in reliqua Italia superfuissent, jure pro peculiaribus Campaniæ nostræ populis illos habuerunt *Antiochus*, *Polybius*, aliique apud *Strabonem*. Atque hi sunt, de quorum rebus gestis sub Auruncorum nomine disseruit *Livius* lib. II. & *Dionysius Halicarnassensis* lib. VI. sub Ausonum autem nomine idem *Livius* lib. VIII. & IX. ubi narrat, quomodo illorum urbes denique fuerint occupatæ ab Romanis.

Sed huc illi advenerunt ex aliis tractibus.

Quos primam Ausoniam dicere licet.

Cluverius laudatus.

Nam in hac quidem ultima illorum fuerunt sedes.

Jamque manifestius intelligere poterimus, quo pacto *Antiochius* & *Polybius*, quos supra diximus apud *Strabonem* diverse loquutos de Ausonibus atque Opicis nostris, nihilominus, ut tum quoque monuimus, possint ambo dixisse verum. Jam intelleximus, ex Ausonibus, antiquissimis primæ Orientalis Ausoniæ populis, ultimos superfuisse delendos in locis illis, qui sunt citra Lirim amnem, Occidentalem nostræ Campaniæ partem. Atque hi cum quondam incoluerint illa etiam loca, quæ ultra eundem sunt amnem, satis in proclivi est credere, eos itidem in his quoque egisse, quæ sunt citra Volturnum flumen, si hoc pro vero accipitur, ex prædicta ista majore Ausonia transivisse eos in hanc minorem. Neque de Opicis etiam, quorum nomen principio itidem fuit admodum late sumptum, ut nec minus prima eorundem Opicia, aliter judicare conveniet. Nam & horum quidam numerus cum in eadem Campania nostra citra eundem Volturnum diutius, quam alibi, duravisset, factum est, ut eodem modo, quo Ausones, pro peculiaribus nostræ Campaniæ populis fuerint habiti & illa etiam pars ejus, quam in habitaverunt, ab ipsorum nomine dicta fuerit *Opicia*, ut de Cumis agentes demonstravimus. Itaque si maxime verum sit, quod *Aristoteles* affirmavit *Polit.* lib. VII. cap. X. ut interpres ejus habet: *Habitabant partem, quæ versus Tyrrheniam est, Opici, & prius, & nunc appellati cognomine Ausones*, Opici in genere non diversi fuerunt ab Ausonibus, itidem latiore sensu sumptis; neque erravit *Antiochus*, ut nec *Polybius*, quorum ille nostros Opicos ab Ausonibus nostris non distinxit, hic autem contrario modo loquutus est: *Antiochus* (verba sunt *Strabonis*, de Campania agentis) *ab Opicis habitatam fuisse eam regionem narrat, qui iidem & Ausones appellarentur: at Polybius significat, se pro duabus diversis gentibus eos habere. ait enim, Opicos & Ausones terram, quæ est circa Craterem, incoluisse.* Nimirum prior horum auctorum attendit ad priscam illorum & communem originem, alter autem ad terrarum distinctionem, quas singuli separatim incolebant, quæ cum deinde semper duraverit, separatim singulis quoque duraverunt illa communia utrisque & generalia nomina. Certe ista *Polybii* verba non adigunt nos, quo minus hanc interpretationem admittamus. Per terram autem circa *Craterem*, quæ vox Græce notat fauces illas, sive spiracula, e quibus in Vesuvio & juxta Puteolos spontanea nostra prorumpunt incendia, in universum intelligenda est [1] Campania Felix. Nam de hac quidem altera parte ejus, quæ non adeo vicina locis istis habitata fuit ab Ausonibus, dubitari nequit: & multo minus de illa. quæ nostra fuit Opicia, cujus Neapolis & Cumæ dictæ fuerunt urbes. Cognosci hoc potest ex illis etiam, quæ dicturi sumus de tractibus Oscorum, qui ab *Strabone* post Opicos & Ausones, a *Plinio Secundo* autem primi omnium nostrorum populorum fuerunt memorati.

Ausones qui ex antiquiore Ausonia in loca circa Lirim transierunt, peculiares Campaniæ fuerunt Ausones:

Sicut peculiares ejusdem regionis Opici fuerunt illi, qui separatim retinuerunt loca cis Volturnum.

Antiochus & Polybius illustrati & conciliati.

V. *Osci, qui ab Opicis orti fuerunt, retinuerunt etiam eorundem sedes in Campania Felice cis Volturnum flumen. Eorum mores. Crediti fuerunt CAPUÆ conditores. Lingua eorundem.*

Apud eundem *Strabonem* quidam narraverunt, eadem Campaniæ nostræ loca, quæ primitus tenuerant Opici atque Ausones, deinde ab Oscis fuisse occupata: *Alii ferunt*, (ita Latine reddita sunt *Strabonis* verba) *cum ea loca quondam Opici & Ausones tenuissent, fuisse ea deinde ab Osca gente occupata.* Sed nihil illi dixerunt aut de

Mutila narratione quidam veterum prodiderunt, Oscos in Campania occupavisse loca, quæ quondam fuerant Opicorum.

1. Quod heic de terra circa Craterem profert auctor, certe id prorsus nullo modo colligi potest ex verbis *Strabonis*, qui non multum ante *Craterem* dixit appellari sinum illum, Miseni & Minervæ promontoriis inclusum. Diximus jam de Cratere ad *Dissert.* II. cap. XV. ubi auctor per terram illam circa Craterem, non ut hic, in universum Felicem Campaniam, sed tractus circa Cumas & Vesuvium intellexit.

de illorum origine, aut quibus ex terris ad nos transgressi fuerunt. Atque adeo non reprehenderem ego *Jovianum Pontanum*, quod sequutus forte antiquos illos auctores & ipse distinxit hosce novos a primis istis Campaniæ nostræ incolis, nisi ille de suo, ut videtur certe, hoc addidisset, venisse illos a tractibus circa Padum fluvium. Verba ejus lib. VI. *De bello Neapolitano* hæc sunt. *Osci, Padi accolæ, ac pulsi ipsi*, (a Gallis pulsos forsan ipse dicere voluit, non reminiscens, hoc legi de Etruscis, ut suo loco dicturi sumus) *suis Opicos sedibus pepulere. Festus* illos habuisse videtur pro genuinis Campaniæ populis, nam ab quadam illius regione nomen eos accepisse dixit: *Osci a regione Campaniæ, quæ est Oscos, vocati sunt.* Atque hæc, credi potest etiam *Servii* opinio fuisse, qui ad illud *Virgilii* hemistichium *Æneidos* lib. VII. *Oscorumque manus*, ita dixit: *Capuenses dicit, qui ante Osci appellati sunt, quod illic plurimi abundavere serpentes.* Sed mira satis hæc est etymologia, siquidem nobis illa non exponit, qua ratione, aut quonam idiomate serpentes dicti fuerint Osci. Nam *Festo* non objicimus, quod de sua Campaniæ regione, cui nomen *Oscos*, altum penes omnes alios est silentium: quoniam pro illo responderi posset, primum esse disquirendum, an vera possit esse ista *Servii* etymologia, per quam si Oscæ genti hoc fuit nomen conveniens, multo magis illud convenire potuit in quendam locum, qui magno numero serpentes habuerit. *Stephanus Byzantinus*, ubi de Opicis agit, creditum refert, sermone Græco illos ita dictos fuisse a serpentibus: *Opici* (ita Latine reddi possunt ejus verba, quæ in codicibus non comparent integra) *gens Italiæ. Eudoxus de circuitu terræ lib.* VI. * *linguas commiscuerunt. Alii vero Ophicos dictos volunt* (Græca ejus verba apponam) ἀπὸ τ͂ ὄφεων, id est, *a serpentibus.* Igitur *Festus* & *Servius* pro Oscorum etymologia nobis attulerunt Opicorum etymon, quod omnibus modis apparet esse commentum grammaticum. Veruntamen ego non temere illos hujus erroris accusaverim, cum eundem *Festum* habeam auctorem, *Oscos* principio dictos fuisse *Opscos*. Verba ejus hæc sunt: *In omnibus fere antiquis commentariis scribitur Opscum* (ita legit *Josephus Scaliger*, non *Opicum*, propter illa, quæ sequuntur) *pro Osco, ut in Titinnii fabula Quinto: Qui Opsce & Volsce fabulantur, nam Latine nesciunt.* Et mox: *Oscos quos dicimus, ait Verrius Opscos antea dictos teste Ennio, cum dicat: De muris res gerit Opscus.* Itaque si *Oscorum* nomen ab *Opscorum* nomine esse derivatum negare nolumus, dicendum quoque erit idem illud *Opscorum* nomen contractum fuisse ex nomine *Opicorum.* Atque hac ratione, si ad ejusmodi successionem attendatur, grammatica significatione prædicta ista etymologia non poterit accusari novitatis: & *Servium* ac *Festum* oportebit Oscos censuisse perinde genere ac nomine ab Opicis ortos, eosque genuinos fuisse Campaniæ nostræ, populos. Ceterum ego sane non judicaverim hac in re solis horum Grammaticorum verbis esse standum, per quos aditum mihi aperire volui, quo ducibus aliis auctoribus gravioribus investigare possem, an hisce verbis sit habenda fides. Primum itaque mihi persuadeo, nunquam fore quemquam, qui cogitare queat, *Plinium Secundum*, lectionis immensæ hominem, ut exposuit nobis ejus nepos *Plinius Cæcilius* lib. III. *epist.* V. & manifestius etiam demonstrant ipsiusmet admirabiles *Naturalis Historiæ* libri, non incidisse in auctores ipso antiquiores, ex quibus intelligere posset illud, quod *Straboni* per eandem lectionem satis fuit notum, nempe antiquissimos Campeniæ populos fuisse Ausones & Opicos: ut adeo ille in catalogo suo eos per ignorantiam præterierit, atque Oscos omnium fecerit primos. *Hoc quoque* (ipsius sunt verba) *certamen humanæ voluptatis tenuere Osci, Græci, Umbri, Tusci, Campani.* Porro morum inter populos convenientia jure creditur magno esse argumento, illos quondam unam fuisse eandemque gentem, si aliunde aliquid non obscuræ lucis accedat. Jam vero si de fœdo Opicorum vivendi modo supra multos citavimus auctores, etiam alios habemus magno numero, quorum paulo post afferemus de obscœna vita Oscorum testimonia. Tertio Osci tenuerunt eadem illa cis Volturnum amnem loca, quæ peculiares, nostræ Campaniæ habitaverunt Opici, quam in rem testes habemus *Virgilium*, *Strabonem*, *Vellejum* nostrum, aliosque: ut ne dicam, ab *Stephano Byzantino* dictam fuisse *Atellam*, *urbem Opicorum in Italia, inter Capuam & Neapolim*, quam *Diomedes*, non propterea credendus ab illo discors, lib. III. Oscis adscripsit in hisce verbis: *Tertia species est fabularum Latinarum, quæ a civitate Oscorum Atella, in qua primum cœptæ, Atellanæ dictæ sunt.* Fuerunt itaque Osci Opicorum posteri, & retinuerunt, non occupaverunt illam Campaniæ partem, quam ipsorum tenuerant progenitores: ut adeo illos, qui apud *Strabonem* aliter senserunt, oporteat non multum celebres fuisse auctores, quam etiam fuisse causam reor, cur illorum non apposuerit nomina. Certe eadem fuit *Plinii Secundi* sententia, qui cum primum inter Campaniæ populos locum dedit Oscis, pariter etiam intellexit Opicos & simul Ausones, qui populi iidem fuerunt per antiquissimam generis originem: aut ipsi inconstantes debemus eum alterius erroris absolvere, alterius accusare, qui aut neutrius aut utriusque reus est. Neque etiam *Servius* & *Festus* illam nobis etymologiam prodidissent, nisi eadem fuisset ipsorum quoque sententia, quam ipsi forte hauserunt ex aliis auctoribus antiquioribus, ut monuit etiam *Cluverius Italiæ antiquæ* lib. III. cap. IX. quem hac fraudare laude sua nolo, eum cum nonullis harum, quas adduxi, rationum, quibus alias de meo observationes addidi, fuisse mihi ducem ad cognoscendum, ut ipsius verbis utar, *unam eandemque fuisse gentem, quæ variis appellaretur nominibus: Ausones, Aurunci, Opici: quorum hoc vocabulum postmodum a Romanis correptum fuit in duas Syllabas: Opsci, vel Obsci, ac tandem Osci.*

Sed videamus jam, an verum sit, Oscos hanc solummodo Campaniæ partem tenuisse, quæ cis Volturnum est, qua de re haud sane multis egit *Cluverius*, licet hoc quidem censuerit, montes Oscorum, de quibus lib. v. loquutus est *Strabo*, nosque tractavimus in *Dissertatione* secunda, *non alios esse potuisse, quam id jugum, quod Orientali latere duo sustinet opida, Suessam Auruncorum & Teanum Sidicinorum.* Et congruenter huic sententiæ deinde subjecit, totius Opicæ gentis, quæ appellata etiam Osca, *partem inter Campaniam & Volscorum fines Auruncos esse dictos.* Sed hoc verum erat de Opicis in genere, non de peculiaribus Campaniæ, qui iidem fuerunt cum nostris Oscis, ut manifestum est ex illis, quæ de communi Ausonum & Opicorum gente, quæ olim una eademque, deinde in Campania divisa est in duos populos diversarum sedium ac nominum, supra disputavimus: neque etiam de aliis Oscis, quam de hisce Campaniæ nostræ loquuti sunt unquam aut Græci aut Latini auctores. Alibi monuimus, *Virgilium*, Turni copias recensen-

Jovianus Pontanus refutatus.

Alii illos fuisse genuinos Campaniæ populos innuerunt, & a Serpentibus accepisse nomen dixerunt,

Quod sermone Græco de Opicorum nomine verum erat.

Sed re vera Osci, qui dicti etiam Opsci, videntur orti ab iisdem Opicis & genere, & nomine,

Servius & Festus illustrati.

Quam in rem adsunt varii generis indicia.

Plinius Secundus illustratus.

Stephanus Byzantinus & Diomedes collati & illustrati.

Plinius Secundus secum consentiens.

Cluverius laudatus.

Recenti creditum est, Oscorum sedes ad Lirim amnem fuisse.

Cluverius refutatus.

Quas veteres citra Volturnum descripserunt.

sentem, attendisse ad ordinem ac situm nostrorum populorum, atque adeo post omnes alios, etiam illos, qui Volturnum flumen accolebant, retulisse Oscos, orsum ab istis locis, qui ad Occidentem vergebant: ut ita manifeste illos collocaverit citra eundem Volturnum. *Strabo*, ubi de Latio loquitur, ex interpretis versione ita dixit: *In mediterraneis est Pometius campus. Huic contiguam regionem prius Ausones habitarunt, qui iidem Campaniam quoque tenuerunt.* (id est, illam partem ejus, quæ a Liri amne ad Volturnum usque & Campaniam Capuæ pertinebat, ut supra declaravimus) *Post hos Osci sunt, qui & ipsi partem Campaniæ tenuerunt:* nempe hanc, quam cummaxime demonstramus, diversam ab Ausonum sedibus. Atque hinc animadvertens ille, Teanum ratione situs ad Ausones, non vero ad Oscos pertinere, ita ut jure non posset urbs ejusdem illius Campaniæ citra Volturnum dici; utcunque illam Campaniæ posse adscribi dixit, quoniam erat urbs Sidicinorum, qui origine Osci erant. Verba ejus alibi retulimus, & eodem hoc sensu exposuimus. Insuper ille apprime heic sibi constans Herculaneum & Pompejos fuisse Opicorum urbes dixit. Porro *Vellejus* etiam noster eandem sententiam meam adjuvans, lib. I. Oscos Cumanis proximos scripsit: *Cumanos Osca mutavit vicinia*: ut taceam *Servium*, supra jam allatum, qui Oscos *Virgilii* ad Capuam urbem restrinxit: *Capuenses dicit, qui ante Osci appellati sunt.* Sed forte ille Capuensium nomine intellexit itidem Campaniam Capuæ, quia hæc in illorum fuit potestate: sicut contra *Vellejus* per Oscos Cumanis vicinos intellexit illos Campanos, qui Cumas imperio regentes, mores in ea urbe Græcorum vitiaverunt, ut alibi diximus, & in hac ipsa *Dissertatione* denuo sumus dicturi. *Propertius* etiam in hisce versibus lib. IV. *eleg.* II.

Virgilius illustratus, & collatus cum Strabone.

Strabo pluribus locis illustratus.

Vellejus, Servius, & Propertius illustrati & collati.

At tibi, Mamuri, formæ cælator ahenæ,
Tellus artifices ne terat Osca manus;

non aliud demonstravit, quam supellectilem illam, quam *Horatius* dixit *Campanam* lib. I. *Sat.* VI. quamque Capuæ emi suasit *Cato* cap. CXLIV. *De re rustica.* Et eodem sensu versus illos accepit *Turnebus Adversariorum* lib. XXIII. cap. VI. nempe Mamurium illum, qui figulinam antea exercebat, non debere, amplius, postquam ex ære formaverat nobile Vertumni simulacrum, tractare argillam, in eaque consumere manus suas artifices. Quod si cui magis arrideat altera expositio, ab hac nostra multum diversa, quam primus protulit *Joannes Annius*, & post eum *Beroaldus*, ac denique *Passeratius*, nihil pugnamus, ut qui alia satis idonea nostræ sententiæ adduximus argumenta. Itaque hæc adeo manifesta indicia nescio sane; quomodo potuerit non observare *Cluverius*, cum ex adverso tamen ille pro sua sententia hoc allegaverit; *Silium*, ubi lib. VIII. populos recensuit, qui adhuc in partibus erant Romanorum ante prælium ad Cannas, Oscis assignavisse integrum illud littus, quod a Tarracina est ad Cumas usque. Sed hoc aut dicere noluit *Silius*, aut si præter exemplum magistri sui *Virgilii* dixit, extendit ille istam suam Campaniæ descriptionem per idem littus ultra Cumas ad Surrentum, & in mediterraneis ad Allifas usque: ut in prima *Dissertatione* notavimus. Atque adeo utrovis modo *Silii* verba prodesse nequeunt *Cluverio*: quæ, utcunque etiam hæc sint, tamen unius solummodo sunt auctoris.

Propertius a diversis diverse illustratus.

Cluverius refutatus.

Rudes & ridiculos fuisse Oscorum mores argumenta sunt ludi Osci, ab ipsorum nomine dicti,

Insuper diximus, Oscorum mores atque Opicorum fuisse invicem consimiles. Atque hoc colligimus ex eo, quod legitur de ludis Oscis, quod fabularum genus erat, juxta stylo atque argumento jocularium, scurrile, atque obscœnum. Et pronunciabantur etiam illæ lingua Osca, quæ in comparatione Latinæ admodum inculta & sordida censebatur, ut exponetur paulo post. Audiamus *Tacitum Annalium* lib. IV. *Oscum quondam ludicrum, levissimæ apud vulgus oblectationis, eo flagitiorum & virium venisse, ut auctoritate patrum coërcendum sit, pulsi tum histriones Italia.* Et ante illum jam ita dixerat *Strabo* lib. V. ut interpres ejus habet: *Cum Oscorum gens interierit, sermo eorum apud Romanos restat, ita ut carmina quædam ac mimi certo quodam certamine, quod instituto majorum celebratur, in scenam producantur.* Etiam *Cicero* quosdam Senatores Arpinates gestibus & sermone deridiculo fuisse Senatui suo dicere voluit *Ad familiares*, lib. VII. epist. I. ita scribens ad M. Marium: *Non enim te puto Græcos aut Oscos ludos desiderasse, præsertim quum Oscos ludos vel in Senatu nostro spectare possis.* Dicebantur hæc oblectamenta *fabulæ Atellanæ*, & *Atellani* versus illi, ex quibus erant compositæ. Atella enim, urbs fuit Oscorum, ut ex *Diomede* intelleximus, qui verbis illis, quæ supra attulimus, alia subjecit, quibus cum prædictis auctoribus consentiens appellavit illas *argumentis dictisque jocularibus similes Satyricis fabulis Græcis.* Loquutus de illis quoque est *Livius*, ubi lib. VII. exposuit, quo tempore quaque ratione Romæ primum fuerint ludi quidam celebrati. Et verba quidem ejus, quantum ad nostrum argumentum attinet, hæc sunt: *Postquam lege hac fabularum ab risu ac soluto joco res avocabatur, & ludus in artem paulatim verterat; juventus histrionibus fabellarum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula, intexta versibus, jactitare cœpit, quæ inde exodia postea appellata, consertaque fabellis potissimum Atellanis: quod genus ludorum, ab Oscis inventum, tenuit juventus, nec ab histrionibus pollui passa est, Eo institutum manet, ut actores Atellanarum nec tribu moveantur, & stipendia, tanquam expertes artis ludicræ, faciant.* Idem brevioribus verbis exposuit nobis *Valerius Maximus* hisce verbis lib. II. cap. IV. *Atellani autem ab Oscis acciti sunt: quod genus delectationis Italica severitate temperatum, ideoque vacuum nota est. nam neque tribu movetur, neque militaribus stipendiis repellitur.* Denique de ridiculis scurrilibusque harum fabularum versibus testis nobis est *Cicero* lib. II. *De divinitate*, ubi hæc sunt ejus verba: *Totum omnino fatum etiam Atellanio versu jure mihi esse irrisum videtur: sed in rebus tam severis non est jocandi locus.* Mores itaque Oscorum peræque fuerunt rudes & ridiculi, quam illorum fabulæ Atellanæ: & adeo hac ratione, ut declaravimus, non diversi illi fuerunt ab Opicis, sed horum posteri.

Tacitus, Strabo, & Cicero collati & illustrati.

Quæ fabulæ erant, & Atellanæ dicebantur.

Diomedes & Livius collati.

Valerius Maximus & Livius collati.

Item versus Atellani.

Hinc jam intelligere possumus, cum illa gens habitaverit Campaniam ante bellum Trojanum, *Virgilium* sensu historico eam fecisse temporibus Æneæ æqualem: licet non satis videam, quam ob causam ille non memoraverit expresso nomine aut Atellam, aut ullam aliam Oscarum urbium. Nam certe plures illarum fuisse tum per se probabile est, tum videtur ipse *Virgilius* innuere voluisse, hoc loquendi modo usus: *Oscorumque manus.* *Servius* quidem qui per *Oscos* dixit intelligi *Capuenses*, responderet eum utique de Capua urbe fuisse loquutum, quod nec ego nego: sed non propterea meæ quæstioni satisfacit, quamobrem *Virgilius* uti voluerit isto, quem diximus, loquendi modo. Equidem facile dictu est, eum, quod hujus urbis originem nominis illi placeret ad Capyn Trojanum referre, ut & deinde fecit lib.

Memoravit populos, non vero urbes Oscorum quidam ex veteribus Campanos intelligens.

lib. x. (& suo loco hoc argumentum sumus tractaturi) ut conveniebat, cum heic tacuisse de Capua: attamen vel sic exponendum superest, quod quærebamus. Itaque cum non facile possim animum inducere, ut unquam temere aliquid excidisse hujus excellentis ingenii calamo arbitrer, animus inclinat credere, eum, cum utcunque istam vellet tribuere gloriam, nequeo satis decernere, utrum Capuæ, eam ab isto Trojano nomen suum accepisse, an vero ipsi, eum hanc urbem de suo dixisse nomine; de Oscis per poëticam licentiam idem illud voluisse dicere, quod *Diodorus Siculus* & *Eusebius Cæsariensis* de Etruscis dixerunt qui cum antea per vicos sparsi habitavissent in Campania, denique in unam se conjunxerunt urbem, nempe Capuam, reliquarum caput, ut in sequentibus erit ostendendum: ut adeo Capys Trojanus fuerit Oscis Capuæ ille, qui ex aliorum sententia Etruscis Capuæ fuit Capys Etruscus. Certe *Silius*, lib. XI. genus Capys Trojani exponens, a cujus nomine Capua fuit dicta, & intelligens secundum alias historicorum narrationes, quas suo loco adducemus, avum, non vero comitem Æneæ; Capuæ cives dixit *manus Campanas* manifesta cum imitatione ad eandem *Virgilii* loquutionem respiciens, cujus alio loco opportuniore afferemus. Verum utcunque hac de re pro lubitu statuant alii, nihil prorsus dubitant multi recentiorum scriptorum, Capuam fuisse Oscorum urbem, & præter *Servium* & *Vellejum*, a nobis adductos, alios eam in rem citant auctorum veterum. *Festi* verba sunt: *Sufes dictus Pœnorum magistratus, ut Oscorum Medixtuticus.* Sed, ut *Livius* testatur lib. XXVI. summus Campanorum magistratus dicebatur *Medixtuticus.* Etiam *Silius* persuasum habuisse videtur, Campanos fuisse Oscos: nam lib. XIV. Messana illi dicta fuit.

Silius cum Livio collatus.

Quorum urbs Capua videtur fuisse Oscorum urbs,

Festus & Silius collati.

—— —— *Osco memorabilis ortu.*

Nempe allusit ad Campanos istos Mamertinos, qui perfide illam occupaverunt, ut narrat *Polybius* lib. I. & *Strabo* lib. VI. qua de re prolixius acturi sumus aliquanto post. Eadem quoque sententia confirmatur ex eo, quod notavimus, ubi de Cumis actum fuit: nempe Græcos *Opicorum* nomine, quos in Campania eosdem fuisse cum Oscis jam demonstravimus, intellexisse Campanos. Et eadem quoque post alios *Cluverii* fuit sententia, qui hoc argumentum aliquanto copiosius exsequutus est, quam id alii tractaverunt. Sed ille voluit, Campanos ideo fuisse Oscos, quod ab Samnitibus originem traxerint, quos ipse credidit Oscorum fuisse gentis, quique, ut Livius narrat lib. IV. fraude Capuam Etruscis ademerunt C. Sempronio Atratino & Q. Fabio Vibulano Consulibus, qui fuit ab Urbe condita annus CCCXXX. *Hinc* (verba sunt *Cluverii De Italia antiqua* lib. III. cap. IX. *Campani ab Samnitibus orti, Oscum illud habuere vocabulum Medixtuticus.* Nam & Osca fuit Samnitum lingua ut ex eodem *Livio* probatur lib. X. ubi L. Volumnium, consulem Romanorum, exploratores aliquot Oscæ linguæ peritos clam misisse narrat in castra Samnitium, qui Falernum agrum erant depopulati. Nam in hunc, quem diximus, sensum omnes interpretes hæc ejusdem verba intellexerunt: *Guarosque Oscæ linguæ exploratum, quid agatur, mittit.* Sed cum secundum hæc, quæ diximus, Campani non fuerint ex proprie dictis & antiquissimis Oscis, nihilominus tamen eorundem nomine illi fuerunt appellati a *Virgilio*, *Servio*, *Vellejo*, aliisque, quia eandem illorum regionem incoluerunt. Atque hoc secundum *Strabonem* & *Plinium Secundum* abunde ve-

Ita ut intelligantur Samnites, qui ex illorum stirpe fuerunt.

Atque hoc modo Campani non fuerint ex veris Oscis.

Virgilius, Servius,

A rum est, qui inter nostræ regionis populos separatim ipsos Oscos commemoraverunt a Campanis, interpositis etiam aliis, quos in sequentibus ordine, suo referemus. Nec dubium est, quin *Vellejus*, quem modo diximus ad eundem modum loquutus fuerit, ubi dixit: *Cumanos Osca mutavit vicinia*; intelligens nimirum de Campanis, qui Cumas occupaverunt: nisi tamen negare libeat eidem *Straboni* & *Plinio*, Græcos sive Cumanos fuisse illos, qui Campaniam ademerunt Oscis, qua de re paulo post acturi sumus. Taceo jam, Samnites nunquam ademisse Capuam Etruscis, ut affirmavit *Livius*, quem suo loco manifeste refutabimus: ut jam hoc quoque non B dicam, Campanos dictos fuisse Oscos a scriptoribus istis quos diximus, respectu ejusdem regionis suæ, eodem modo, quo Osci ab aliis, & maxime a *Strabone*, ubi ille commemoravit Oscos Campanos Sidicinos, dicti fuerunt Campani.

Vellejus, Strabo, & Plinius Secundus collati.

Verum hic jam dici possit, cum ad hunc modum Capua non fuerit occupata ab Samnitibus, Campanos non per aliquem loquendi modum, sed pro genuinis ac veris Oscis, proque vera eorum prole esse habendos. Cum enim illi non fuerint Samnites, nihilominus *Medixtuticum* suum C Osco vocabulo denominaverunt. Et credibile etiam est, Capuam, quæ deinde una cum reliqua Campania in Etruscorum potestatem concessit, usum illius linguæ servavisse, quæ proinde apud Romanos potuit remanere in ludis Oscis, fabulisque Atellanis, quibus ipsi multo post tempore cœperunt uti, quam illa gens jam erat exstincta. Sed ad hæc ego, non tamen isto animo, quasi penitus decidere velim illam ambiguam admodum litem de primis Campanis, Capuæque conditoribus respondeo, quoniam ita postulat hujus loci opportunitas, si maxime sermonis similitudo possit atque soleat esse admo- D dum efficax argumentum, qui eo fuerunt usi, commune genus, idem illud re vera tamen in hoc argumento de Oscorum lingua, atque hoc non sine exemplis juxta vetustis atque recentibus, nullius esse ponderis. Sane enim lingua Osca a diversissimis hujusce partis Italiæ cis Romam populis, nonnulla cum varietate dialecti, ut accidere solet omnibus linguis, quæ aliquanto latius patent, usurpata fuit. Atque hoc satis nos docet *Festus* hisce verbis: *Bilingues Brutates Ennius dixit, quod Brutii & Osce, & Græce loqui soliti sint.* Et idem Ennius, qui natus fuit Rudiis urbe, non procul a Tarento, de se ipso prædicare E solitus erat, ut testatur *A. Gellius* lib. XVII. cap. XVII. se tria habere corda, quod loqui Græce, & Osce, & Latine sciret. Quin etiam lingua Sabina & ipsa fuit Osca: *Cascum* (verba sunt *Varronis* lib. VI, *De lingua Latina*) *significat vetus. Ejus origo Sabina est, quæ usque radices in Oscam linguam egit.* Atque hinc omnino vult *Cluverius* non tantum Brutios, aliosque cis Romam populos, qui ex sententia *Strabonis* orti fuerunt ab Samnitibus, Oscæ fuisse originis, sed ipsos quoque Sabinos, qui ab eodem geographo dicti fuerunt *gens antiquissima atque indigena*, ip- F sorumque Samnitium ac Picentum parentes. *Ab iis originem ducunt Picentes, atque Samnites: ab his porro Lucani, & ab his Brutii.* Nempe credit ille, non pugnare contra *Strabonis* sententiam, si quis dicat Sabinos hoc sensu posse fuisse Oscos, quia illi fuerunt orti ab Ausonibus illis latius sumptis, & Opicorum quoque nomine dictis qui iidem erant cum Oscis. Et ego quidem, ut præcidam longas adeo & intricatas admodum lites, ipsi & cuilibet adeo alii omnia hæc lubens concedo. Neque tamen propterea

Possint Campani non fuisse Osci, quamvis loquuti fuerint Osce lingua,

Qua late apud varios populos in usu fuit,

Quos propterea unius ejusdemque stirpis fuisse volunt quidam recentiorum.

Sed potuit ex ea lingua unum & item alte-

pterea mihi quisquam negaverit, cum adeo vulgaris fuerit & communis Osca lingua, potuisse etiam, ut fieri solet inter vicinos populos, ad Campanos ex eadem transiisse plusquam unum aut alterum vocabulum, & ipsi tamen fuisse usi diverso & proprio cujusdam gentis alterius sermone. a qua ipsi traxerint originem: ut adeo non necesse habeamus, (atque hoc est, quod nobis erat propositum) eos hoc solo argumento pro Oscorum stirpe habere. Nihilominus illud notari velim, *Strabonem* breviter sane loquutum de Oscis nostris, ubi subjunxit, exstincta jam ipsa gente, utcunque tamen sermonem eorum remansisse penes Romanos in fabellis ludicrisque jocularibus & ridiculis: & hoc amplius, neque a Brutiis, neque ab Sabinis, neque ab alio quodam populo, qui eadem lingua fuerit usus, sed ab Atella, urbe Campaniæ Capuanæ, quam principio nostri Osci tenuerunt, eosdem jocularis istius sermonis usum accepisse. Et ut supra quoque monuimus, exstinctis iisdem Oscis multis ante seculis, quorum ultimi extra eandem Campaniam egerint, fueruntque Osci Sidicini, *Teanum Sidicinum* (verba sunt ejusdem auctoris) *ipso cognomento ostendit, se ad Sidicinos pertinere, qui sunt Osci, gens Campanorum desita.* Et igitur lingua Osca, qua ad publicos ludos utebantur Romani, proprie fuit illa, quæ in terris cis Volturnum, quas olim incoluerant Osci, in usu erat, dicebaturque Osca eodem modo, quo Opicorum & Oscorum nomine dicti fuerant Campani, cum (si maxime illi unquam ex ista gente fuerunt) in aliam novam gentem essent commutati.

rum vocabulum pervenisse Capuam propter locorum vicinitatem.

Et possit Oscæ nomine dicta fuisse lingua Campania, utpote ejus regionis, quam olim incoluerant Osci.

Et ego quidem arbitror, linguas aliorum quoque populorum, qui reliquas cis Romam regiones incoluerunt, quandoquidem illas nihilo fuisse nostra præstantiores est credibile, & ex uno etiam communi inter sese corpore constituerunt, omnes perinde etiam communi, Oscæ linguæ nomine fuisse appellatas, atque nostræ Campaniæ linguam risui jocoque fuisse apud Romanos supra omnes alias ob singularem aliquam causam, nempe vel ob majorem locorum vicinitatem, ut ad eo hinc illa quoque in majori notitia ac ludibrio illis fuerit, vel ob poëticas suas amœnitates, celebriores forte reliquarum, quas diximus, linguarum deliciis. Atque huic multis modis mihi videtur simillimum esse hodiernæ linguæ exemplum, quæ nunc obtinet in regno nostro Neapolitano, & in genere, ab extraneis appellatur lingua Neapolitana. Sed joci causa plus qualibet alia ex singularibus ejusdem regni nostri linguis illa in usu est, quæ Neapoli viget, & omnium est celeberrima, tum ob loci celebritatem, tum ob facetorum scriptorum copiam, qui voluptatis causa eam cœperunt imitari. Atque hæc similitudo multo magis etiam, si quid video, nostro convenit argumento, siquidem eadem peculiaris lingua Neapolitana, & illa, quæ toti regno nostro communis est, ceteroquin intelliguntur ab omnibus, qui terras nostras aut Neapolim viderunt nunquam, eodem modo ut Romæ cum lingua Osca res sese habebat. Nam & illam, si recte rem putemus non magis diversam fuisse oportet ab Latina & Græca lingua, qua Græcæ nostræ civitates utebantur, quam hodie verbi gratia Romana lingua differt ab Neapolitana, quæ utraque est Italica lingua, & per Italiam vulgo ab omnibus intelligitur. Sane linguam Latinam magna ex parte fuisse Græcam, satis est notum, & idem judicari potest de Osca Sabinorum lingua, qui deinde se conjunxerunt cum Romanis: ut adeo hisce temporibus *Ennius*

Linguæ, quæ in hac Italia cis Romam in usu erant, communi Oscæ linguæ nomine appellatur,

Quæ forte Græcæ ejusdem regionis linguæ satis erat vicina, & certius Latinæ,

Ennius notatus,

A non fuisset habitus pro magni cordis homine, quod Græce, & Osce, & Latine doctus tria habere corda gloriaretur. Atque illa, quam dixi, Latinæ Oscæquæ linguæ convenientia manifesta mihi videtur esse ex paucis aliquot vocabulis Oscorum, quæ ab antiquis auctoribus, & maxime a *Festo*, memorata leguntur, quemadmodum sunt *famel*, *Mamers*, *Mæsius*, *pitpit*, *sollo*, *vehitura*, *ungulus*, & forte quædam adhuc alia: quæ Latine sunt *famulus*, *Mars*, *Majus*, *quicquid*, *solidum*, *vectura*, *annulus*. Taceo jam, tractu temporis multa ejusdem sermonis Osci vocabula debuisse fieri Latina, ut tam aliunde in-
B telligi potest, quam ex ante dicta voce *ungulus*, quam priscam esse Latinam, non Oscam vocem, judicavit *Plinius Secundus* lib. XXXIII. cap. I. Eandem harum linguarum imparem similitudinem & rusticitatem Oscæ in comparatione Latinæ, dicere voluit *Titinnius* a *Festo* citatus, ubi irridet illos qui fabulas Osco Volscoque sermone componebant, quia Latinum (secundum præcepta artis, ut ego arbitror) non callebant. Igitur Oscam linguam oportet fuisse veluti distorsionem quandam rectæ & veræ Latinæ, qualem *Josephus Scaliger* ad lib. VI. *Varronis De lingua Latina* credidit Oscis quoque familiarem fuisse in ip-
C so motu oris & loquendi ratione, ubi ita dixit: *Mæsius majorem significat Osca lingua, distortione oris, ut mos ejus gentis erat, quasi Majus: quare Majus mensis apud eos Mæsius dicebatur.* Atque hanc ob causam magnum risum concitavisse oportet ludos istos Oscos fabulasque Atellanas. Sed movet hic dubium *Cluverius Italiæ antiquæ* lib. III. cap. IX. utrum juventus Romanorum, *quæ posterioribus etiam, ut patet ex Tacito, temporibus ludos Oscos Romæ faciebant, certa tantum quædam carmina, certasque fabellas Atellanas memoriæ mandaverit; an vero omnis Oscæ linguæ perfectam absolutamque tenuerit notitiam, ita ut in quovis quoti-*
D *diano congressu, colloquioque familiari apte, expediteque, & exacte confabulari potuerit.* Sed ille quidem responsum ad hæc non subjecit, quod mihi videtur ita dari posse, ut dicamus, Romanos & veteribus & novis fabulis Atellanis perinde delectari solitos. De veteribus testis mihi est *Suetonius* lib. VII. cap. XIII. qui ubi dixerat, Galbæ Imperatoris præsentiam in ludis publicis parum gratam fieri cœptam populo Romano, postquam occasione quadam innotuerat ejus in scenicos avaritia, qui omnibus placere plurimum solebant, ita subjunxit: *Id proximo spectaculo apparuit: siquidem Atellanis notissimum canticum ex-*
E *orsis: Venit io Simus a villa, cuncti simul spectatores consentiente voce reliquam partem retulerunt, ac sæpius versu repetito egerunt.* Et solennem quoque oportet fuisse istum versum Atellanum, in quo apud *Ciceronem*, quem supra retulimus, deridebatur fatum. Jam vero de novis fabulis Atellanis quid attinebat dubitare, cum subinde multi scriptores illarum celebres exinde evaserint? Sed ejusmodi quidem ejusdem linguæ usum, de quo *Cluverius* quærit, nihil necesse habemus affirmare. Nam & poëmata illa quæ multi Italorum componere solent ser-
F mone *Provinciali*, qui jam in desuetudinem abiit, quæque leguntur tamen & intelliguntur ab illis, qui eodem loqui nesciunt, suppeditare nobis argumentum possunt integri responsi ad quæstionem Cluverianum. Et de hisce heic sufficiat.

Cujus in comparatione ipsa admodum erat inculta, Titinnius illustratus.

Et pronunciabatur ridicula cum distorsione oris:

Nec magis veteres fabulæ eodem sermone recitabantur, quam novæ.

Suetonius illustratus.

Cicero illustratus.

VI. *Quidam Pelasgorum, olim e Græcia egressi, & novissime in Italiam delati tribus ante bellum Trojanum seculis, Auruncis partem Campaniæ Felicis ultra Volturnum flumen ademerunt: alii illorum, nomine* Sarrastes, *ultra Sarnum amnem loca tenuerunt.*

Cum divisim incoleretur Campania ob Opicis atque Auruncis,

HUc usque demonstrare studuimus, quosdam ex Auruncis, quæ gens una fuit eademque cum Ausonibus, atque Opicis, & in Italia Oenotris & omnibus adeo populis aliis fuit antiquior, divisim incoluisse Campaniam nostram ante omnes alios populos nostros, quos quidem habemus cognitos; idque diversis istis, quæ dixi, nominibus: hoc est, Auruncos, qui dicti etiam fuerunt Ausones, tenuisse ultra Volturnum flumen loca, quæ inde *Ausoniæ* nomen acceperunt, & Opicos citra eundem fluvium coluisse, qui tractus eadem ratione dictus fuit *Opicæ* nomine ab istis incolis suis, qui iidem fuerunt cum Oscis. Atque adeo hic fuit Campaniæ nostræ status primis istis eorundem Oenotrorum temporibus, & sequentibus etiam ætatibus, quæ bellum Trojanum antecesserunt. Retulimus etiam aliquanto superius, *Dionysium Halicarnassensem* lib. I. narrare, novem post ætatibus, quam iidem Oenotri delati fuerunt in Italiam, eodem advenisse Pelasgos, & ipsos origine Arcades: hoc est, tribus circiter ætatibus ante idem bellum Trojanum. Mitto ipsa, quæ longam narrationem continent, *Dionysii* verba, quandoquidem non videtur mihi illis opus esse, & codices ejus, qui hac parte nihil inter se differunt, satis sunt vulgati. Atque adeo *Cluverium* memoria fuisse lapsum oportet, ubi *De Italia antiqua* lib. IV. cap. XXI. ita dixit: *Tempus, quo Pelasgi primum in Italiam advenerint, neque Dionysius, neque quisquam alius scriptor adnotavit.* Jam horum Pelasgorum prosperos successus describens: idem *Dionysius*, & quomodo novis subinde auctibus per Italiam sese diffuderint, narrans, ita pergit: *Quondam quoque camporum, qui Campani vocantur, aspectu amœnissimorum, & pascuis aptissimorum, partem non minimam, Auruncis, gente barbara inde pulsis, tenuerunt.* In secunda *Dissertatione* vidimus, Larissam & Forum Popilii, quas urbes idem auctor porro dicit ab illis fuisse habitatas in iisdem campis, fuisse ultra Volturnum, in agro Falerno, qui dictus etiam Massicus. Atque hoc quam bene cohæreat cum illorum, quæ Aurunci nostri tenuerunt, locorum descriptione, quam supra declaravi, non necesse habeo pluribus demonstrare. Sed notandum est, ut in eadem quoque *Dissertatione* monuimus, Pelasgos Auruncis ademisse agros istos, qui versus eundem Volturnum & Orientalem Campaniam erant, planiores & fertiliores reliquis in hoc tractu campis: ita ut Aurunci retinuerint montes illos versus Lirim amnem & Occidentalem Campaniam. Atque huc nescio an forte etiam respexerit artificiosissimus poëta *Virgilius*, ubi inter varios admodum populos nostros, qui in Turni exercitu fuerunt, separtim memoravit illos, qui Massicum agrum colebant, & itidem illos, qui in montibus altis prope eundem agebant:

In Italiam tribus circiter ante bellum Trojanum ætatibus Pelasgi *advenerunt.*

Cluverius notatus.

Ex his quidam Auruncis meliorem agrorum suorum partem ademerunt,

Inque iis agriculturam exercuerunt,

Virgilius illustratus.

Ex more suo peculiare.

—— —— vertunt felicia Baccho
Massica qui rastris, & quos de collibus altis
Aurunci misere patres —— ——

Sane vero, si attendamus ad expositionem, quam *Petrus Victorius Variarum lectionum* lib. I. cap. X. de Pelasgorum nomine protulit, quo usus etiam *Cicero* lib. II. *De finibus*, non aliud dicere voluit iste poëta. Alloquitur Epicureos quosdam *Cicero*, qui ipsum nescire dicebant, *quid sit ἡδονὴ, Latine voluptas*, contraque eos hisce verbis utitur: *Qui fit, ut ego nesciam, sciant omnes, quicunque Epicurei esse voluerunt? Quod vestri quidem vel optime disputant, nihil opus esse, eum, qui Philosophus futurus sit, scire literas: itaque ut majores nostri abduxerunt Cincinnatum illum, ut Dictator esset, sic vos de Pelasgis omnibus colligitis, bonos illos quidem viros, sed certe non pereruditos.* *Victorius* nomine Pelasgorum hic, ut alioqui solet, istam, quam diximus, Græcam gentem denotari negans, verba hæc, ut eorum veram exponeret interpretationem, contulit cum eo, quod *Stephanus Byzantinus* scriptum reliquit, ubi de urbibus incolisque Chii insulæ loquitur. *Docet enim* (verba sunt *Victorii*) *Pelasgos vocitatos a Græcis, qui Italiam incolebant, illos, quorum opera uterentur in agris colendis, cum rustici homines, & qui eo studio alerentur, diversis nominibus ab aliis gentibus appellarentur. Primos autem tradit Chios usos esse mancipiis: ut Lacedæmonii iis, quos Ilotas vocabant, & Argivi Gymnesiis, Sicyoniique Corynephoris, Italiotæ Pelasgis, Cretes autem Dinoitis: hæc enim omnia nomina erant generis hominum in subigendis glebis occupati.* Ita *Victorius*, qui certe multum lucis attulit verbis istis *Ciceronis*, quæ satis erant obscura. Veruntamen ego eum hoc animadvertisse vellem, per Pelasgos apud Græcum illum auctorem intelligi gentem, ita appellatam a Græcis Italiæ, & ad culturam agrorum adhibitam, forte quod isti operi admodum erat assueta; apud *Ciceronem* vero per Pelasgos omnes illos intelligi, qui idem illud opus faciebant, cujuscunque tandem gentis essent. Equidem neutiquam me fugit, etymologiam nominis Pelasgorum creditam fuisse Græco sermone ab nomine ciconiarum derivatam, ad quarum similitudinem ipsi quoque vagabundi huc illuc erraverunt: *Vaga autem* (verba sunt *Strabonis* lib. XIII.) *gens fuit Pelasgorum, & ad migrationes præceps, & incrementa ac decrementa magna ac subita tulit.* Veruntamen hoc nihil obstat, quo minus ab Latinis ipsorum nomine possint esse dicti homines illi, qui ad idem illud peculiare eorum agriculturæ exercitium maxime attendebant. Et cum iidem fortasse ex primis fuerint, qui heic illud opus tractaverunt post antiquissimum illud horridæ vitæ genus, quo homines nonnisi fructibus, quos sponte terra producebat, vescebantur, facile etiam fieri potuit, ut Latine omnes promiscue agricolæ *Pelasgi* dicerentur. Quod si ipsa locorum ingenia invitare & cogere etiam solent accolas, ut potius ad hoc, quam ad illud vitæ genus animum appellant; Pelasgi autem in fertilissimo agro Massico, sive Falerno coluerunt; quidnam de illis credere possumus aliud, quam quod *Diodorus Siculus*, quem retulimus etiam in *Dissertatione* præcedenti, lib. V. dixit: *Ante frumenti usum, ubi primum id repertum sit, consentaneum est primas tribuere optimæ regioni.* Satis magna fuit agro Falerno celebritas ex vinis, non item ex segetibus suis: sed harum quoque oportet eum non minus, fuisse feracem, ac ille hodieque est. Neque minus etiam hoc, quam illud horum exercitiorum iisdem convenit agricolis.

Petrus Victorius laudatus, & alio nomine notatus.

Et fortasse etiam omnium primi.

Jam vero alii Pelasgi, & ab illis, quos diximus, & genere & sedibus diversi, itidem temporibus antiquissimis habitaverunt in adverso Campaniæ nostræ latere, ut narravit *Conon*, citatus a *Servio*, qui exponens ista *Virgilii* verba lib. VII. *Æneidos*: *Sarrastes populos*, hæc subjunxit: *Populi*

Alii quidam Pelasgi, qui Sarrastum nomen assumpserunt, loca

ad Sarnum amnem occupaverunt.

puli Campaniæ sunt, a Sarno fluvio. Conon in eo libro, quem de Italia scripsit, *quosdam Pelasgos, aliosque ex Peloponneso convenas ad eum locum Italiæ venisse dicit, cui nullum antea nomen fuerat, & flumini, quem incolerent, Sarno nomen imposuisse ex appellatione patrii fluminis. & se Sarrastes appellasse.* Etiam illi ultra Volturnum Pelasgi uni urbium, quas ibidem condiderunt, Larissæ nomen imposuerunt ad similitudinem patriæ suæ urbis, ut affirmat *Dionysius Halicarnassensis*, quem in secunda *Dissertatione* citavimus) *Hi inter multa opida Nuceriam condiderunt.* Atque huic narrationi, quod ego quidem sciam, nemo veterum auctorum repugnat, ut adeo non videatur mihi esse justum eam refutare, ut fecit *Cluverius.* Hic lib. IV. cap. III. *De Italia antiqua* de Sarno flumine disputans, suopte arbitrio negat venisse unquam in Campaniam Pelasgos alios, *quam qui cum Etruscis Tyrrhenum inter Arnum, Tiberimque & mare inferum incoluerunt*, (hæc maxima parte hodie Tuscia est) *duodecim principatibus distinctam.* Nimirum ille credidit, solum dixisse *Cononem*, ex Pelasgis in Campaniam advenisse alios separatim ab Etruscis, cum utique *Dionysius*, quem modo citavimus, apertis verbis, ut intelleximus, demonstraverit, quam sit falsa ista ejus opinio. Igitur hoc potius mihi esse observandum videtur, Pelasgos secundum eundem Dionysium recta venisse in Italiam a Dodona, non autem ex Peloponneso & Arcadio, vetere patria sua, unde aliquot ante seculis excesserant: ut adeo *Conon* tempora confuderit, non vero confinxerit istud factum. *Strabo* quoque Pelasgos horum locorum prodidit incolas, quæ ad Sarnum amnem sunt, iisque Pompejos adscripsit, quæ in ejusdem ostio fuit urbs, & item Herculaneum, quod aliquantum citra est; affirmavitque insuper, utrumque hoc oppidum olim fuisse Oscorum quod congrue in tempora hæc incideret: de quibus cummaxime agimus. Verba ejus lib. V. hæc sunt: *Herculaneum, & quod proxime sequitur, & Sarno amne alluitur, Pompejos tenuerunt olim Osci, deinde Etrusci, & Pelasgi.* Sed eædem urbes originem suam referebant ad Herculem, qua de re alibi diximus, qui in Italiam advenit, cum jam ad interitum vergerent Pelasgi: ut adeo hi satis superque tarde potiti forent illarum urbium, quandoquidem illas tenuerunt post Oscos. Neque etiam veri speciem habet, eos inter communis ruinæ calamitatem hosce novos fecisse progressus: & hoc amplius, si hisce locis nullum adhuc nomen erat, cum illuc advenerunt Sarrastes illi, quos diximus, sane eadem necdum incoli debebant, aut ab Oscis, aut ab alio quoquam populo. *Tempus*, (*Dionysii* verba sunt ex versione interpretis) *quo gens Pelasga vexari cœpit, fuit fere duabus ætatibus ante bellum Trojanum.* (hoc est, circiter annis LXVII. Hercules autem in hæc loca venit aliquanto post, ut videbitur in sequentibus) *Hæc tamen natio duravit etiam propemodum usque ad ipsum belli Trojani finem, donec in minimum hominum & urbium numerum est contracta.* Sed hic jam responderi possit, de aliis Pelasgis *Cononem* & *Dionysium* loquutos fuisse, de aliis autem *Strabonem*, quem oportet alios intellexisse recentiores, non antiquiores illos, qui ex Thessalia venerunt: sive jam ille sequutus sit illorum opinionem, quos citavit idem *Dionysius*, qui Pelasgos autumaverunt nihil fuisse diversos ab Etruscis, qui alio nomine dicti Tyrrheni: sive persuasum habuerit, hisce ex Lydia in Italiam abeuntibus Pelasgos istos fuisse comites. Sane ille nusquam declaravit, utram harum duarum opinionem ipse fuerit amplexus, quamvis citato lib. V. de Etruria & Etruscis agens, de Pelasgis quoque longam interposuerit digressionem, & lib. XIII. conatus fuedemonstrare, integram Græciam Asiaticam, Lydiæ proximam, a Pelasgis fuisse inhabitatam. Neque etiam mirum adeo aut alienum foret eum hoc credidisse, postmodum rediisse in Italiam, sub Tyrrhenorum nomine Pelasgorum illorum posteros, qui eadem regione excesserant ante bellum Trojanum, cum idem *Dionysius* affirmet, eos in ista migratione novum hoc nomen accepisse: *Ab aliis autem hominibus* (ita *Dionysius*) *tum ob nomen regionis, unde pulsi fuerant*, (nempe ob nomen Italiæ, quæ Græcis dicta *Tyrrhenia*) *tum etiam ob generis antiqui memoriam, iidem & Tyrrheni, & Pelasgi vocabantur.* Atque his omnibus ordo temporum nihil repugnat, quandoquidem omnes illi, qui Tyrrhenos origine Lydos fuisse voluerunt, iidem quoque ducem eorum fuisse Tyrrhenum, Atys, Hercule sati filium, dixerunt, inter quos fuit etiam *Strabo*, cujus verba lib. V. Latine ita habent: *Tyrrheni a Romanis Etrusci & Tusci nominantur: Græce sic appellantur a Tyrrheno, Atys filio, qui eo coloniam ex Lydia duxerat.* Et mox: *Atys, unus ex Hercule & Omphale prognatis.* Igitur possint esse vera, & quæ de Campaniæ Pelasgis, ætate Herculis antiquioribus, *Conon* & *Dionysius* scripta reliquerunt, & item illa, quæ de aliis Pelasgis recentioribus narravit *Strabo.* Ceterum *Dionysius* quidem nullos prorsus alios nobis Pelasgos indicavit, quam priores istos, interque alios populos qui agros eorum urbesque occupaverunt, præcipuos plurimosque fuisse Tyrrhenos affirmavit, eosque cepisse plurimas optimasque earum, quarum in numero nostras fuisse urbes oportet, & quosdam credidisse, eos hoc nomine ideo appellatos, quod in turribus sive ædificiis munitis habitarent, quæ Græce τύρσεις, *tyrses*; non vero de nomine ducis sui Tyrrheni, quandoquidem indigenæ fuerint Italiæ populi. Verba ejus Latine ita habent: *Qui vero agros urbesque a Pelasgis derelictas occupaverunt, fuerunt cum multi alii, prout quique sedes illis finitimas habebant, tum vero præcipue Tyrrheni, qui plurimas ac optimas occuparunt. Tyrrhenos vero quidam indigenas Italiæ, alii advenas fuisse dicunt: & qui hanc gentem indigenam faciunt, hoc nomen ipsis inditum ajunt ab ædificiis munitis, quæ ab ipsis*, omnium eorum, *qui in his regionibus habitarunt, primis fuerunt extructa. Nam ut apud Græcos, sic & apud Tyrrhenos ædificia, quæ in* urbium *mœnibus ædificantur, & quæ sunt tecta*, τύρσεις, *id est turres appellantur.* Et mox ille manifeste indicat, se Pelasgos existimare diversos a Tyrrhenis, allatis quibusdam argumentis, quæ brevitatis causa referre non libet: & ita denique concludit: *Qui gentem istam non advenam, sed indigenam fuisse dicunt, propemodum videntur dicere, quæ ad veritatem proprius accedunt.* Itaque videtur mihi sic esse statuendum, Pelasgos *Dionysii* non solum non fuisse illos, de quibus *Strabo* dixit, sed ne quidem alios ex illis postea in Campaniam advenisse denuo.

Conon defensus, & alio nomine notatus. Cluverius refutatus.

Et huic populo Herculaneum quoque & Pompeji, vicinæ urbes adscribuntur, possessæ antea ab Oscis:

Quod tamen repugnat tempore, quo illæ fuerunt conditæ, & item ipsorum Pelasgorum ætati:

Quamvis hi videri possint fuisse diversi a prioribus istis, & iidem fuisse cum Tyrrhenis, qui dicti etiam Etrusci.

Veruntamen illi, qui de prioribus istis dixerunt, negaverunt certe hosce posteriores.

Dionysius Halicarnassensis & Strabo discordes.

VII. *Aliquot ante Bellum Trojanum annis, Cacus, latro famosus ille, in Campaniam Felicem transgressus, circa Volturnum flumen; Oebalus autem, in Capreis insula regnans, circa Sarnum amnem loca occupavit. Post idem Bellum CAPUAM delatus est, ut nonnulli*

nulli volunt, Capys Trojanus: quæ urbs ex aliorum sententia condita est a Remo, sive Romo, Æneæ filio.

Cacum, olim Marsiæ regis legatum ad Tarchontem Tyrrhenum, deinde quædam Campaniæ loca occupavisse, eum qui deinde ab Hercule occisus est;

Et ita quidem Pelasgi *Cononis* & *Dionysii* aliquantum interruperunt rectam nostrorum populorum seriem, quam *Strabo* nobis descripsit: at vero hoc, quod de Caco *Solinus* narravit cap. II. citans auctorem *Gellium*, veterem historicum Latinum, in majorem adhuc ordinis turbationem, & confusionem rerum gestarum apud eosdem populos nos implicat. Nam ille de Caco narrans: *Hic*, inquit, *ut Gellius tradit*, (alii legunt *Cælius*, qui Latinus auctor fuit peræque vetus: sed *Plinius Secundus*, quem mox adducemus eum vocavit auctorem *Gellianum*) *cum a Tarchone, Tyrrheno, ad quem legatus venerat missu Marsiæ regis, socio Megale Phryge, custodiæ foret datus, frustratus vincula, unde venerat, redux, & præsidiis amplioribus occupato circa Volturnum & Campaniam regno, dum etiam ea atrectare auderet, quæ concesserant in Arcadum jura, duce Hercule, qui tunc forte aderat, oppressus est. Megalen Sabini receperunt, disciplinam augurandi ab eo docti.* Huc usque *Solinus*. Marsias iste, a quo Cacus missus est legatus ad Tarchonem Tyrrhenum, qui eum in custodiam dedit, ex qua ille elapsus, eodem, unde venerat, rediit, & regnum circa Volturnum occupavit, ab eodem *Solino* cap. VIII. appellatur rex Lydorum, & conditor Archippes, quod olim Italiæ fuit oppidum juxta lacum Fucinum, in Marsis: *Plinius* autem *Secundus*, ex quo ille hoc hausit, eundem lib. III. cap. XII. appellat ducem Lydorum, eamque in rem citat ante dictum auctorem *Gellianum*. Evander cum suis Arcadibus in Italiam venit, ut lib. I. refert *Dionysius Halicarnassensis*, sexaginta ferme annis ante obsidionem Ilii. Verba ejus ita Latine reddita sunt: *Alia classis Græcorum ad hæc Italiæ loca appulit* LX. *ferme annis ante bellum Trojanum, quemadmodum ipsi Romani tradunt, quæ ex Palantio, urbe Arcadica, venit. Coloniæ autem dux erat Evander.* Hunc non multo post tempore insequutus est Hercules: *Paucis vero annis elapsis post adventum Arcadum* (subjecit idem *Dionysius*) *alia Græcorum classis in Italiam venit ductu Herculis, qui Hispaniam, & quicquid terrarum usque ad solem occidentem extenditur, in suam potestatem redegerat.* Jam si ex eodem scriptore cognoscere volumus certum Herculis adventus annum, fuit ille tertius & quadragesimus ante idem bellum Trojanum. Postquam enim ille dixerat, Herculem in hisce terris per unum solummodo annum egisse, novissime omnium Æneam advenisse subjunxit post Hercules discessum ætate secunda, circiter quinquagesimum & quintum annum, ut ipsi Romani tradunt. Jam vero bellum Trojanum duravit decennium, & Æneas ex ejusdem auctoris calculo in Italiam venit, cum post excidium Trojæ triennium jam per maria erravisset. Itaque de tempore, quo Cacus in Campania regnavit, & item de anno, quo ille periit, non necesse habemus dubitare.

Cum iste Marsias in Italia rex Lydorum fuerit in Marsis,

Et hoc factum incidat in tempora ante bellum Trojanum;

Multis modis est narratio parum probabilis,

Verum quales jam sunt hæ narrationes? Quo pacto potest ille fuisse rex Lydorum, qui condidit Archippen in Marsis? Quod si per Lydos intelligamus Tyrrhenos, quomodo de rege Tyrrhenorum dici potuit, eum habitavisse in Marsis? Porro si Tarchon erat Tyrrhenus, quomodo poterat etiam Marsias esse Tyrrhenus, quod idem valet, quod Lydus: Insuper si Cacus post captivitatem eodem, unde venerat, rediit, quomodo pervenit ille in terras circa Volturnum, quandoquidem a Marsia, qui Marsis imperabat, ille digressus erat? Denique quænam erat locorum, quæ Arcades in Latio tenebant, & Campaniæ locorum circa eundem fluvium vicinitas? ut jam non dicam, hoc novo regno Cacum non debuisse potitum esse contra suum regem, sed contra Tarchonem hostem suum, cui nihil omnino fuit cum Campania negotii: siquidem lib. V. dicit *Strabo*, Tyrrhenum duodecim condidisse urbes in Tyrrhenia, hoc est, in Etruria, *præfecto ad id constituto Tarchone, a quo Tarquinia urbs dicta*. *Cluverius*, qui lib. II. cap. III. & cap. VIII. *De Italia antiqua* alium in finem de ista *Gellii* narratione movit controversiam, errorem in ea existimavit admissum esse, quantum quidem ad augurandi disciplinam attinet, a Megale isto traditam Sabinis; dixitque hoc esse adscribendum non Sabinis, sed Etruscis, quibus & augurandi & omnium adeo aliarum rerum, quæ ad sacra pertinent, peritiam disciplinamque tribuunt omnes. Et existimavit ille, posse hoc quoque eam in rem indicio esse, quod *Solinus*, sive *Gellius*, pariter conjunxerit Volturnum, Campaniam regem Lydorum, & Tyrrhenum.

Licet eam parte quadam nemo recentiorum traxerit ad Tyrrhenos, hoc est, ad Etruscos Etruriæ.

Equidem non displicet mihi hæc ejus sententia, sed insuper hoc quoque dicendum erat, a *Gellio* sub nomine Marsiæ, regis Lydorum, illum fuisse propositum, qui natione Lydus, & ex promiscuo horum, vocabulorum usu Tyrrhenus, Tyrrhenorum sive Etruscorum in Campania rex erat, qua in regione amplum & diuturnum Etrusci imperium tenuerunt, ut supra indicavimus, & suo loco fusius erit ostendendum. Sed hoc nimium abit ab illa sententia, quæ Lydos in Italiam deductos fuisse a Tyrrheno, Herculis nepote, statuit. Atque idem tamen posset esse verum ex sententia *Dionysii*, qui Tyrrhenos nostros fuisse indigenas existimavit, & adeo conveniret cum ista ejus alia narratione, penes Etruscos manifeste optimas urbes Pelasgorum, quæ gens interiit ante dictis inter bellum Trojanum & Evandri ætatem temporibus. Sed *Gellius* regis Lydi nomen posuit, ut adeo certe confuderit ille & turbaverit alienam suamque ipsius narrationem.

Ceterum huic obstat ipsorum Lydorum status qui deinde dicti Tyrrheni.

Neque hic ejus turbatio subsistit. Dixit enim, ab Hercule occisum fuisse Cacum, Campaniæ dominum, quem ratione interfectoris nominisque sui, & quod aliorum terras ad se rapuit, credere oportet eundem fuisse Cacum, qui in Latio occisus est ab Hercule, ut vulgata habet historia. Sane vero, nisi multiplex illa, quam ostendimus, inconvenientia impedimento esset, ego crederem, sub illa gigantum fabula, ab Hercule occisorum in Campania ejusque campo Phlegræo ad Cumas, adumbratam fuisse hanc de Caco historiam, ejusque nece, ac populo, quia ille, ut dixit Dionysius, *hominibus immanibus imperabat*. Nam campus ille satis fuit Volturno flumini vicinus. Ceterum ars divinandi non hic Etruscis nostris tradita fuit ab ejus socio Megale, cum hic illam docuerit, ut voluit *Cluverius*, Etruscos Etruriæ, confusos cum Sabinis.

Fuit autem Cacus latro ille famosus, qui periit in Latio;

Nisi forte is ipso sint intelligenda bella Herculis cum gigantibus in Campania.

Jam vero cum illis, quæ *Dionysius Halicarnassensis* dixit de tempore, quo Pelasgi interierunt, qui Auruncis partem agrorum ademerunt, cumque narratione *Cononis* de Pelasgis Sarrastibus, conveniunt illa *Virgilii* lib. VII. *Æneidos* ubi Æneæ res gestas in Italia exponens ita dixit de Oebalo:

Non pugnat contra historiam Pelasgorum Sarrastium ipsorum terras occupatas esse ab Oebalo Telebo.

> —— *quem generasse Telon Sebethide Nympha*
> *Fertur, Teleboûm Capreas cum regna teneret,*
> *Jam senior: patriis sed non & filius arvis*
> *Contentus, late jam tum ditione premebat*
> *Sarrastes populos, & quæ rigat æquora Sarnus*

Et

Licet cetero-qui genus ejusdem sit fabulosum.

Et in his istius poëtæ prudentia judiciumque deprehenditur, qui cum fingere omnino vellet ejusdem Oebali nativitatem ex nympha Sebethide, respiciens ad Sebethum amnem, qui in mare se exonerat exadversum Capreas insulam, quam tenuerat pater ipsius Telon; cumque forte etiam confinxerit illud Oebali regnum in locis circa Sarnum amnem; illud ita fecit, ut figmenta ejus non confundant aut perturbent eodem modo, quo historica illa *Gellii* narratio, traditiones illas communes, & proxime ad verum accedere creditas. Ceterum dissentit ab eo tamen *Strabo*, qui inter populos illos, qui alii post alios incoluerunt Pompejos, quæ procul omni dubio Sarrastum fuit urbs, non memoravit hosce Teleboas Caprearum insulæ, qui genus habuisse videntur a Telebois Acarnaniæ, de quibus dixit *Stephanus Byzantinus*, ita dictis a regione Teleboa.

Virgilius laudatus.

Virgilius & Strabo discordes.

Non fuit illa poëtica inventio, Capuam nomen accepisse a Capy, Æneæ comite.

Neque etiam sine observatione historica idem *Virgilius* in eodem poëmate dixit, Capuam nomen accepisse a Capy quodam, Æneæ comite: licet in catalogo nostrorum populorum neque *Strabo*, quem modo memoravimus, neque *Plinius Secundus* verbum fecerit de hisce Trojanis nostris. De Capy isto dixerat ille quoque lib. I. & lib. II. ita tamen, ut nihil de eo adderet, quod ad nos pertinere queat: verum lib. X. eum inter reliquos, qui novam in Latio urbem ab Ænea conditam fortiter defenderunt contra Rutulos, nominavit hoc modo:

Virgilius illustratus.

Et Capys: hinc nomen Campanæ ducitur urbi.

Et fortasse ille pro more suo una cum ejusdem Capyos laude militari tacite quoque indicare voluit eandem Campanorum laudem. Sane affirmavit *Sallustius*, ex Trojanis, qui patriæ urbi superstites evaserant, in Campaniam pervenisse Capyn, cui *Cœlius* diserte Capuæ ortum adscripsit, dixitque eum fuisse Æneæ consobrinum. Atque harum narrationum nobis prodidit notitiam *Servius*, ubi ad *Æneidos* lib. I. dixit, *Virgilium* in alloquutione Veneris ad Jovem, quem ipsa orabat ut Trojanis aditum in Italiam permitteret, *non sine causa Antenoris posuisse exemplum quum multi evaserint Trojanorum periculum: ut Capys, qui Campaniam tenuit, Helenus, qui Macedoniam, ut alii, qui Sardiniam; secundum Sallustium.* Et ad citatum versum lib. X. idem ita commentatus est: *Cœlius Trojanum Capyn condidisse Capuam tradidit, eumque Æneæ fuisse sobrinum.* Itaque non fuit hoc poëticum inventum *Virgilii*, urbem nostram habitatam fuisse atque denominatam ab isto Trojano. Et adeo ejus causa hanc opinionem plus qualibet alia cujusquam historici narratione placuisse poëtis oportet, imitari eum cupientibus: unde *Lucanus*, lib. II. de Pompejo loquens, qui principio belli civilis cum Cæsare relicta *Roma* Capuam se recepit, *Dardanii*, hoc est *Trojani* coloni nomine dixit incolam mœnium Campanorum.

Nam & historici quidam ejus urbis ortum retulerunt ad Capyn & Trojanos.

Virgilius, Sallustius, & Cœlius concordes.

Atque hæc deinde, præ qualibet alia sententia poëtis arrisit.

Interea trepido discedens agmine magnus,
Mœnia Dardanii tenuit Campana coloni.
Hæc placuit belli sedes —— ——

Lucanus & Statius cum Virgilio collati.

Eandem, quoque sententiam sequutus est *Statius Sylvarum* lib. III. carm. V. ubi de celebrioribus Campaniæ locis loquitur, hisce versibus:

—— *At hic magnæ tractus imitantia Romæ,*
Quæ Capys advectis complevit mœnia Teucris.

Capys Trojanus, qui Capuam condidisse fertur,

Verum *Silius*, qui etiam dixit, Capuam fuisse conditam atque denominatam a Capy quodam Trojano, nobis indicavit, Capyn conditorem ejus urbis non fuisse illum, a quo eadem suum nomen accepit. De conditore illo dixit iste poëta lib. XIII. ubi de candida cerva loquitur, quam ille ex eo tempore, quo condiderat Capuam, familiariter nutrierat; quæque multis post seculis adhuc vivebat tempore belli Punici secundi, credebaturque famula esse Dianæ, (confinxit autem ille omnia hæc per licentiam poëticam) quod priscum fuit & peculiare numen Campanorum, ut indicavimus, ubi de Tifatis actum fuit. Sunt autem hi versus.

Hanc agreste Capys donum, cum mœnia sulco
Signaret, grato parvæ mollitus amore
Nutrierat, sensusque hominis donarat alendo.

Et mox,

Numen erat jam cerva loci, famulamque Dianæ
Credebant, ac thura Deûm de more dabantur.

Nec minus aperte nobis exposuit eandem sententiam, ubi deinde eodem libro subjunxit,

Fundamenta Capyn posuisse antiquitus urbi

Et adeo ex eadem quoque sententia lib. XI. muros ejus appellavit *Dardanios*:

—— —— —— *Dardana ab ortu*
Mœnia —— —— ——

Itaque ex ejus sententia Capuæ conditor fuit Capys quidam Trojanus. Sed ille, ut dixi etiam hoc vult, eidem urbi hoc nomen fuisse inditum per causam alterius antiquioris itidem Trojani Capyos, ad quem referri nequit ejusdem ortus, quique fuit filius Assaraci, & pater Anchisæ, ideoque Æneæ avus, & stirpe Dardani, filii Electræ & Jovis: quam genealogiam juxta veteres ac recentiores omnes agnoscunt. Versus ejus, quibus post enarratam splendidissimam cœnam, qua primum, Campani exceperant Hannibalem, exposuit cantum de genere Capys istius, a quo Capua nomen accepit, hi sunt:

Hoc illi nomen dedit non de suo, sed de illius Capys nomine, qui pater fuit Anchisæ.

Jamque Jovem & latos per furta canebat amores,
Electræque toros Atlantidos, unde creatus,
Proles digna Deum, tum Dardanus, isque tonanti
Ut det Erichthonium magna de stirpe nepotem.
Hinc Tros, hinc Ilus: generis tunc ordine longo
Assaracus, nulloque minor famave manuve
Tum Capys ut primus dederit sua nomina muris,
Concelebrant plausu pariter Sidonia pubes,
Campanæque manus. —— ——

Et secundum eandem sententiam aliquanto etiam ante Decium Magium Campanum, qui dissuadebat amicitiam cum Pœnis fœdusque jungi, hæc verba pronunciasse retulerat:

Silius sibi constans; & illustratus.

Quos fugitis socios odiis? quosve additis? ille
Dardanius, cui sacra pater, cui nomina liquit
A Jove ducta Capys, magno cognatus Julo;
Ille ego semihomines inter Nasamonas, & inter
Sævum, atque æquantem rictum Garamanta ferarum,
Marmarico ponam tentoria mixtus alumno?

Fortasse Campani ad majorem gloriam suam dicebant, nomen suum fuisse ortum ab isto antiquiore Capy, cujus ex stirpe negari non potest fuisse satus ille posterior, qui a *Cœlio* apud *Servium* dictus fuit sobrinus Æneæ, & hic ab *Silio* Juli cognatus: ut adeo ille hac ratione non protulerit diversa.

Nihilominus *Ovidius*, quem itidem *Servius* adduxit loco citato. tertiam fovisse opinionem, & Capuæ nomen fuisse ortum ab utroque Capy voluisse videtur hoc versu:

Quidam veterum videtur existimavisse, Capuam ita fuisse dictam ratione plurium, quam unius solummodo Capyos.

Ille dedit Capys repetita vocabula Trojæ

Nisi forte ille voluit alludere ad nomen ejus urbis, renovatum ab isto tertio Capy adhuc recentiore, qui etiam ortus fuit ex stirpe primi per Æneam & reges Albæ, de quo in sequentibus dicetur; & hos amplius etiam a quarto, qui gente Etruscus fuit, ut ille omes hasce opiniones perinde veras existimaverit. Nam itidem ex *Silio* intelleximus de primo,

Ovidius & Silius illustrati & collati.

 ut

—— *ut primus dederit sua nomina muris.*

Alii dixerunt, Capuam, fuisse ab Remo *conditam, filio Æneæ, qui eam nomine proavi sui* Capys *appellaverit.*

Sed præterea etiam quarta fuit de eodem Capuæ origine circa eadem tempora Trojanorum sententia quorundam scriptorum veterum qui ejus urbis auctorem fecerunt Remum, sive Romum, Æneæ filium, eumque illam ita appellavisse dixerunt de nomine ejusdem illius, quem diximus, Capys, proavi sui, & patris Anchisæ: *Alii dicunt*, (verba sunt *Dionysii Halicarnassensis* lib. I.) *Ænea defuncto Ascanium ex asse regni heredem relictum, postquam id adeptus est, cum fratribus Romulo & Remo tam agros, quam opes Latinorum tripartito divisisse. Ipsum deinde Arbam & alia quædam oppida condidisse. Remum vero Capuam, a proavo Capy denominatam; sed Anchisam, ab avo Anchisæ, & Æneam, quæ postea dicta fuit, Janiculum, a patre suo denominatam, ædificasse: sed Romam de suo nomine dictam condidisse.*

Romo Æneæ filio nonnulli socium condendæ Capuæ addiderunt Romulum *fratrem.*

Alia jam fuit, sed non admodum diversa opinio *Cephalonis Gergithii*, antiquissimi historici Græci, qui ut affirmat *Festus* in voce *Romam*, scripsit de adventu Æneæ in Italiam. Sed ejus sententiam Auctor *Etymologici magni*, ubi de Capua loquitur, si verba ejus Latine reddantur, retulit ad hunc modum: *Capua civitas Italiæ, quam condiderunt Romus & Romulus, filii Æneæ, ut auctor est Cephalon Gergithius:* Ceterum ego valde dubito ita sensisse *Cephalonem*, qui *Girgithii* nomine dictus fuit a patria sua, & citatus etiam ab *Dionysio Halicarnassensi* eodem lib. I. ut & *Strabone* lib. XIII. Sed potius arbitror, *Cephalconem*, itidem auctorem Græcum, & incertæ patriæ, qui vixit temporibus Hadriani, fuisse illum, qui de conditoribus Capuæ hanc fovit opinionem, & itidem ab *Suida* cum altero illo confusus est. Et in hunc errorum videtur mihi incurrisse etiam *Festus*, quem allegavimus, quoniam de Romæ ortu Gergithio diversam ab illa narrationem adscripsit, quam ex ejus auctoritate retulit idem *Dionysius* eodem lib. I. Atque hoc observavit etiam *Josephus Scaliger* in *Notis* ad *Festum*, sed causam erroris non animadvertit. Sane *Festum* oportet neutrius unquam libros inspexisse, unde ad hunc modum loquutus est: *Romam appellatam esse Cephalon Gergithius, qui de adventu Æneæ in Italiam videtur conscripsisse, ait ab homine quodam, comite Æneæ. Cephalon* autem ut affirmat in *Bibliotheca* Photius *Cod.* LXVIII. perbreve scripsit compendium historicum illarum rerum, quæ a temporibus Semiramidis & Nini ad usque Alexandri Magni ætatem contigerant.

Auctor Etymologi & Festus illustrati, & notati.

Ceterum Capuæ *nomen adhuc ab aliis relatum est ad* Capyn Trojanum.

Quod ad cetera attinet, nequeo satis decernere, de quanam illarum Capuæ originum, quas retulimus, dicere voluerit *Hecatæus*, itidem auctor Græcus, apud *Stephanum Byzantinum*: *Capua* (ita verba ejus Latine habent) *civitas Italiæ. Hecateus in Europa a Capy Trojano dicta.* Nec magis de *Eustathio*, *Scholiaste Dionysii Alexandrini*, quid dicam, scio, qui itidem non aliam prodidit eadem de re majorem distinctionem, licet & ipse cum aliis quos diximus, in eo consentiat, nomen *Capuæ* ortum fuisse a *Capy* quodam Trojano. Sed vereor, ne Romani scriptores, & in eorum gratiam quoque Græci, cum viderent a multis negari, ut supra vidimus, Æneam venisse unquam in Italiam, eosdemque affirmare eum in Arcadia obiisse post conditam istic urbem, quam de nomine avi sui *Capuam* dixerat; totam hanc historiam ad Capuam nostram referre voluerint, ut ita hoc argemento eos falsi possent arguere.

Et forte ab omnibus in gratiam Romanorum.

VIII. *Græci, qui secundo post Bellum Trojanum seculo Cumas condiderunt, diu magnam Felicis Campaniæ partem cis Volturnum flumen versus Orientem tenuerunt, quam Oscis ademerant. Quidam ad Capyn Silvium, Albæ in Latio regem, retulerunt ortum, Capuæ, tertio post gesta ad Trojam seculo.*

Cum narratione rerum a Pelasgis, & Trojanis in Campania gestarum non bene conjungitur historia Græcorum Campaniæ.

CUm itaque in catalogo nostrorum populorum *Plinius Secundus* & *Strabo* neque de Pelasgis ultra flumen Volturnum, neque de Pelasgis ultra Sarnum amnem quicquam dixerint; cumque uterque etiam tacuerit de Trojanorum in Campaniam adventu, qui si Capuam condiderunt, debuerunt Oscis ademisse, quæ duos istos fluvios interjacent loca; non possunt satis commode cum istis, quæ huc usque narravimus, illa connecti, quæ jam subjecturi sumus de nostris Græcis, & Cumanis. Veruntamen nihil est causæ, cur hoc nos turbet, quandoquidem cummaxime superest nobis imperturbatus ordo temporum, quorum notitia lumen est omnium utilissimum, quod in tanta rerum antiquissimarum caligine desiderari queat. Post Oscos recensuit nobis Græcos *Plinius*, qui admodum nos incertos turbatosque reliquisset, ut qui nihil omnino nobis indicavit aut de stirpe eorum, aut de tempore, quo in Campaniam venerunt, aut an integram hancce regionem tenuerint, an secus, nisi exiguam nobis aperuisset semitam *Strabo*, qua ad eam de illis notitiam penetrare liceret, quæ nobis sufficere queat. *Alii ferunt*, (verba sunt *Strabonis*, quæ alibi etiam supra retulimus) *cum ea loca quondam Opici & Ausones tenuissent, fuisse ea deinde ab Osca gente occupata, quæ a Cumanis pulsa inde sit:* Græci itaque apud *Plinium*, qui successerunt Oscis, fuerunt Cumani *Strabonis*, de quorum genere & tempore, quo in Campaniam venerunt, multis actum fuit in *Dissertatione*, secunda, ubi vidimus, fuisse eos Chalcidenses, & Cumanos Æolicarum Cumarum, condidisseque nostras Cumas anno post bellum Trojanum CXXXI. iisque deinde se adjunxisse Thespiadas, Herculis posteros, qui venerunt ex Sardinia. Jam si illi tenuerunt loca illa, quæ ipsi Oscis ademerunt, illud quoque scimus, quod restabat: nempe eos neque ultra Volturnum versus Occidentem & Septentrionem, neque ultra Sarnum versus Meridiem sese extendisse: ut adeo tantum sedes habuerint versus Orientem & Nolam. Et cum his satis bene conveniunt, quæ lib. XX. notavit *Justinus*, ubi ingentem Græcorum varii generis copiam demonstraturus, primum dixit: *Pisæ in Liguribus Græcos auctores habent.* Deinde ita subjunxit: *Quid Cære urbem dicam? Quid Latinos populos, qui ab Ænea conditi videntur? Item Falisci, Japygii, Nolani, Abellani, nonne Chalcidensium coloni sunt?* (ergo nostrorum Cumanorum Chalcidensium coloni) *Quid tractus omnis Campaniæ?* Et in hisce verbis ultimis nullus ego dubito quin ille dicere voluerit de Pelasgis, de quibus jam dictum. Nolam quoque lib. XII. *Silius urbem Chalcidicam* appellavit eandem ob causam nostrorum Cumanorum. Neque hic illa denuo repetere opus est, quæ satis prolixe de Neapoli exposuimus, & tam sunt manifesta, ut de nulla alia urbe. Jam vero de hisce progressibus Græcorum Cumanorum adversus Oscos, quam vetustis temporibus eadem gens Oscorum fuerit exstincta, discimus: & a celebritate locorum, quæ ipsi Chalcidenses tenuerunt, fueruntque campi isti Phlegræi, tantopere a fœcunditate laudati *Polybio* lib. I. & intellecti

Qui fuerunt Chalcidenses, a quibus condita Cumæ anno post bellum Trojanum CXXXI.

Plinius Secundus & Strabo conciliati.

Et Osci iidem ademerunt illam Campaniæ partem, quæ erat versus Orientem, condideruntque Neapolim, Nolam, & Abellam. Justinus *illustratus, & cum* Silio *collatus.*

tellecti ad illum modum, quem declaravimus in *Dissertatione* præcedenti, colligitur magna eorundem potentia, & satis obnoxia invidiæ felicitas, qua de loquutus est lib. VII. *Dionysius Halicarnassensis*, quem post afferemus. Atque hanc ob causam *Athenæus* lib. XII. eosdem inter nimium mollis delicatæque vitæ populos numeravit, sequutus auctorem *Hipparchum* qui historiam eorum conscripsit, atque ita de illis dixit: *Aurum perpetuo gestabant, floridis vestibus induti: cum uxoribus in agros & villas bigis vecti rusticatum ibant.* Itaque diuturna ab Etruscis bella passi, & ad ultimum ab illis subacti fuerunt, ut de Cumis agentes narravimus, & aliquanto post denuo erit exponendum.

Sed deinde cum nimis molliter vixerent, subacti fuerunt ab Etruscis.

Sed ecce nos iterum difficultatibus impeditos, quæ non solum turbant nobis ordinatam successionem nostrorum populorum, quam nobis declaraverunt auctores isti, quos diximus, sed nobis intricant etiam aliorum populorum successionem, a quibus, quasi auctoribus reconditæ cujusdam seriei rerum, ista nobis erat indicata. Ad Ascanium, Æneæ filium, Albæ in Latio ortum etiam illi retulerunt, qui fratrem ejus Remum prodiderunt Capuæ conditorem, ut adeo successoribus ejus, hoc est, Albæ regibus, nihil negotii fuerit cum Campania nostra. Quomodo igitur Capys Silvius, qui Albanorum rex fuit octavus, & regnavit annos XXVIII. nempe ab anno post bellum Trojanum CCXXII. ad annum usque CCXLIX. *Capuam in Campania condidit?* Nam hoc affirmavit *Eutropius* lib. I. cap. III. & repetiit *Isidorus* lib. XV. cap. I. *Etymol.* ubi ita dixit: *Capuam Capys Silvius, rex Albanorum construxit appellatam a nomine conditoris.* Quod si dicamus, reges Albanorum, deinde heredes extitisse Remo isti, & in Campaniam quoque aliquid imperii habuisse, quomodo verum esse potest, ab isto Capy Capuam fuisse conditam? sin autem Remum unquam extitisse negare libet, & Albano Capyi tribuere novum hoc imperium, quis est, quæso scriptor alius, qui in Campaniam usque extenderit regnum Latinorum? Omitto dicere, omnino hoc, ut in principio notavi, pugnare cum istis, quæ *Plinius Secundus* & *Strabo* consentientibus *Justino* & *Silio* nobis exposuerunt de Græcis Chalcidensibus, sive Cumanis nostris. Igitur horum loco reges isti hanc urbem tenuissent, non alio modo, quam Oscorum etiam loco eam condidit Capys Trojanus, ut *Virgilius* dixit; & eorundem Oscorum loco ex sententia *Gellii* Cacus, qui itidem creditus fuit in Latio habitavisse, occupavit terras, circa Volturnum flumen. Insuper iste Remus, Capuæ conditor, Janiculum quoque condidit in eodem Latio: ut adeo hæc ingens sit conjunctio, seu potius confusio rerum Latinarum & Campanarum, quas unquam post hac recompositum iri sperare non licet. *Sabellicus Historiarum Enneade* II. lib. I. multum miratus est, istam *Eutropii* narrationem deinde sequutos esse quosdam medii ævi scriptores, quos ipse non memoravit. Fuerunt autem ex illis *Romoaldus*, Archiepiscopus Salernitanus in manuscripto *Chronico universali*, ibique in *Ætate mundi* IV. *Benjamin Tudelensis* in *Itinerario*, & *Martinus Polonus* lib. I. Et admirationis suæ, si recte observo ejus verba, duplicem ille rationem affert, & primum hanc, eos *hunc Capyn auctorem arbitrari, cum multo plures eum, qui fuit Æneæ comes, autument*; tum deinde hanc alteram: *Livius & Strabo Etruscorum id oppidum, non Albanorum alteriusve gentis fuisse, significare videntur.* Sed ad primum argumentum ejus responderi

Denuo re-flum nostrorum populorum ordinem turbant nonnulli, qui Capuam a Capy, Albanorum rege, conditam dixerunt.

Atque ex hac aliisque narrationibus videntur res nostræ confusæ fuisse cum Latii rebus.

Neque satis impugnatum est illud dictum de Capua a Capy condita.

Sabellicus notatus.

potest ex secundo: nam etiam neque *Livius*, neque *Strabo* dixit, Trojanum Capyn condidisse Capuam. Ad secundum autem responderi potest ex primo: utique enim iste comes Æneæ omnino debuisset ex Latio ad nos venire. *Cluverius* hic forsan diceret, Capyn Albanum simul etiam fuisse Etruscum, atque adeo cum *Eutropio* concordarent, licet in tempore dissentientes ab illo, non tantum *Livius* & *Strabo*, sed omnes adeo illi, qui Etruscos Capuæ conditores prodiderunt, quorum & major numerus est & major auctoritas, quam illorum, qui quamlibet aliam sequuti sunt opinionem. Nempe *Cluverius De Italia antiqua* lib. II. cap. I. demonstrare conatus est, amplissimum fuisse Etruscorum imperium, & multum suspicatus est eos in Latio quoque imperitasse. Verba ejus hæc sunt: *At inter Campaniam & Tiberim amnem an aliquid sub imperio suo habuerint, haud satis despicio: nisi quod hoc tractu Latii oppidum Tusculum appellationem de eorum nomine tulisse videtur:* (Tusculum in antiquissimo Latio fuit, nomina autem *Etruscorum* & *Tuscorum* idem valent) *tum ipse Tiberis passim Tuscus vocatur apud poëtas amnis: ac forte ea fuit causa, cur multi vetustissimi Græcorum scriptores Romam Tyrrheniam dixerint urbem.* Ita ille: & amplius pergit suspicionem suam adhuc magis indicare probabilem, multosque allegat Græcorum auctorum, qui locis in Latio, & maxime illis, quæ Circe inhabitavit, Tyrrheniæ nomen dederunt, quod apud Latinos idem valet, quod Etruria: ut adeo hæc non videatur esse peculiaris *Eutropii* narratio, Capyn Silvium fuisse Capuæ conditorem, sic potuit ille fuisse Tyrrhenus, sive Etruscus, & pariter Albanus. Sed quamobrem *Cluverius* tantum sibi molestiæ sumpsit? Sane enim *Dionysius Halicarnassensis* lib. I. de primis temporibus loquens nos ita admonuerat: *Per Græciam Tyrrheniæ nomen erat celebre, & tota Italiæ pars, quæ Occidentem spectat, nullo gentium discrimine appellationem eam habebat.* Et mox: *Fuit enim tempus, quo Latini, Umbri, Ausones, & multi alii, Tyrrheni a Græcis vocabantur.*

Neque etiam defendi possit, Capuæ conditores, qui dicti Etrusci, posse fuisse Latinos.

Cluverius refutatus.

IX. *Quidam ex Umbris, gente Italica, Etruscorum amici, una cum hisce Campaniam Felicem incoluerunt. Etrusci, sive indigenæ, sive extranei Italiæ populi, cum ex duodecim Etruriæ suæ urbibus totidem colonias emisissent in regiones circa Padum flumen, alias duodecim in eandem Campaniam deduxerunt, qua isto tempore comprehendebatur etiam Campania vetus, quo deinde se receperunt Etrusci ad Padum, fugientes Gallorum arma.*

POst unum offendiculum incidimus in aliud, quod nobis objicit idem ille *Plinius Secundus*, quem diximus, perinde ut *Strabonem*, ejus quolibet alio auctore fore nobis in hac *Dissertatione* pertexenda securum ducem. *Hoc quoque certamen humanæ voluptatis* (ut ipsiusmet verbis pluries retulimus) *tenuere Osci, Græci, Umbri, Tusci, Campani.* Sed quinam hi fuere Umbri? De antiquitate gentis ejus, quæ in Italiam non aliunde advenisse credita fuit, loquutus est idem auctor lib. III. cap. XIV. dixitque ita: *Umbrorum gens antiquissima Italiæ existimatur, ut quos Ὀμβρίους a Græcis putent dictos, quod inundatione terra-*

Umbri, gens Italiæ antiquissima, qui Campaniæ populis sunt annumerati narratione singulari.

Et primum tenuerunt Etruriam, deinde antempulsi inde ab Etruscis transierunt in Umbriam,

rarum imbribus superfuissent. Ipsi primum incoluerunt illa loca, (si de illis vera dixit idem *Plinius* cap. v. libri ejusdem (quæ novissime fuerunt Etruscorum. *Etruria est* (hæc sunt ejus verba) *ab amne Macra: ipsa mutatis sæpe nominibus. Umbros inde exegere antiquitus Pelasgi, hos Lydi: a quorum rege Tyrrheni, mox a sacrifico ritu lingua Græcorum Tusci sunt cognominati.* Atque isto tempore oportet eos transiisse in loca ultra Tiberim flumen & montem Apennium versus mare Adriaticum, inter Ravennam, & Æsim flumen, quibus ab ipsorum nomine *Umbriæ* nomen insedit, qua de re nulla est inter veteres controversia. Sed & deinde adhuc diuturna cum Etruscis bella gesserunt, ut lib. v. nobis indicavit *Strabo* hisce verbis: *Umbri & Tyrrheni, antequam Romanorum aucta fuit potentia, diu de principatu inter se contenderunt, cumque Tiberi fluvio dividerentur, facile ultro citroque bellum inferebant.* Verum de eorum imperio in Campania qui loquutus unquam fuerit, ecquem novimus alium ex scriptoribus antiquis? *Sane* (*Cluverii* verba sunt lib. II. cap. IV. *De Italia antiqua*) *nec alius quisquam hoc de Umbris tradit auctor, nec ego dispicere queo, qua ratione aut quibus temporibus Campaniæ invecti fuerint, præsertim post Græcos. Etenim Tusci classibus, quibus valebant, hanc oram quondam occupaverunt: quapropter hoc quoque haud perinde diligenter a Plinio adnotatum crediderim.* Sane hodie tale quid apud nullum legitur scriptorem alium: & adeo consentirem ego in illam *Cluverii* censuram, nisi recens exemplum Pelasgorum, quos ipse etiam ex Campania nostra ejecit contra testimonium *Cononis* & *Dionysii Halicarnassensis*, me doceret, eum debuisse in reprehendendis veteribus esse circumspectiorem. *Plinius* cum eoque *Strabo* dissenserunt ab eodem *Dionysio*, quod ad Pelasgos nostros attinet, quos ipsi non memoraverunt: & iidem, quantum ad cetera attinet, nihilo videntur inter semet concordare magis, cum alter memoret, alter prorsus taceat hosce Campanos Umbros. Verum, si recte video, possunt satis commode omnes secum in concordiam redigi, ad quod nobis viam aperit ipse *Dionysius*, qui lib. VII. ita narrat: *Sexagesima & quarta Olympiade*, (hoc est, anno CCXXIX. a condita Roma) *Archonte Athenis Miltiade, Cumas, Græcam urbem in Opicis, ab Eretriensibus, & Chalcidensibus conditam, Etrusci, qui Jonium sinum habitabant, inde a Gallis temporis progressu pulsi, & una cum illis Umbri, & Daunii; & multi alii barbari, evertere sunt conati, cum nullam aliam justam odii causam, quam ipsam urbis felicitatem afferre possent. Cumæ enim illis temporibus tota Italia celebres erant ob divitias, & potentiam, & alia bona, quod totius agri Campani fertilissimam partem possiderent, & opportunissimos circa Misenum portus.* Cum itaque Umbri & Etrusci alioqui fuerint quidem inter se æmuli & inimici, ut paulo ante ex *Strabone* intelleximus, sed perinde vexati a Gallis, qui eosdem Etruscos locis ad Padum flumen expulerant, ut auctor nobis est, alios omnes ut taceamus, idem geographus, quem post afferemus; ecquid mirum foret, eos ex communi calamitate factos amicos, cum aliquot forte adhuc Campaniæ loca tenerent, conjunxisse arma in perniciem Cumanorum? Certe Etrusci inter nostros populos antiquos connumerantur ab omnibus, & cum hoc tempore fuissent inferiores, non cessatum tamen est ab armis, usque dum multis deinde post annis occupaverunt Cumas. Hunc in finem *Plinius* post Græcos memoravit Umbros, quos tacuit *Strabo*, eosque confudit cum Etruscis, primis istius belli auctoribus, qui etiam debuerunt ad id invitavisse Daunios aliosque nominis ignoti populos: & conveniebat sane, *Plinium* eosdem Umbros memorare ante Etruscos, ne deinde hos sejungeret, ut & fecit *Strabo*, a Campanis.

Quosque unquam fuisse in Campania negat quidam recentiorum,

Cluverius refutatus.

Possunt eam incoluisse una cum quibusdam eorundem Etruscorum.

Plinius Secundus defensus, illustratus, & conciliatus cum Dionysio Halicarnassensi & Strabone.

Jam si Etrusci fuerunt antiquissimi & indigenæ Italiæ populi, dicti ab Latinis etiam *Tusci*, & Græcis a Græco turrium, quas ipsi invenerunt, nomine *Tyrrheni* appellati; antiquiores illi fuerunt belli Trojani temporibus, & adeo dicere possumus, eos isto tempore etiam tenuisse urbes illas, quas olim incoluerant Pelasgi ultra Volturnum flumen. Atque hoc ex sententia *Dionysii Halicarnassensis*, quam retulimus, ubi de iisdem Pelasgis actum fuit, satis bene procederet. Verum si illis credere libet, qui magno numero dixerunt, eos origine fuisse Lydos, multo eos fuisse recentiores existimandum est, ducemque eorum fuisse Tyrrhenum, nepotem Herculis, ut etiam supra dictum est. Atque hæc, quam satis cognitam habuit, sed constanter refutavit *Dionysius*, fuit sententia *Herodoti* lib. I. *Strabonis* lib. v. *Velleji* nostri lib. I. *Plinii Secundi* lib. III. cap. VI. *Valerii Maximi* lib. II. cap. I. *Justini* lib. XX. *Appiani Alexandrini* in *Punicis*, & ut taceamus plures alios, etiam *Virgilii Æneidos* lib. II. & lib. VIII. Neque aliter ipsi de se crediderunt Etrusci, ut intelligi potest ex privilegio illo, quod inter contentionem urbium Asiaticarum de erigendo in honorem Augusti templo ipsi concesserunt Sardianis apud *Tacitum* lib. IV. *Annalium.* Ceterum ista eorum antiquitate, quam credidit *Dionysius*, non multo minor est hæc, quam illis *Hellanicus* & *Myrsilus Lesbius* adscripserunt, ab eodem auctore citati, qui diverso licet modo, eos non distinxerunt a Pelasgis: quemadmodum contra alii, itidem a *Dionysio* memorati, qui ducem eorum fuisse Tyrrhenum, Telephi filium, dixerunt, eos nihilo antiquiores aut Tyrrheno Lydo, aut bello Trojano fecerunt. Sed *Livius* quidem, qualiscunque jam illius fuerit de eorum stirpe sententia, illis majorem Æneæ temporibus antiquitatem assignavit. Nam lib. I. de Turno Rutulisque primo prælio ab Ænea superatis, ita dixit: *Diffisi rebus ad florentes Etruscorum opes Mezentiumque eorum regem confugiunt, qui Cære, opulento tum oppido, imperitabat.* Et mox: *Tanta opibus Etruria erat, ut jam non terras solum sed mare etiam per totam Italiæ longitudinem ab Alpibus ad fretum Siculum fama nominis sui implesset.*

De generi & antiquitate Etruscorum variæ fuerunt sententiæ. Alii eos indigenas Italiæ dixerunt.

Alii, quæ vulgatior est sententia eos origine Lydos, & seriores existimaverunt:

Neque aliter ipsi de semet sunt opinati.

Alii pro Pelasgis eos habuerunt, modis diversis.

Quidam omnino eos bello Trojano non fecerunt seniores.

Veruntamen omnes omnino Etruriam primas illis adscripsere sedes, quam nemo dubitat illam fuisse regionem, quæ mari infero alluebatur, & ab Liguria ac Macra amne ad Tiberim usque pertinebat, a flumine non longe absuit istud oppidum, cui *Cære* nomen, cuique Mezentius Etruscus imperitabat. De Tyrrheno, duce eorum, ita lib. v. narravit *Strabo*: *Cum in Italiam venisset, regionem a suo nomine Tyrrheniam nuncupavit, & duodecim urbes condidit. Dionysius Halicarnassensis*, qui eos illius fuisse antiquitatis existimavit, quam indicavimus, lib. I. rationem reddens, unde dicti fuerint *Etrusci*, dixit, *ipsos a regione, in qua olim habitarunt, quæ Etruria vocatur, Etruscos appellatos.* Et cum de hisce primis illorum sedibus, ut diximus, veterum satis constans fuerit sententia, in eo quoque consenserunt omnes, ex eadem Etruria ultra Apenninum montem versus mare superum abiisse istos Etruscos, qui istic tenuerunt illa, quæ juxta Padum flumen loca sunt, usque inde expulsi fuere a Gallis. In hunc sensum scripsit in *Camillo Plutarchus*: *Galli primo impetu totam occupant regionem, quam Tusci ab Alpibus*

Primas Etruscorum sedes omnes consensu dicunt fuisse Etruriam.

Ex qua deinde quidam eorum abierunt in terras ad Padum.

pibus ad Superum Inferumque mare pertinentem, quondam tenuerunt. Idem disertius affirmavit *Strabo*, quem aliquanto post afferemus, aliique, quos retulit *Diodorus Siculus*, cujus verba lib. XIV. Latine ita habent: *Eodem tempore, quo Rhegium Dionysius* (celeber ille Syracusarum tyrannus) *maxime obsidebat, Galli Transalpina loca inhabitantes perangusta, magnis copiis egressi mediam Apennini, montis & Alpium regionem, ejectis, qui tum illic habitabant Tyrrhenis, occupaverunt. Hos quidam ajunt, ex duodecim Tyrrheniæ oppidis eo migrasse.* Sed *Livius* lib. V. cunctis apertius confidentiusque de iisdem duplicibus Etruscorum sedibus loquens, Etruriam primas eorum fuisse sedes dixit hisce verbis: *Tuscorum ante Romanorum imperium late terra marique opes patuere. Mari Supero Inferoque, quibus Italia insulæ modo cingitur, quantum potuerint, nomina sunt argumento, quod alterum Tuscum, communi vocabulo gentis, alterum Adriaticum mare ab Adria, Tuscorum colonia, vocavere Italicæ gentes. Græci eadem. Tyrrhenum atque Adriaticum mare vocant. Ii in utrumque mare vergentes incoluere urbibus duodenis terras prius cis Apenninum ad Inferum, totidem, quot capita originis erant, coloniis missis, quæ trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui sinum circumcolunt maris usque ad Alpes tenuere.* Huc usque *Livius*. Et inter hosce tam graves auctores convenientem quoque locum habere poterit *Servius* qui ad istos *Virgilii*, versus lib. X. *Æneidos*, quibus iste poëta Etruriæ civitates auxilium tulisse Æneæ narrat contra Mezentium, interque eas nominat Mantuam, quæ inter urbes ad Padum erat, reliquis silentio præteritis, ita commentatus est: *Virgilius miscet novam & veterem Etruriam, ut utriusque principatum patriæ suæ adsignet, cum alioquin Mantua ad hæc auxilia pertinere non debeat, quod Æneas nulla a Transpadanis auxilia postulaverit, cum omnis exercitus adversus Mezentium uno loco consederit: & propterea putetur poëta in favorem patriæ suæ hoc locutus, ut de hac sola trans Padum pro Ænea adversum Mezentium auxilia faciat venisse, & quod non populorum nomina, nec Lucumonum retulerit.* Ita *Servius*: neque ullum est dubium, eum, sicut quoque ipsius ordo dicendi indicat, per novam Etruriam intellexisse Transpadanam. Jamque de his neque magis concordes, neque graviores, neque antiquiores auctores desiderari posse arbitror. Verum *Cluverius*, qui nihilominus opinionem *Dionysii* sequutus est, & Etruscos indigenas Italiæ fuisse existimavit, deinde ab eodem illo duce suo & omnibus adeo auctoribus aliis recessit, crediditque eos primum istas circa Padum terras, trans Apenninum, versus mare superum; aliquanto autem post illas, quæ citra Apenninum sunt, incoluisse, forsan ut ad exemplum & æmulationem *Dionysii* proderet nobis hanc notitiam singularem. Et breviter hoc quidem est ipsius argumentum, quod *Herodotus*, *Marcianus Heracleota*, *Plinius Secundus*, & ipse *Dionysius*, qui aliorum retulit sententiam, dixerunt, Etruscos in Etruria invenisse Umbros: ut adeo, cum illi fuerint Italiæ indigenæ, Etruriam non habuerint primas sedes. Fuerunt igitur illæ (subjungit *Cluverius*) circa Padum, unde eos fuisse pulsos a Gallis prorsus est recepta historia. Sed cum in tantum virum non deceat rigidam admodum exercere censuram, omissis omnibus aliis hoc solum ipsi reponam, quicunque dixerunt, ab Etruscis Umbros fuisse inventos in Etruria, illos etiam dixisse, Etruscos non fuisse indigenas Italiæ: & *Dionysium*, qui eos non habuit pro extraneis, eosdem quoque non alibi locorum agnovisse, quam in Etruria, ut ex ipsius verbis intelligi potest, quæ non multo ante attulimus: nam in tota illa disputatione de eorum origine & antiquitate nunquam memoravit ille Padum, aut, quæ circa sunt loca. Fallit igitur ista *Cluverii* consequentia, quam ille voluit elicere ex præmissis, ut Logici dicunt, variantis hypotheseos. Sed observemus, quæso, tempus illud, quo Galli primum intraverunt Italiam, & manifestius intelligemus, an possit esse verum, Tuscos illorum arma fugientes tum in Etruriam abiisse. *Ducentis quippe annis ante*, (*Livii* verba sunt lib. V.) *quam Clusium oppugnarent, urbemque Romam caperent*, (accidit hoc anno ab Urbe condita CCCLXIII) *in Italiam Galli transcenderunt: nec cum his primum Etruscorum*, (intelligit Clusinos, notissimæ Etruriæ Etruscos) *sed multo ante cum iis, qui inter Apenninum Alpesque incolebant, sæpe exercitus Gallici pugnavere.* Ad hunc itaque modum cum Galli transcenderint in Italiam circa annum ab Urbe condita CLXIII. Tarquinio Prisco rege Romanorum, ut idem auctor postea diserte affirmavit, iste Etruscorum transitus ex locis ad Padum in Etruriam debuit contigisse proximis annis post. Hoc autem non posse esse verum, manifestissime apparet variis ex negotiis, quæ ante ejusdem regis ætatem Romani habuerunt cum vicinis Etruscis Etruriæ, de quorum urbibus *Livius* lib. I. & *Dionysius Halicarnassensis* lib. III. loquentes prorsus non indicant eas recens fuisse conditas. Quin imo rex ipse Tarquinius nonne ille natus fuit in Etruriæ urbe, quæ & ipsa Tarquiniorum nomine dicta, & Etruscis jam ante ejusdem nativitatem adscripta fuit? Atque hæc quidem satis sunt certa. Omitto jam alia multa, quæ opponere possem *Cluverio*, qui sibi ipse contradixit pluribus modis. Veruntamen hoc admonere non omittam, *Diodorum Siculum* & *Plutarchum*, quos supra attulimus, alterum de tempore, alterum de regionibus narrantem, quas Galli Etruscis ademerunt, nimis forsan concise, nec satis ex vero loquutos. Nam Romæ quidem urbis expugnatio, non autem primus Gallorum in Italiam transitus contigit isto tempore, quo Dionysius Syracusanus Rhegium obsidebat: veterem vero & primitivam Etruriam nunquam ipsi occupaverunt.

Nunc itaque cum ostenderimus tempus illud, quo Etrusci deseruerunt regiones ad Padum flumen. Sed prorsus nesciamus, quando illi easdem occupaverint, peræque de tempore, quo illi in Campaniam nostram pervenerint, nulla nobis superest certior notitia. Si *Dionysio Halicarnassensi* credere libet, facile etiam statuere possumus, eos in Campania cum Pelasgis incoluisse ante bellum Trojanum. Et hac quidem de re quicquid tandem veri esse videatur, certe *Plinius Secundus* & *Strabo* illis adscripserunt hujus regionis imperium post Græcos, qui Cumas condiderant anno post idem bellum CXXXI. ut supra diximus: ut adeo progressus Etruscorum ad tempora insequentia referre conveniat. *Strabonis* verba in principio hujus *Dissertationis*, *Plinii* autem haud ita multo ante retulimus. Sed videtur idem geographus secundum istam opinionem suam, qua Etruscos fuisse Lydos autumavit, eosque Tyrrheno duce non ante belli Trojani tempora delatos in Italiam, etiam non obscure indicavisse, eos multis post seculis, & tum temporis, cum Gallorum ipsi arma fugerunt, in nostras devenisse terras. Sane enim ille satis ostendit illorum se probare narrationem, qui dicebant, eos, cum hæc loca tenerent, pulsos inde fuisse ab Samnitibus eodem modo, quo regionibus ab Padum a Gallis fuerant

Plutarchus, Strabo, Diodorus Siculus, Livius, & Servius concordes.

Quæ novæ Etruriæ nomen acceperunt.

Sed quidam recentiorum plane credidit contrarium,

Et fallax tam in rem argumentum attulit.

Cluverius refutatus.

Sed & ordo temporum demonstrat, falsam esse ejus opinionem.

Diodorus Siculus & Plutarchus notati.

Illi, qui Etruscos Italiæ indigenas dixerunt, eos etiam non necessario credere videntur, eos gavisse videntur jam in Campania fuisse ante tempora belli Trojani.

Sed quidam eorum, qui eos fuisse Lydos opinati sunt, dixisse videtur, eos primum in Campaniam venisse ex locis ad Padum, cum hisce

rant ejecti: *Cum per luxuriam ad mollitiem sese transdidissent, sicut & regione ad Padum sita pulsi fuerunt, ita Samnitibus Campania cessisse.* Atque ita invenimus certum tempus, quo illi ad nos migraverunt, sic ut ista eorum fuga non præcesserit Romæ regnantem Tarquinium Priscum. Et adeo credidit *Cluverius* eosdem ad Padum Etruscos fuisse illos, qui sociis Umbris & Dauniis oppugnaverunt Cumanos Olympiade LXIV. ut lib. VII. narrat *Dionysius Halicarnassensis*, quem non multo ante attulimus. *Dionysius lib.* VII. *testis est*, (*Cluverii* verba sunt lib. I. cap. XXII.) *Etruscos Padi ostia adhuc tenuisse, atque inde cum Umbris finitimis suis dextram Padi ripam apud Ravennam urbem accolentibus, Dauniisque, & aliis Superi maris barbaris adversus Cumas, inferi maris urbem, expeditionem fecisse Olympiade* LXIV. Et ad tempora quidem quod attinet, hæc satis bene se haberent. Sed mea quidem sententia *Strabo* verbis istis nobis indicare voluit quasi comparatione instituta hoc solummodo, calamitatem Etruscorum Campaniæ non dissimilem illi fuisse, quam experti fuerunt Etrusci ad Padum: *Dionysius* autem significare voluit, hosce ad Padum inde abiisse aliquanto ante, quam tantis viribus oppugnarent Cumanos. Atque hanc fuisse mentem illorum auctorum, intelligi poterit ex eorundem verbis. *Cum Tyrrheni* (ita alibi *Strabo* dixit) *in barbaros circa Padum habitantes* (hoc est, contra antiquissimos in isto tractu Italos) *exercitum misissent*, (nempe cum primum colonias suas istuc emiserunt) *ac re bene gesta ob luxuriam mox vice versa ejicerentur*, (scilicet a Gallis) *Umbri bellum iis fecerunt, qui Tyrrhenos expulerant.* *Dionysii* verba Latine ita habent: *Cumas Etrusci, qui circa Jonium sinum habitabant, inde a Gallis temporis progressu pulsi, & una cum illis Umbri & Daunii & multi alii barbari evertere sunt conati.* Ceterum necessitas novas sibi sedes quærendi, quoniam non satis sciverant illas, quas habuerant, recte defendere, non bene congruit cum istis, quæ idem auctor subjunxit: *Cum nullam aliam justam odii causam, quam ipsam urbis felicitatem, afferre possent.* Neque vero credibile esse videtur, eos inde usque ab ultimis Italiæ partibus solummodo imperandi æmulatione & invidia bellum movisse Cumanis adeo remotis: aut etiam alios, qui rerum suarum securi erant, permotos fuisse ad capessendum istud bellum fugitivæ gentis impulsu. Itaque hoc videri potest esse verius, illos Etruscos, qui jam a temporibus usque antiquissimis incolebant in Campania, cum Græcorum essent æmuli, & consanguineos suos pulsos a Gallis excepissent, atque ita novis viribus essent aucti, auxilio etiam Umbrorum, Dauniorum, aliorumque conatos fuisse funditus exstingere eosdem Græcos. Atque hanc ob causam *Dionysius* Etruscos belli istius præcipuos fecit auctores. Certe mihi non omnium primo hæc cogitatio in mentem incidit, eos jam temporibus adeo antiquis Campaniam inhabitavisse, enim eadem quoque fuerit quorundam auctorum veterum sententia, quos retulit, nec refutavit lib. I. *Vellejus* noster, quique dixerunt *a Tuscis Capuam Nolamque conditam ante annos fere* DCCCXXX. quam ipse *Vellejus* scribebat historiam, qui annus M. Vinicium Quartinum & C. Cassium Longinum consules habuit, & a Christo nato fuit XXXII. ab Urbe condita DCCLXXXII. Atque adeo Etrusci, sive Tusci non solum jam ante Tarquinii Prisci, quinti Romanorum regis ætatem, & ante tempus illud, quo Galli primum transgressi in Italiam terras ad Padum occupaverunt, atque inde expulerunt, Etruscos, qui

expulsi essent a Gallis.

Veruntamen non hæc fuit mens ejus.

Strabo & Dionysius Halic. illustrati. Cluverius refutatus.

Non potest esse verum, eos huc se recepisse ad ipsam gentem suam, quæ jam istic incolebat.

Inde usque a temporibus ante conditam Romam.

A eas tenebant, sed quoque jam ante Romam urbem conditam annis fere L. venerant in Campaniam nostram. Et ab hac mea sententia (tanta veri vis est) non omnino alienus fuit idem *Cluverius*, quandoquidem ille *De Italia antiqua* lib. IV. cap. I. de Tuscis bello Cumanos aggressis Olympiade LXIV. ita dixit: *Tum fortasse Capuam habuere.*

Cluverius ab se ipso dissentiens.

Verum si *Livius* aut ipse non erravit, aut nos nihil fefellit, ubi lib. I. ut supra etiam retulimus, affirmavit, jam inde usque a temporibus *Æneæ tantam opibus Etruriam fuisse, ut jam non terras solum, sed mare etiam per totam Italiæ longitudinem ab Alpibus ad fretum Siculum fama* B *nominis sui implesset*; oportet Etruscos Etruriæ jam colonias suas emisisse peræque in terras ad Padum, quam in Campaniam, non paucis, sed multis ante conditam Romam annis. Nam credendum est, eos, cum ipsorum res essent maxime florentes, occupavisse terras istas, quæ ab invicem, nedum ab ipsa Etruria satis erant remotæ. *Constat* (*Servii* verba sunt ad *lib.* II. *Georg.* Virgilii) *Tuscos usque ad fretum Siculum omnia possedisse.* Et ad lib. X. *Æneidos* ita commentatus est: *Tuscos omnem pene Italiam subjugasse, manifestum est.* Atque hoc cum satis sit certum, hoc quo- C que poterit esse certum, eos coloniis suis totius Italiæ celeberrimas atque fertilissimas regiones elegisse. Nam de Campaniæ quidem fœcunditate & celebritate in tota *Dissertatione* præcedenti plenissime dictum est: & itidem agrorum circa Padum non minores laudes reperire est apud veteres gravissimosque auctores. *Polybius* enim lib. II. illos dixit *omnium, qui tota Europa nobis cogniti sunt, longe præstantissimos rebus universis, lateque patentes.* Et *Plutarchus* in *Mario* de ingenti numero Teutonum & Cimbrorum, qui avitis sedibus excesserant, ita dixit: *Agros quærebant, qui tantam multitudinem alerent, & opida,* D *quibus sedes ponerent, ac vitam agerent, sicut olim Gallos acceperant uberrimum agrum Italiæ expulsis Tuscis occupavisse.* Itaque Etrusci colonias deduxerunt in loca circa Padum & Campaniam, sive terras istas quidam eorum ultro occupaverunt isto tempore, quo ipsi in Italia principatum obtinebant. Atque hoc mihi videtur manifeste confirmari ex eodem *Polybio*, qui postquam descripserat ista circa Padum loca, hæc porro subjunxit: *Igitur planitiem istam tenuere quondam Etrusci, cum quidem & campos circa Capuam & Nolam, Phlegræos quondam dictos, possidentes, quod multorum pravis conatibus obstarent, exteris inno-* E *tuerunt, magnamque opinionem virtutis apud eos sunt consequuti. Idcirco qui historias legunt de Tyrrhenorum dynastiis, & variis dominatibus, eas oportet non ad illam ditionem, quam nunc obtinent, referre* (hoc est, ad, ad primitivam Etruriam, ut *Livium* deinde semel iterumque fecisse lib. V. apparet, cujus æmulationem cum *Polybio* notavimus alibi) *verum ad campos, de quibus verba fecimus, & opes, quas ex eis locis colligebant.* Atque adeo bene distinguenda sunt gesta, non autem tempora Etruscorum, qui diversas istas regiones tenuerunt. Neque tamen dissimulare pos- F sum, *Polybium*, ubi Campaniæ Etruscis agrorum Nolanorum possessionem per illud temporis spatium adscripsit, quo Etrusci ad Padum adhuc suos tenebant agros; posse nobis dixisse illud, quod plenissime conveniret cum ista, quam retulimus, narratione: Cumanos nempe Chalcidenses ante ipsos obtinuisse Nolam, & integrum circa tractum. Verum si ille per hosce alios circa Capuam agros simul etiam singularem illum campum Phlegræum intellexit, hoc est, Cumanum,

Etruscorum Etruriæ erant res florentissimæ, cum colonias suas in loca ad Padum & Campaniam emitterent.

Atque hæ terras sibi elegerunt, utpote omnium optimas.

Neque vero tempora, sed gesta distinguenda sunt horum imperiorum, quæ ipsi ternuerunt:

Licet Etrusci non uno eodemque tempore omnia Cumanis ademerint.

num, quemadmodum fecisse posset secundum istam observationem nostram, quam alibi indicavimus, in unum idemque tempus eum conjunxisse oportet progressus Etruscorum contra Cumanos, quod satis a vero alienum: nam illi Cumas certe non ante CCCXXVI. a Roma condita annum occupaverunt.

Etrusci Campaniæ Felicis tenuerunt etiam Campaniam veterem, *quæ dicta deinde* Picentinorum *nomine.* Strabo illustratus, & cum Plinio Secundo collatus.

Ad amplum istud, quod diximus, universæ gentis Etruscæ imperium *Servius* respiciens dixit, *Tuscos usque ad fretum Siculum omnia possedisse.* Sed secundum *Polybii* verba credendum ita est, hanc Italiæ partem versus istud fretum proprie ad Etruscos nostros Campanos pertinuisse, licet illi ultra Sarnum amnem & promontorium Surrentinum, notissimos ab ista parte Felicis Campaniæ terminos, ex *Strabonis* sententia non pervenerint ultra Silarum amnem, quem proinde idem geographus dixit Lucaniam a vetere Campania dividere, quam deinde primam omnium ipsis ademerunt Samites, & in quam novissime Romani Picenos deduxerunt, qui istic dicti Picentini, ut in prima *Dissertatione* ostensum est. Tenuerunt autem nostri Etrusci istam Campaniam veterem, quæ ita dicta fuit, quia jam antiquitus ejus nomen in desuetudinem abiit, ibique ad oram maritimam condiderunt Marcinam & separatim testantur *Plinius Secundus* & idem *Strabo. A Surrento* (*Plinii* verba sunt lib. III. cap. V.) *ad Silarum amnem triginta millia passuum ager Picentinus fuit, Tuscorum templo Junonis Argivæ, sub Jasone condito, insignis.* Atque hic *Salmasius* in *Exercitationibus Plinianis* ad *Solini* cap. II. male persuasus errore satis manifesto legere volebat: *Ager Picentinus fuit Oscorum*; quia illi Picentini, ut ipse dicit, *nihil cum Tuscis habuere commune. Strabo* autem in fine lib. V. ita dixit: *Inter Sirenusas* (hæ parvæ sunt insulæ ad promontorii Surrentini latus Meridiale) *& Posidonium* (urbem exstinctam, dictam etiam *Pæsti* nomine, in ostio ejusdem Silari) *Marcina est, a Tyrrhenis condita, a Samnitibus habitata:* qua de re suo loco dicendum erit. Convenienter itaque dicere possumus, fugientes a Pado Etruscos ad nostros se recepisse, quos, si maxime quis concedere mihi nolit, jam tum tenuisse Campaniam veterem, negari tamen non potest, admodum prosperis fuisse rebus usos, cum tenerent, ut nobis exposuit *Polybius*, campos circa Capuam & Nolam.

Salmasius refutatus.

Cum Etruscorum Etruriæ duodecim fuerint urbes, totidem quoque fuerunt Etruscorum ad Padum.

Jamque in his omnibus cum standum sit ipsius fide, & aliorum, quorum fecimus mentionem, non minus gravium veterumque auctorum; cumque manifesta fuerit sententia *Livii*, duodecim fuisse Etruscorum colonias ad Padum, quia eo deducti erant abs totidem Etruscorum Etruriæ populis, prout ipse dixit ad hunc modum: *Ii in utrumque mare vergentes incoluere urbibus duodenis terras, prius cis Apenninum & Inferum mare; postea trans Apenninum, totidem, quot capita originis erant, coloniis missis*; nihil nos fefellerunt illi, qui apud *Strabonem* affirmaverunt, nostros etiam Etruscos incoluisse Campaniam duodecim, quas ipsi condidere, urbibus. *Hos quum duodecim urbes condidissent, quæ cunctarum quasi caput esse, Capuam nuncupasse.* Atque huc alludere voluit *Plinius Secundus*, si admittimus lectionem, quæ in quibusdam libris manu exaratis comparet lib. III. cap. V. ubi in catalogo mediterranearum Campaniæ urbium Capuam memoravit hoc modo. *Intus coloniæ: Capua ab* XI. *campo dicta.* Et certius multo *S. Paulinus Nolanus* [1] in hisce versibus *Nat.* III. S. Felicis.

Et Etrusci quoque Campaniæ singularem sibi rempublicam constituerunt, conditis duodecim urbibus exemplo majorum:

Et qua bis ternas Campania læta per urbes
Ceu propriis gaudet festis — —

Plinius Secundus & S. Paulinus Nolanus collati & illustrati.

quanquam ille non de hisce temporibus, sed de suis magno intervallo inferioribus dicebat. Sed *Polybius*, qui nos admonuit, non ad solos Etruriæ Etruscos esse referenda omnia illa, quæ sub communi isto nomine legebantur de eorum rebus gestis opibusque in historiis antiquioribus, sed magnam illorum partem ad Padi & Campaniæ Etruscos pertinere; simul etiam nos docuit, diversas fuisse eorundem respublicas, quarum si populi non fuerunt communes, non etiam potuerunt communia esse consilia. Equidem quod ad communem illum populorum omnium attinet morem, ut novis sedibus quæsitis patrios tamen ritus legesque pristinas servarent, & novas urbes suas quasi ad perfectam illarum formarent imaginem, quas reliquerant, adeo hoc ex antiquis historiis est manifestum, ut tantum illi de eo dubitare possint, qui ab illarum lectione semper prorsus fuerunt alieni; utque peritissimi prudentissimique harum rerum nunquam alio firmiore argumento fuerint usi ad illorum successiones recte cognoscendas. Veruntamen *Cluverius* lib. II. cap. I. *De Italia antiqua* facile erroris arguit istos, quos diximus, auctores, *quando ignorant* (hæc ipsius verba sunt) *duodecim Tyrrhenorum principatus principesque urbes non in hac Campania fuisse, sed in Etruria inter Arnum Tiberimque amnes & mare Inferum.* Atque hæc sententia ejus forsan orta est ex alia ista, secundum quam ipse existimavit, facta illa, quæ non fuerunt dissimilia, fuisse plane eadem, quemadmodum Evandrum quoque eundem fuisse cum Ænea putavit. Sed ego quidem de hac ipsius regula multis disputare nolim, verum ad nostrum certe argumentum quod attinet, secundum hanc ejus opinionem mihi hoc quoque videtur dicendum fore, neque etiam Etruscos ad Padum duodecim incoluisse urbes, quamvis ille his quidem eas concedat, sed satis absurde ita velit, istam reipublicæ formam non attulisse secum Etruscos, qui ex ipsius sententia a Pado in Etruriam migraverunt, verum eos accepisse illam in ipsa Etruria a Pelasgis, cum ad hos illi se recepissent fugientes arma Gallorum. Atque hac ratione ille negavit quoque *Dionysio Halicarnassensi*, gentem illam jam interiisse sexcentis ante annis, & inde usque a belli Trojani temporibus. Neque tamen ille negat, apud Etruscos & Pelasgos, populos diversos, hos quidem in Etruria, illos autem ad Padum, eundem obtinuisse morem, quem ille apud nostros Etruscos non agnoscit, qui tamen aut eorundem illorum ad Padum, ut ipsi quidem placet, aut illorum in Etruria, ut prisci nos docent auctores, fuerunt certe posteri. Verba ejus hæc sunt: *Hi igitur antiquæ illius Etruriæ Circumpadanæ fuere fines. Hoc terrarum spatio jam inde antiquissimis temporibus duodecim eos constituisse inter se dynastias, ex quibus postea in novam inter Apenninum & mare Inferum Etruriam totidem colonias deduxerint, cum Livius & Plutarchus, tum Polybius testatur.* Et mox: *Nihil igitur certius, quam dictorum Pelasgorum Tyrrhenorum partem ducem habuisse nomine Tarchonem,* (existimavit ille Pelasgos fuisse Tyrrhenos, eosque cum

Quidam scriptores apud Strabonem defensi. Cluverius refutatus.

Licet de his quidam recentiorum magna cum inconstantia affirmaverit simul & negaverit, hunc illis fuisse morem proprium.

Cluverius ipse sibi contrarius.

1. Ut *Plinium* ad istas duodecim Campaniæ urbes respexisse concedamus, (nam & *Harduinus* testatur, libros manu exaratos, quibus ipse usus, ita habere: *Capua ab* XI. *campo dicta*) prorsus tamen percipere non possum, cur auctor idem dixerit de *S. Paulino*, cum hic non duodecim, sed sex duntaxat urbes Campaniæ suæ adscripserit. Et adeo videtur ille potius ad peculiarem aliquam Campaniæ descriptionem, quam ad priscæ illius Campaniæ duodecim urbes attendisse.

cum primo ex Thessalia in Lydiam transiissent, deinde ex Lydia in Italiam venisse. Et item Etruscos fuisse Tyrrhenos existimavit, qui ita dicti ex sententia *Dionysii* ἀπὸ τῶν θύρσεων id est, a turribus) *eumque posteriorem istam inter Apenninum Tiberimque & mare Inferum Etruriam, pulsis inde priscis cultoribus Umbris, in duodecim populos distinxisse.* Ita *Cluverius*, qui ex veterum historicorum dictis quasi centonem conficit, ex iisque narrationes ab ipsorum sententia diversas componit. Sed ita quidem quasi per lusum solemus agere cum versibus aliorum, non autem serio cum aliorum opinionibus. Numero duodenario, nescio cujusnam occulti mysterii causa, ut verbis utar *Varronis* lib. IV. *De lingua Latina*, *multa antiqui finiebant.* Et *Diodorus Siculus* apud *Photium* in *Bibliotheca Cod.* CCXLIV. Mosen credidit descripsisse gentem Hebræorum in tribus duodecim, quod eum esse numerum perfectissimum existimaret. Atque adeo Etruscos credere possumus proprio gentis suæ more, aut certe ex opinione communi rempublicam suam in duodecim urbes sive pagos divisisse.

Fuit autem numerus duodenarius apud omnes veteres in magna existimatione.

X. *CAPUA, vulgo credita urbs Etruscorum, fuit eorundem metropolis in Campania Felice, & in Campania vetere, & ex quorundam sententia aliquot annis ante ab iisdem fuit condita, quam Romulus ROMAM condidit.*

CAPUAM Etrusci Campaniæ caput constituerunt constanti omnium auctorum veterum sententia.

IN republica Etruscorum ultra Apenninum *Plinius Secundus* principatum Felsinensibus tribuit, & in illa, quæ Etruscorum Etruriæ fuit, *Cluverius* principatum concessit Vetuloniensibus, & alibi Tarquinensibus. At in republica Etruscorum Campaniæ iidem illi auctores, quos supra diximus, primas Capuæ urbi tribuerunt. Non grave erit denuo eam in rem repetere *Strabonis* verba: *Hos, quum duodecim urbes condidissent, quæ cunctarum velut caput esset, Capuam nuncupasse.* Et de hoc quidem, quod ego sciam, nunquam fuit dubitatum: ut adeo eosdem Etruscos Capuæ oporteat fuisse *Campanos* istos (ita Latine dicuntur *Capuæ* urbis incolæ) qui a *Plinio* inter alios Campaniæ populos post Tuscos in continenti fuerunt memorati. De hac prærogativa Capuæ testes habemus etiam alios auctores: sed non satis est certum, an quisquam illorum intellexerit illa tempora, de quibus cummaxime agimus, cum satis alioqui manifestum sit, quosdam illud dixisse, de temporibus insequentibus loquentes. Atque hanc distinctionem neque cognoverunt recentiores, neque etiam aut *Strabo*, aut *Plinius* notavit: unde mihi videor inter hasce tenebras, tanquam ad incertum lumen, aliam cernere rerum nostrarum seriem, & satis diversam ab illa, quæ tradita nobis ab auctoribus antiquis satis pro vera habetur. Ad illa tempora Etruscorum Campanorum, qui necdum sinistram erant experti fortunam referri illud potest, quod Ausonius in catalogo urbium dixit non tacendum esse de Capua:

Ausonius illustratus.

Nec Capuam pelago cultuque, penuque potentem
Deliciis, opibus, famaque priore silebo.

Et fuit illa adhuc ejus caput temporibus belli Punici secundi,

Verum *Livius*, lib. XXIII loquutus est de temporibus plus uno seculo serioribus, id est, de temporibus belli Punici secundi, cum res ejus urbis, quæ, si eidem auctori fides est habenda, multis ante annis in deditionem venerat Romanorum, non essent amplius in pristino illo fastigio positæ. Introduxit ille Romanorum consulem Terentium Varronem, Campanorum legatis post Cannense prælium inter alia etiam hoc respondentem: *Triginta millia peditum, quatuor equitum arbitror ex Campania vos scripsisse.* Et non multo post Magonem, in Senatu Carthaginiensi progressus Hannibalis in Italia exponentem, ita dixisse refert: *Capuam, quod caput non Campaniæ modo, sed post afflictam rem Romanam Cannensi pugna Italiæ sit, Annibali se tradidisse.* Et de eadem hac ultima, non vero de antiqua ista dignitate ejus, judicaverunt etiam, ut ego quidem arbitror, veteres isti Romani, qui apud *Ciceronem* in *Agraria* II. *tres solum urbes in terris omnibus, Carthaginem, Corinthum, Capuam, statuerunt posse imperii gravitatem ac nomen sustinere.* Nam de illa eorum invidia & æmulatione erga Campanos, de quibus illic sermonem habebat *Orator* iste nihil quicquam legitur, quod in tempora istæc antiquiora conveniat. Et certe *Flori* quoque verba non alio modo sunt accipienda, qui ad illa, quæ retulimus ex *Cicerone* & *Livio*, respiciens, geminam, quam illi de Capua laudem prædicaverunt, in unam conjunxit, ubi lib. I. cap. XVI. de Campania ejusque urbibus loquens ita dixit: *Urbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeji, & ipsa caput urbium Capua, quondam inter tres maximas, Romam Carthaginemque numerata.* Equidem *Strabo*, postquam in catalogo populorum nostrorum loquutus fuerat de Etruscis Capuæ, subjunxit illis ademptam fuisse Campaniam ab Samnitibus, quibus eam dein ademerunt Romani: ut adeo hac ratione temporibus belli Punici secundi hæc urbs non fuerit amplius in ista fortuna posita, quam illi *Livius*, *Cicero* & *Florus* adscripserunt. Et nihilominus ista tamen naratio ejus, ut non multo post demonstraturus ero, convenit cum illis, quæ idem *Livius* lib. VII. scripsit de ista Capuæ deditione, quam modo diximus. *Plinius* narrationem suam desivit cum Campanis, Samnitibus omissis, forte quia illi non tenuerunt Campaniam Capuanam. Et prætermisit ille quoque Romanos, qui jam omnia ubique occupaverant: & adeo non habebat ille opus eos speciatim memorare. Sed interim ille de sua sententia nos reliquit incertos: utrum nempe Campaniæ imperium a Campanis ad Romanos per priorem eorum deditionem temporibus bellorum cum Samnitibus, de quibus loquutus est *Livius*, nosque paulo post acturi sumus; an vero per posteriorem istam temporibus belli Punici secundi. Equidem *Jovianum Pontanum* prorsus nullum est dubium animadvertisse, non posse negari *Livio*, post Companos Campaniæ dominos fuisse Romanos. Nec minus ille animadvertit, negari non posse *Straboni*, post Campanos eam regionem tenuisse etiam Samnites. Atque adeo ille hanc litem dirimere conatus, imperium Campanorum distinxit ab Etruscorum imperio, tam quod ad tempus, quam quod ad hereditariam successionem attinet. Igitur cum lib. VI. *De bello Neapolitano* narratione prorsus nova sic dixisset: *Osci, Padi accolæ, & pulsi ipsi, suis Opicos e sedibus pepulere: hos deinde Cumani*; ita subjunxit: *Omnem post eis agrum ademere Etrusci, ac variante fortuna Samnites Etruscis: & iis deinde agris Samnites hos ejecere Campani, quorum princeps fuit urbs Capua.* Et adeo ille non cogitavit, Capuæ cives non fuisse populum quendam particularem inter istos Campanos, Campaniæ dominos, cum illi fuerint iidem, qui ipsi Campani, qui populus inter duodecim illos Etruscorum populos eorumque caput fuerunt.

Quando illa inter maximas toto orbe urbes est numerata,

Cicero & Florus collati & illustrati.

Etsi illa jam tum in prout quidem nonnemo veterum dedit indicium, pristinum suum splendorem amiserat. Strabo discorditer consentiens cum Livio, qui a se ipso, & a Cicerone Floroque dissentit. Plinii Secundi sententia ambigua.

Atque hinc falso quidam prius illud imperium Etruscis, hoc posterius Campanis adscripsit.

Jovianus Pontanus refutatus.

Verum heic ego video notitiam aliquam desi-de-

Etrusci duodecim

Urbibus, hodie ignotis, incoluerunt Campaniam Felicem & Campaniam veterem, deinde dictam Picentinorum nomine,

derari duodecim illarum urbium, quas Etrusci nostri habuerunt, de quibus cum non aliud manifestius aut *Strabo*, aut alius auctorum veterum tradiderit, quis nunc possit illarum divinare nomina? Non multo ante ex geographo isto intelleximus, Herculaneum & Pompejos illorum fuisse urbes: & ex ejus verbis, itidem notavimus in secunda *Dissertatione*, Surrentum fuisse Campanorum urbem, quod accipi potest de Capuanis Etruscis, sive de Etruscis Campaniæ. Nola quoque fuit Etruscorum urbs: & dixit *Vellejus* noster, tantum de tempore nonnullam hac in re fuisse controversiam: ut adeo præter Campaniæ Capuanæ urbes illi tenuerint etiam eas, quæ fuerunt in tractu Nolano & Nucerino. Proximum quoque agrum, qui ad Silarum usque amnem pertinebat, quique deinde novissime a Picentinis fuit habitatus, illi tenuerunt, ibique condiderunt Marcinam: cumque *Strabo* illi nomen *Campaniæ veteris* dederit, videtur ille nobis indicare voluisse, illorum tempore & istam & hanc nostram Campaniam in unam [1] fuisse regionem conjunctas, in qua illas duodecim urbes eorum fuisse sitas credere est. Et adeo, si *S. Paulinus Nolanus*, ubi in *Natali* III S. Felicis nobis exhibuit istam Campaniam suam a Sarno amne ultra Lirim ad Ufentem usque porrectam, quæ nunquam exstitit; eam contrario modo ab amne usque Liri sive Volturno ultra Sarnum ad Silarum usque produxisset, satis accurate ille nobis descripsisset Etruscorum nostrorum Campaniam, quandoquidem & isti suæ [2] duodecim adscripsit urbes, quasi de hac omnimodo dixisset. Sed nimium limitibus angustis eam inclusit *Capacius*, quamvis ad cetera quod attinet non falso ille magnam Campanorum Etruscorum potentiam extulerit, ubi *Historiæ Neapolitanæ*, lib. I. cap. II. dixit, *Tyrrhenos hic plurimum viguisse, qui duodecim civitates incoluerunt, Capuam, Cumas, Puteolos, Herculaneum, Pompejos, Mellam, Calatiam, Casertam, Casilinum, Volturnum, Sidicinum.* Hæ fuerunt Campaniæ Felicis urbes: sed insuper in ea fuerunt etiam aliæ, neque eæ omnes minores istis urbes. Quam ob causam igitur ille memoravit Sidicinum, Suessa & Calibus omissis? aut una cum Herculaneo & Pompejis non memoravit Surrentium & Nuceriam, & multo magis Nolam? Num forte ille has neglexit, quia ultra numerum erant duodenarium, aut etiam ideo, quod non fuerint illæ Etruscorum urbes? Sed Caserta certe, utpote nova urbs, heic omnino locum habere nequit: neque etiam illæ duodecim numero sunt, quas ipse nobis enumeravit urbes, ut nec Sidicinum ullo pacto ad Etruscos pertinuit. Duodecim numero mea quidem sententia præcipuæ eorum fuerunt urbes. nam aliæ ultra numerum istum aut exigua fuerunt oppida in earundem ditionibus, aut alios habuerunt recentiores auctores.

Quæ duæ conjunctæ erant in unam regionem solam,

Quæ non pertinuit a Sarno amne ad Ufentem usque,

S. Paulinus Nolanus refutatus.

Ut nec illa Campaniam solummodo Felicem continuit.

Capacius notatus pluribus modis.

Ex communi multorum gravium auctorum sententia Capua ab Etruscis condita fuit,

Interim vero Capuam ex eadem sententia illorum, qui eam inter omnes illas principatum obtinuisse prodiderunt, oportet ab eadem gente fuisse conditam. Atque hac sententia, excepto quod ad dissensum de tempore & origine nominis ejus attinet, nulla fuit alia ab historicis & etiam [3] poëtis magis recepta. Sane vero possit illa quoque omnium haberi verissima, cum nihil in se fabulosi habeat, nihilque pugnet cum historiis aliis, tam illarum rerum, quas reliqui nostri populi, quam illarum, quas exteri populi gesserunt. Ad Etruscos eam, ut supra indicavimus, retulit *Plinius Secundus*, qui ipsis in imperium Campaniæ successores dedit Campanos. Quod si istam quorundam manuscriptorum lectionem admittamus ipse quoque in ea fuit sententia, eam accepisse nomen suum a prærogativa ista, quod caput esset undecim agrorum, quibus ipsa agrum addebat duodecimum. *Pomponius Mela* lib. II. cap. II. eam satis certo credidit *a Tuscis conditam. Livius* lib. IV. eam dixit *Etruscorum urbem. Vellejus* noster lib. I. scripsit, *Catonem* hac de re non dissensisse ab aliis auctoribus, quorum ipse nomina tacuit, præterquam quod ad tempus attinet; indiciumque prodidit, eandem quoque esse sententiam suam. *Servius* ad lib. X. *Æneidos* relatis variis aliorum opinionibus, denique non dubitavit ita decernere: *Constat tamen eam a Tuscis conditam*: forte inde persuasus, quod historiæ rerum Campanarum cum hac sententia congruebant. *Nicolaus Damascenus*, cujus apud Athenæum lib. IV. hæc sunt verba de Romanis: *Gladiatorum spectacula non solum publicis ludis, & theatris, populique frequentia & celebritatibus edunt, a Tyrrhenis invecto more, sed etiam inter epulas*; per *Tyrrhenos* intellexit *Campanos*, quorum primitus iste mos fuit, inter convivia spectacula exhibere gladiatoria, ut idem *Livius* lib. IX. *Strabo* lib. V. & *Silius* lib. XI. consensu testantur. Atque adeo idem *Athenæus* loco allegato non de aliis peculiaribus *Campanis*, quam de *Capuæ* civibus est loquutus, ubi ita dixit: *E Campanis quidam super convivia singulari certamine digladiantur. Thucydides* lib. VII. *Tyrrhenos* dixit eosdem istos milites, qui ab *Diodoro Siculo* lib. XIII. & XIV. dicti fuerunt *Campani*, quique pro Atheniensibus militaverant contra Siculos bello Peloponnesiaco, quod cœptum est anno ab urbe Roma condita CCCXX. Sed & ille ipse *Diodorus* lib. XI. *Capuæ* cives, si quid video, *Tyrrhenorum* nomine appellavit, Cumanos narrans, qui ab hisce vexabantur, nobilem ab iisdem reportavisse victoriam Cæsone Fabio & T. Virginio consulibus, qui fuit ab Urbe condita annus CCLXXIV. Sane enim tempus istud satis apte convenit bellis istis, quæ jam tunc inter duos istos populos orta duraverunt aliquot annos insequentes. Forte etiam aliquis existimaverit, Campanos propter hanc suam ab Etruscis originem, qui affirmante *Herodoto* lib. I. ut & *Scholiaste Pindari* ad *Od.* I. *Pyth.* Carthaginiensibus fuerunt amicissimi, eo quoque facilius veterem istam amicitiam renovasse inito cum Hannibale fœdere. Atque hoc adhuc magis esse verum videri inde possit, quod *Scholiastes* ille de iisdem Tyrrhenis loquutus est, quos nobis *Diodorus Siculus* descripsit citato lib. XI. quosque ego pro Campanis accipio. Verum hoc foret ex ambigua narratione aliam elicere velle prorsus obscuram, non autem probabiliorem facere alteram ambiguam allata altera certiore: cum illa, quæ Capuæ ortum ad Etruscos refert, qualibet alia certior sit, & ab antiquis auctoribus maxime omnium recepta.

Plinius Secundus, Pomponius Mela, Livius, Cato, Vellejus, & Servius concordes.

Qui cum dicerentur etiam Tyrrheni, Campani dicti quoque fuerunt Tyrrheni.

Nicolaus Damascenus, Athenæus, Thucydides, & Diodorus Siculus collati & illustrati,

Neque tamen propter hanc originem suam Campani fuerunt deinde amici Carthaginiensium, qui olim fuerant amici Tyrrhenorum.

Gg 3 Sed

[1] Admodum infirma & satis audax est hæc auctoris conjectura, quæ isto fundamento nititur, *Strabonem* lib. V. extremo *veteris Campaniæ* nomine dixisse tractum illum inter promontorium Surrentinum & Silarum amnem, quas deinde Picentinis novas sedes assignaverunt Romani. Sed quam hoc sit parum probabile, satis ostensum est, ni fallor, ad *Dissert.* I. cap. III.

[2] Ego in versibus *S. Paulini* tantum sex urbes Campaniæ reperire possum, ut non multo antea quoque dixi ad *cap.* præcedens.

[3] Excidisse hic *Peregrino* nostro oportet illud, quod in hac ipsa *Dissertatione*, cap. VII. monuerat, *Virgilium* Capuæ urbis ortum ac nomen ad Trojanos retulisse, ejusque sententiam potissimum placuisse poëtis, imitari eum cupientibus. Atque adeo ibidem multos quoque auctores in eandem sententiam retulit.

Nonnulli Capuæ *ortum aliquot annis ante conditam* Romam *collocaverunt.*

Sed de tempore conditæ Capuæ, ut dixi, magna est opinionum varietas, cum nonnulli eam aliquanto antiquiorem Roma urbe crediderint, cujus origo ad Romulum refertur, alii autem eam tribus fere seculis integris recentiorem existimaverint. *Vellejus* noster, postquam lib. I. de ætate *Hesiodi* poëtæ dixerat, ita subjunxit: *Dum in externis moror, incidi in rem domesticam, maximique erroris, & multum discrepantem auctorum opinionibus. Nam quidam hujus temporis tractu ajunt a Tuscis Capuam Nolamque conditam ante annos fere* DCCCXXX. *quibus equidem assenserim. Sed M. Cato quantum differt? qui dicat Capuam ab eisdem Tuscis conditam, ac subinde Nolam: stetisse autem Capuam, antequam a Romanis caperetur, annis circiter* CCLX. *quod si ita est, cum sint a Capua capta anni* CCXL. *ut condita est, anni sunt fere D.* Conscripsit *Vellejus* historiam suam M. Vinicio Quartino C. Cassio Longino consulibus, qui fuit ab Urbe condita annus DCCLXXXII. ut adeo illi, qui priorem istam amplexi sunt opinionem, Capuam fere quinquaginta annis ipsa Roma fecerint antiquiorem. Contra autem *Cato*, qui, ut *Dionysius Halicarnassensis* lib. I. dixit, *Italicarum urbium origines accuratissime collegit*; unde idem quoque *Vellejus* jure meritoque magnam se ejus opinionis habere rationem non dissimulavit, tantum annos circiter CCLX. a condita Capua ad ejusdem captivitatem usque numeravit, cum illa capta fuit ab Romanis Cn. Fulvio Centumalo P. Sulpicio Galba consulibus, qui fuit ab Urbe condita annus DXLII. ita ut hac ratione illam oporteat conditam fuisse circa ejusdem epochæ annum CCLXXXII. Et adeo secundum hanc sententiam *Cluverii* opinio videri possit esse vera: nempe Etruscos primum in Campaniam transiisse per occasionem suæ a Gallis fugæ, quæ cœpit tempore Tarquinii Prisci regis Romanorum, a quibus orti forent hice Capuæ conditores *Catonis*, isto rege plus seculo seriores. Nihilominus eidem *Vellejo* prior ista sententia arrisit, ita ut ille suapte auctoritate *Catonem* reprehenderit hisce verbis: *Ego (pace diligentiæ Catonis dixerim) vix crediderim, tam mature* (quingentorum nempe annorum spatio) *tantam urbem crevisse, floruisse, concidisse, resurrexisse.* Sed ego (pace judicii ejus dixerim) non difficulter crediderim, talem urbem, quæ inde usque a primordiis suis constituta multarum aliarum caput, qualis fuit Capua, potuisse sat cito in amplum crescere fastigium, ideoque etiam plurimum florere. Neque etiam negaverim, utcunque illa fuisset antiquissima, tamen eam potuisse temporis momento concidere, quia, ut ait *Seneca Quæst. Nat.* lib. III. cap. XXVII. *urbes constituit ætas, hora dissolvit.* Denique etiam non negaverim, eam simul & semel denuo repletam copia incolarum, qui nullos habebant æmulos, & propter generis sui dignitatem valebant auctoritate, sicut accidit Capuæ, cum eo deducta est colonia Romanorum, pari celeritate potuisse ad pristinam fortunam iterum assurgere. Certe ut hæc omnia non sint vera, si tamen hoc verum est, quod *populus Romanus* (ut observat *Florus* lib. I. cap. I.) *a rege Romulo in Cæsarem Augustum septingentos per annos tantum operum pace belloque gessit, ut si quis magnitudinem imperii cum annis conferat, ætatem ultra putet*; spatium D. annorum ab ortu usque ad novam Capuæ surrectionem, inter quam urbem & Romam, orbis dominam, locus non est comparationi; aut non improbabile, aut miraculi instar haberi debet, perinde ut periodus ista auctæ in tantum reipublicæ Romanæ. Itaque aut vera

Sed eam admodum gravis auctor tribus fere seculis recentiorem credidit,

Atque eo nomine reprehensus est sine justa ratione.

Vellejus notatus.

A fuit *Catonis* opinio, aut non satis firmiter impugnata a *Vellejo*. Verum si cum gravi auctore vetere juste comparari potest non minus gravis alius, cui, quod aliquantum serioris esset ætatis, licuerit diligentia uti majore, *Dionysius* ille *Halicarnassensis* erit, qui fortasse felicius defendet auctores istos, quos non satis firmiter tutatus est *Vellejus*. Ille lib. VII. narrat, Capuam & ad Campanos se recepisse Cumanos quosdam, Aristodemi tyrannidem fugientes, quam ille Cumis occupaverat viginti annis post victoriam, qua iidem Cumani contra Etruscos, Umbros, Daunios, aliosque potiti Olympiade LXIV. eamque obtinebat adhuc T. Geganio Macerino & B P. Minucio consulibus Romanorum, qui fuit ab Urbe condita annus CCLXI. & tyrannidis suæ XIV. Tum postea subjungit *Dionysius*, deinde eos fuisse adjutos a Campanis quibusdam, atque ita paucis post diebus Aristodemum fuisse captum & occisum. Ipsa *Dionysii* narratio aliquanto prolixior est, sed nos satis habemus illud ex ea attulisse, quod ad nostrum institutum facere potest. Jam illorum exsulum Cumanorum fuga in urbem Etruscorum, gentis inimicæ, Capuam, neutiquam a ratione est aliena, neque eam ipse negaret *Cato*: sed hinc jam consequi- C tur, eam jam fuisse conditam ante annum illum, quem ipse credidit. Neque vero quis dixerit, tempus intermedium non fuisse admodum longum, quandoquidem sane ab illa condita usque ad talem rem gestam, qualem modo retulimus ex *Dionysio*, oportet satis multum effluxisse temporis: ut adeo vera nobis possint dixisse illi, qui eam fere CCCXXX. annis fecerunt antiquiorem, quam *Cato* sibi persuasit. Veruntamen ego non facile consenserim, tanto auctori omnem hic esse fidem derogandam, videturque ille mihi non multum diverse loquutus a *Diodoro Siculo* & *Livio*, qui levi tantum inter se variatione, quod D ad temporis designationem attinet, dixerunt, Capuam fuisse conditam principio seculi quarti post Romæ primordia, & intellexerunt quandam ejus ampliationem, qua de nobis dicendum erit in sequentibus.

Jam vero præter hanc varietatem, quam indicavimus, diversæ etiam fuerunt sententiæ de origine nominis ejus inter eosdem istos auctores, qui in illud consenserunt, eam ab Etruscis fuisse conditam. Quidam enim attendentes ad ejus dignitatem, quod ipsa prima esset urbium Etruscarum in hac regione, facile sibi persuaserunt, eam fuisse dictam *Capuam* Latino nomine, quasi E earundem urbium *caput*. Alii existimaverunt, denominationem ejus fuisse ortam ab Etrusco vocabulo *Capys*, sed non omnes eodem modo. *Capuam in Campania* (*Festi* verba sunt) *a Capy appellatam ferunt, quem a pede introrsus curvato nominarunt antiqui: nostri Falconem vocant. Servius* loco non multo ante allegato ita commentatus est: *Constat eam a Tuscis conditam de viso falconis augurio, qui Tusca lingua Capys dicitur, unde est Capua nominata.* Sed alia fuit illorum opinio, qui Etrusco sermone dictum fuisse istoc nomine auctorem ejus urbis putaverunt, quod incurvos & retortos haberet pedes, F quemadmodum falcones habent. *Alii* (subjunxit idem *Servius*) *a Tuscis quidem retentam, & prius Aliternum vocatam*, (scribe *Volturnum*, ut in secunda *Dissertatione* demonstravimus, & paulo post denuo erit demonstrandum) *Tuscos a Samnitibus exactos Capuam vocasse, ob hoc, quod hanc quidam Falco condidisset, cui pollices pedum curvi fuerunt, quemadmodum falcones aves habent, quos viros Tusci Capuas* (promiscue usurpantur litera Y &

Sed potest ille refutari auctoritate alterius non minus gravis auctoris.

Dionysius Hal. a Catone dissentiens.

Nisi forte prior ille ortum ejus cum ejusdem ampliatione confudit.

Quidam existimaverunt, Etruscos Capuam hoc nomine appellavisse, quod eam suarum urbium caput constituissent:

Alii, eam istud nomen accepisse ab avi, qua dicta capys.

Alii, eam ita dictam de nomine conditoris sui Capys, gente Etrusci,

Y & *U*) *vocarunt.* Non jam heic multum dicere libet de eo, quod posteriore hoc loco dixit *Servius*, Capuam primum dictam fuisse *Volturnum*, cum de eo nobis agendum sit paulo post loco opportuniore. Igitur sufficit, omnino pro Etrusco fuisse habitum istum Capyn, qui de suo nomine eam appellavit, quemque Samnitem dixit *Livius*, qui heic erravit [1] variis modis, dixitque *Volturnum*, *Etruscorum urbem*, *quæ nunc Capua est*, *ab Samnitibus captam*, *Capuamque ab duce eorum Capye*, *vel*, *quod proprius vero est*, *a campestri*, *agro appellatam.* *Donatus Acciaiuolus*, qui vitam Annibalis conscripsit sub nomine *Plutarchi*, eumque imitans pleraque sua ex eodem *Livio* hausit, aut non satis intellexit, aut potius tacite reprehendere voluit ista verba ejus, quia sequens modo allatam *Livii* narrationem, ita dixit: *Hanc Etruscorum coloniam*, *Volturnum primo*, *Capuam deinde a duce eorum Capye*, *vel*, *quod propius vero est*, *a campestri agro appellatam constat.* Jam ex omnibus hisce opinionibus illa proxime ad verum accedere videri potest, quæ ejus etymologiam, ex lingua Etrusca desumptam, ad ejusdem urbis conditores refert. Sed cum ea nobis sit prodita modis duobus, unde jam cognosci posse putamus, utra illarum admittenda, utra rejicienda sit? Sane veteres Campanos pro certo habuisse oportet, auctorem suæ urbis dictum fuisse *Capyn*, quia permulta secula ejus ostenderunt sepulcrum, quod certe *Suetonio*, sive Cornelio Balbo, ex quo ille hoc desumpsit, negare non possumus fuisse re vera hominis cujusdam, cui istud nomen fuit, si maxime cetera narrationis istius fabulosa videri possint. *Cum in colonia Capua* (*Suetonii* verba sunt lib. I. cap. LXXXI.) *deducti lege Julia coloni ad exstruendas villas sepulchra vetustissima disjicerent*, *idque eo studiosius facerent*, *quod aliquantum vasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant*; *tabula ænea in monumento*, *in quo dicebatur Capys*, *conditor Capuæ*, *sepultus*, *inventa est*, *conscripta literis verbisque Græcis*, *hac sententia: quandoque ossa Capys detecta essent*, *fore*, *ut Julo prognatus*, *manu consanguineorum necaretur*, *magnisque mox Italiæ cladibus vindicaretur*, *cujus rei*, *ne quis fabulosam aut commentitiam putet*, *auctor est Cornelius Balbus*, *familiarissimus Cæsaris.* Huc usque *Suetonius*, ex cujus verbis multa possunt observari. Cornelius ille Balbus, ut ab eo potissimum incipiamus, primus auctor illius historiæ, in libro *Ephemeridum*, res gestas ejusdem Cæsaris conscripsit, cujus mors isto vaticinio prædicta erat: istiusque libri mentionem fecit *Sidonius* lib. IX. *epist.* XIV. Sed quod ille adeo fuit Cæsari familiaris, quod idem colligi quoque potest ex lib. II. *epist.* III. *Ciceronis ad Atticum*, quonam pacto illud narrationem ejus potest reddere certiorem, cujus notitia dependebat a quadam ipsius familiaritate cum Capuæ civibus? Forte hanc in rem potuisset esse firmius argumentum, Capuam, quo colonia ab Cæsare ipsius amico deducta, in ejus fuisse clientela. Nam de illo ipso, qui cum P. Canidio consul fuit quarto post necem Cæsaris anno, intelligenda mihi esse videtur illa vetus *Inscriptio*, quam habemus in loco, qui dicitur *la piazza delli Giudici:*

Quem falso quidam credidit fuisse Samnitem.

Livius refutatus. Donatus Acciaiuolus laudatus.

Cæterum cujusdam Capys fui sepulcrum diu servaverunt Campani,

Satis indubie nobis descriptum ab auctore quodam vetere.

Suetonius notatus. Cornelius Balbus illustratus.

L. CORNELIO L...
BALBO COS. PATR....
D. D.

Itaque Cornelius non loquutus est de re, quæ ipsi non potuerit satis esse nota, sicut nobis etiam potest esse notum, sepulcra veterum Campanorum, tanquam gentis inimicæ, secundum verba Jurisconsulti Gaji *Digestorum* lib. XLVII. *Tit.* XII. *leg.* IV. non fuisse sacra apud novos colonos Romanos. Jam vero vetusti adeo sepulcri, quod credebatur esse conditoris Capuæ, in promptu sunt exempla: nempe aliorum quoque, qui variis urbibus initia dederunt, sepulcra, quæ per longissimum tempus etiam conservata fuerunt integra, quemadmodum Neapoli sepulcrum Parthenopes, cujus mentionem fecit *Strabo* lib. I. & lib. V. & cujusdam ex comitibus Herculis Reate, quo de loquutus est idem *Suetonius* in *Vita Vespasiani*, sive lib. VIII. cap. XII. & Philoctetis Augustæ Taurinorum, quod descripsit *Justinus* lib. XX. & denique Bianoris Mantuæ, quo de *Virgilium* habemus auctorem *Ecl.* IX. Neque etiam nobis desunt exempla antiquissimarum *Inscriptionum*, quæ extra Græciam quidem nostrisque in terris, sed lingua tamen Græca conscriptæ. Nam & Romulus teste *Dionysio Halicarnassensi* lib. II. statuam ipse sibi erexit *cum rerum a se gestarum elogio*, *Græcis literis scriptam.* Et idem auctor lib. IV. refert, vidisse se Romæ columnam in templo Dianæ, itidem Græcis literis insculptam a Servio Tullio, rege Romanorum. Et hoc quidem satis est certum, linguam Græcam in Italia Latioque & Roma urbe etiam temporibus antiquissimis admodum fuisse [2] usitatam. Atque adeo neque illa Balbi, neque illa Campanorum narratio quicquam continet, quod minus verum videri queat. Superest itaque ut videamus, an istud sepulcrum credi debeat Etrusci Capys fuisse, quo de loquuti sunt auctores a *Servio* citati, an vero Capys Albani apud *Eutropium*, an denique Trojani apud *Sallustium*, *Cœlium*, & *Virgilium:* nam de illo quidem male intellecto Capy Samnite *Livii* nihil attinet cogitare. Equidem si ad illud attendere libet, augurandi vaticinandique propriam fuisse Etruscorum disciplinam, sepulcrum istud credi possit Etrusci fuisse Capys, quamvis alioqui par ubique esset ratio, qua id ad quemlibet Capyn ex istis, quos diximus, referri queat. Quod si quis me roget, quam ab causam augur iste, Capuæ conditor, vaticinium suum potius lingua Græca, quam

Qui nihil de eo dixit, quod minus verum videri queat.

Atque adeo credi illud possit fuisse Capys Etrusci,

[1] Nempe erravisse *Livium* vult auctor, quod dixerit, primum *Volturni* nomine dictam, quæ deinde *Capua* fuit. Vide *Dissert.* II. cap. XII. ubi quædam notavimus; tum etiam quod Capuam ab Samnitibus fuisse occupatam prodiderit, quam historiam ipse refutat sequenti *cap.* XI. denique, quod Capyn illum, a quo nomen inditum Capuæ urbi, Samnitem dixerit, cum ille fuerit Etruscus. Sed hic quidem manifeste erravit ipse auctor, cum *Livius* hoc rejecerit, *Capuam* ab nomine cujusdam hominis fuisse appellatam, eamque potius a *campestri agro* dictam voluerit.

[2] Temporibus antiquissimis in Latio & Italia non tantum admodum usitatam fuisse linguam Græcam, sed fere omnes priscos Italiæ populos nonnisi Græce loquutos fuisse, & priscorum quoque Romanorum sermonem magnam partem fuisse Græcum, nemo bonarum literarum vel modice peritus negaverit. Nec mirum, quoniam illi ex Græcia in Italiam advenerant. Sed Etruscorum quidem sermo fuit peculiaris, quod favet illorum sententiæ, qui eos aut indigenas, hoc est, incertæ originis, fuisse, aut Lydos, & circa belli Trojani tempora, aut aliquanto etiam ante in Italiam advenisse prodiderunt. Atque hinc jam apparet, si verum dixit Cornelius ille Balbus de tabula ænea, inventa in sepulcro Capyos, Capuæ conditoris, & literis verbisque Græcis inscripta, quod ego in medio relinquo; multum hoc adjuvare illorum sententiam, qui Capuæ ortum non ad Etruscos retulerunt. Nam de eo quidem nihil attinet dicere, quam infeliciter *Peregrinus* noster expedire se ex hac difficultate conetur, & rationem reddere, cur Capys ille Etruscus potius Græco, quam suo sermone vaticinium istud efferre voluerit. Nam certe Etruscorum plane fuit lingua peculiaris.

Cujus nomen, lingua Græca pronunciatum Campys, *significabat aliquid retortum, perinde. ut Etrusco sermone.*

quam sua extulerit, præcisis longis quæstionibus respondeo, eandem eam fuisse causam, ob quam nomen *Capys*, quod lingua Etrusca denotabat aliquid incurvum, Græco quoque sermone retortum quid significabat, pronunciatione secundum varietatem dialectorum aliquanto pleniore. Atque hoc satis apparet, ne in re plana longi simus multis exemplis, ex nomine animalculi, quod Græcis est κάμπη *campe*, *eruca*; quodque se torquendo movetur, & quasi arcum format. Neque etiam idem *Livius*, qui de nomine hujus urbis loquens satis audacter affirmavit: *proprius vero est, a campestri agro appellatam*, hoc est, a voce *campus*, sive jam ille quemquam Capyn negaverit ejus fuisse conditorem, nosque eum intelligamus tam de Samnite, quem ipse nobis prodidit, quam de Etrusco, & Albano, & Trojano; sive ille refutaverit solummodo istam ejus etymologiam, meæ obstat sententiæ.

Atque hinc Capua *credita fuit nomen trahere a voce Latina* campus,

Ideoque primitus dicta Campua,

Omnino enim necesse est, eum credidisse, *Capuam* primitus dictam fuisse [1] *Campuam*, quod idem non minus cogitari possit etiam de nomine *Capys*, ita ut ille alio modo dictus etiam fuerit *Campys*: ut adeo ipsius etymologia quidem non potuerit esse quicquam verior ista altera, sed hoc tamen satis verum foret, vocabulum istud in lingua Græca & Etrusca ejusdem fuisse significationis.

Et Campanus *dictus incurvus sinus regionis ejus.*

Varro illustratus. Servius defensus. Cluverius refutatus, & alio nomina laudatus.

Etiam *Varro* apud *Servium* ad citatum lib. x. *Æneidos* Virgilianæ, dissimulans alioqui, nomen campi *Campani* ortum ab nomine *Capuæ*, etsi alibi non negavit, a *Capua* esse derivativum *Campanus*, non autem *Capuanus*, quam in rem mox afferemus ejus verba; omnino existimavit, *propter cœli temperiem & cespitis fœcunditatem campum eundem Capuanum, sive Campanum dictum, quasi sinum salutis & fructuum.* Nempe attendit ille ad convexa montium, qui eum cingunt sinus instar. Atque hoc non animadvertens *Cluverius De Italia antiqua* lib. IV. cap. reprehendit *Servium*, quasi ille non satis fideliter *Varronis* sententiam retulerit, *cum nulla ratio verbis insit*: licet ille, quod ad cetera attinet, nihil omnino horum considerans, ut hinc potest colligi, dixerit se nihil dubitare, *quin aliqui Latinorum scriptores tradiderint, a campo urbem initio dictam fuisse Campuam postea vero depravato vocabulo Capuam.* Neutiquam igitur est improbabile, ex opinione illorum, qui ad Etruscos Capuæ retulerunt ortum, *Capyn* dictum fuisse illorum ducem ab incurvis pedibus, eumque hanc urbem dixisse de suo nomine, ibidemque etiam fuisse sepultum. Jam vero de hoc quidem penes alios esto judicium, quomodo istud vaticinium proferre potuerit religionis superstitiosæ homo permittente divina sapientia, cui soli nihil est absconditum. Sed jam quoque videbimus, hac ratione *Campanos* regulariter fuisse dictos urbis *Capuæ* cives, eodemque modo *Campanum* omne illud, quod ejusdem urbis erat, & adeo *Campaniam* quoque ejusdem regionem, sicut quolibet alio scriptore disertius affirmavit *Isidorus Etymol.* lib. XV. cap. I. ubi etiam refert varias de nomine ejusdem urbis opiniones: *Capuam* (ita habent ejus verba) *Capys Silvius rex Albanorum, construxit, appellatam a nomine conditoris, licet & sint, qui dicant, a capacitate eam Capuam dictam, quod ejus terra omnem vitæ fructum capiat: alii a locis campestribus, in quibus sita est. Est autem caput urbium Campaniæ,*

1 Potius arbitror, *Livium* respexisse ad Doricum κᾶπος, unde Latinum *campus*; & ab isto vocabulo *Capuam* denominatam significare voluisse quemadmodum ab hoc *Campaniam* & *Campanos* nomen recepisse credibile est. Vide, quæ de hoc argumento diximus ad *Dissert.* II. cap. XII.

A *inter tres maximas, Romam Carthaginemque numerata; ex qua & provincia Italiæ Campania dicta est.* Sane *Varro* in hoc derivativo tantum hoc alienum est arbitratus, quod illud contra communem analogiam non cresceret una Syllaba, perinde ut a *Roma* formabatur *Romanus*.

Ceterum satis est certum, cives ejus non fuisse dictos Capuanos;

Verba ejus lib. IX. *De lingua Latina* ita habent: *Secunda divisio est de his verbis, quæ declinari possunt, quod alia sunt a voluntate, alia a natura. Voluntatem appello, cum unusquisque a nomine alio imponit nomen, ut Romulus, Roma. Naturam dico, cum universi acceptum nomen ab eo, qui imponit, non inquirimus, quemadmodum id velit declinari;* B *sed ipsi declinamus, ut hujus Romæ, hanc Romam. De his duabus partibus voluntaria declinatio refertur ad consuetudinem, naturalis ad rationem: quare proinde ac simile conferri non oportet, ac dicere, ut fit a Roma Romanus, sic ex Capua dici oportere Capuanus, quod in consuetudine vehementer ægrotat, quod declinantes imperite rebus nomina imponunt, a quibus cum accipit consuetudo, turbulenta necesse est dicere. Itaque neque Aristarchus, nec alii in Analogiis defendendam ejus susceperunt causam: Sed ut dixi, hoc genere declinando in communi consuetudine verborum ægrotat & languescit, quod oritur e populo multiplici imperito: itaque in hoc genere magis Anomalia, quam Analogia.* C Huc usque *Varro*.

Neque etiam Campuanos,

Et mihi mirum videtur, eum existimavisse a *Capua* secundum rectam analogiam fore derivativum *Capuanus*, eumque non notavisse, istud debuisse esse *Campuanus*, quia non accrescente una syllaba erat illud *Campanus*, non vero *Capanus*.

Varro notatus.

Insuper mihi videtur, illud, quod ipse dixit imperitiam vulgi potuisse dici proprietas quarundam literarum, quæ in multis vocabulis derivativis mutantur in alias, aut prorsus omittuntur, sicut eam dixit *Quintilianus* lib. I cap. VI. unde apud *Plinium Secundum* lib. XV. cap. XXX. *Loretum in Aventino vocatur, ubi Sylva lauri fuit*, licet ipse D *Varro* illud appellaverit *Lauratum*.

Quintilianus & Plinius Secundus collati.

Sed ab melioribus Græcis & Latinis Campanos.

Sed omnino tamen cives Capuæ neque ab Græcis, neque ab Latinis melioribus alio modo dicti fuerunt, quam *Campanii*: ut adeo *Plautus*, qui in *Trinummo* voluit eos jocülariter appellare *Campani genus*, non mutaverit eandem formationem, quæ ab aliis mutata est multo post in *Capuenses* & *Capuanos*, vergente ad occasum Latinitate.

XI. *Samnites, gens Italica, qui Etruscis ademerunt Campaniam veterem, non indiderunt nomen Capuæ urbi, quæ diu sparsim habitata per vicos, & principio seculi quarti a condita Roma in unam conjuncta urbem, nunquam* Volturnum *dicta, aut ab Samnitibus ullo modo occupata fuit: ut nec Cumarum urbs, quam olim Campani in suam redegerant potestatem. Samnites autem Nolam eique vicinam regionem occupaverunt ista fraude, qua Capuam cepisse dicuntur.*

E F

Samnites, falso crediti Græca origine & Spartani, generat Sabini & indigenæ fuerunt Italiæ.

Etruscis, qui jam facti erant Campani, ademerunt Campaniam vicini Samnites, dicti alio nomine *Sabelli*, & a Græcis appellati *Sannites*, ex opinione *Justini* gens Græca. Et alii quidem speciatim Spartanos fuisse eos voluerunt. Sed diserte illos refutavit *Strabo*, qui lib. V. eos fuisse Sabinos, ideoque Italiæ, [2] indigenas asserit

2 Nihili sunt, quæ multi veterum dixerunt de populis indi-

ferit. Et hæc quoque fuit *Varronis* sententia lib. VI: *De lingua Latina*, & *A. Gellii* lib. XI. cap. I. Fuerunt autem Italici ipsi quoque Sabini, ut ex verbis *Dionysii Halicarnassensis* lib. III. & *Livii* lib. I. collegit Cluverius *De Italia antiqua* lib. II. cap. VIII. contra illos, qui apud *Servium* ad lib. VIII. *Æneidos* eos itidem pro Spartanis habuerunt. *Vibius Sequester* in *Catalogo populorum* eosdem Samnites appellavit *Oscos*, & *Junius Philargyrus* ad lib. II. *Georgicorum* dixit, eos primitus appellatos fuisse *Ausones*. Atque adeo hac ratione uterque illorum eos non fuisse advenas Italiæ voluit: & conjicere liceat, si per Oscos intelligantur Opici vulgo sic dicti, qui nihil diversi fuerunt ab Ausonibus, cetera quoque ipsos in una eademque fuisse opinione de eorum origine. Re vera quidam gentis istius transierunt ex Samnio suo in Campaniam, inter quas regiones interjecti erant montes illi, quos *Strabo* ratione ista, quam in secunda *Dissertatione* declaravimus, appellavit montes Oscorum & Samnitium. Veruntamen illorum causa non debuit integra gens Samnitium aut Ausonum aut Oscorum nomine appellari, quod illa pars gentis habitaret Campaniam, quam olim iidem Osci & Ausones tenuerunt. Et de his sufficere hæc possunt.

Et proindigenis Italiæ etiam habuerunt illi, qui eos appellaverunt Oscos, & Ausones,

Siquidem illi non loquuti de Oscis aut Ausonibus Campaniæ.

Jam idem *Strabo*, qui de nostris Etruscis Campanis alienam retulit opinionem, &, quia nullam addidit aliam, nobis ansam dat cogitandi, eam quoque fuisse suam, dixit, *eosdem Tyrrhenos, cum per luxuriam ad mollitiem sese transdidissent, sicut & regione ad Padum sita pulsi fuerunt, ita Samnitibus Campania cessisse, quos Romani postmodo inde profligaverint*. Et aliquanto post, cum descripsisset urbes mediterraneas in ejusdem Campaniæ parte Occidentali ad Capuam usque, retulit illas, quæ in ejusdem erant parte Orientali, & ita subjunxit: *Præterea Suessula, Atella, Nola, Nuceria, Acerræ, Abella, aliaque his etiam minora opida, quorum nonnulla Samnitibus attribuunt. Enimvero Samnites, cum quondam in Latium & Ardeam usque excursiones fecissent, deinde ipsam egissent tulissentque Campaniam, ad magnam pervenerant potentiam: quippe Campani, alioqui dominis parere assueti, facile imperata faciebant.* Ita *Strabo*, qui satis aperte invasionem Samnitium in hasce terras contigisse dixit post eorundem excursiones in Latium, sed nihil quicquam his de rebus prodidit amplius. De diuturnis eorum bellis in Campania alibique locorum cum Romanis abunde testantur veterum historiæ, nec minus illorum quoque tempora satis sunt nota, deque illis loquutus est *Dio* in *Legat.* XXXVII. hisce verbis, ut interpres ejus habet: *Exorta inter Romanos seditione intestina, Metellus accersitus fuit, jussusque cum Samnitibus, quibus possent legibus, pacem facere: nam tunc adhuc soli Campaniam & regionem, ultra Campaniam se porrigentem, maleficiis infestabant.* Verum *Strabo* loquutus est de bellis antiquioribus, quorum tempora nostrum heic est inquirere: *Dio* autem loquutus est de recentioribus, quandoquidem Metelli apud Romanos multo vixerunt post. Scripsit iste geographus, si recte video, de temporibus istis, quæ nobis indicavit *Livius* lib. VII. ubi narrat, Samnites, cum bello peterent Sidicinos, male defensos a Campanis, quos ipse etiam appellat *fluentes luxu*, in hos vertisse arma, cumque eos compulissent opem implorare Romanorum, itidem inter hos & Samnites conflatum fuisse bellum M. Valerio Corvo tertium, A. Cornelio Cosso consulibus, qui ab Urbe condita erat annus CCCCX. cum ad id usque tempus fuissent inter se amici. Sed ad Sidicinos certe pertinuit campus Fregellanus, ut nobis exposuit lib. VIII. idem *Livius*: & adeo Samnites, cum eos infestarent, oportet populabundos excurrisse, ut militum fert audacia & aviditas, ad Ardeam usque: interque cos postea & Romanos ista credi potest pax fuisse composita, quam dixit *Dio*. Itaque postmodum cœpto denuo inter eos bello propter susceptam ab Romanis defensionem Campanorum, ad ultimum accidit, quod ex eodem *Strabone* intelleximus, ut Romani Campaniam eriperent Samnitibus, quod ex *Livii* historia satis est notum. Jamque ego possem huic *Dissertationi* secundum ea, quæ proposui, heic imponere finem: sed cum fuerint etiam alia bella antiquiora inter Campanos Etruscos & Samnites bellata, quæ nobis descripsit idem *Livius*, iste autem geographus prorsus nullo modo videtur memoravisse; quæque mea sententia *Livius* non memoravit ea cum diligentia, qua opus erat, etiam hanc partem non intactam relinquere expediet.

Etruscis Campanis Campaniam ademerunt Samnites.

Et licet non designetur certum tempus hujus rei gestæ a quoquam auctore,

Dio illustratus.

Tamen nonnemo innuit illud factum tempore belli istius, quod ortum inter ipsos occasione Sidicinorum,

Strabo & Livius collati & illustrati.

Quando deinde Romani susceperunt defensionem Campanorum.

Itaque *Livius* lib. IV. res gestas Romanorum C. Sempronio Atratino, Q. Fabio Vibulano Coss. exponens, qui fuit annus ab Urbe condita CCCXXX. inter alia sic refert: *Peregrina res, sed memoratu digna traditur eo anno facta. Volturnum, Etruscorum urbem, quæ nunc Capua est, ab Samnitibus captam, Capuamque ab duce eorum Capye, vel quod proprius vero est, a campestri agro appellatam. Cepere autem, prius bello fatigatis Etruscis, in societatem urbis agrorumque; accepti dein festo die graves somno epulisque incolas veteres novi coloni nocturna cæde adorti.* Hujus rei gestæ non superest hodie nobis alius auctor præter ipsum, & proinde eam, quia non solum quid aut simplex continet, sigillatim illustrare aliquantum convenit. *Strabo*, ut diximus, tacuit antiquissima hæc & prima Samnitium contra nostros Etruscos bella, sed memoravit Campaniam veterem, in qua ipsi Etrusci condiderunt [1] Marcinam. Non autem intellexit eandem Campaniam, ubi Romanos dixit eripuisse Samnitibus, qui ipsi ademerant Etruscis Campanis, quandoquidem loquutus est ibi de Campania Felice, cujus etiam, non vero veteris illius, itidem descripserat priores incolas. Itaque credendum est, hanc regionem concessisse in potestatem Samnitium per hæc bella, quæ nobis indicavit *Livius*, quæque debuerunt satis fuisse diuturna, usquedum postmodo composita inter eos fuerunt certamina aliquanto ante annum istum ab Urbe condita CCCXXX. ad proditum nobis ab eodem auctore modum, sed acceptum ita, ut paulo post indicabo: a quo deinceps anno alia ista bella recentiora fuerunt cœpta. Samnites, ut manifeste docet idem geographus, Hirpinorum Lucanorumque fuerunt progenitores, qui separatim regiones illas incoluerunt, quæ ultra Samnium contiguæ sibi porriguntur ad Meridiem. Ab Lucanis orti fuerunt Brutii, ultimi omnium ab ista Italiæ parte, juxta ætate atque situ. Sed quænam gens ante Etruscos incoluerit in Campania ista vetere, ab uno latere inter Lucaniam Hirpinosque sita, non est, qui aperte dixerit, neque etiam heic nos scire multum

Samnites Etruscis ademerunt inter prima bella sua Campaniam veterem,

Strabo & Livius collati & illustrati.

H h

indigenis, quos Græci αὐτόχθονας appellavere. Dixerunt illi indigenas omnes illos populos, quorum nesciebant originem. Sed re vera illos fuisse indigenas, nemo sanus crediderit, cum satis sit certum, ex Oriente reliquum orbem primum incolis frequentari cœptum.

[1] Iterum hic loquitur auctor secundum istam parum probabilem opinionem suam, quam *Dissert.* I. cap. III. probare conatus est, quasi vetus Campania fuerit, quæ deinde regio Picentinorum.

Ubi Romani collocaverunt Picentinos,

tum attinet. Noviſſime Romani eo deduxerunt Picentes circa annum ab Urbe condita CCCCLXIII. ut notavimus in *Diſſertatione* prima, a quo tempore iſti acceperunt dederuntque hiſce novis ſedibus ſuis nomen *Picentinorum*. Sed itidem nullus dixit uſque adhuc, quænam gens hunc tenuerit tractum ad id uſque tempus; utrum Etruſci, an vero Samnites. Certe igitur Samnites inter prima iſta bella eum ademerant Etruſcis, unde poſtea Romani eos expulerunt, ſicut & reliquis Felicis Campaniæ locis, per bella iſta, quæ inter ipſos orta erant propter Campanos, prolixe ab *Livio* deſcripta, & verbo memorata ab *Strabone*. Sane enim tempora bene conveniunt: atque hoc eſt, quod nobis demonſtravit idem geographus, ubi de Marcina ita dixit: *Inter Sirenuſas & Poſidonium eſt, a Tyrrhenis condita, a Samnitibus habitata.* Neque videtur mihi manifeſtior notitia poſſe deſiderari in rebus adeo obſcuris, de quibus tam altum apud veteres ſilentium.

Cum eam Samnitibus eripuiſſent una cum ceteris, quæ illi tenebant in Campania Felice.

Capuam primitus dictam fuiſſe Volturnum contra omnium ſententiam pugnat, qui eam Roma antiquiorem duxerunt,

Jam vero quod ad cetera attinet, ſcire ego velim ex eodem *Livio*, quonam modo hoc poſſit eſſe verum, huic urbi non fuiſſe *Capuæ* nomen ante annum iſtum ab Urbe condita CCCXXX. eamque ante id tempus dictam fuiſſe *Volturnum*, cum utique ipſe ejus ortum retulerit ad Etruſcos. Pro antiquitate nominis ejus tuenda, quod ipſe novum eſſe exiſtimavit, non utar opinionibus illorum, qui varie hujus urbis initia aut Capy Trojano, aut Remo, Æneæ filio, aut Capy Albabano attribuerunt, qui omnes ipſa condita Roma, nedum anno, quem ille demonſtravit, multis ſeculis fuerunt antiquiores. Nam ille ex ipſa earum varietate facile eas refutaret, haberetque pro fabuloſis, cum etiam eas nihil omnino congruere oſtenderimus, quod ad traditiones de populis hujus regionis maxime omnium receptas attinet. Sed quid ille jam reſponderet auctoribus, a *Vellejo* noſtro citatis, & ipſi adeo *Vellejo* & *Catoni*, & omnibus illis, qui Capuam a Capy, ſive avi, ſive homine, ſive quod fuerit duodecim urbium *caput*, ita dictam voluerunt? Atque hi, præter hoc nullo alio prodito nomine, conſenſu eam abs iiſdem Etruſcis conditam dixerunt, licet de tempore non idem ſenſerint omnes. Hoc amplius, ſi *Dionyſius Halicarnaſſenſis* nobis potuit eſſe teſtis idoneus contra eundem *Catonem*, qui exſtructionem, ejus ad nimis ſeram referebat ætatem, multo ille magis contra ipſum nobis poteſt adjumento eſſe, qui adhuc recentius voluit eſſe nomen ejuſdem. Forſan ille diceret, *Diodorum* quoque *Siculum* lib. XII. quem deinde ſequuti *Euſebius Cæſarienſis* in *Chronico*, & *Auctor Olympiadum* ad Olymp. LXXXIII. annum III. cum nomen *Campanorum* haud ſane multis annis putaverit antiquius, itidem neque *Capuæ* nomen debuiſſe exiſtimare antiquius. Nam ille (ſi verſionem ſequi libet ignoti cujuſdam interpretis, correctam ab *Sebaſtiano Caſtalione*) M. Genutio, Agrippa Curtio Chilone Coſſ. qui fuit ab Urbe condita annus CCCVIII. dixit *gentem Campanorum in Italia cepiſſe originem, id ſortitam cognomentum a fertilitate & planitie campi juxta finitimi.* Idem repetiit *Euſebius* ad annum ab Abraami ortu MDLXXX. quem ipſe æqualem ſtatuit illi, quo T. Quintius Barbatus, Agrippa Menenius Lanatus fuerunt conſules, quique ex ipſius calculo foret ab Urbe condita annus CCCXVI. ſecundum autem *Faſtos Romanos*, quos ego ſequor, CCCXIV. Verba ejus, ab *S. Hieronymo* Latine reddita, ita habent: *Gens Campanorum in Italia conſtituta.* Auctoris *Olympiadum* verba, quia eadem ſunt, non opus eſt repetere.

Et multo magis contra illorum qui, quod magis etiam certum, eam ab Etruſcis conditam prodiderunt.

Livius refutatus.

Licet nonnulli veterum ſatis pro recenti videantur habuiſſe nomen Campanorum.

Diodorus Siculus Euſebius Cæſarienſis, Auctor Olympiadum, Athenæus, & Cato collati.

Neque dubitari poteſt, quin eadem fuerit *Athenæi* opinio, qui lib. III. verſus quoſdam negavit eſſe *Heſiodi*, cui ceteroquin illi tribuebantur, uſus illo argumento, quod ejuſdem poëtæ ævo, & multis adhuc poſt ætatibus nondum fuerit auditum nomen Campanorum. *Hos profecto verſus* (ita Latine reddita ſunt ejus verba) *alicujus eſſe coqui potius reor, quam Heſiodi, elegantiſſimi poëtæ: etenim unde cognoſcere is potuit Parianorum urbem, aut Byzantium, aut Tarentum, aut Brutios, ac Campanos multis annis & ætatibus illis antiquior?* Inſuper videri poſſit de eadem nova denominatione Capuæ voluiſſe etiam dicere *Cato*, qui eam fuiſſe conditam autumavit CCLX. circiter annis ante quam capta illa fuit ab Romanis, ideoque ab Urbe condita anno CCLXXXII. ut adeo & *Diodorus*, & illi, qui eum ſequuti ſunt, & *Cato*, & ipſe *Livius*, licet leviter inter ſe diſſentiant, quod ad circumſtantias nonnullas ac ipſum tempus attinet, tamen de ipſo capite rei non varie videantur loquuti. Et re vera ego ſatis animadverto, Capuam iſto temporis intervallo ab anno CCLXXII. ad annum uſque CCCXXX. ab urbe Roma condita, ad quod prædicti illi auctores novos iſtos caſus ejus, quos vidimus, retulerunt, magnam ſubiiſſe rerum mutationem ex omnium illorum opinione, qui eam exiſtimaverunt antiquiorem. Veruntamen eam tum temporis novum hoc accepiſſe nomen, ſolus mihi videtur dixiſſe *Livius*. Nam *Diodorus* quidem prorſus de aliis loquutus eſt rebus, *Cato* autem & *Athenæus* forte perperam acceperunt eandem illam hiſtoriam, quæ ab ipſo *Diodoro*, ſi verba ejus recte accipiantur, nobis eſt detecta, & ab omnibus aliis prætermiſſa.

Sed hic fuit error, quo illi ortum eorum intellexerunt per quandam eorum ampliationem.

Populus Campanus Capua, qui vicatim antea habitaverat, deinde in unam coiit urbem.

Ille igitur, quantum quidem ad noſtrum facit argumentum, dixit ad hunc modum: τὸ ἔθνος Καμπανῶν συνέστη; & eodem modo loquuti ſunt *Euſebius Cæſarienſis* & Auctor *Olympiadum*. Atque hoc obſervante *Joſepho Scaligero* ad ejuſdem *Euſebii Chronicon* proprie hoc ſignificat: *Gens Campanorum in unum locum convenit*, ſive *coiit*. Subjungit *Scaliger*, eodem quoque modo loquutum eundem *Euſebium* de Athenis *Num.* DCCLXXXIX. *In unam urbem coiiſſe ex omnibus vicis Atticæ, Theſeo colonos ducente.* Itaque novam habitandi formam tum temporis cœperunt Campani Etruſci, non vero recens condiderunt Capuam, aut tum primum acceperunt novum hoc nomen. De eadem re prolixe ſcripſit *Thucydides* lib. II. cujus verſio, a *Vallo* concinnata, & correcta ab *Henrico Stephano*, & deinde denuo ab *Æmylio Porto*, ita habet: *Sub Cecrope, illiſque priſcis ad Theſeum uſque regibus, Attica ſemper opidatim incolebatur, curias ac magiſtratus habens. At cum nihil timebant, ad regem non conveniebant* de republica *conſulturi, ſed per ſe quique ſuam rempublicam adminiſtrabant. Quin etiam nonnulli, ut Eleuſinii cum Eumolpo bellum adverſus Erechtheum olim geſſerunt. Theſeus vero poſt quam regnare cœpit, cum eſſet vir non ſolum prudens, ſed etiam potens, cum alliis in rebus hanc regionem excoluit, tum etiam cæterorum opidorum curias & magiſtratus ſuſtulit, & una curia, unoque concilio,* ac magiſtratu omnibus aſſignato & *conſtituto, in eam civitatem, quæ nunc eſt, omnes coëgit, & ſingulos res ſuas, ut ante poſſidentes, uti coëgit, ac una civitate; quam, cum omnes in eam jam convenirent, & pecuniam in uſus publicos conferrent, Theſeus magnis opibus auctam* ſuis *poſtmodum tradidit.* Huc uſque *Thucydides*. Sed etiam *Strabo* ſcripſit hac de re ſatis diligenter lib. IX. ubi cum ſigillatim memoraviſſet iſta caſtella, quas ipſe dixit urbes, numero duodecim, & olim ab Cecrope rege condita

Eodem fere modo, quo Theſeus Atticos ex duodecim pagis in unum coëgit Athenas;

dita, *cum Atticam Cares a mari, a terra Bœoti, quos vocabant Aones, popularentur*, ita ſubjunxit: *Has duodecim urbes in unam contraxiſſe, eam, quæ etiamnum exſtat, dicitur Theſeus.* Ex illis, quæ Theſeus Athenis geſſit, ſi ea, quæ in Capuam convenire poſſunt, ad eam applicentur, olim conditam ab Etruſcis noſtris una cum undecim aliis urbibus hiſtoriam inde diſcemus, quæ de ejus urbis, ut & regionis noſtræ rebus uſque adhuc prorſus fuit in obſcuro, & ex qua non recte intellecta ortæ ſunt de nova ejus exſtructione, deque novo nomine ejus, ut monuimus, prædictæ iſtæ opiniones. Forte etiam huc reſpexit *Plinius Secundus*, ubi, ut in libris manu exaratis legitur, quos alibi citavimus, dixit: *Capua ab* XI. *campo dicta*; credidítque Etruſcos, olim in locis apertis per duodecim campos potius, quam urbes diſperſos, denique ad vitam ſe transdidiſſe cultiorem, eodem modo ut fecerunt etiam Arabes in Arabia Felice, ut notavimus in principio *Diſſertationis* tertiæ. Atque hoc nihil impedit, quin itidem illa per iſtud tempus poſſit fuiſſe reliquarum omnium urbs prima: quia etiam Athenæ ante Theſei ætatem ſub regibus ſuis regnaverant inter ſuas urbes ſive caſtella per annos trecentos. Inſuper etiam poteſt rebus eorundem Etruſcorum noſtrorum iſtius ætatis aliquid lucis afferre iſto modo, quem declaravimus, exemplum multarum Peloponneſi urbium, quas, ut lib. VIII. *Strabo* notat, Homerus *non urbes nominat, ſed regiones, quod quævis plurium pagorum conventu conſtaret, ex quibus poſtea temporis nobiles urbes fuerint conditæ & frequentatæ.* Capua igitur, quam *Livius* non negat fuiſſe jam conditam ab Etruſcis ante prima bella ſua cum Samnitibus & quartum ab urbe Roma ſeculum, iſto tempore, quod ipſe deſignavit, novum quidem incrementum aliquod, non vero novum aliquod nomen accepit.

Plinius Secundus illuſtratus.

Et quemadmodum fecerunt Arabes in Arabia Felice.

Et ita quoque primitus quædam Peloponneſi civitates per vicos diſperſæ fuerunt.

Livius refutatus.

Sed quomodo novum hoc poterat eſſe nomen, ſi id nihil diverſum erat ab eodem illo, quod ipſe nobis pro antiquo venditavit, ſique utrumque hoc nonniſi unum ſolummodo nomen erat? *Volturnum*, quod a *volvendo* dictum, ſatis manifeſte denotat iſtam curvitatem & contorſionem, quam ſermone Etruſco & Græco ſignificat nomen *Capys*, unde *Capuæ* nomen ortum. Et ſatis etiam notum eſt, κάμπω verbum, ex quo deinde factum κάμπτω, ut ex τύπω factum τύπτω, notavimuſque hoc etiam, ubi de Volturno flumine fuit actum, idem valere, quod *volvo*, *flecto*, & κάμπιος idem, quod *obliquus*. Atque horum cum forte nonnihil cognoſceret *Joannes Annius*, quem ex ſententia *Mariani Valguarneræ* in *Diſſertatione De Panormi antiquitate negari non poteſt* (ita Latine habent verba ſcriptoris Itali) *fiducia doctrinæ, quæ magna ipſi erat pro captu ſuorum temporum, conatum fuiſſe imponere orbi cum iſtis ſuis ſuppoſititiis auctoribus*; neque tamen penitus rei veritatem deprehenderet, ita dixit in *Commentario* ad iſtum ſuum *Sempronium*: *Volturnum quoque dicta eſt Capua, vel a Volturno fluvio juxta illam fluente*, (in hoc ſitu Capuæ veteris erraviſſe etiam quoſdam alios, demonſtravimus alibi) *vel quia campeſtris, ut Livius & quidam exiſtimant: nam lingua Oſca, tuncque Etruſca* (verius erat *Græca, tuncque Etruſca*) *Volturnus campeſtris dicitur.* Ad eundem modum exemplo plane ſimillimo *Romæ* quod & *Valentiæ* unum ſolummodo nomen fuit: ut adeo utraque hæc nomina perinde debeant uſurpata fuiſſe una eademque ſignificatione appellativa, donec noviſſime *Capuæ* & *Romæ* nomina evaſerunt propria. Alia quoque vocabula propria, modo appellativorum accepta, obſervare poterit, quiſquis ea requirere volet.

Capuæ & Volturni nonniſi unum ſolummodo nomen fuit linguis diverſis,

Joannes Annius laudatus.

Quemadmodum Valentiæ quoque & Romæ unum ſolummodo nomen fuit. Atque idem quoque obſervari poteſt …

Atque hoc modo *Dionyſius Halicarnaſſenſis* ſcriptor Græcus, loquutus eſt de Latino nomine Albæ Longæ, quam urbem in Latio condidit Aſcanius, Æneæ filius: *Quam urbem* (ita habet interpres ejus lib. I.) *Græci ſua lingua Leucen appellarunt. Ut autem melius nomen ipſius declararetur, & ab altera urbe, quæ nomen idem habebat, diſcerneretur, ad ejus figuram indicandam Longæ cognomen addidit, quod nomen nunc eſt, tanquam ex duobus compoſitum: Alba Longa, quod a Græcis* Λευκὴ μακρὰ *diceretur.* Nomen Προσδόκιμος, quod in quodam ex *Gloſſariis*, quæ publicavit *Henricus Stephanus*, exponitur *opinatus*, *expectatus*, duobus modis fuit nomen [1] proprium. Et quod proprius ad noſtrum argumentum ſpectat, Ἐλευθέριος Græcis eſt, quod Latinis *liberalis*: & *S. Liberalis*, epiſcopi Canuſini, illa ſunt *Acta*, ut obſervavit *Philippus Ferrarius* in *Catalogo Sanctorum Italiæ* ad diem XXX. Decembris, quæ etiam tribuuntur *S. Eleutherio*, Illyrici Epiſcopo. Et inſuper Sancta *dies Veneris* eſt illa, quæ a quibuſdam dicta fuit ſancta *Paraſceve*. Atque hic non videtur mihi tacendus eſſe jocularis error, *Blondo* erratus, qui cum non recte cognoviſſet, vetuſtam arcem novæ noſtræ Capuæ vulgo dici *il caſtello delle prete* pro *il caſtello delle pietre*, id eſt *caſtellum lapidum*, exiſtimavit illud fuiſſe denominatum *da' preti*, *a preſbyteris*, ſive *ſacerdotibus*: unde ejus præfectus, nomine Joannes Caramanicus, qui anno epochæ Chriſtianæ MCCCCXXXV. eam arcem tradidit Joanni Antonio Marciano, Duci Sueſſano, qui in partibus erat regis Alphonſi I. *Hiſtoriarum* Dec. III. lib. VII. ab ipſo dictus eſt *Capuanæ arcis, quæ Presbyterorum dicitur, præfectus.* Latine illa arx dicebatur *caſtrum lapidum*. Atque adeo viſum fuit hoc monere, ne novus aliquis prodiret *Livius*, qui eam primum hoc modo, deinde illo dictam crederet. Jam vero de alio iſto, non multum abſimili, ſed graviore errore, quem idem admiſit *Blondus*, ubi in deſcriptione Campaniæ ita dixit: *Capua urbe vetuſti in eam Romanorum odii & binæ deſolationis exſecrabili infamia laborante, vicini urbium opidanorumque populi, Campanos ſe appellari ignominioſum periculoſumque ducentes, id declinarunt nomen, & ſeſe Leborinos pro Campanis dixere: effecitque obſtinata eorum perſeverantia, ut quicquid urbium & locorum in Campania cenſeri ſolebat, Terra Laboris diceretur*; de hoc inquam errore, quem ille hic multiplicem erravit, fuſius alio loco acturus ero, & demonſtrabo, Capuæ principem Richardum II. ejuſque Normannos, qui Capua pulſi ab Longobardis Campanis principio anni MXCI. fuiſſe eos, qui in ſermone communi nomen Capuani principatus in deſuetudinem adduxerunt, ejuſque loco introduxerunt *Terræ laboris* nomen, quod & ſervaverunt, licet Capuam poſtea recuperaſſent anno MXCVIII. Atque adeo prius iſtud manſit tantum in ore paucorum, ſcriptiſque publicis, non aliter quam hodie etiam noſtrum hoc regnum eadem varietate duo nomina retinet.

Teſt in multis aliis, quæ videntur diverſa nomina.

Philippus Ferrarius laudatus.

Blondus notatus.

Flavus Blondus refutatus.

Nihilominus autem adhuc multo gravius erravit *Livius* in eadem iſta narratione, ubi Capuam fuiſſe occupatam ab Samnitibus dixit anno ab ur be

Satis conſtanter quidam veterum dixit, Samnites atroci fraude Capuam Etruſcis ademiſſe,

[1] Prorſus non intelligo, quid heic ſibi velit auctor cum ſuo προσδόκιμος, & iſta ſancta die Veneris, quam mox ſubjungit. Neque enim ego vocem προσδόκιμος vel uno ſaltem modo nomen eſſe proprium reperire uſquam potui. *Sancta* autem *dies Veneris* & *Paraſceve*, etſi diverſarum linguarum ſunt nomina propria, nulla tamen illis ineſt ſignificationis convenientia, ut eſſe oportebat, ſi quis inde ſignificationis convenientiam in nominibus *Capua* & *Volturni* illuſtrare vellet.

be Roma condita cccxxx. postquam eam per aliquot tempus tenuerant Etrusci : *Cepere autem prius bello fatigatis Etruscis in societatem urbis agrorumque accepti, deinde festo die graves somno epulisque incolas veteres novi coloni nocturna cæde adorti.* Et aliquanto post res M. Papirio, C. Nautio Rutilo Coss. gestas exponens, qui fuit annus ejusdem epochæ cccxlii. denuo sibi constans ita dixit : *Superbe ab Samnitibus, qui Capuam habebant Cumasque,* (de Cumis paulo post dicemus) *legati prohibiti commercio sunt.* Et tertium, ubi lib. vii. de C. Marcio Rutilo, Q. Servilio Coss. narrat, qui fuit ejusdem epochæ annus ccccxi, ita : *Inibantur consilia in hybernis eodem scelere adimendæ Campanis Capuæ, per quod illi eam antiquis cultoribus ademissent.* Insuper, ubi lib. x. de L. Papyrio Cursore & Sp. Carvilio Coss. loquitur, qui fuit Romæ urbis annus cccclx. ad hunc modum : *Se id sacrum petere affirmabat ex vetusta Samnitium religione, qua quondam usi majores eorum fuissent, cum adimendæ Etruscis Capuæ clandestinum cepissent consilium :* Et denique lib. xxviii. hæc sunt ejus verba : *Illi, sicut Campani Capuam, Tuscis veteribus cultoribus ademptam, Mamertini in Sicilia Messanam, sic Rhegium habituri perpetuam sedem erant.* Itaque hæc fuit constantissima *Livii* sententia, Samnites Capuam ademisse Etruscis, sive Tuscis ista fraude, quam ipse exposuit. Et observetur, eum iisdem hisce Samnitibus dedisse *Campanorum* nomen in verbis ultimis, quæ modo retulimus, & etiam lib. iv. ubi narrans, quæ gesta erant L. Quintio Cincinnato tertium, L. Furio Medullino secundum, M. Metilio, A. Sempronio Atratino tribunis militum consulari potestate, qui fuit ab Urbe condita annis cccxxxiii. ita dixit: *A Campanis Cumæ, quam Græci tunc urbem tenebant, capiuntur.* Atque adeo hi fuerint isti Campani [1] apud *Plinium Secundum*, quos ille inter alios Campaniæ populos memoravit post Tuscos: & iidem quoque fuerint isti Samnites apud *Strabonem*, quos Romani Campania expulerunt. Sed ipse *Livius*, qui tantum in verbis sibi constat, sed in rebus ipsis exponendis nimium ab se ipso abit, non minus quoque dissentit a *Plinio Secundo*, a *Strabone*, & ab illo, quod de prædictis rebus gestis videri potest esse maxime verum. Scripsit ille lib. vii. ubi de M. Valerio Corvo tertium & A. Cornelio Cosso Coss. loquitur, qui erat ab Urbe condita annus ccccx. ex ipsius sententia octogesimus ex quo Samnites Capuam ademerant Etruscis, ad hunc modum : Alii Samnites *Sidicinis injusta arma, quia viribus plus poterant, cum intulissent, coacti inopes ad opulentiorum auxilium confugere, Campanis sese conjungunt. Campani magis nomen ad præsidium sociorum, quam vires cum attulissent, fluentes luxu ab duratis usu armorum in Sidicino pulsi agro in se deinde molem omnem belli verterunt. Namque Samnites omissis Sidicinis ipsam arcem finitimorum, Campanos adorti, unde æque facilis victoria, prædæ atque gloriæ plus esset; Tifata, imminentes Capuæ colles, quum præsidio firmo occupassent, descendunt inde quadrato agmine in planitiem, quæ Capuam Tifataque interjacet. Ibi rursus acie dimicatum, adversoque prælio Campani intra mœnia compulsi. Quum robore juventutis suæ occiso nulla propinqua spes esset, coacti sunt ab Romanis petere auxilium.* Itaque cum legati eorum Romam profecti non possent alio modo impetrare axilium, coacti fuerunt sese ipsos urbemque & omnia sua Romanis dedere, prout ipsi in mandatis habebant. *Precibus* (*Flori* verba sunt lib. i. cap. xvi. de eadem deditione loquentis) *deinde Campaniæ motus* (populus Romanus) *non pro se, sed quod est speciosius, pro sociis Samnitas invadit. Erat fœdus cum utrisque percussum : sed hoc Campani sanctius & prius omnium suorum deditione fecerant.* Ita *Florus*, vestigia sequutus *Livii*, qui an sequutus fuerit alterum quendam auctorem ipso antiquiorem, nescio, cum hoc quidem satis sciam, eum non fuisse sequutum aut observavisse semet ipsum. Samnites, qui cum essent Campanorum hostes, eorum causa facti quoque sunt hostes Romanorum, consanguinei erant illorum, qui Capuam ademerant Etruscis, ut intelleximus ex *Livii* verbis lib. x. quæ supra retulimus. Qua ratione igitur illi, qui occupaverant Capuam, deinde Sidicinorum causa gentis extraneæ, potuerunt arma cepisse contra suos consanguineos ; ita ut hi occasione hac usi, quæ secundum ipsius verba ipsis accidit gratissimo, totam belli molem in ipsos converterent, hique Campani, potius quam in gratiam redirent cum gente consanguinea, [2] Romanis facere præoptarent istam adeo liberam deditionem?

Eosque etiam Campanos appellavit,

Quasi ipsi fuerint & Campani, & Samnites, qui Campaniam tenuerunt.

Idem quoque dixit,

Campanos octoginta annis post contra alios Samnites defensionem suscepisse Sidicinorum;

Cumque bello essent inferiores, ad auxilium confugisse Romanorum. Florus & Livius collati.

Sed non est probabile, eos fuisse Samnites, quia contra hos ceperunt arma in gratiam Sidicinorum:

1 Etsi non multum pugnare libet pro ista narratione *Liviana*, qua Capuam ab Samnitibus fuisse occupatam dixit, satis ille tamen defendi potest hoc nomine, quod Samnites istos *Campanorum* nomine appellavit, ut jam non necesse habuerit noster tantopere increpare tantum scriptorem supercilio plane censorio. Utique enim satis apparet, eum illos dixisse Campanos non respectu generis sui & originis, sed novæ patriæ respectu, quod recte facere potuit, quia illi ex ipsius sententia tum temporis jam diu Capuam urbem tenebant, & cives erant *Campani*, licet generis origine Samnites. Et num adeo mirum aut novum populum aliquem relicto nomine avito ab novis sedibus novum capere nomen ? Certe Etrusci itidem ab Capua & Campania acceperunt nomen *Campanorum*. Itaque nihil est, quod dicit auctor de Campanis apud *Plinium*, qui quosnam intellexerit per istos *Campanos*, mihi quidem prorsus est incertum. Neque video, auctorem id exposuisse, aut rationem reddidisse, cur ille in catalogo populorum, qui olim Campaniam tenuerunt, post Etruscos separatim memoraverit Campanos, cum tamen ex ipsius etiam *Peregrini* sententia Etrusci fuerint omnium ultimi, qui ante Romanos Campaniam tenuerunt. Sed illud quidem prorsus est nugatorium, quod mox ille subjicit de Samnitibus apud *Strabonem*: quasi vero cuiquam in mentem venire possit, *Strabonem* de Campanis loquutum, aut de aliis Samnitibus, quam quos *Livius* prolixe exposuit post varia & multiplicia certamina denique Campania ejectos fuisse & oppressos ab Romanis, cum horum opem contra illos implorassent Campani, qui ex *Livii* sententia ipsi quoque genere Samnites erant.

2 Iterum heic *Livium* incusat auctor satis acriter, quod Capuam ab Samnitibus occupatam dixerit. Et primum quidem hoc argumento utitur, si verum dixisset *Livius*, non potuisse fieri, ut Campani, genere Samnites, & antea valde sibi metuerent ab Samnitibus consanguineis suis, & mox pro Sidicinis gente alienigena contra ipsos arma caperent ; cumque bello victi essent, potius dedere sese Romanis, quam cum consanguineis suis in gratiam redire præoptarent. Sed miror sane nostrum, qui heic, & alibi quoque nonnunquam illud egisse videtur, ut *Livium* nobis contemptum & negligentiæ sive stupiditatis suspectum redderet : neque ipse animadvertit, quam parum sæpe procedant ipsius conjecturæ, notæque censoriæ. Quotus enim quisque est, qui ignoret, quam sæpe soleant inter ejusdem generis populos, imo inter ejusdem reipublicæ aut civitatis homines vehementissimæ exoriri contentiones & certamina funestissima ? Quid opus est referre Græcorum, Siculorum, Magnæ Græciæ cultorum, Romanorum aliorumque populorum inter se certamina, turbasque intestinas, & bella civilia ? Quid tu mihi consanguineos & commune genus dicis, ubi potentior vicinus improba cupiditate meis inhiat, & ex alienæ opulentiæ invidia hostili animo odioque concepto infirmiorem opprimere ac pessundare studet modis omnibus? Itaque non necesse habebat *Peregrinus* hujusmodi jejunis cavillationibus insectari *Livium*, licet ceteroquin ipsi hoc concedam. Capuam non fuisse occupatam ab Samnitibus, sed forte potius Nolam, ut in sequentibus ipse conjicit.

nem? An forsan non vult quoque *Livius*, Campanos, antequam auxilium ferrent Sidicinis, valde metuisse, ne Samnites dominandi cupiditate ipsis quoque bellum essent moturi? *Pugnavimus* (ita ille legatos eorum in Senatu Romano vult loquutos) *verbo pro Sidicinis, re pro nobis: cum videremus finitimum populum nefario latrocinio Samnitium peti, & ubi conflagrassent Sidicini, ad nos transjecturum illud incendium esse.* Insuper Samnites legatione illa, qua Neapolitanos circiter annum CCCCLXII. a condita Roma invitaverunt ad conservandam secum amicitiam, & relinquendos Romanos, inter alia hæc illis promiserunt, ut in quadam *Legatione* legitur apud *Dionysium Halicarnassensem*: *Cumas recuperaturos, quas duabus ætatibus ante* (de Cumis agentes demonstravimus legendum esse *tribus*) *Campani Cumanis ejectis occupaverunt.* Ex quanam igitur nova gente Samnitica erant isti Samnites, qui Capuam Etruscis, Cumas ademerant Græcis, quique nec Sanites, Sidicinorum hostes pro consanguineis agnoverant, nec ipsi pro consanguineis agniti erant ab Samnitibus, Neapolitanorum amicis? Mihi hoc videtur, quod *Livius* Campanos appellavit *fluentes luxu*, & item *arcem finitimorum*, *unde æque facilis victoria, prædæ atque gloriæ plus esset*; posse satis bene referri ad Campanos, genere Etruscos, inter quos & Samnites post vetusta illa bella, quæ supra indicavimus, & per quæ Etrusci perdiderunt Campaniam veterem, hoc aliud bellum novum exortum est occasione Sidicinorum, quod oportet duravisse per multos alios annos insequentes. Audiamus denuo *Strabonem*: *Eosdem Tyrrhenos, cum per luxuriam ad mollitiem sese transdidissent*, (ecce illos *fluentes luxu* apud *Livium*) *sicut & regione ad Padum sita pulsi fuerunt, ita Samnitibus Campania cessisse*, (*intra mœnia compulsos* dixit idem *Livius*) *quos Romani postmodo inde profligaverint*; vocati videlicet in auxilium a Campanis. Invidia quoque & æmulatio nostrorum Etruscorum in Cumanos satis est manifesta, cum testes ejus habeamus eundem *Strabonem* & *Dionysium*. Et adeo cum *Strabo* Campanos pro Etruscis habuerit, & a Campanis Cumas dixerit subactas, certe non fuit ejus eadem, quæ *Livii*, sententia, qui Campanos istos Samnites fuisse voluit. Præterea lib. XII. narravit *Diodorus Siculus*, urbem illam fuisse captam a Campanis aliquot annis ante istum, quem nobis descripsit *Livius*, ut & istum, quo ipse Capuam fuisse occupatam dixit ab Samnitibus. Et *Diodori* quidem, ut & *Strabonis* verba retulimus, ubi de ipsis Cumis actum fuit. Denique autem nimium mihi videtur esse alienum, Etruscos nostros, majorem in modum auctos illorum suæ gentis accessione, qui fugere cœperant e tractibus Padum jam inde usque a Tarquinii Prisci, regis Romanorum temporibus, quique recens circa annum CCCX ab Urbe Roma condita salubri instituto rempublicam suam formaverant, cum *gens Campanorum in unum locum coiit*, cum majores progressus facere deberent contra populos vicinos, sicut & re vera fecerunt occupata haud ita multo post Cumarum urbe, fuisse ipsos ab Samnitibus primum aperto bello, mox sollenni ista fraude subactos. Sed videamus, num omnia hæc, quæ de Capua dixit *Livius*, forte possint videri veriora de quadam alia Campaniæ urbe.

In superioribus indicatum est Samnites Etruscis nostris ademisse Campaniam veterem. Atque hoc illud bellum fuisse credibile est, quo eos ita fatigaverunt, ut denique cogerentur Etrusci eos in societatem agrorum suorum admittere, ut & cujusdam urbis suæ, quæ per errorem cum

Et ipsi, quoque antea ultro sibi timuerant ab illis,

Vicissim ab ipsis habiti pro inimicis.

Livius ab se ipso & ab Dionysio Halicarnassensi diversus.

Et in hos apprime convenit illud, quod alii de Etruscis Campanis dixerunt. Strabo & Livius collati.

Livius ab Strabone & Diodoro Siculo dissentiens.

Livius refutatus.

Etrusci Samnites hostes suos, in societatem agrorum & cujusdam urbis suæ acceperunt,

Capua confusa. Forte etiam, quod ad tempus attinet, hoc satis fuit consimile exemplo Romanorum & Sabinorum, quod lib. I. exposuit idem *Livius*. Hi post atrox bellum arctissimam junxerunt amicitiam: *Nec pacem modo* (*Livii* verba sunt) *sed civitatem unam ex duabus faciunt, regnum consociant, imperium omne conferunt Romam.* Romanis ingens hinc accessit incrementum, & adeo Romulus, qui ejus rei fuit auctor, plurimum eo nomine laudatur ab *Cicerone* in *Oratione* pro Cornelio Balbo hisce verbis: *Illud vero sine ulla dubitatione maxime nostrum fundavit imperium, & populi Romani nomen auxit, quod princeps ille, creator hujus urbis Romulus, fœdere Sabino docuit, etiam hostibus recipiendis augeri hanc civitatem oportere; cujus auctoritate & exemplo nunquam est intermissa a majoribus nostris largitio & communicatio civitatis.* item ab *Tacito* lib. XI. *Ann.* ex persona Imperatoris Claudii hisce verbis: *Romulus tantum sapientia valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, dein cives habuerit.* Sed Etrusci quidem verum sunt experti istud *Aristotelis* præceptum *Polit.* lib. V. cap. III. ejusmodi novorum incolarum accessiones civitatibus rebusque publicis admodum solere esse damnosas. Nihilominus cum eorum res inter ista principia forte necdum essent satis firmatæ, & etiam pro cultorum numero utraque Campania abunde ipsis esset ampla, facile cedere debuerunt illa Campania Samnitibus, quæ etiam minores erat pretii; in qua præter Marcinam non alia legitur urbs ab illis condita. Ad hunc itaque modum ab ista Campaniæ parte iidem Samnites tum, cum Romani moverunt ipsis bellum ad defensionem Campanorum, tenebant Nuceriam & Nolam, quas & retinuerunt per multos adhuc insequentes annos, ut itidem ex *Livii* historia colligitur, nosque notavimus, ubi de iisdem urbibus fuit actum. Atque huc respiciens *Strabo*, quem haud ita multo ante attulimus, dixit, mediterranea esse Campaniæ ultra Capuam oppida, versus Orientem, *Suessulam, Atellam, Nolam, Nuceriam, Acerras, Avellam, aliaque his minora opida, quorum nonnulla Samnitibus attribuunt*: hoc est, eos etiam quædam illorum condidisse: licet ipse satis ostendat se credidisse, hæc eos loca occupasse per ultima cum Campanis bella post illa cum Sidicinis gesta, & postquam prædando ad Ardeam usque pervenerant. Verum ex tanta varietate auctorum, qui & inter se & aliquando etiam ab se ipsis satis sunt diversi, sane nihil mirum aut novum est non posse formari narrationem omnibus partibus ad singula eorum dicta convenientem: & adeo hoc sufficere nobis potest, urbes illas, quas Samnites tenuerunt in Campania, fuisse Nolam, aliasque tractus istius, de quarum cultoribus loquutus est idem geographus, ubi ita subjunxit: *Campani, alioqui dominis parere assueti*, (nempe Etruscis, & antea quoque Græcis Chalcidensibus, & quidam eorum Pelasgis, & antiquissimo tempore Oscis) *facile imperata faciebant.*

Jam hac de causa Nolam ab nonnullis fuisse dictam Samnii urbem, alibi declaravimus: neque etiam alia, quam hæc urbs mea quidem sententia, præcipua fuit ipsorum Samnitium sedes in Campania, tum ob situs opportunitatem, ad vexandos Etruscos Campanos, tum ob agrorum ejus fertilitatem, qui a *Polybio* & *Virgilio* insigniter laudati. Atque ita *Vellejus* noster, quem supra quoque retulimus, usus est isto loquendi modo: *Quidam hujus temporis tractu ajunt a Tuscis Capuam Nolamque conditam.* Et mox: *Capuam ab eisdem Tuscis conditam, ac subinde Nolam*: nimirum ut indicaret eandem hanc prærogativam ejus,

consilio aliis quondam salubri, ipsis damnoso.

Etenim tum illi perdiderunt urbes tractus Nucerini & Nolani,

Strabo non satis consentiens cum aliis auctoribus.

Quæ varios habuerant dominos.

Strabo illustratus.

In Campania præcipua Samnitium urbs fuit Nola.

Polybius, Virgilius, Vellejus, & Livius collati & illustrati.

ejus, quasi illa jam cœperit inde usque ab ortu ipsius, quem nonnulli ad istam gentem retulerunt, ut adeo non curaverit ille alias eorum urbes nominatim referre. Ad hanc dignitatem ejus respiciens etiam *Livius*, ubi lib. IX. narrat eam ad ultimum ab Romanis captam anno isto, quem non multo post designabimus, ejusque expugnationem variis ducibus adscriptam a scriptoribus, loquutus est ad hunc modum: *Qui captæ decus Nolæ ad consulem* (Junium) *trahunt, adjiciunt, Atinam & Calatiam ab eodem captas.* Et idem auctor lib. præcedenti itidem nobis magnum prodidit indicium potentiæ ejus per eadem ista tempora, quibus eam tenuerunt Samnites. Etenim de obsidione loquens, qua Romani Palæpolim urgebant L. Cornelio Lentulo, Q. Publilio Philone Coss. qui fuit annus ab Urbe condita CCCCXXVI. ita dixit: *Publilius duo millia Nolanorum militum, & quatuor Samnitium, magis Nolanis cogentibus, quam voluntate Græcorum* (hoc est, ipsorum Palæpolitanorum) *recepta Palæpoli miserat.*

Cum Neapolitani tractarent de amplectenda aut repudianda amicitia Romanorum præ Samnitium amicitia,

Sed quænam jam fuerit ista violentia, quam in urbe Neapoli, sive Palæpoli, exercuerunt Nolani, qui isto tempore natione quidem, non vero genere diversi erant ab Samnitibus, ut paulo ab hinc demonstraturus ero, nuspiam diserte legitur apud ullum, aut veterem, aut recentiorem auctorem. *Dionysius Halicarnassensis* in *Legatione* illa, quam alibi citavimus, narravit, isto tempore Neapolitanis, quos *Livius* Palæpolitanos dixit, magnam fuisse amicitiam cum Samnitibus, & utrisque etiam multum amicos fuisse Nolanos; dixitque, Romanos mandasse legatis suis, quos ad eosdem Neapolitanos miserant, *præcipue efficere, si quo modo possent, potentiores officiis demerendo, ut civitas a Samnitibus deficeret, atque cum populo Romano amicitiam iniret.* Mox ita subjunxit: *Forte ad Neapolitanos eodem tempore lagati a Tarentinis venerant, nec non alii a Nolanis finitimis & Græcæ gentis studiosissimis, ut a Neapolitanis contraria peterent, ne ullam cum populo Romano, aut cum iis, qui ejus imperio parerent, conventionem facerent, neque suam cum Samnitibus amicitiam dissolverent.* Et cum alii Neapolitanorum ad Romanos, alii ad Samnites inclinarent, perrexit in hunc modum: *Hinc fiebat, ut alii alios clamose increparent, & manus consererent, atque adeo, ut ad lapidum usque jactus contentio progrederetur. Sed tandem, qui melius sentiebant, ab iis, qui deterius, fuerunt superati, ita ut Romanorum legati re infecta discesserint: atque his de causis Senatus Romanus exercitum adversus Neapolitanos mittere decrevit.* Ita *Dionysius.* Atque hanc seditionem intellexit *Livius*, ubi dixit, Neapolitanos ab Nolanis præsidium horum ut & Samnitium militum in urbem suam accipere: quod hodie in narratione *Dionysii* deesse dicendum est, nisi credere libet, eum id ignoravisse, cum non nisi de amica ista legatione loquutus fuerit. Dixit *Strabo* lib. v. de quadam necessitate, qua acti fuerint Neapolitani peregrinos quosdam Campanos intra mœnia sua accipere, orta inter ipsos seditione domestica: *Orta seditione* (ita habent ejus verba ex versione *Guarini* Veronensis) *quosdam inquilinos admisere Campanos, & inimicissimis, perinde ac conjunctissimis, uti coacti sunt, quandoquidem conjunctos alienatos haberent.* Usus sum hac versione, quia illa, quam *Xylander* adornavit, quamvis recensita ab *Casaubono*, quæque ita habet: *Cum suos a se abalienassent*, non satis exprimit sensum Græcorum verborum: Ἐπειδὴ τὰς οἰκείας ἀλλοτρίας ἔσχον. Jam sicut dubitari nequit, geographum istum in hisce verbis loquutum de Cumanis, qui ab anno usque CCCXXV. Romæ urbis, aut circiter, subacti fuerant a Campanis; ita quoque arbitror, nos posse certos esse, eum de eadem civili discordia loquutum, quam nobis descripsit *Dionysius*: ut adeo vis illa Nolanorum, quos *Strabo* dixit Campanos communi regionis nomine, nihil quicquam contineat, quod itidem non alii quoque veteres scriptores affirmaverint. Sed eodem tempore Neapolitanæ obsidionis Nola cummaxime erat in potestate suorum Samnitium, quibus eam deinde ademerunt Romani L. Papyrio Cursore quintum, C. Junio Bubulco iterum Coss. hoc est, anno ab Urbe condita CCCCXL. Hac itaque ratione factum est, ut quasi per vim exercitum suum in urbem Neapolim introduxerint Nolani, qui amicissimi erant, & etiam, ut ego addere non dubito, consanguinei Samnitium, & hac ratione etiam amicissimi Græcorum, secundum verba *Dionysii*, ab quo *Strabo* diversus est, qui non ad eandem amicitiam inter Samnites & Græcos, quam ipse notavit in fine lib. v. sed ad frequentem æmulationem Græcorum, Neapolitanorum & Cumanorum cum generis alterius populis vicinis, attendit.

Et inde inter ipsos contentio esset orta,

Nolani per istum tumultum in urbem Neapolim introduxerunt quosdam ex suis & Samnitium militibus.

Livius cum Dionysio Halicarnassensi collatus & illustratus.

Atque adeo tum Neapolitani, cum distituerentur Cumanorum suorum auxilio, coacti fuerunt inimicos suos accipere loco amicorum;

Strabo illustratus.

Alioqui ipsorum amicos, quandoquidem Nolani, quia Samnites erant; amici fuerunt Græcorum; & eorundem, inimici, quia Campani erant.

Strabo & Dionysius conciliati.

Nolam, Etruscorum urbem, Samnites occupaverunt isto scelere, quod aliide Capua narraverunt.

Sed hoc quidem satis novum & mirum fortasse videbitur, quod horum temporum Nolanos Samnites fuisse diximus. Sane enim Nola quemadmodum & Capua, ab Etruscis condita fuit, ex *Catonis*, aliorumque illorum auctorum, quos *Vellejus* citavit, communi sententia: neque nos id negamus. Veruntamen in hanc opinionem primum auctor mihi est idem ille *Dionysius*, cui non ignotam fuisse oportet nostrorum Etruscorum contra Græcos nostros inimicitiam, de qua supra dictum: tum etiam, ut retulimus, *Strabo* affirmat, Græcis admodum amicos fuisse Samnites. Hoc amplius non videtur mihi hoc esse negandum *Livio*, Samnites inter prima ista bella sua ab Etruscis in partem agrorum fuisse receptos, ut &, si minus Capuæ, certe cujusdam alterius ex præcipuis urbibus suis. Tertio, si observetur illud, quod de Abella nobis exposuit *Servius* ad lib. II. *Georgicorum*, ut & ejusdem atque Nolæ urbis vicinitas: animadvertere licet, omnia illa, quæ *Livius* de Samnitibus narravit ab Etruscis in Capuam urbem acceptis deque eorum scelere, quo deinde una eademque nocte omnes Campanos interemerint, satis apte in Nola urbe gesta credi posse. *Servii* verba ita habent: *Quidam hanc civitatem a rege Murano conditam, Mœram nomine vocatam ferunt, sed Græcos primo eam incoluisse, quæ ab nucibus Abellanis Abella nomen accepit. Alii quod imbelle vulgus & otiosum ibi fuerit, ideo Abellam appellatam. Hujus cives cum loca circa Capuam possiderent, orto tumultu interisse, aliosque fugientes Mœranum abiisse, & ejus incolis struxisse* * (hic lacuna est in contextu) *& quod imbelliores fuerint, Abellanos dictos.* Huc usque *Servius.* Verum illi auctores ejus non dixerunt, in Capua incoluisse istos, qui in Abellam urbem evaserunt, sed, *cum loca circa Capuam possiderent, fugientes Mœranum abiisse*; jamque in principio *Dissertationis* II. notavimus, eodem isto loquendi modo ab aliis scriptoribus demonstratam quoque fuisse integram Campaniam. Atque ita certe loquutos etiam fuisse istos oportet, quibus male intellectis persuasum habuit *Livius*, infortunium istud accidisse Etruscis Campanis. *Cluverius* existimavit, Etruscos nostros, pulsos ab Samnitibus, in Etruriam abiisse, totamque illam gentem intellexit, ubi lib. II. cap. I. *De Italia antiqua* ita dixit: *Campania a Samnitibus ejecti, fines tandem habuere inter Apenninum, mare inferum, Tibe-*

Servius illustratus. Livius notatus.

Tiberimque & Arnum flumina. Verum ille in hanc sententiam nullum omnino auctorem attulit, ut nec afferre poterat. Nam iidem Etrusci per nova ista bella, quæ inter ipsos & Samnites exorta fuerunt ob defensionem Sidicinorum, Campaniam Capuanam amiserunt, quam ipsi post priora ista bella retinuerant, quamque deinceps una cum reliqua Campania Felice & Campania vetere prorsus recuperaverunt Romani. Atque hæc fuit *Strabonis* sententia. Sed Capua quidem urbe, hoc est, præcipua sede sua, nunquam illi excesserunt, licet ingens eorum numerus Nolæ fuerit interemptus, quod idem credi quoque potest de illis, qui in aliis urbibus erant istius tractus, quæ eodem isto tempore penitus ad amnem usque Silarum in Samnitium potestatem concesserunt, ut dictum est. Et adeo ista narratio *Livii* nullo alio, quam hoc modo videtur mihi posse aliqua ex parte esse vera.

Cluverius refutatus. Strabo & Livius illustrati.

XII. *Etrusci Campani fuerunt illi, qui in Sicilia perfide occupaverunt Entellam: qui Messanam, Samnites Campani: cives autem Romani, qui Rhegium.*

Quidam recentiorum, cum ad hoc non attenderet, parum esse probabile, Capuæ incolas fuisse Samnites, & hostes Samnitium Samnii,

SEd idem *Cluverius*, qui *De Sicilia antiqua* lib. I. cap. VI. parum probabilem judicaverat opinionem *Thucydidis*, qui lib. VI. dixit, Chalcidenses, Chalcidis urbis incolas, Messana urbe expulisse Chalcidenses nostros Cumanos, consanguineos suos, sed jam centum amplius annis novæ regionis incolas; non tantum non movit idem dubium contra *Livium*, qui Samnites Campanos minori temporis intervallo pro Sidicinis arma cepisse scripsit contra propriam gentem suam, sed insuper, quasi contenderet integram illi hac de re fidem esse habendam, probare annixus est, ejusmodi perfidiam solennem fuisse & propriam Campanis, per quos ille intelligit cives urbis Capuæ. Postquam ille lib. IV. cap. I. *De Italia antiqua* retulerat scelus illud quorundam militum Campanorum, quod lib. XIV. narravit *Diodorus Siculus*: illorum nempe, qui militantes in Sicilia Entellam occupaverunt consimili fraude, qua *Livius* dixit Samnites fuisse usos in occupanda Capua, hæc verba subjunxit: *Ergo scelus istud Campanis fuit usitatissimum: sic quippe antea occupaverant supradictam Capuam: sic postea Entellam: in Italia iterum Rhegium, freto Siculo appositam urbem, auctore Strabone lib. VI. & Livii breviatore lib. XII. & XV. sic mox in ipsa Sicilia rursus Messanam, ut Siciliæ lib. I. cap. VI. ostendimus.* Idem hoc dixerat ille quoque *Siciliæ* lib. II. cap. XII. de eadem Entella agens. Et antea lib. I. cap. IX. in descriptione Catanæ urbis, quam Dionysius Syracusanorum tyrannus, ut idem *Diodorus* libro citato refert, *Campanis habitandam permisit*, dixerat, de tempore & occasione trajectus illorum in istam insulam se egisse in descriptione Messanæ. Atque hic ille hoc exposuerat, Mamertinos, qui eam urbem occupaverant, in eandem insulam trajecisse Syracusis tyrannidem obtinente Agathocle. Itaque non dissimulare oportet opinionem hujus egregii viri, quæ admodum narrationi *Livianæ* favet: & adeo videndum erit, an Campani illi, qui Entellam occupaverunt, genere Samnites fuerint; & an illi itidem Campani fuerint, qui simili perfidia Rhegium & Messanam occupaverunt.

Cluverius ipse sibi contrarius.

Existimavit, Campanos Samnites fuisse illos, qui Entellam, & item qui Rhegium, quique Messanam occupaverunt.

Dixerat igitur lib. XII. idem ille *Diodorus*, ut supra etiam retulimus, M. Genutio & Agrippa Curtio Chilone Coss. hoc est, anno ab Urbe condita CCCVIII. *gentem Campanorum in unum locum coiisse.* Atque hoc neque *Livius*, neque *Cluverius* de Campanis Samnitibus intelligendum esse contenderet, quandoquidem hi ex ipsorum opinione tum temporis Capuam nondum occupaverant: ut adeo isti Campani certe fuerint Etrusci. Porro idem *Diodorus* eodem libro exposuit, Campanos occupavisse Cumas T. Quintio, A. Cornelio Cosso Coss. qui ab Urbe condita fuit annus CCCXXV. (ubi de eadem urbe fuit actum erratum est in istis consulibus atque anno) & neque hi Campani potuerint fuisse Samnites. Idem quoque auctor lib. XIII. narravit, octingentos Campanos, qui in Sicilia primum pro civitatibus aliquot Chalcidensibus deinde pro Atheniensibus contra Syracusanos militaverant temporibus belli Peloponnesiaci, denique a Carthaginiensibus fuisse conductos M. Cornelio, L. Furio Coss. hoc est, ab Urbe condita anno CCCXL. ab iisque sequenti anno parum contentos abiisse. Mox subjunxit, quadriennio post, L. Furio & Cn. Pompejo Coss. Carthaginienses itidem ad sua stipendia invitavisse alios ex Italia Campanos novi belli causa, quod in eadem insula moliebantur; & Agrigentinos ab ipsis obsessos tum contra ad se mercede data evocasse octingentos istos Campanos, hosque brevi ad Carthaginiensium denuo partes transiisse. Et ubi in sequentibus de iisdem Campanis est loquutus, non amplius alteram illam ab altera manu eorum distinxit, sed promiscue communi *Campanorum* nomine usus est. Ita ille, narrans obsidionem Gelæ urbis, dixit, ex ejus incolis Campanos, *qui sub Carthaginiensibus merebant, animis jam pridem infensi in Græcos Italiæ, contensius instando, supra mille prostravisse.* Eodem quoque modo non declaravit ille lib. XIV. utros eorundem Campanorum Himilco Pœnorum dux præsidio reliquerit locis istis, quæ ipse occupaverat in eadem insula. Denique ille etiam non indicavit, utrum priores an vero posteriores Campani fuerint illi, quos Dionysius Syracusanorum tyrannus ad stipendia sub signis suis merenda invitavit C. Furio, C. S. Servilio, C. Valerio, & Numero Fabio Tribunis militum consulari potestate, qui fuit ab Urbe condita annus CCCXLVI. quosque mox eodem anno *honestis ornatos donis urbe dimisit, eorum non confisus inconstantiæ, qui Entellam petentes, hortati sunt opidanos, ut sese, quod una secum cuperent habitare, reciperent intra urbem pro inquilinis & hospitibus. Quo impetrato, circiter noctis medium insurgentes, occupant incautam plebem, puberesque omnes trucidant, uxores eorum, quos perfide oppresserant, sibi ducunt uxores, atque ita usurpant urbis possessionem.* Jam vero an possunt hice Campani, sive primi, sive secundi agminis, haberi pro Samnitibus, qui amicissimi fuerunt Græcorum, ut supra notatum est, *Dionysio Halicarnassensi* & *Strabone* auctoribus? Nam de posterioris quidem agminis odio in Græcos Italicos modo intelleximus ex *Diodoro*: de prioris autem simili odio non minus posse mihi videor certus esse ex verbis *Thucydidis* lib. VII. ubi populos istos recenset, qui sub Atheniensibus militaverant prædicto contra Syracusanos bello. Nempe ille inter eos connumerat *extra Siciliam Tyrrhenorum etiam nonnullos per inimicitias cum Syracusanis, & Japyges mercenarios.* Neque hoc ego dico tantum ideo, quod ille *Tyrrhenos* appellavit, quos *Diodorus* dixit *Campanos*, sed propterea quoque, quod ille eos descripsit, ut proprio motu Syracusanorum inimicos, quorum tyrannus Hiero Fabio Cæsone, T Virginio Coss. hoc est, ab Urbe condita anno CCLXXIV. auxilio miserat Cumanis, qui ab Tyrrhenis oppugnabantur, (& qui-

urbem coiisse dixit, intelligens Etruscos, eosque deinde Cumas occupavisse,

Narrat etiam, sequentibus annis in Sicilia Entellam occupavisse alterum ex duobus eorum agminibus, quæ in illa insula militabant,

Et ambo generis erant Etrusci.

Thucydides & Diodorus Siculus duobus locis collati & illustrati.

quinam alii poterant esse hi Tyrrheni, quam Campani?) cum *ingenti certamine conserto* (ejusdem *Diodori* verba sunt lib. XI) *victores Siculi compressere Tyrrhenas vires.* Jamque videat *Cluverius*, fueruntne Campani isti, qui Entellam occupaverunt, Samnites ex sententia hujus auctoris, qui eorum scelus nobis exposuit: ut jam non dicam, accidisse hoc tempore Dionysii, cum illi, qui Agathocle tyrannidem obtinente trajecerunt in Siciliam, fuerint alii Campani.

Historia de Messanæ *&* Rhegii *occupatoribus, qui crediti sunt fuisse* Campani *secundum verba cujusdam veterum ita habet:*

Verum si post illud tempus, quo ex opinione *Livii* Capua fuit occupata ab Samnitibus, Campani, Entellam qui occupaverunt, non erant Samnites, qua jam ratione Campani temporum insequentium fuerunt postea Samnites? Equidem credit idem *Cluverius*, manifesta se auctorum loca attulisse, quibus illi, qui eadem perfidia fuerunt usi in occupanda Messana, & item Rhegio, itidem Campani Samnites fuisse probentur. Et adeo, si ille hic quoque non sit errore lapsus, vera dixerit *Livius*, falsa autem *Diodorus*, & quotquot adeo alii hac de re tradiderunt diversa ab *Livio*. Primum itaque audiamus, quænam de his dixerit *Polybius*, auctor gravissimus: tum deinde, quænam alii, quos adduxit *Cluverius*, ut intelligi possit, quodnam judicium hac de causa sit ferendum. Verba *Polybii* lib. I. postquam ille exposuerat, quo pacto Romani post pulsum Italia Pyrrhum regem, subegerint omnes illos populos, qui in partibus ejusdem regis fuerant, Latine ita habent: *Quibus omnibus contra opinionem hominum in potestatem redactis, cunctisque Italiæ populis præter Gallos sibi subjectis: secundum hæc Romanos, qui Rhegium id temporis tenebant, obsidere instituerunt. Singularis enim ac consimilis quidam casus ambobus illis accidit opidis, quæ ad fretum sunt conditæ: Messanæ videlicet & Rhegio. Quippe Messanam non multo ante ista, de quibus nunc agimus, tempora Campani sub Agathocle merentes,* (Agathocles tyrannidem apud Syracusanos occupavit L. Plotio, M. Fulvio Coss. qui fuit ab Urbe condita annus CCCCXXXV. ut affirmat *Diodorus Siculus* lib. XIX.) *qui jamdudum ejus opidi pulchritudini ac reliquæ felicitati oculos cupiditatis adjecerant, ubi primum occasio est oblata, per fidem circumvenire sunt adorti. Subdole namque specie amicorum ingressi, urbis potiti, cives partim ejecerunt, partim jugulaverunt. Ita quum isti brevi ac facili negotio optima ditione atque urbe essent potiti, e vestigio facinoris istius imitatores invenerunt. Rhegini enim, quo tempore Pyrrhus in Italiam trajiciebat,* (*Sigonius* existimavit, hoc accidisse P. Valerio Lævino, Tib. Coruncanio Coss. id est, anno ab Urbe condita CCCCLXXIII.) *tum ob adventum novi hostis metu perculsi, tum Carthaginienses, penes quos magis imperium erat, veriti, præsidium pariter & auxilium a Romanis acciverant. Hi opidum ingressi, homines numero quater mille, Decio Campano ductore, postquam & opidum & fidem suam aliquandiu servassent, tandem Mamertinos æmulati,* (intelligit eos, qui Messanam occupaverant, quique hoc jam nomen assumpserant) *eosdemque adjutores nacti, qua opportunitati urbis ipsius, qua privatis civium Rheginorum opibus avide inhiantes, fidem mutaverunt. Itaque civibus partim in exsilium pulsis, aliis trucidatis, exemplo Campanorum opidum sibi asserunt.* Omnia hæc uno contextu dixit *Polybius* de duarum harum urbium occupatoribus: de illis autem, qui Rhegio potiti erant, separatim subjunxit, ab Romanis manu carnificis sublatos in urbe Roma quadringentos ipsorum, quos vivos ceperant, cum prius armorum vi recuperavissent ac restituissent pristinis cultoribus eandem urbem. Por-

Quosdam Campanos, *sub Agathocle, Syracusanorum tyranno, militantes, in urbem acceptos fuisse a Messanensibus, iisque perfide vitam atque omnia ademisse:*

Idem fecisse in Rhegio urbe, duce Decio Campano, *milites istos, qui ad ejus præsidium missi erant ab Romanis.*

A

ro de illis, qui Messanam occupaverant, denuo loquutus est ad hunc modum: *Mamertini,* (*hoc namque sibi nomen Campani occupata Messana indiderunt*) *quamdiu Romanorum, qui Rhegium prius occupaverant, auxilio sunt usi, & opidum & fines suos securi possederunt.* Et mox: *Postea vero quam obsidione cinctis, qui Rhegium tenebant, illud, de quo diximus, auxilium defecit, mox ipsi vicissim ob quasdam hujuscemodi causas intra muros sunt compulsi.* Et de gestis illorum, quæ heic nihil ad nos pertinent, denique hoc narravit, Hieronem, ducem Syracusanorum, prælio quodam ingentem eorum occidisse numerum, quo facto ille *mox Syracusas reversus, ab universis sociis rex salutatus est.* (hic fuit alter Hiero, & tyrannide apud Syracusanos est potitus C. Fabio Pictore, Q. Ogulnio Gallo Coss. hoc est, anno ab Urbe condita CCCCLXXXIV.) *Mamertini, cum jam ante Rhegiensi auxilio fuissent destituti, pars ad Carthaginienses confugere, iisque se arcemque suam tradidere; pars missis ad populum, Romanum legatis urbem ei dedere, utque sibi, ceu originis communione junctis, opem ferat, petiere.* Romani aliquantum fuerunt difficiles, & ægre illis miserunt auxilium, *quippe auxilii, latio manifestam præ se ferebat absurditatem: nam eos, qui paullo ante cives suos ob violatam erga Rheginos fidem gravissimo supplicio affecissent, repente Mamertinis, qui similia patrassent, ire auxiliatum.* Huc usque *Polybius*. Necessarium duximus simul & semel integram ejus narrationem de duarum istarum urbium occupatoribus referre, quandoquidem ea non satis commode disjungi posse videbatur. Et adeo jam separatim de illis dicemus, & primum de Mamertinis.

Sed his propterea capitali supplicio affectis, qui Messanam tenebant, jam auxilio suo destituti, eorundem Romanorum opem implorare debuerunt,

B

C

Cum *Polybio* consentiens *Strabo* ita dixit lib. VI. *Mamertini, gens Campana, Messanam inhabitavit. Diodorus Siculus* eos Samnitium numero habuisse videtur, quoniam *lib. XX. bis tradit* (*Cluverii* verba sunt *Siciliæ* lib. I. cap. VI.) *Agathoclem, Syracusanorum tyrannum, in acie contra Carthaginienses habuisse mercenarios milites Samnites, Etruscos, & Gallos. Libro autem XXI. memorato Agathoclis interitu* decessit Agathocles tyrannidis suæ anno XXVIII. ab Urbe condita anno CCCCLXII.) *sic scribit:* (non opus est referre integram illam narrationem de contentione inter Syracusanos & mercenarios milites, sed illa tantum, quæ ad nostrum argumentum faciunt) *Obtinuerunt, ut a tumultu desisterent, hac equidem conditione, ut mercenarii stato tempore distractis facultatibus Sicilia excederent. His ita ratificatis peregrini ex compacto Syracusis emigrarunt, & ad fretum progressi a Messeniis, ut amici & socii ad murum in urbem intromittuntur. Ibi humaniter in ædes recepti noctu hospites obtruncant, ductisque illorum uxoribus suæ potestatis urbem faciunt, Mamertinamque vocant a Marte, qui illorum lingua Mamers nuncupatur.* Ita *Diodorus*. Sed apertius Mamertinos *Sammites* appellavit *Alfius* apud *Festum*, qui ex sententia *Vossii* lib. III. *De Historicis Latinis*, vixit imperante Severo, aut aliquanto post: *Mamers*) *Festi* verba sunt) *Mamertis facit, id est lingua Osca: Mars Martis; unde & Mamertini in Sicilia dicti, qui Messanæ habitant. Mamertini autem appellati sunt hac de causa. Quum de toto Samnio gravis incidisset pestilentia, Sthenius Mettius, ejus gentis princeps, convocata civium suorum concione exposuit, se vidisse in quiete præcipientem Apollinem, ut, si vellent eo malo liberari, ver sacrum voverent, id est, quæcunque vere proximo nata essent, immolaturos sibi. Quo facto levatis, post annum vicesimum deinde ejusdem generis incessit pestilentia. Rursum itaque consultus Apollo respondit,*

Qui Messanam occupaverunt, ab aliis dicti Campani, *ab aliis* Samnites,

D

E

Diodorus Siculus & Alfius apud Festum collati.

F

dit, non esse persolutum ab iis votum, quod homines immolati non essent, quos si expulissent, certe fore ut ea clade liberarentur. Itaque ii jussi patria decedere, quum in parte ea Siciliæ consedissent, quæ nunc Tauromenitana dicitur, forte laborantibus bello novo Messanensibus auxilio venerunt ultro, eosque ab eo liberarunt. Provinciales quod ob meritum eorum ut gratiam referrent, & in suum corpus communionemque agrorum invitarunt eos, & nomen acceperunt unum, ut dicerentur Mamertini, quod conjectis in sortem XII. *deorum nominibus Mamers forte exierat, qui lingua Oscorum Mars significatur: cujus historiæ auctor est Alfius lib.* I. *Belli Carthaginiensis.* Ita *Alfius*, sive *Festus*. Addit *Cluverius* ad eandem originem nominis istius alludere *Silium* hisce versibus lib. XIV.

Silius cum Diodoro & Alfio collatus.

Incumbens Messana freto, minimumque revulsa
Discreta Italia, atque Osco memorabilis ortu.

Hoc amplius nunquam legisse dicens, *Samnites Osca usos fuisse in Samnio suo lingua*, concludit, (ita scilicet omnes istos, quos supra diximus, auctores, conciliare studens inter sese & cum *Livio*) istos Mamertinos fuisse ex iisdem Samnitibus, qui Capuam occupaverant circiter CIV. annis ante Agathoclem illum tyrannum; & pestilentiam illam intelligendam esse in Campania, non autem in Samnio accidisse. Verum omnia hæc nonne possunt etiam esse vera, si Samnites isti *Campani* fuerint ex illis, qui in Campania Nolam occupaverunt? Sane vero multo magis possunt, quandoquidem Capua nunquam fuit Samnio contributa, ut quidem fuit Nola, de qua ita dixit Epitomator *Livii epit.* lib. LXXXI. *Sylla Nolam in Samnio recepit:* ut jam non dicam, responderi posse, *Alfium* neque de Campanis Samnitibus Capuæ, neque Nolæ urbis loquutum, quia dixit: *Quum de toto Samnio gravis incidisset pestilentia.* Itaque non fuerunt Mamertini Samnitium solummodo Campaniæ proles. Quod si tantum hujus regionis Samnites Osce loquebantur, qua jam ratione L. Volumnius, consul Romanorum, in castra Samnitium, qui Falernum agrum depopulati in Samnium suum reverti parabant, *gnaros Oscæ linguæ exploratum, quid ageretur, misit*, ut lib. x. narrat *Livius?* Sane ipse *Cluverius* lib. III. cap. IX. *De Italia antiqua* parum memor illorum, quæ heic dixerat, ex hisce verbis *Livii* satis confidenter ita collegit: *Osco sunt usi sermone Samnites.* Et intellexit ille Samnites ipsius Samnii, atque ita subjunxit: *Hinc etiam Campani, ab Samnitibus orti, Oscum illud habuere vocabulum Medixtuticus.* Quod ad cetera attinet, *Polybius* dixit, ut supra intelleximus, eosdem Campanos Mamertinos petiisse ab Romanis, *ut sibi, ceu originis commune junctis* (Græca habent ὁμοφύλοις) *opem ferrent.* Ceterum ille per hæc verba non significare voluit arctam quandam sanguinis conjunctionem, quemadmodum illa videtur accepisse *Zonaras tomo* II. sed denotare tantum communem illam originem, quod & ipsi generis essent Italici, ideoque adjuvari deberent contra Syracusanos, natione Græcos. Verba *Zonaræ* apud interpretem (nam Græcum exemplar ejus mihi non adest) ita habent: *Opem Romanorum, ut quos cognatione attingerent, implorarunt.* Et de his quidem Campanis videor mihi dixisse, quantum satis est.

Videri possint ex istis Samnitibus fuisse, qui Capuam occupaverant.

Sed potius illi fuerunt ex Samnitibus Nolanis, qui & ipsi Campani,

Cluverius a se ipso dissentiens.

Et non sanguine quidem, sed patria conjuncti erant Romanis.

Polybius illustratus. Zonaras refutatus.

Jam vero de illis, qui Rhegium occupavererunt, quidnam dicemus? *Polybius* eos appellavit *Romanos*, & ab Romanis tradidit missos in auxilium Rheginis, amicis suis, dixitque eos amicos, non vero consanguineos Mamertinorum. Porro eos, tanquam Romanos ipse *Livius*, *Valerius Maximus*, *Eutropius*, & *Paulus Orosius* descripserunt variis modis. *Livius* lib. XXVIII. ex persona Scipionis magis ipsorum sceleri comparavit seditionem, seu potius rebellionem octo millium militum Romanorum, quam perfidiæ Mamertinorum in Messana urbe, & Samnitium in urbe Capua; (loquor ex ipsius opinione, quæ refutata in superioribus) ubi ita dixit: *Rhegium quondam in præsidium missa legio, interfectis per scelus principibus civitatis, urbem opulentam per decem annos tenuit.* Et mox: *Illi, sicut Campani Capuam, Tuscis veteribus cultoribus ademptam, Mamertini in Sicilia Messanam, sic Rhegium habituri perpetuam sedem erant, nec populum Romanum, nec socios populi Romani ultro lacessituri bello.* Et denuo lib. XXXI. ex persona legati Romani in consilio Ætolorum: *Rhegium Pyrrhi bello legio a nobis, Rheginis ipsis, ut mitteremus, orantibus, in præsidium missa, urbem, ad quam defendendam missa erat, per scelus possedit. Comprobavimus ergo id facinus? an non bello persecuti sceleratam legionem, in potestatem nostram redactam, tergo & cervicibus pœnas sociis pendere cum coëgissemus, urbem, agros, suaque omnia cum libertate legibusque Rheginis reddidimus? Valerius Maximus* cap. VII. lib. II. quo de militari disciplina agitur, inter alia hoc quoque severitatis exemplum adduxit, qua Senatus Romanus usus in puniendis militum delictis: *Milites, qui Rhegium injusto bello occupaverant,* (& heic, & in sequentibus hujus narrationis omitto varietatem illam observare, quam alioqui extra nostram quæstionem animadvertere licet apud auctores) *mortuoque duce Jubellio M. Cæsium scribam ejus sua sponte Imperatorem delegerant, carceri inclusit, ac M. Fulvio Flacco tribuno pl. denunciante, ne in cives Romanos adversus morem majorum animadverteret, nihilominus propositum exsequutus est. Eutropius* lib. II. & *Paulus Orosius* lib. IV. cap. III. illam legionem fuisse octavam scripserunt. Itaque prorsus nullo pacto fuerunt illi Campani, ut nec Campani Samnites

Illi, qui Rhegium occupaverunt, milites fuerunt civesque Romani,

Livius sibi constans, & illustratus collatusque cum Valerio Maximo.

Et quidem legionis octavæ,

Veruntamen *Cluverius* pro sua sententia citat *Strabonem*, lib. VI. ubi ille ita de Rhegio dixit: *Sub ætatem Pyrrhi Campanorum præsidium incolas violatis pactis circumventos interfecit.* Et insuper *epitomen Livianam* lib. XII. ubi ita legitur: *Cum in præsidium Rheginorum legio Campana cum præfecto D. Jubellio missa esset, occisis Rheginis Rhegium occupavit.* Item lib. XV. ubi ita Epitomator: *Legio Campana, quæ Rhegium occupaverat, obsessa, deditione facta securi percussa est.* Potuisset etiam addere, Campanum fuisse gentem *Jubelliam*, quæ deinde produxit celebrem illum apud eundem *Livium Valerium Maximum*, & *Ciceronem*, Jubellium Tauream. Neque etiam ille omisisset, *Diodorum Siculum* quoque lib. XXII. apud *Constantinum Porphyrogenitum*, si hic liber jam ætate sua typis fuisset vulgatus, quemadmodum eum deinde publicavit *Henricus Valesius*, diserte illum Decium dixisse genere *Campanum*, ejusque milites etiam *Campanos*, hisce ex ejusdem *Valesii* interpretatione verbis: *Cum præsidium in opidum Rheginorum a Romanis missum fuisset, Decius tribunus, genere Campanus, vir singulari audacia & cupiditate, Mamertinorum perfidiam æmulatus est. Namque ut illi amicorum specie a Messeniis excepti, & urbem ipsam occuparant, & civibus singulis ad suos lares jugulatis, matresfamilias hospitum suorum conjuges sibi asciverant, & in occisorum bona invaserant; ita & milites Campani, quibus una cum Decio Rhegii custodia commendata ab Romanis fuerat, simili perfidia Rheginos omnes occiderunt: bonis eorum inter se divisis, urbem quasi bello captam, occupaverunt. At præfectus præsidii Decius, cum miserorum bona vendidisset, & pecuniam ex auctio-*

Qua ab aliis dicta fuit legio Campana a cognomine tribuni sui.

ne redactam mala fide eſſet partitus a Campanis, ſceleris ejus ſociis, Rhegio expulſus eſt. Enimvero univerſi perfidiæ tandem pœnas dederunt. Etenim Decius gravi oculorum dolore correptus Rheginum quendam celeberrimum medicum accerſivit, qui injuriam patriæ ultus Decii oculos linivit cantharidibus, ſicque excœcato Decio quamprimum Meſſanam anfugit. Huc uſque *Diodorus*. Verum neque ille apud eundem *Conſtantinum* duobus validis caret adverſariis, quos una cum ipſo itidem in lucem emiſit *Valeſius*; neque tamen etiam verba ſimul ejus & aliorum auctorum, quos ſupra diximus, carent ſatis probabili interpretatione. Primum illi opponitur iſtic *Dio*, qui licet non aperte *Romanos* dixerit milites præſidii iſtius, *quod petentibus Rheginis a Romanis miſſum eſt cum præfecto, nomine Decio*; certe illos etiam non appellavit *Campanos*, imo vero ita de illis eſt loquutus, ut ſatis certo non pro Campanis, ſed pro Romanis ſint habendi. *Horum militum* (ita Latine habent ejus verba) *pleroſque ex nimia commeatuum copia & cætera mollitie (quippe longe delicatiore illic cultu agebant, quam domi) mala cupido inceſſit, incitante maxime Decio, occiſis Rheginorum principibus urbem occupandi.* Quantum hæc omnia congruant cum *Livii* narratione lib. VII. ubi narrat, plane ex conſimili cauſa præſidiarios milites Romanos idem ſcelus fuiſſe molitos in urbe Capua, ab ipſo & omnibus adeo aliis nimiæ mollitiæ luxuriæque accuſata, ultro ſatis eſt manifeſtum. Sed inſuper illi contradicit *Appianus Alexandrinus* iſta narratione ſua, quæ, quantum ad noſtrum argumentum attinet, prorſus convenit cum illa, quam ex *Polybio*, *Livio*, *Valerio Maximo*, *Eutropio*, & *Oroſio* intelleximus, quæque, ad cetera quod attinet, magnam quoque partem multo accuratior eſt & probabilior, quam illorum narratio. Illa itaque lib. III. cui *Samniticorum* titulus, ita habet: *Milites Romani, qui pro ſalute & cuſtodia Rheginorum adverſus hoſtium excurſiones præſidium agebant ſimul cum præfecto Decio, cum in felicitatem opidanorum cupiditatis oculos conjeciſſent, obſervato ſolenni feſto, quo publice omnes epulabantur, eos interfecerunt, uxoreſque eorum invitas ſibi copularunt. Cauſam autem ſceleris ſui hanc prætendebant, quod Rhegini præſidium Pyrrho prodere voluiſſent. At Decius quidem repente ex præfecto tyrannus evaſit, & cum Mamertinis finitimis, qui ad Siculum fretum habitant, ſocietatem percuſſit, qui quidem & ipſi nuper pari ſcelere adverſus hoſpites ſuos uſi erant. Cæterum gravi oculorum dolore correptus Decius, cum Rheginorum medicis diffideret, medicum quendam ex urbe Meſſana accerſivit, qui jam pridem Rhegio Meſſanam migraverat, ac proinde Rheginuſne eſſet, obſcurum erat. Hic Decio perſuaſit, ſi liberari eo delore quam primum vellet, ut medicamentis calidioribus uteretur, ſtatimque impoſito ejuſmodi collyrio, quod adurendi ac depaſcendi vim haberet, eum dolorem tantiſper tolerare juſſit, quoad ipſe rediiſſet. Interim clam in opidum Meſſanam navigavit. At Decius cum dolorem diu ſuſtinuiſſet, tandem diluto collyrio luminibus ſe eſſe orbatum reperit. Nec multo poſt Fabricius, ad hæc reſtituenda miſſus a Romanis, & urbem Rheginis, qui adhuc ſupererant, reddidit, & milites defectionis auctores Romam miſit, qui in medio foro virgis cæſi & capite truncati ſunt: Sepultura quoque cadaveribus denegata. Decius vero orbatus luminibus cum arctiſſima cuſtodia teneretur, manus ſibi attulit.* Ita *Appianus*, qui multa hujus rei geſtæ omnibus aliis narravit accuratius. Jam vero, ut iſtuc revertamur, an potius fidem habendam eſſe cenſemus *epitomatori Liviano*, quam ipſi *Livio*? Porro an incredibile eſt, Ju-

Dio ab Diodoro Siculo diſcors.

Dio & Livius collati.

Appianus Alexandrinus cum Dione conſentiens, & laudatus.

A bellium iſtum fuiſſe dictum *Campanum*, non quod natus eſſet in urbe Capua, ſed quacunque alia de cauſa ex iſtis, quæ materiam & occaſionem ſubminiſtrare cognominibus ſolent; & item aliam gentem, *Jubelliam* itidem dictam, fuiſſe Romanam? Certe nunquam dixiſſet *Livius*, Campanos militaviſſe in legionibus Romanorum, quandoquidem ille eos lib. x. deſcripſit in alis militantes, hoc eſt, inter copias [1] auxiliares hiſce verbis: *Tum Fabius audito morte collegæ, Campanorum alam, quingentos fere equites, excedere acie jubet*: qua de re videri poteſt *Lipſius* lib. II. cap. VII. *De militia Romana*. Sed forſan aliquis B dixerit, cum Campani civitatem Romanam adepti fuerint, ut *Vellejus* noſter lib. I. teſtatur, inde uſque a Sp. Poſtumio & Veturio Calvino Coſſ. qui fuit ab Urbe condita annus CCCCXXXII. ſatis poſſe cives Romanos fuiſſe milites iſtos Campanos, quibus deinde ejuſdem epochæ anno CCCCLXXIII. Rhegium tuendum commiſere Romani, cum Pyrrhus rex trajecit in Italiam, ut ſupra prorſus nemine diſſentiente intelleximus. Et ex hiſtoria *Polybii* lib. II. & item ex *Fabii Pictoris* apud *Oroſium* lib. IV. cap. XIII. videri queat colligi poſſe, eodem Campanos iſto tempore militaviſſe in legionibus. Nam in recenſione exerC citus Romani bello Gallico, L. Æmylio Papo, C. Attilio Coſſ. hoc eſt anno ab Urbe condita DXXVIII. ſigillatim ipſi memoraverunt numerum copiarum, quas omnes alii populi ſocii auxilio miſerant Romanis: ſed quod ad militum quidem Campanorum attinet numerum, non perinde fecerunt, & adeo non diſtinxerunt eos ab Romanis, ut ex ipſorum verbis, quæ in *Diſſertatione* III. retulimus, apparere poteſt. Et ex eadem hac conjunctione judicare etiam poſſit illud deinde accidiſſe, quod legebatur in vetuſtis quibuſdam *Annalibus*, quos lib. XXIII. citavit *Livius*, ex quo illud deſumpſit *Auſonius*, in caD talogo urbium illuſtrium de Capua ſcribens: nempe Campanos poſt cladem Romanorum ad Cannas Romam legatos miſiſſe, *poſtulantes, ut alter conſul Campanus fieret, ſi rem Romanam adjuvari vellent*: quod poſtulatum ex ſententia *Livii* confuſum fuit cum illa petitione, qua plane idem ab Romanis flagitaverunt Latini, quorum prætor L. Annius Setinus in publico gentis ſuæ concilio de ipſarum apud Romanos militia loquutus eſt eodem modo, quo Campanos etiam loqui conveniſſet ſecundum iſtam, quam diximus, *Polybii* & *Fabii Pictoris* deſcriptionem. *Si ſocialis illis exercitus is eſt*, dicebat Setinus ille de RoE manis) *quo adjuncto duplicent vires ſuas, quem ſecernere ab ſe conſules bellis propriis ponendis ſumendiſque nolint, cur non omnia æquantur? cur non alter ab Latinis conſul datur? ubi pars virium, ibi & imperii pars eſt.* Ex omnibus aliis Italiæ populis, licet ſociis Romanorum, nulli ad hunc modum loqui potuiſſent præterquam iidem Latini & Campani ſoli. Verum hac de re agere non eſt hujus loci. Interea ſatis eſt certum, non per cognationem aliquam, de qua nihil dixit *Polybius*,

Campani autem militaverunt in alis, non vero in legionibus.

Licet illi, cum temporibus iſtis fuerint cives Romani videri poſſint in eorundem exercitu eadem cum ipſis conditione militaviſſe;

Atque hanc ob cauſam poſtulaviſſe etiam, ut alter conſul Romanorum ex Campanis crearetur.

Livius collato Polybio & Fabio Pictore notatus.

F [1] Etſi hæc quæſtio non adeo magni eſt momenti, utrum Campani in legionibus Romanorum, an vero in alis, ſeu inter copias auxiliares militaverint, tamen ex hoc loco *Livii* poſterius probare perperam conatus eſt auctor. *Ala* enim præcipue & ſpeciatim notat manum equitum, ut hic quoque *Livius* uſurpavit. Sed & ſociorum pedeſtres copiæ auxiliares dictæ ab Romanis fuerunt *alarum* nomine, quod legionibus mediam aciem tenentibus ipſæ ad cornua locarentur, perinde ut equitum alæ cornua utrinque pedeſtris aciei claudebant. Itaque debuerat auctor afferre locum quendam, ubi pedites Campani *ala* aut *alariorum* nomine dicerentur.

lybius, sed ob ejusdem sceleris consortium, ut notavit idem auctor, admodum amicos fuisse istos, qui Rhegium, cum illis, qui Messanam occupaverant, qui alioqui debuissent esse inter se inimici propter inimicitias, quæ temporibus istis erant inter Samnites & Romanos: ut adeo *Cluverius* perperam illos ejusdem quoque gentis fuisse judicaverit cum illis, qui Entellam occupaverunt.

XIII. *Campani genere Etrusci novum adversus Samnites bellum cum suscepissent ad Sidicinos defendendos, in eoque inferiores evasissent, opem imploravere Romanorum, qui per illorum deditionem primum potiti sunt Campania Capuana, & deinde reliqua Campaniæ Felicis una cum Campania vetere suæ ditionis fecerunt.*

Campani ex illius opinione, qui eos pro Samnitibus habuit, cum Sidicinorum susciperent defensionem, Felicem & veterem Campaniam tenebant,

JAm hoc ultimo loco illud declarandum superest, qualis fuerit illa Campanorum, deditio, quam ipsi fecerunt Romanis, qui per eam suscepta eorundem defensione, Campaniæ facta fuerunt legitimi domini, ut adeo Samnites ex ea ejicere justo bello possent, qui eam injuste occupaverant. Sed antequam hoc aggrediamur, notandum est, *Livium*, ex quo uno accuratius hanc narrationem habemus, quam ex omnibus aliis auctoribus, hisce de rebus loquutum congrua cum istis, quæ de præcedentibus apud Campanos rebus gestis exposuerat. Et igitur *Livio* auctore primi isti Samnites, qui ex ipsius opinione post Capuam Etruscis ademptam facti jam erant Campani, temporibus belli sui cum Samnitibus Samnii, quod ortum occasione Sidicinorum, cummaxime tenebant & Nolam, & Nuceriam, & una cum integra Felice veterem quoque Campaniam: ut adeo cum magna esset ipsorum potentia, rebusque uterentur prosperis, ipse eos dixerit *arcem finitimorum*. Sed si omnia hæc sunt vera illud non potest esse verum, Nolam fuisse occupatam ab Samnitibus isto modo, quo judicavi ego de Capua capta fuisse dictum, quod de Nola capta dici debebat. Et adeo dicendum erit, eam deinde una cum reliquis istius tractus ad Silarum usque amnem ab ipsis fuisse occupatam per alia ista nova bella, quibus ad ultimum Campani ad incitas redacti fuerunt, & dedititii Romanorum facti. Jam utra harum opinionum sit probabilior, de eo heic non multum quærere libet. Sane enim mihi videtur satis superque esse repertum a nobis, quod quærebamus: hoc est, Samnites Campanis Etruscis, qui contra ipsos defensionem Sidicinorum susceperant, non vero Campanis ex ipsorum gente, imperium ademisse Campaniæ; eosque postmodum ex sententia *Strabonis* vicissim eo dejectos ab Romanis. Et adeo cum nihil etiam attineat iterum allegare verba *Livii*, quæ supra retulimus, quanquam ceteroquin opus habebo narrationem ejus ad partes vocare, quatenus illa non pugnat cum aliorum auctorum veterum dictis, quæ jam intelleximus, cœptum argumentum sine mora exsequi pergam.

Quibus rebus hanc eos spoliaverunt alii Samnites.

Campani Etrusci, inutiles Sidicinorum contra Samnitas defensores,

Itaque Campani Etrusci, qui republica sua ad istum modum formata, quem nobis indicavit *Diodorus Siculus*, potentiam suam auxerant subactis Cumis, ac proinde magnam nominis sui famam comparaverant; cum deinceps opem ipsorum implorarent Sidicini, injusto bello ab Samnitibus oppugnati, prompti eorum defensionem susceperunt, ut quæ ipsorum dignitati conveniens esse videbatur. Sed eorum auxilium & amicis nulli fuit usui, & sibi magno damno. Etenim *magis nomen* (ut *Livii* verbis utar) *ad præsidium sociorum, quam vires cum attulissent, fluentes luxu ab duratis usu armorum in Sidicino pulsi agro in se deinde molem omnem belli verterunt.* Et adeo iterum victi ingenti prælio, cum prorsus nullo modo resistere Samnitibus possent amplius, vix intra mœnia sua se tuebantur: ac proinde Samnites nullo prohibente quocunque locorum ad lubitum populabundi pervagabantur. In hoc statu res erant, quando *cum* (subjunxit *Livius*) *robore suæ juventutis occiso nulla propinqua spes esset, coacti sunt ab Romanis petere auxilium. Legati introducti in Senatum maxime in hanc sententiam loquuti sunt.* Jam ex illa oratione, quam idem auctor ad arbitrium suum formavit, ut alias etiam facere solitus fuit, nonnisi illa verba afferam, quæ pro re nata maxime ad nostrum argumentum facere videbuntur. In summa hoc effectum est legatione ista, ut Campani se ipsos atque urbem omniaque sua dederent Romanis, qui cum ea de causa defensionem eorum suscipere deberent, primum denuntiaverunt Samnitibus, *ut Capua urbe Campanoque agro abstinerent.* Sed cum superbum ab illis responsum accepissent, *jussu populi consules ambo cum duobus ab Urbe exercitibus profecti, Valerius in Campaniam, Cornelius in Samnium, ille ad montem Gaurum,* (ad tuendum agrum Cumanum, in quem facile erat ex Nola urbe Samnitibus excurrere faventibus Neapolitanis, amicis suis) *hic ad Saticulam,* (ut eosdem Samnites prohiberet infestare loca, Capuæ ab ista parte vicina) *castra ponunt.* Atque hoc tempus fuit omnium primum, quo Romani arma in Campaniam intulerunt, observante etiam *Sigonio* lib. I. cap. X. *De antiquo jure Italiæ.* Ita inter Romanos & Samnites atrox sane bellum exarsit, quod novis utrinque causis irarum accedentibus per multos annos duravit, cum interim Campani ista satis arcta quasi obsidione liberati viderentur. In hanc sententiam legatus Saguntinorum, apud *Silium* lib. I. Senatum Romanum alloquens dixit:

Cum neque se ipsos tueri possent, ita ut intra mœnia sua se continere cogerentur,

Dediderunt sese Romanis, quo eorum imperitarent auxilium, ab iisque non sequiter defensi sunt,

Livius illustratus.

Ita ut quasi obsidione liberati viderentur.

Silius illustratus duobus locis, & cum Livio collatus.

— — — *Vos & Campana tueri*
Mœnia, depulso Samnitum robore, dignum
Sigæis duxistis avis. — — —

Et ad eundem modum Decius Magius dicebat apud eundem poëtam lib. XI. de iisdem Romanis ad Campanos suos, amicitiam cum Hannibale jungere gestientibus:

Hi sunt, qui vestris infixum mœnibus hostem
Dejecere manu, & Capuam eripuere superbis
Samnitum jussis. — — —

Livius pluribus locis illustratus.

Nam ita ille alludere voluit ad verba ista, quæ *Livius* quasi ex ore legatorum illorum Campanorum refert: *Eo ventum est, patres conscripti, ut aut amicorum, aut inimicorum Campani simus. Si defenditis, vestri, si deseritis, Samnitium erimus.* Sane enim, si jam tum Capua ejusque Campania fuissent in potestate Samnitium, non possent mox iidem legati ita subjunxisse: *Capuam ergo & Campaniam omnem vestris, an Samnitium viribus accedere malitis, deliberate.* In eundem sensum postea de eorundem Samnitium crudelitate ita loquuti sunt: *Ea ad oppugnandam Capuam rapit: aut delere urbem pulcherrimam, aut ipsi possidere volunt.* Et iterum quoque, ad Senatum Romanum conversa oratione: *Vobis arabitur ager Campanus, vobis Capua urbs frequentabitur.* Item tertio in hunc modum. *Itaque populum Campanum, urbemque Capuam, agros, delubra Deûm, divina humanaque omnia in vestram, Patres conscripti, populique Romani ditionem dedimus.* Et

cum his optime congruit illud, post hanc deditionem fuisse tum ad Samnites missam, ut supra intelleximus, legationem istam, quæ illis denunciaret *populi Romani Senatusque verbis*, *ut Capua urbe agroque Campano abstinerent.* Atque hinc Varro, consul Romanorum, apud eundem auctorem lib. XXIII. post cladem Cannensem ita dixit ad legatos Campanorum: *Veniat in mentem, ut trepidos quondam majores vestros intra mœnia compulsos, nec Samnitem modo hostem, sed etiam Sidicinum paventes*, (an forte sibi metuentes perinde ab amicis ac inimicis? aut an forte alludit ad gesta quædam hodie ignota? aut an potius ille, dum ex alterius persona loquitur, gestorum narrationem more suo invertit, parum solicitus de rei veritate?) *receptos in fidem apud Saticulam defenderimus.* Atque adeo *Silius* non aliud indicare voluit, quam *Livius* nobis exposuerat.

Livius illustratus.

Sed non perinde fecit *L. Florus*, quantumvis ille nomine historici, non vero poëtæ censeatur. Atque hoc facile deprehendi poterit, si ipsius & *Livii*, verba inter se conferantur. Etenim *Livius* Romanos ab solis Campanis, hoc est, Capuæ civibus prodidit invitatos ad suam agrique Campani defensionem. Et quantum quidem hanc ad rem attinet, præter illa, quæ supra jam notavimus, legatos eorum ad hunc modum loquutos introduxit: *Annuite, Patres conscripti, nutum numenque vestrum invictum Campanis, & jubete sperare incolumem Capuam futuram.* Porro dixit, cum ipsi hoc Campani negare nequirent, Samnites aliquanto priores fuisse amicos Romanorum, eos hæc subjunxisse verba: *Neque hercule, quod Samnites priores amici sociique vobis facti sunt, ad id valere arbitror, ne nos in amicitiam suscipiamur*; & Senatum Romanum ad hæc respondisse, justum esse quidem non refutare novos amicos, sed ita, *ne qua vetustior amicitia ac societas violetur.* Denique autem hanc solam ille rationem reddidit, cur Romani eorum deditionem acceperint, defensionemque susceperint, quia *urbs maxima opulentissimaque Italiæ, uberrimus ager marique propinquus ad varietates annonæ horreum populi Romani fore videbatur*, prout nimirum cupiditate ejus incensi fuerant ab iisdem legatis, qui eis ita dixerant: *Vobis arabitur ager Campanus, vobis Capua urbs frequentabitur.* Sed *Florus* lib. I. cap. XVI. exaggeratione usus vere poëtica, quæ partim huic historiæ minime erat opus, partim etiam nequaquam conveniebat, non Campanæ civitati, sed Campaniæ hoc tribuit, Romanos in auxilium suum defensionemque solicitatos: quasi scilicet Campania illa, quam Samnites infestabant, diversa fuisset ab isto agro Campano, qui, ad Capuam cum pertineret, per deditionem factus est Romanorum. Porro etiam affirmare ausus est, Romanos nihil fuisse Samnitibus, quam Campanis amiciores: id forte propterea, quod judicaret (sed *Livio* quidem oportet visum fuisse, non istis excusationibus hanc rem egere) non satis juste actum fore ab Romanis, si ob solam possidendi aviditatem adeo faciles fuissent in relinquenda vetere Samnitium amicitia. Insuper ille non minori veritatis dispendio præter amplitudinem opulentiamque Capuæ urbis, & circumjectæ regionis fertilitatem, quæ solæ causæ memorantur apud *Livium*, amœnitatem quoque urbium Campanarum ad mare magnum fuisse Romanis incitamentum ad tantum operis suscipiendum dixit. Et adeo ille non cogitavit, loca nostra maritima necdum proximis aliquot seculis fuisse in pretio, ut in hisce *Dissertationibus* pluries a nobis est observatum. Et verba quidem ejus ita habent: *Precibus Campaniæ motus* (populus Romanus) *non pro se, sed, quod est speciosius, pro sociis Samnitas invadit. Erat fœdus cum utrisque percussum: sed hoc Campani Sanctius & prius omnium suorum deditione fecerant.* Tum deinde post laudatas in genere dotes Campaniæ, quas in tertia *Dissertatione* notavimus, ut & lacuum montiumque ejus, & post memoratas etiam amœnas ejus urbes maritimas, videlicet Formias, (de hac descriptione non repetere heic opus est, quæ alibi diximus) Cumas, Puteolos, Neapolim, Herculaneum, Pompejos, & caput omnium Capuam, ita subjunxit: *Pro hac urbe, iis regionibus, populus Romanus Samnitas invasit.*

Romani a Campanis fuerunt solicitati contra Samnites,

A recentibus amicis contra veteres,

Ea illi quidem, ut Capua urbe ejusque uberrimo agro potirentur, acceperunt conditionem.

Florus in multis Livio contrarius, & refutatus ac notatus.

Ceterum ille non tantum ipsa tempora anticipavit ad istum modum, quem diximus, sed insuper etiam jura dominiorum confudit in hisce verbis ultimis. Certe enim isto tempore neque Pompejos tenebant Etrusci Campani: nam Neapolis quidem nunquam fuit in ipsorum potestate. Et adeo cum hæce urbes non possint comprehensæ fuisse ista eorum deditione, falso dixit *Florus*, pro illis quoque Romanos bellum intulisse Samnitibus, quos oportet iisdem Etruscis ademisse duas istas priores una cum reliquis istius tractus non tantum ad Sarnum, sed etiam ad Silarum usque amnem, jam ab isto tempore, quo Nolam occupaverunt, ut supra notavimus. Neque etiam easdem istas urbes jam tum perdiderant, ut manifeste apparebit ex illis, quæ paulo abhinc subjungam. Ager Campanus, quem Campani una cum semet ipsis, suaque urbe, omnibusque suis dediderunt Romanis, judicari potest fuisse idem ille, quem, *Livius* alio nomine *Campaniam* dixit, quam nos in prima *Dissertatione* descripsimus, & de nomine possessorum ejus *Capuanam* diximus cognominis loco; quæque nec ultra Volturnum flumen ab isto latere, nec ultra Acerras ab adverso latere pertinebat. Atque hæc proprie fuit Capuæ urbis territorium, quod alio tramite a Tifatis collibus ad mare usque patebat, ita ut in medio Atellam, in confiniis autem haberet, a Volturno quidem flumine Casilinum, a mari autem Volturnum, Liternum, Cumas, & Puteolos, (jam dictum est, Neapolim non pertinuisse ad Campanos) & denique ab Acerris versus eadem Tifata Suessulam & Galatiam, satis vicinam. Certe legati Campanorum, qui in oratione sua ad Senatum Romanum indicaverant, agrum Sidicinum esse extra Campaniam proprie dictam, hisce verbis: *Parum fuit, quod semel in Sidicino agro, iterum in Campania ipsa legiones nostras cecidere*; ubi mox ita subjunxerunt: *Eo ventum est, Patres conscripti, ut aut amicorum, aut inimicorum Campani simus. Si defenditis, vestris, si deseritis, Samnitium erimus. Capuam ergo & Campaniam omnem vestris an Samnitium viribus accedere malitis, deliberate*; non aliter dicere voluerunt de eadem particulari Campania, quam de parte majoris, hoc est, Felicis Campaniæ, in qua Samnites tenebant Nolanum & Nucerinum tractum una cum Herculaneo & Pompejis, & nisi retro fuissent pulsi, obtinuissent occupata Capua hanc alteram ejus partem, ut adeo integræ fere Campaniæ illius domini fuissent evasuri. Quod si illorum admittamus opinionem, qui illorum atque Ausonum, qui in eadem regione obtinebant illum tractum, qui Volturnum inter & Lirim amnes est, unam fuisse gentem voluerunt, non aliud restabat illis, quam hanc solam occupare Campaniam Capuanam. Contra autem visus est Romanis per istam deditionem itidem aperiri satis facilis aditus ad subigenda reliqua majoris Campaniæ, ut & postea factum est. Atque si huc *Florus* respicere quodammodo voluisset in hisce verbis

Urbes Nolani & Nucerini tractus ad Silarum usque in Samnitium potestate erant, cum Romanis sese dediderunt Campani, Florus refutatus.

Qui isto tempore nonnisi Capuanam Campaniam tenebant.

Livius illustratus.

Florus ambigue illustratus & defensus.

verbis ultimis: *Pro hac urbe, iis regionibus, populus Romanus Samnitas invasit*; eum ego isto nomine non reprehenderem. Sane enim videtur mihi *Livius*, qui hac in re optime sibi constat, cum præterea non videam quenquam alium ipsi adversari, pro certo ejusdem auctore habendus esse, nisi temere heic illi negare fidem libeat. Jamque potuimus animadvertere, cum ipsius contextu satis bene congruere *Strabonis* verba, quæ pluries retulimus, & ex quibus intelleximus, Campania, Etruscis adempta ab Samnitibus, hos vicissim expulsos fuisse ab Romanis. Atque hoc, quantum quidem attinet ad illam partem ejus, quam ego dixi *Campaniam Capuanam*, accidit isto tempore, modoque, quem jam indicavimus: quomodo autem reliqua occupaverint ab utroque latere ejusdem regionis, idem *Livius* satis prolixe descripsit. Et adeo narrationis hujus examinare heic conveniet illa, quæ ad nostrum argumentum facere possunt.

Strabo & Livius concordes.

Itaque Ausones divisim incolebant multis urbibus integram fere illam alteram Felicis Campaniæ partem, quæ ultra Volturnum flumen erat, Sidicinique istic etiam urbem suam habebant, Teanum nomine, cum ex prædicta causa diuturnum istud bellum Samnites inter & Romanos conflaretur, quos inter populos varia fuerunt & cruenta certamina, nec minus varia mediis temporibus pacis interstitia. Interim vero populus Campanus nihil quicquam remiserat de suo contra Samnites inimicos odio, quandoquidem biennio post, quamtumvis equitibus dissentientibus, denuo contra eos cum Sidicinis Latinisque conjunxit arma, & contra ipsos quoque liberatores suos, qui eis hoc interdixerant, insurgere non dubitavit: unde factum, ut rebelles multarentur ab Romanis, agro Falerno, qui publicus erat populi Campani, anno CCCCXIII. ab Urbe condita, T. Manlio Torquato tertium, P. Decio Mure Coss. Etiam Romani eodem anno in deditionem acceperant Auruncam urbem, quæ & ipsa fortasse conjuraverat cum Latinis. Sed cum hanc triennio post, C. Sulpicio Longo, P. Ælio Pæto Coss. diruissent in proximo Sidicini, Romani ad vindictam exstimulati primum expugnaverunt Cales urbem M. Valerio Corvo quartum, M. Attilio Regulo Coss. hoc est, anno ab Urbe condita CCCCXVIII. Nam hæc civitas pro iisdem Sidicinis arma ceperat, quamobrem anno sequenti victores eo miserunt colonorum duo millia & quingentos. Et quamvis apud eundem auctorem nihil quicquam legatur de Teano, ipsorum Sidicinorum urbe, capta ab Romanis, judicare tamen licet, hanc quoque non diu servitutis expertem mansisse. Et ego quidem persuasum habeo, eam jam in illorum potestatem concessisse ante M. Petilium & C. Sulpicium Coss. qui fuit ab Urbe condita annus CCCCXXXIX. quo iidem Ausonam, Minturnas, & Vesciam, Ausonum urbes ceperunt per proditionem quorundam ex civibus earum, cum illæ conspirationis cum Samnitibus accusarentur. Atque hoc accidit uno eodemque tempore modoque, *sed quia* (ejusdem *Livii* verba sunt lib. IX.) *absentibus ducibus impetus est factus, nullus modus cædibus fuit, deletaque Ausonum gens vix certo defectionis crimine, perinde ac si internecino bello certasset*. Ceterum hos Auruncos, hoc est, universam gentem Auruncam, qui alio nomine *Ausones* dicti eadem significatione, jam multo ante acie fuisse victos a consule Romanorum P. Servilio, nempe jam anno CCLVIII. ab Urbe condita, supra notavimus, ubi de agro Falerno fuit actum, ex auctoritate *Dionysii Halicarnassensis*. Veruntamen eos non jam tum, sed isto demum tempore, quod notavit *Livius*, in potestatem venisse Romanorum, saltem quatenus illi ad Lirim amnem colebant, satis videtur probabile, quandoquidem nihil omnino hac de re dixit idem *Dionysius* & nec apud ipsum, nec apud alios ullum ejus indicium comparet per spatium insequentium annorum CLV. Verum quod ad cetera attinet, legitur in Tabulis Capitolinis idem consul Torquatus eodem tertio consulatu suo triumphavisse de Latinis, Campanis, Sidicinis, Auruncis:

Adhuc isto tempore Ausones & Sidicini tenebant Campaniam Felicem ultra Volturnum, Ubi populus Campanus habebat agrum Falernum, mox ipsi ademptum ab Romanis,

Qui in isto tractu eodem quoque anno Auruncam in deditionem acceperunt, & mox ibidem ceperunt Cales.

Nec multo post Teanum, & novissime Ausonam, Vesciam, & Minturnas:

T. MANLIUS L. F. A. N. IMPERIOSS. TORQVAT. A. CDXIII. CCSS. III. DE LATINEIS CAMPANEIS SIDICINEIS AVRVNCEIS XV. K. JVNIAS

Et adeo conveniens est, eodem quoque tempore primum accidisse Teani deditionem, cum Sidicini necdum diruissent Auruncam, quod haud scio an *Livio* compertum fuerit, cum quidem videam eum id tacuisse. Itaque Romani, *quia toties jam Sidicini* (ut tamen verbis ejus utar) *aut ipsi moverant bellum*, (nempe contra Auruncos) *aut moventibus* (intelligit Latinos) *auxilium tulerant, aut causa armorum fuerant*, (videlicet inter Samnites & Campanos, unde ipsi mox Romani bello impliciti) *omni ope annixi sunt, ut maximum ea tempestate Imperatorem M. Valerium Corvum consulem quartum facerent*, qui eodem anno, ut supra dictum, expugnavit Cales. Ad hunc itaque modum in potestatem Romanorum concessit haud admodum bello diuturno etiam ista ultra Volturnum pars Felicis Campaniæ temporibus istis, quæ notavimus, licet postea istic non levia sæpenumero detrimenta passi fuerint ab vicinis Samnitibus, quorum ipsi vicissim plus semel fuderunt fugaveruntque exercitus. Propter hunc timorem A. Cornelio secundum & Cn. Domitio Coss. qui erat ab Urbe condita annus CCCCXXI. cum necdum confectum esset bellum contra Sidicinos, *& Samnium quoque* (ut ejusdem *Livii* verbis utar lib. VIII.) *jam alterum annum turbari novis consiliis suspectum esset, eo ex agro Sidicino exercitus Romanus non est deductus*. Et ne sigillatim omnia referre habeamus opus, quæ temporibus insequentibus ibidem gesta fuerunt Romanos inter & Samnites, hoc allegare sufficiet, quod lib. X. legitur apud eundem auctorem. Nempe L. Volumnio, Appio Claudio Coss. qui fuit ab Urbe condita annus CCCCLVII, *in Samnio novi exercitus exorti, ad depopulandos imperii Romani fines, per Vescinos in Campanum* (intelligit agrum Stellatem) *Falernumque agrum transcendunt, ingentesque prædas faciunt*. Atque hos ibidem locorum MCX ingenti prælio vicit consul ille Volumnius: & adeo postquam *magnum ea populatio Campani agri tumultum Romæ præbuerat*, deinde literæ ejus *parte curæ exonerarunt Senatum, quibus cæsos fusosque populatores Campaniæ cognitum est*. Subjunxit *Livius*: *Tum de præsidio regionis depopulatæ ab Samnitibus agitari cæptum. Itaque placuit, ut duæ coloniæ circa Vescinum & Falernum agrum deducerentur: una ad ostium Liris fluvii, quæ Minturnæ appellata; altera in saltu Vescino, Falernum contingente agrum, ubi Sinope dicitur Græca urbs fuisse, Sinuessa deinde ab colonis Romanis appellata: nec, qui nomina darent, facile inveniebantur, quia in stationem se prope perpetuam infestæ regionis, non in agros mitti rebantur*.

Livius notatus & illustratus.

Ob quorum locorum defensionem frequentia ipsis certamina fuerunt cum Samnitibus.

Veruntamen multo adhuc frequentiora fuerunt, si recte observentur ejusdem auctoris verba lib. VII. lib. VIII. & lib. IX. illorum certamina, quæ per eosdem annos commissa fuerunt circa Cau-

Romani plus quam in qualibet alia Felicis Campania

parte creberrimas pugnaverunt pugnas cum Samnitibus circa Caudium & Nolam,

Caudium & Nolam. nam de illis quidem, quæ extra hanc regionem conserta fuerunt, nostrum non est dicere. Enimvero si ex istis urbibus Samnites ex inveterato Campanorum odio probabile est infestavisse Campaniam Capuanam tanto crudelius frequentiusque, quanto hoc ipsis erat facilius ob istorum circa locorum planitiem, (& erant in hujus Campaniæ limitibus ab ista parte positæ Suessula & Acerræ urbes, ut alibi notavimus) non minus ipsi ibidem locorum passi sunt gravia sane ab Romanis damna. Etenim in planis istis agri Campani anno ab Urbe condita CCCCXXXIX. quem supra etiam memoravimus, M. Pœtelio & C. Sulpicio Coss. ingens illud prælium est commissum, quo ut *Livius* dixit, *ad triginta millia cæsa aut capta Samnitium, proditum memoriæ est*, neque alios ex eo evasisse, *nisi qui Maleventum, cui nunc urbi Beneventum nomen est, perfugerunt.* Tum C. Poetelius Dictator Romanorum, nihil moratus tantæ victoriæ cursum, sequenti anno Nolam obsidione cinxit, L. Papirio Cursore quintum, C. Junio Bubulco Secundum Coss. ubi *se intra mœnia sub adventum dictatoris & Samnitium omnis multitudo, & Nolana agrestis contulerant. Nec ita multo post sive a Pœtelio dictatore, sive ab C. Junio consule (nam utrumque traditur) Nola est capta. Qui captæ decus Nolæ ad consulem trahunt, adjiciunt, Atinam & Calatiam ab eodem captas.* Atque jam non videor mihi opus habere laborare multum, ut demonstrem, occupata ista urbe, quæ ab satis longo jam tempore præcipua fuerat Samnitium in eadem regione sedes, tum quoque integrum tractum Nolanum in potestatem venisse Romanorum: cum præterea non leve hanc in rem indicium nobis suggerat idem *Livius*, qui post istam narrationem certe non subjunxisset: *Profligato fere Samnitium bello Etrusci belli fama exorta est*, si isto tempore Samnites Nolam solummodo, neque una quoque reliquam illi conjunctam regionem perdidissent. Sane vero Pompeji jam erant in potestate Romanorum, cum eo classis ipsorum appulit P. Cornelio præfecto ab Urbe condita anno CCCCXLIII. qua de re dixit *Livius*, quem paulo post afferemus.

Ubi in insigni ab ipsis parta victoria, mox una cum ipsa Nola *integram illi circumjectam regionem occupaverunt.*

Livius illustratus,

Sed heic silentio prætermittendum non est, auctores istos, qui una cum Nola Calatiam quoque captam dixerunt, posse loquutos fuisse de proxima ipsi Galatia, quæ in Campania Capuana satis vicina fuit Suessulæ, interque Capuam sita & Caudium in via Appia, non vero de illa, quæ multo ab Nola remotior & ab adverso latere Campaniæ Felicis erat ultra Volturnum flumen, quæque hodie vulgo appellatur *Caiazzo.* Atque hoc si verum foret, multo adhuc minus illos de Atina loquutos dicere possemus, urbe Volscorum una cum duabus istis, quas diximus, capta ab Romanis. Sane enim nimia harum urbium ab invicem distantia tantundem huic sententiæ repugnat manifestissime, quantum & ipse situs & nomen Atellæ persuadere nobis potest, apud *Livium* citato loco *Atinam* legi pro *Atella* vitio librariorum. *Diodorus* quoque *Siculus* ad eundem illum annum, quo L. Papirius Cursor & C. Junius Bubulcus Coss. fuerunt, captam Nolam Calatiamque referens, cujus nomen in codicibus ipsius depravatum est in *Celiam*, quam urbem nemo quisquam veterum memoravit; & utramque illam expeditionem Q. Fabio dictatori tribuens, conjunctim de illis ad istum modum loquutus est, ut de vicinitate earum nequeat dubitari. Verba ejus lib. XIX. apud interpretem Latinum ita habent: *Cum paucis in hostium ingressus Celiam & Nolanorum arcem expugnat, & prædæ multitudinem venundat, militibusque magnam agri partem sorte dividit.* Itaque secundum hasce narrationes cepisse Samnites oportet Galatiam & Atellam aliquanto post factam Romanis deditionem Campanorum.

Una cum Nola *Romani forte ceperunt, proximam* Galatiam, *non vero* Calatiam, *satis ab* Nola *remotam, & item* Atellam, *non vero* Atinam. Antiqui auctores apud Livium & Diodorum Siculum illustrati & collati.

A

Neque etiam iidem Samnites eo usque promovere arma potuissent, nisi prius occupassent quoque Suessulam & Acerras, qua de re altissimum est silentium apud *Livium*, etsi ille lib. VII. satis indicaverat, Suessulam primo ejusdem deditionis anno in partibus fuisse Romanorum, hisce verbis: *Ab Suessula nuncii trepidi Capuam, unde equites citati ad Valerium consulem opem oratum veniunt.* Et mox hisce aliis: *Campanorum deinde Suessulanorumque auditæ legationes, precantibusque datum, ut præsidium eo in hyberna mitteretur, quo Samnitium excursiones arcerentur.* Et lib. VIII. dixerat, Acerras adhuc undecimo post anno, nempe A. Cornelio secundum, Cn. Domitio Coss. fuisse in eorundem potestate, quandoquidem istis Coss. *Romani, facti Acerrani lege ab L. Papirio prætore lata, qua civitas sine suffragio data.* Ceterum per causam forte ejusdem Suessulæ recens occupatæ Samnites responsum istud, quod habet idem auctor libro citato, possint dedisse legatis Romanorum L. Cornelio Lentulo, Q. Publilio Philone consulibus, qui fuit annus ab Urbe condita CCCCXXVI. *Inter Capuam Suessulamque castra castris conferamus, & Samnis Romanusve imperio Italiam regat, decernamus.* Equidem satis scio, quoniam *Livius*, Romanorum res gestas P. Cornelio Arvina & Q. Marcio Tremulo Coss. exponens, qui fuit annus ab Urbe condita CCCCXLVII. ita conjunctim narraverit: *In Samnio novi motus exorti. Calatia & Sora, præsidiaque, quæ in iis Romana erant, expugnata*; non posse tamen propterea illum dici situm quoque harum duarum urbium conjunxisse, ex quibus Sora in eodem tractu erat, quo Atina, de qua modo dictum. Verum sicut ego lubens concedo, eum hoc loco non dicere voluisse de Galatia Campaniæ Capuanæ, ita quoque propter rationes istas, quas adduxi, admodum mihi videtur probabile, istos auctores, quos ipse allegavit loco supra citato, non loquutos de Calatia, quæ hodie *Caiazzo* est, sita in montibus, qui Samnium a Felice Campania dividebant, etsi ipse quidem ita credidisse videtur. Verum si maxime ego aut hanc, aut qualemcunque aliam ejus defensionem admittere cogerer, tamen vel sic non desisterem credere, eum prætermisisse notabilem aliquam hujus historiæ partem, quantum ad varias mutuasque occupationes perditionesque Romanorum & Samnitium in hac regione attinet, quas ipse tamen omnino indicavit quodammodo. Certe enim ille de Nola, sive ab C. Petilio dictatore, sive ab C. Junio consule capta narrans, usus est hoc loquendi modo: *In Campaniam reditum, maxime ad Nolam armis repetendam*; cum tamen in præcedentibus nunquam dixisset, Samnites istam urbem ademisse Romanis, aut eam in horum potestate unquam fuisse.

Occupaverant autem hasce urbes una cum Suessula & Acerris *post Campanorum deditionem Samnites.* Livius notatus.

B

Livius illustratus.

C

Neque obstat, Calatiam & Soram *Atinam, proximam, traditam captas ab iisdem Samnitibus alio tempore.*

D

Sane enim manifestum est, non exstitisse nobis descriptas esse istas in Campania Felice res gestas.

E

Livius denuo notatus.

Nec magis excusationem meretur ejusdem *Livii* silentium de Nuceria, quæ civitas una cum tractu suo circumjacente ultra Sarnum amnem iisdem temporibus experta est consimilem plane vicissitudinem, si fides habenda *Diodoro Siculo*, qui citato lib. XIX. res gestas Sp. Nantio, M. Popilio Coss. hoc est, anno ab Urbe condita CCCCXXXVII. exponens, ita dixit: *Romani cum Samnitibus bellum gerentes Ferentum, Apuliæ urbem, vi capiunt: & Nuceriæ, quæ Alphaterna nuncupatur,* (hoc fuit Nuceriæ nostræ cognomen, ut suo loco notatum est) *incolæ, suasu quorundam inducti, amicitia Romanorum deserta, in*

Alii tantum, quod alii de integro constanter, Nucerinorum amicitiam cum Romanis dixerunt;

F

in Samnitium societatem concesserunt. Hac de re *Livius* nobis ne verbum quidem fecit, & alias quoque in tota hujus belli serie exponenda ne quidem memoravit hanc urbem. Atque adeo de rebus ejus nonnisi tenuiter admodum loquutus, hoc solummodo scriptum reliquit pluries citato lib. IX. ubi Q. Fabio & C. Marcio Rutilo Coss. hoc est, anno ab Urbe condita CCCCXLIII. gesta exsequitur: *Classis Romana a P. Cornelio, quem Senatus maritimæ oræ præfecerat, in Campaniam acta, cum appulsa Pompejos esset, socii inde navales ad depopulandum agrum Nucerinum profecti, proximis raptim vastatis, unde reditus tutus ad naves esset, dulcedine, ut fit prædæ longius progressi excivere hostes. Palatis per agros nemo obvius fuit, cum occidione occidi possent: redeuntes agmine incauto haud procul navibus assecuti agrestes exuerunt præda, partem etiam occiderunt. quæ superfuit cædi trepida multitudo, ad naves compulsa est.* Atque hinc apparet esse verum, quod supra monuimus: nempe Romanos post Nolam captam Pompejis quoque potitos, qua de causa classiarii eorum nulla istic hostilia ausi in vicinum agrum Nucerinum populabundi excurrerunt, quam urbem isto tempore oportet in Samnitium potestate fuisse. Studuerant quidem Romani eam in partes suas pertrahere, oblatis quibusdam amicitiæ ac pacis conditionibus, sed illas cives fuerant aspernati. Tum vero, simul ut hoc bellum conficeret, & recentes offensas ulcisceretur, idem ille Q. Fabius cum ad eam obsidendam profectus esset proximo consulatu suo, in quo collegam habuit P. Decium Murem, anno ab Urbe condita CCCCXLV. frustra easdem Petiere Nucerini, Fabio eos non audiente. *Consules* (ejusdem *Livii* verba sunt lib. IX.) *partiti provincias: Etruria Decio, Samnium Fabio evenit. Is profectus ad Nuceriam Alphaternam, jam tum pacem petentes, quod uti ea, cum daretur, noluissent, aspernatus, oppugnando subegit.* Atque ita hac urbe capta simul tota Campania Felice potiti sunt Romani post deditionem Campanorum quinque & triginta annis. Sed ne silentio prætercam, quæ mihi quondam incidit cogitatio, multo ego olim suspicatus sum, *Diodorus*, cujus verba supra retulimus, dum Nuceriam nostram dixit relictis Romanis cum Samnitibus amicitiam iniisse anno prædicto, per errorem Nuceriam dixisse pro Luceria, Apuliæ urbe, ubi eodem tempore plus semel acciderunt intra septennium ejusdemmodi mutationes, quas narravit *Livius*, sed ipse prorsus omisit, sicut contra *Livius* de ista vicissitudine nostræ Nuceriæ tacuit, quam ipse retulit. Verum hac de conjectura liberum esto cuique judicium.

Et tradiderunt solummodo, agros eorum fuisse ab classiariis Romanorum depopulatos, majori populatorum, quam hostium damno, Livius illustratus.

Ac deinde Nuceriam ab Romanis fuisse captam, quo facto Campania Felix penitus in eorum potestatem est redacta.

Sed Luceriæ quidam omnia hæc iidem temporibus gesta narraverunt. Diodorus Siculus ambigue notatus.

Ad hunc itaque modum cum denique Romani Samnites paulatim ejecissent omnibus illis, quæ in Campania Felice ipsi antea nostris Etruscis ademerant, colligi potest, eos brevi quoque reliqua illa occupavisse, quæ ultra promontorium Surrentinum ad Silarum usque amnem tenebant iidem Samnites, quæque primitus itidem fuerant in potestate Etruscorum. Atque hæc fuit [1] Campania vetus, ab *Strabone* memorata. Has Romani sedes novas assignaverunt Picenis, ut lib. V. idem Geographus affirmat, cujus verba alibi retulimus, videlicet ex isto more suo, quo debellatas gentes sæpe in alias terras transferebant. Et illi tum pristino nomine leviter immutatato dicti istic fuerunt *Picentini*. *Cluverius* hoc factum fuisse autumat M. Curio Dentato, P. Cornelio Rufino Coss. qui fuit ab Urbe condita annus CCCCLXIII. quo idem Curius ingenti victoria potitus est ab Samnitibus aliisque Italiæ populis in Samnio & ad mare Adriaticum. Atque adeo ille judicavit, tum Picenos quoque una fuisse victos, & in novas hasce sedes deductos. Sane vero temporis ratio satis apte congruit cum istis, quæ diximus de progressibus, quos Romani fecerant in ista regione paucis ante annis, licet ipse non observaverit hoc indicium, quo ipsius eademque mea opinio multo fit probabilior. Ceterum hinc jam intelligi quoque potest, unde factum fuerit, ut fines Campaniæ non proferrentur denuo secundum priscam ejus & primam descriptionem ad Silarum usque amnem, sed promontorio Surrentino clauderentur. Nempe hoc ideo factum, quod in istum tractum deducti erant Piceni illi, quibus injunctas a victoribus suis fuisse oportet alias leges, quam reliquis circa populis, quos iidem recens subegerant, ita ut alii cum aliis nihil haberent commune. Et adeo ad hunc modum Romani non sine ratione unam voluerunt esse regionem illam, quæ ipso quoque locorum aspectu & ingenio quasi una & simplex erat; duas autem, quæ eodem respectu diversæ ab invicem erant.

Romanos Samnitibus tum jam ademisse Campaniam veterem oportet, cum eo transtulerunt Picenos, qui ibi postea dicti Picentini.

Cluverius laudatus.

Atque hinc, ut ex ipsorum locorum vario ingenio factum est, quod ipsa & Felix Campania non amplius conjunctæ fuerunt in unam regionem.

[1] Sæpius notavimus, hanc non videri fuisse sententiam *Strabonis*, & certe ex ejus verbis id colligi prorsus non posse, ut ostendimus ad *Dissert.* I. cap. III. Ceterum ex eadem ista opinione sua mox dicit auctor, Campaniam veterem ad Silarum usque pertinuisse.

XIV. *Cum apud veteres varii generis deditiones fuerint, prima, qua Campani sese Romanis dediderunt, minus dura fuit, quam illa, quæ tempore belli Punici secundi subsequuta est, per quam Capua Romanorum facta est præfectura. Novissime illa fuit eorundem colonia, atque ita pristinum splendorem atque dignitatem recuperavit.*

Atque heic finem habuerunt vicissitudines illæ populorum Campaniæ Felicis, quos in hac *Dissertatione* illustrare sum conatus. Sed ab eodem hoc argumento non alienum fore arbitror, si insuper exquiramus, quantum in tanta rerum caligine fieri potis est, qualis temporibus istis fuerit status ejusdem regionis, quam in rem obscura solummodo nobis sunt relicta vestigia in rebus gestis Campanorum nostrorum, quas solus fere *Livius* exposuit. Ille igitur maximum natu ex Campanorum legatis, qui Capuam Romanis dediderunt, cum animadverteret, Senatum recusare defensionem recentium amicorum contra veteres socios, denique totam suam legationem dixit expediisse, *si enim domo mandatum attulerat*, ad hunc modum: *Quandoquidem tueri adversus vim atque injuriam justa vi non vultis, vestra certe defendetis. Itaque populum Campanum, urbemque Capuam, agros, delubra Deûm, divina humanaque omnia in vestram, patres conscripti, populique Romani ditionem dedimus, quicquid deinde patiemur, dedititii vestri passuri.* Subjungit idem auctor, tum vero Senatui visum non amplius recusare Campanis opem petitam: *Itaque legatos extemplo mitti ad Samnites placuit: data mandata, ut preces Campanorum, responsum Senatus, amicitiæ Samnitium memor, deditionem postremo factam, Samnitibus exponerent: peterent pro societate amicitiaque, ut dedititiis suis parcerent, neque in eum agrum, qui populi Romani factus esset, hostilia arma inferrent.* Atque ita quoque Vibius Virius Campanus fuisse factum tum temporis hanc deditionem, ut agros suos, omniaque sua, divina humanaque, seque ipsos permitterent Romanis;

Deditio illa, qua se ipsos omniaque sua Campani dediderunt Romanis;

nis, in memoriam revocavit Campanorum Senatoribus, cum belli Punici ſecundi temporibus Capua urbe arctiſſima obſidione ab iiſdem cincta eos hortatus eſt, ut potius voluntaria morte perirent, quam vivi in victorum caderent manus. Verba ejus, quæ huc pertinent: apud eundem *Livium* lib. XXVI. ita habent: *Quid? vos eam deditionem fore cenſetis, qua quondam, ut adverſus Samnites auxilium impetraremus, nos noſtraque omnia Romanis dedidimus?* Et obſervatum eſt a multis, formam ejuſmodi deditionis non fuiſſe diverſam ab illa, per quam, ut idem auctor lib. I. narrat, Tarquinio Priſco, rege Romanorum, interrogante, & reſpondentibus Collatinorum legatis, Collatini quoque olim facti fuerant deditiitii Romanorum. Eſt autem illa hujuſmodi: *Rex interrogavit: eſtisne vos legati oratoreſque, miſſi a populo Collatino, ut vos populum Collatinum dederetis? Sumus. Eſtne populus Collatinus in ſua poteſtate? Eſt. Deditiſne vos populum Collatinum, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utenſilia, divina humanaque omnia in meam populique Romani ditionem? Dedimus. At ego recipio.* Ita *Livius*, qui nunquam retulit amplius ejuſdemmodi ſolennia, ubi alias deditiones expoſuit, nimirum quod de illis idem judicari vellet. Atque hæc oportet fuiſſe legitima illa verba *dedentium urbes*, de quibus idem dixit, lib. IX. ex perſona Sp. Poſtumii: & adeo, quantum ad noſtrum argumentum attinet, ex ipſis verbis ejus ſatis colligitur, prorſus fuiſſe conſimiles Collatinorum deditionem & Campanorum. Itaque horum conditio multo fuit deterior, quam illorum populorum, qui non deditiitii, ſed fœderati erant Romanorum, ut lib. VIII. idem *Livius* manifeſte nobis indicavit, ubi reſponſum illud refert, quod Senatus Romanus dederat Samnitium legatis, poſtulantibus, *Latinos Campanoſque, ſi ſub ditione populi Romani eſſent, pro imperio arcerent Samniti agro: ſin imperium abnuerent, armis coërcerent.* Reſpondit Senatus: *Campanorum aliam conditioneſſe, qui non fœdere, ſed per deditionem in fidem veniſſent. Itaque Campanos, ſeu velint, ſeu nolint, quieturos. In fœdere Latino nihil eſſe, quo bellare, cum quibus ipſi velint, prohibeantur.*

Peracta ſolenni iſto modo, qui alia occaſione obſervatus eſt,

Livius ſecum collatus & illuſtratus.

Durioris fuit conditionis, quam fœdus.

Veruntamen, ſi ad alia ejuſdem auctoris verba attendamus, aut non adeo fuiſſe amplam propriamque iſtam Campanorum deditionem, quos ipſe aliis locis dixit *Socios* Romanorum, aut ex dedititiis eos deinde factos fuiſſe fœderatos dicendum erit. Obſervemus quæſo omnia, quæ ille in ſequentibus inter utroſque populos iſtos geſta fuiſſe tradidit ad illud uſque tempus, quo iidem Campani Pœnorum amicitiam ſunt amplexi, & cognoſci poterit hæc, ſive ejuſdem *Livii*, ſive conditionis Campanorum varietas. Equidem horum deditio facta eſt M. Valerio Corvo tertium, A. Cornelio Coſſo Coſſ. hoc eſt, anno ab Urbe condita CCCCX. Poſt biennium C. Plautio ſecundum & L. Æmilio Mamerco Coſſ. Romani iſtud reſponſum, quod modo retulimus, dederunt Samnitium legatis: *Campanorum aliam conditionem eſſe, qui non fœdere, ſed per deditionem in fidem veniſſent: itaque Campanos, ſeu velint, ſeu nolint, quieturos.* Anno autem ſequenti, cum duobus præliis victi eſſent Latini Campanique ab T. Manlio Torquato conſule; primum ad radices Veſuvii montis juxta viam, quæ ad Veſerim ducebat, iterum Sinueſſam inter & Minturnas, eorum *adeo acciſæ res ſunt, ut conſuli victorem exercitum ad populandos agros eorum ducenti dederent ſe omnes Latini, deditionemque eam Campani ſequerentur. Latini Capuaque agro multati. Latinus ager Privernati addito agro, & Falernus, qui populi Campani fuerat, uſque ad Volturnum flumen plebi Romanæ dividitur.* Etiam *Diodorus Siculus*, nihil ab *Livio* diſſentiens, ſed compendioſius plane idem nobis expoſuit lib. XVI. ejuſque verba Latine ita habent: *Romani infeſta acie cum Latinis & Campanis ad urbem Sueſſam* (lege *Sinueſſam*) *congreſſi, victores abierunt, & parte agrorum victos multarunt.* Itaque aut non fuit iſto tempore alia populi Campani, quam Latini conditio, abolita priori deditione per novam minus duram, quod duplici de cauſa non poteſt non videri ſane oppido mirum; aut prima illa cummaxime adhuc duravit, ſed ita tamen, ut per eandem agros Campanorum aut non omnes, aut non in plenam poteſtatem Romanorum conceſſiſſe intelligamus. Atque hinc idem Vibius Virius, cujus ſupra mentionem fecimus, apud eundem *Livium* lib. XXIII. cives ſuos ad ineundam cum Hannibale amicitiam exhortans, de Falerni tantum agri jactura querebatur hiſce verbis: *Tempus veniſſe, quo Campani non agrum ſolum ab Romanis quondam per injuriam ademptum recuperare, ſed imperio etiam Italiæ potiri poſſint.* Sed hic obſervetur, Torquatum perinde de Latinis atque Campanis triumphaviſſe, ut videri poteſt in *Tabulis Capitolinis*, licet *Valerius Maximus* lib. II. cap. VIII. dicat legem juſſiſſe, *ut pro aucto imperio, non pro recuperatis, quæ populi Romani fuiſſent, triumphus decerneretur.* Subjunxit *Livius*, eodem anno *Campanis equitibus honoris cauſa, quia cum Latinis rebellare noluiſſent, Fundaniſque & Formianis, quod per fines eorum tuta pacataque ſemper fuiſſet via, civitatem ſine ſuffragio datam.* Atque hoc *Vellejus* noſter lib. I. factum dixit Sp. Poſtumio & Veturio Calvino Coſſ. CCCL. annis ante M. Vinicium Quartinum & C. Caſſium Longinum, qui conſules fuerunt anno DCCLXXXII. ab Urbe condita, qui erat a Chriſto nato annus XXXII. ut adeo ex ipſius ſententia illud acciderit XIX. annis poſt, hoc eſt, ab Urbe condita anno CCCCXXXII. ad quem nos alibi quoque in hiſce *Diſſertationibus* illud factum retulimus per cauſam computationis *Vellejanæ*, & quia iſto anno iidem denuo fuerunt conſules. Sed omnes crediderunt, nhilominus *Vellejum* dicere voluiſſe de primo eorum conſulatu, quem illi geſſerunt anno CCCCXIX. ita tamen, ut concedant, eum neque ſic concordare cum *Livio*, a quo ibidem quoque diſſentiens in computatione aliorum temporum non dixit, ſolis equitibus Campanis datam fuiſſe civitatem Romanam, ſed ita *Campanis data eſt civitas.* Atque adeo cum hoc non poſſit fuiſſe verum de omnibus Campanis iſto quidem tempore priori, ex *Livii* autem verbis, quæ poſt afferentur, poſtea omnes Capuæ urbis incolas promiſcue cives fuiſſe Romanos appareat, *Vellejus* poſſit errore lapſus eſſe, & ad priorem conſulatum Sp. Poſtumii & Veturii Calvini retuliſſe largitionem iſtam civitatis Romanæ, quæ deindeinde in univerſum data fuerit Campanis poſteriore eorundem conſulatu. Atque hanc in rem non improbabile indicium poſſet eſſe generoſitas illa ac humanitas, qua Campani uſi erga exercitum Romanorum, eodem anno victum ab Samnitibus ad Caudium, ut illi hoc facto aliiſque amicis officiis promeruerint hanc remunerationem. Sed utcunque tandem hæc ſint, nihil heic ad nos attinet, cum *Livius* ita pergat: *Cumanos Sueſſulanoſque ejuſdem juris conditioniſque, cujus Capuam, eſſe placuit.* Per hæc non aliud intelligi poteſt, quam Romanis viſum conveniens eſſe, ut iſti Campaniæ Capuanæ populi per ſecundam iſtam deditionem ejuſdem conditionis eſſent cum urbe ſua metropoli, quemadmodum & fuerant ſine

Deditio Campanorum aut non fuit ejuſmodi, ut quidam eam expoſuerunt, aut deinde mutata eſt in fœdus.

Sane enim Romani, qui majorem in ipſos poteſtatem habebant, quam in Latinos, ſocios ſuos,

Cum poſtea utroſque bello vicisſent, omnes perinde tractaverunt.

Diodorus Siculus & Livius concordes. Livius notatus.

Et adeo perinde etiam de omnibus, tanquam de nova imperii acceſſione, triumphavit Torquatus.

Interim vero Campanis equitibus data eſt civitas Romana,

Quod factum alii auctores ad alia tempora omneſque Campanos retulerunt.

Vellejus ab Livio diſcors, & illuſtratus ac notatus.

Item res Cumarum & Sueſſulæ, Campaniæ Capuanæ urbium ordinatæ ſunt ad modum Capuæ.

Sed omnimodo tamen Campani leguntur socii Romanorum dicti temporibus sequentibus,

sine dubio per primam. Interim vero nobis ignotum est, an forte ipsorum & Campanorum merita fuerint disparia. Posthæc eodem illo secundo consulatu Sp. Postumii & Veturii Calvini exercitus Romanorum celebrem istam calamitatem passus est ad Caudium, qui Romam redeuntes, *cum ante noctem Capuam pervenire possent, incerti de fide sociorum, & quod pudor præpediebat, circa viam haud procul Capua omnium egeni corpora humi prostraverunt. Quod ubi est Capuam nunciatum, evicit miseratio justa sociorum superbiam ingenitam Campanis. Confestim insignia sua consulibus, fasces, lictores, arma, equos, vestimenta, commeatus militibus benigne mittunt: & venientibus Capuam cunctus Senatus populusque obviam egressus justis omnibus hospitalibus, privatisque & publicis fungitur officiis: neque illis sociorum comitas, vultusque benigni, & alloquia, non modo sermonem elicere, sed ne ut oculos quidem attollerent, aut consolantes amicos contra intuerentur, efficere poterant.* Et mox: *Cum hæc dicerentur* (ab adolescentibus quibusdam Campanis, qui desperabant de rebus Romanorum) *audirenturque, & deploratum pene Romanum nomen in concilio sociorum fidelium esset,* (importuna sane ironia) *dicitur Ofillius Calavius* &c. Videmus hic plus semel nomen sociorum Campanis datum, & socios, non vero deditios usos ista liberalitate ac humanitate erga Romanos, propter quam, ut non ita multo ante notavimus, eodem isto anno omnibus Campanis civitas Romana fuisse data videri possit. Sane vero fuit ille arctæ amicitiæ & amicæ societatis effectus, non autem pœna aut lex deditionis, quod deinde M. Fossio Flaccinatore & L. Plautio Vennone Coss. qui fuit ab Urbe condita annus CCCCXXXV. *primum præfecti Capuæ creari cœpti legibus ab L. Furio prætore datis, cum utrumque ipsi pro remedio ægris rebus discordia intestina petiissent,* ut narrat idem *Livius*. Et quodnam aliud majus indicium prorsus æqui utrinque fœderis expetere possumus, quam illud, quod *Polybius* lib. I. nobis non descripsit numerum Campanorum, qui inter Romanos militabant, separatim ab ipsis Romanis, cum tamen ille satis diligenter & accurate illorum militum sigillatim recensuerit numerum, quos reliqui Italiæ populi in eadem castra Romanorum miserant L. Æmilio Papo, P. Atilio Regulo Coss. qui fuit ab Urbe condita annus DXXVIII. cum Galli ingenti agmine Alpes transcendissent? Ipsa verba ejus & item *Pauli Orosii*, qui eodem plane modo hac de re loquutus est, citato *Fabio Pictore*, Vetere historico, adduximus in *Dissertatione* III. de armentis equarum Campaniæ agentes. Atque ita idem quoque *Livius* denuo Campanos lib. XXII. memoravit inter socios Romanorum hisce verbis: *Inclusus inde videri Annibal, & ad Casilinum obsessus; cum Capua, & Samnium, & tantum ab tergo divitium sociorum Romanis commeatus subveheret.* Et ut nos prorsus omni dubio liberaret de amico eorum fœdere cum iisdem Romanis, libro sequenti Terentium Varronem consulem post cladem Romanorum ad Cannas legatos Campanorum alloquentem introduxit in hanc sententiam: *Adjicite ad hæc, quod fœdus æquum dedimus, quod leges nostras, quod ad extremum, id quod ante Cannensem certe cladem maximum fuit, civitatem nostram magnæ parti vestrum dedimus* (hæc cum illis quidem cohærent, quæ supra dixerat, at non item cum illis, quæ deinde dixit lib. XXVI. ex persona M. Attilii Reguli: *Per Senatum agi de Campanis, qui cives Romani sunt, injussu populi non video posse*; ut nec cum istis, quæ denuo dixit lib. XXXI. quæque jamjam afferemus. Nec minus ille heic a

Ab iisque etiam habiti, tanquam socii,

Imo etiam cum illis prorsus æquo fœdere usi;

Polybius & Fabius Pictor illustrati.

Adjecto insuper communi cognationis & civitatis jure:

Livius ab se ipso discors.

Vellejo abit, & forsan a vero quoque, si non alio argumento, saltem ideo, quod cuidam nostræ civitati minori idem quoque privilegium promiscue fuit concessum) *communicavimusque vobiscum. Itaque communem vos hanc cladem, quæ accepta est, credere, Campani, oportet: communem patriam tuendam arbitrari esse.* Neque aliter ille de iisdem Campanis legatum Romanorum in Ætolorum concilio loquutum tradidit lib. XXXI. hisce verbis: *Hi homines, cum pro iis bellum adversus Samnites per annos prope septuaginta cum magnis nostris cladibus gessissemus, ipsos fœdere primum, deinde connubio, atque inde cognationibus, postremo civitate nobis conjunxissemus,* (hic est ille, quem modo dixi, locus, ubi certe nulla personarum exceptio comparet) *tempore nostro adverso primi omnium Italiæ populorum, præsidio nostro fœde interfecto, ad Annibalem defecerunt.* Sed audiamus tandem eundem consulem Terentium Varronem apud eundem *Livium* in sequentibus orationis suæ ad Campanos definientem, fuerintne ipsi forte in potestate Romanorum, licet fœderatorum, perinde ut Apuli narrante eodem auctore lib. IX. *impetraverunt, ut fœdus daretur: neque ut æquo tamen fœdere, sed ut in ditione populi Romani essent;* an vero fœdus illud fuerit prorsus æquis utrinque legibus. *Triginta millia peditum,* (dixit Varro consul) *quatuor equitum, arbitror ex Campania vos scripsisse*, seu, ut omittam, quod Mago dixit in Senatu Carthaginiensi: *Capuam, quod caput non Campaniæ modo, sed post afflictam rem Romanam Cannensi pugna Italiæ sit, Annibali se tradidisse.* Atque hic loqui voluit de ejus dignitate, licet mirum sane foret, eam ad id usque temporis tantum excelluisse inter reliquas Campaniæ urbes, & adhuc ad primum istum modum fuisse dedititiam. Itaque, ut dixi, aut non adeo ampla ac dura fuit ista ejus deditio, aut tempore mutata est in fœdus, non prodito nobis aut certo anno, aut modo. Quod si ingeniosam *Frederici Gronovii* conjecturam sequi placeret, qui cum in quibusdam libris manu exaratis citata Varronis consulis verba ad hunc modum legisset: *Adjicite ad hæc, quod fœdus æquum dedistis*; hanc esse genuinam eorum lectionem judicavit: *Adjicite ad hæc, quod fœdus æquum deditis* &c. jam satis possemus esse certi de soluto hoc nodo intricatæ adeo quæstionis, quem nos collatis rerum gestarum narrationibus perinde cogitaveramus extricare.

Livius & Vellejus discordes.

Livius sibi constans, & alio nomine sibi contrarius.

Ut adeo Campaniæ adhuc in illorum potestate fuisse videatur.

Livius illustratus duobus modis.

Et forte fuit quisquam veterum qui dixit, iis, cum dedititii essent, fœdus datum.

Livius emendatus. Gronovius laudatus.

Jam vero, lector, quæso mecum aliquanto attentius observes, *Livium* in libris antecedentibus mentionem fecisse duarum deditionum, quibus Campani se Romanis dediderint. Cum priorem facerent, opem eorum imploraverunt adversus Samnites: per posteriorem autem se dediderunt Torquato consuli. Porro notandum est, eum Varronis verba referentem non adnotasse, utrius deditionis tempore ipsis datum fuerit fœdus, quod diximus. Si recte rem reputamus, non potest illud factum fuisse tempore prioris, quandoquidem ejus leges, ita uti pactæ fuerant, usque ad posteriorem perduraverunt: ita ut per deditionem eidem Torquato factam Campanos oporteat ex dedititiis factos fuisse socios. *Diodorus Siculus* lib. XIX. tertiam eorum deditionem nobis exposuit, dixitque, C. Petilio, M. Sulpicio Coss. hoc est anno ab Urbe condita CCCCXXXIX. quem supra quoque notavimus alia occasione, Campanos rebellavisse, & simulac mox fama victoriæ percrebuerat, qua Romani eodem anno potiti erant adversus Samnites, denuo in amicitiam cum illis rediisse. Verba Latini interpretis hæc sunt: *Interea dum ignoratur hæc pugna, Campani Romanorum contemptu inducti, rebellant.*

Videri possint Campani ex dedititiis facti fuisse socii Romanorum tempore novæ deditionis, quam Torquato consuli fecerunt,

Aut potius alterius cujusdam deditionis tempore,

bellant. Confestim populus validum contra illos exercitum mittit dictatore C. Mœnio, adjunctoque illi M. Fossio æquitum magistro. His castra prope Capuam metatis, Campani ferro disceptare sub initium constituerunt. Verum de clade Samnitium certiores facti, cum totis se viribus peti existimarent, pacem cum Romanis faciunt.* Secundum hanc narrationem credi posset, quandoquidem tum temporis ad manus ventum non est, eodem tempore datum fuisse *fœdus æquum deditis*, non vero tum cum ipsi dedititii duobus jam præliis victi erant una cum Latinis: ut omittam, hanc *Diodori* omnium fuisse ultimam deditionem, quæ nobis quidem sunt cognitæ, usque ad ætatem Varronis istius consulis. Verum *Livius*, qui Campanorum fidem exagitavit, de hac eorum rebellione tacuit, dixitque, fuisse quidem isto anno conjurationem a quibusdam civitatis Campanæ principibus agitatam, sed, antequam ad effectum perduceretur, sublatam ab Romanis. Verba ejus hæc sunt: *Eodem anno, cum omnia infida Romanis essent, Capuæ quoque occultæ principum conjurationes factæ;* (ita lego cum *Gronovio*, non autem *patefactæ*, idque propter sequentia) *de quibus cum ad Senatum relatum esset, haudquaquam neglecta res est. Quæstiones decretæ, dictatoremque quæstionibus exercendis dici placuit C. Mænius dictus est: is M. Fossium magistrum equitum dixit. Ingens erat magistratus ejus terror: itaque sive timore ejus, seu conscientia, Calavios, Ovum, Novumque, (ea capita conjurationis fuerant) priusquam nominarentur apud dictatorem, mors haud dubie ab ipsis conscita judicio subtraxit. Diodorus* idem narravit de voluntaria morte capitum rebellionis ab ipso memoratæ, hac tantum varietate, quam ipse verborum suorum contextus postulabat: nempe Campanos, cum in gratiam rediissent cum Romanis, *auctores tumultus dedidisse, qui post institutam quæstionem, non exspectata judicii sententia, mortem sibi consciverunt.* Atque adeo ille credi possit hic errorem admisisse, & esse lapsus in nomine dictatoris, qui non belli causa, sed ad illam quæstionem exercendam dictus est. Nam ita alii quoque veterum simili errore nonnunquam decepti fuerunt: nisi tamen ipse *Livius* hic in contrariam partem peccavit.

Ab aliis non memorata:

Livius & Diodorus Siculus discordes.

Ceterum hanc in rem ille ipse videtur non leve nobis argumentum suppeditare, quandoquidem lib. XXXIV. regis Antiochi oratores cum T. Quintio de variis fœderum generibus ita loquentes introduxit: *Esse tria genera fœderum, quibus inter se paciscerentur amicitias civitates regesque. Unum, cum bello victis dicerentur leges: ubi enim omnia ei, qui armis plus posset, dedita essent, quæ ex iis habere victos, quibus multari eos velit, ipsius jus atque arbitrium esse. Alterum cum pares bello æquo fœdere in pacem atque amicitiam venirent: tunc enim repeti reddique per conventionem res; & si quarum turbata bello possessio sit, eas aut ex formula juris antiqui, aut partis utriusque commodo componi. Tertium esse genus, cum, qui hostes nunquam fuerint, ad amicitiam sociali fœdere inter se jungendam coëant: eos neque dicere, neque accipere leges: id enim victoris & victi esse.* Neque hæc tripartita fœderum divisio apud alias [1] gentes in usu fuit, quam apud Romanos, quoniam idem *Livius* lib. XXVIII. verbis manifestis ita affirmat: *Mos vetustus erat Romanis, cum quo nec fœdere nec æquis legibus jungerentur amicitia, non prius imperio in eum, tanquam pacatum uti, quam omnia divina humanaque dedidisset, obsides accepti, arma adempta, præsidia urbibus imposita forent.* Et ad eandem ille alludere quoque volebat hisce lib. I. verbis: *Fœdera alia aliis legibus, cæterum eodem modo omnia fieri.*

Per quam inter varia illa fœderum genera,

Quæ apud Romanos in usu fuerunt,

Jam, ut argumentum nostrum exsequamur, sicut ad primum solummodo ex tribus illis fœderum generibus referri potest illud, quod Campanos inter & Romanos est factum tempore Torquati consulis, quo victores jure belli multaverunt victos agro Falerno, ita ut locus possit esse dicto illi Liviano, ab Romanis datum *fœdus æquum deditis*, videtur opus esse pro vera haberi deditionem illam, quam nobis descripsit *Diodorus*, quamque præcesserit illa rebellio, quam ipse narravit, *Livio* forte parum cognita: si non fingere libeat deditionem aliquam deinde in fœdus mutatam, omnium, quas retulimus, ultimam, & ab omnibus silentio præteritam. Sed ipse *Diodorus* ita subjunxit: *Urbes veniam consequutæ,* (nempe Capua, aliæque Campaniæ Capuanæ urbes, ipsius imperio subjectæ) *ad societatem pristinam redactæ sunt.* Atque adeo omnino admittendum erit, Campanos jam aliquanto ante ex dedititiis factos fuisse Romanorum socios.

Potuerit status eorum in melius esse mutatus.

Fueritne forsan verum, hoc accidisse tempore deditionis Torquato consuli factæ, per quam cum in fidem se Romanorum tradidissent, (erat hæc species quædam deditionis) ipsis uno modo datum fuerit primi fœderis genus, ita ut agro Falerno multarentur; alio autem modo secundi, ita ut in æqualem reciperentur amicitiam? Certe de Faliscorum civitate ita lib. VI. cap. v. narrat *Valerius Maximus*: *Aliquoties rebellando semperque contusa præliis, tandem se Q. Lutatio consuli dedere coacta est. Adversus quam sevire cupiens populus Romanus, postquam a Papirio, cujus manu jubente consule verba deditionis scripta erant, doctus est, Faliscos non potestati, sed fidei se Romanorum commisisse, omnem iram placida mente deposuit.*

Sed quia fœdus eorum erat antiquius, debet illud, & potest satis apte credi factum fuisse deditione præcedenti.

Et ad hunc modum Vibius Virius Campanus potuit deinde questus esse, *agrum ab Romanis quondam per injuriam ademptum.* Itidem de Palæpolitanorum deditione ita lib. VIII. dicit *Livius*: *Charilaus fuit, qui ad Publilium Philonem venit: & quod bonum, faustum felixque Palæpolitanis populoque Romano esset, tradere se ait mœnia statuisse. eo facto utrum ab se prodita, an servata patria videatur, in fide Romana positum esse.* Itaque fidei illorum se commiserunt, unde postea fœdus illud fuisse ortum, quo de in fine hujus *Dissertationis* dicam, idem auctor affirmavit, qui proinde narrationem, quam attulimus, veriorem esse existimavit illa, *qua hæc proditio ab Samnitibus facta traditur*, & ita subjunxit: *Fœdus Neapolitanum (eo enim deinde summa rei Græcorum venit) similius vero facit, ipsos in amicitiam rediisse.*

Livius illustratus.

Quanquam *Livius*, ut verum dicam, satis inconstanter nobis exposuit, quidnam fuerit *fidei se committere Romanorum*, ubi de eadem prima Campanorum deditione agit, quorum legatis Terentium Varronem consulem dixisse vult, Campanos *receptos in fidem* & defensos fuisse ab Romanis adversus Samnites. Sed lib. VIII. narravit, ipsorum Samnitium legatos inter alia

Livius notatus, & illustratus.

[1] Prorsus nullo modo possum perspicere, quonam argumento aut saltem colore potuerit auctor dicere, tria ista diversa fœderum genera non apud alias gentes in usu fuisse, quam apud Romanos. Utique enim loco præcedenti non dixit *Livius* de solis Romanis, quos omnino ne memoravit quidem, sed in genere de civitatibus regibusque, & quibus modis illi paciscantur inter se amicitias: sequenti autem loco non de tribus illis fœderum generibus, sed tantum de primo isto dixit; seu potius non tam de ipso fœdere, quam de solenni more Romanorum, quo ipsi bello victos in deditionem accipere solebant: unde tamen non recte infertur, aut primum istud, aut reliqua duo fœderum genera non fuisse etiam apud alias gentes in usu. Æque nihil facit ad auctoris sententiam locus tertius ex *Livio*.

alia hoc quoque petiisse a Senatu Romano, ut *adversus Sidicinos sumerent arma, suos semper hostes, populi Romani nunquam amicos: qui nec, ut Samnites, in pace amicitiam, nec, ut Campani, auxilium in bello petiissent; nec in fide populi Romani,* (hoc est, ut ipsi erant, prout ego quidem accipio) *nec in ditione* (ut Campani erant) *essent.* Certe Acilius Glabrio consul Romanorum, cum apud eundem auctorem lib. XXXVI. publicum decretum Ætolorum accepisset ab eorum legato Phanea, quo illi *se suaque omnia fidei populi Romani permittebant*; cumque hic deinde ita subjecisset: *Non in servitutem, sed in fidem tuam nos tradimus*; hoc ipsi responsum dedit. *Nec Hercule magnopere nunc curo, quid Ætoli satis ex more Græcorum factum esse censeant, dum ego more Romano imperium id habeam in deditos modo decreto suo, ante armis victos.* Atque adeo secundum verba *Livii* non unius ejusdemque modi fuit Ætolorum, Samnitium, Campanorum, & Palæpolitanorum deditio in fidem Romanorum.

Fœdus Campanorum cum Romanis, quod videri possit æquis utrinque legibus fuisse.

Sed videamus jam, an re vera æquis legibus, ut Varro consul in memoriam revocabat Campanorum legatis, deinde fœdus ipsorum fuerit firmatum. Equidem videri possit hoc magis affirmandum esse de isto, quam de omnibus Romanorum fœderibus cum quolibet alio populo, si verum esset, quod supra in ambiguo relictum est: nempe Campanos ex singulari privilegio una cum Romanis militavisse in ipsorum legionibus. Atque hac de re quantumvis non possimus esse certi, satis tamen hoc certum est, scriptores alibi a nobis citatos, qui Campanarum copiarum in Romanorum exercitibus numerum non divisim ab horum copiis recensuerunt, ut quidem recensuerunt reliquorum Italiæ populorum manus, non leve nobis indicium præbere magnæ cujusdam inter eos legum communionis, mutuique amoris.

Æquum solummodo fuit verbo tenus. Proculus ICtus & Cicero collati.

Veruntamen mihi videtur multo tutius credi posse, istud adeo jactatum a Varrone *æquum fœdus* nihilominus verbo tantum, neutiquam vero per omnia fuisse æquum: quamvis *Proculus* ICtus *Digestorum* lib. XLIX. tit. XV. l. VII. nobis exponat, *æquum fœdus* fuisse, illud, cui non addebatur hæc formula: *Majestatem populi Romani comiter conservanto.* Verba ejus hæc sunt: *Liber populus est is, qui nullius alterius populi potestati subjectus est: item si æquo fœdere in amicitiam venit, sive fœdere comprehensum est, ut is populus alterius populi majestatem comiter conservet. hoc enim adjicitur, ut intelligatur, alterum populum superiorem esse; non ut intelligatur, alterum non esse liberum.* Eadem de re dixit etiam *Cicero* in *Oratione* pro Cornelio Balbo ad hunc modum: *Primum verbi genus hoc conservandi, quo magis in legibus, quam in fœderibus uti solemus, imperantis est, non precantis. Deinde, cum alterius populi majestas conservari jubetur, de altero siletur; certe ille populus in superiori conditione causaque ponitur, cujus majestas fœderis sanctione defenditur.* *Sigonius* lib. I cap. I. *De antiquo jure Italiæ* existimavit, illud idem valere, quod apud *Livium* lib. XXXVIII. *sine dolo malo.* Sed observentur illa, quæ apud *Livium* lib. VIII. ad Latinos suos dixit L. Annius, prætor Setinus, qui postea ipsorum nomine postulavit ab Romanis, ut alter consulum ex Latinis crearetur: & animadverti poterit, quandoquidem Campani idem postularunt ab Romanis post cladem eorum ad Cannas, satis apte Setini illius orationem, quantum quidem ad nostram disputationem attinet, tribui etiam posse cuidam ex Campanis in ipsorum Senatu: *Nunc sub umbra fœderis æqui* (dixit prætor iste) *servitutem pati possumus.* Et mox: *Si fœdus est: si Societas: æquatio juris est: si consanguineos nos Romanorum esse, quod olim pudebat, nunc gloriari licet: si sociales illis exercitus is est, quo adjuncto duplicent vires suas, quem secernere ab se consules bellis propriis ponendis sumendisque nolint; cur non omnia æquantur? cur non alter ab Latinis consul datur? Ubi pars virium, ibi & imperii pars est.* Et postremo: *En ego ipse audiente non populo Romano modo Senatuque, sed Jove ipso, qui Capitolium incolit, profiteor me dicturum, ut, si nos in fœdere ac societate esse velint, consulem alterum ab nobis Senatusque partem accipiant.* Equidem satis scio, *Livium* lib. XXIII. non credisse quibusdam annalibus, in quibus erat scriptum, idem flagitavisse deinceps quoque Campanos, etsi tamen affirmat illud etiam *Cicero* in *Agraria* II. & *Ausonius* in catalogo urbium illustrium: *Quia* (dixit *Livius*) *nimis compar Latinorum quondam postulationi erat.*

Fuit enim Capua Romæ subdita.

Sed omnino tamen oportet illum, qui eum errorem admisit, inde in eundem fuisse inductum, quod ipsorum & Latinorum compar esset conditio, æque quod ad commoda, quam quod ad incommoda attinet.

Ausonius illustratus.

Neque alia ratione Capuam potuisset idem *Ausonius* dicere *subditam Romæ*, priora intelligens ante initam cum Hannibale amicitiam tempora, per quam eam quoque appellavit idem *Romæ æmulam*,

> —— —— *quæ freta secundis*
> *Nescivit servare modum: nunc subdita Romæ,*
> *Æmula nunc: fidei memor, an infida Senatum*
> *Sperneret, an coleret, dubitans, sperare curules*
> *Campanis ausa auspiciis, unoque suorum*
> *Consule ut imperium divisi attolleret orbis.*

Valerius Maximus discors a Tabulis Capitolinis.

Et itidem non alia ratione potuisset triumphus esse negatus Q. Fulvio, qui eam deinde subegerat: *non quidem* (si credere libet *Valerio Maximo* lib. II. cap. VIII.) *invidia patrum conscriptorum, cui nunquam aditum in curiam esse voluerunt, sed summa diligentia observandi juris, quo cautum erat, ut pro aucto imperio, non pro recuperatis, quæ populi Romani fuissent, triumphus decerneretur*: quanquam hæc quidem ratio, quam *Valerius* affert, repugnat illis, quæ supra diximus in *Tabulis Capitolinis* legi de triumpho Torquati, qui Campanos vicerat, Romanorum jam dedititios, quod illorum viribus defensi erant contra Samnites.

Sed illud quidem æquis legibus fuit, quod deinde cum Hannibale inierunt,

Equidem illud fuit prorsus æquum, & tertii illius, quod diximus, generis fœdus, quod cum Annibale inierunt Campani C. Terentio Varrone, L. Æmilio Paulo Coss. qui fuit ab Urbe condita annus DXXXVII. legibus istis, quas *Livius* lib. XXIII. ita recensuit: *Ne quis imperator magistratusve Pœnorum jus ullum in civem Campanum haberet. Neve civis Campanus invitus militaret, munusve faceret. Ut suæ leges, sui magistratus Campanis essent*:

Valerius Maximus refutatus.

etsi hoc alioqui de Capua obsessa & occupata ab isto Pœno dixit *Valerius Maximus* lib. III. cap. II. & VII. parum attendens ad illud, quod apud *Livium* ea de re legerat. Sed illud quidem fœdus eorundem cum Romanis, magnam partem primi generis fuit, ut intelligi potest ex illis, quæ subjunxit idem auctor: *Alia insuper, quam quæ pacta erant, facinora ediderunt Campani. Nam præfectos socium, civesque Romanos alios, partim aliquo militiæ munere occupatos, partim privatis negotiis implicitos, plebs repente omnes comprehensos, velut custodiæ causa, balneis includi jussit, ubi fœtore atque æstu anima interclusa, fœdum in modum exspirarent.* Nam Campanos militavisse continuo in castris Romanorum, ex eodem *Livio* solo satis est manifestum pluribus locis.

Pausanias & Appianus Alex. collati.

Et cum alias jam allata sint, quæ *Polybius*, & apud *Orosium Fabius Pictor* ea de re dixit, illud hic adjicere convenit, quod lib. VI. Pau-

Pausanias, ut interpretis ejus verbis utar, notavit ad hunc modum: *Bello a Pyrrho & Tarentinis contra Romanos suscepto, multæ Italiæ civitates, a Pyrrho aliæ, aliæ vero a Romanis, ad vastitatem & solitudinem redactæ sunt. Inter eas Caulonia* (hæc in Brutiis fuit ad latus maris Jonii) *a Campanis capta & deleta, quorum maxime auxiliis Romani nitebantur.* Et de his eorum opportunis auxiliis, quæ deinde Hannibali forte narraverunt iidem Tarentini, qui perinde ut Campani, verum alio modo, partes ejus sunt amplexi, loquens *Appianus Alexandrinus* in historia belli Annibalici; sive ille jam in genere dicere voluerit de eorum auxiliis per omnia alia Romanorum bella; ita de eo, ut habet interpres ejus, dixit: *Infecto negotio, cujus causa in Lucanos accitus fuerat, ad Capuam reversus tantæ urbis, quam ad tot tantasque res opportunam Romanis fuisse norat, defensione omni studio curaque suscepta, Romanorum munimenta adortus est.* Sed vide hic mihi prudentiæ humanæ errorem. Gavisa fuerat Capua, licet fœdere non satis æquo cum Romanis, attamen satis longa felicitate, unde insignes cummaxime erant deliciæ ejus ac fortunæ. *Inde* (dixit *Livius* de Hannibale) *Capuam flectit iter, luxuriantem longa felicitate atque indulgentia fortunæ.* Et *Polybius* apud interpretem *Athenæi* lib. XII. *Cum præsentem rerum felicitatem perferre Campani non possent, Annibalem ad sese convocaverunt.* Atque tum illa, allecta spe ista, quam ipsi ostendebat Vibius Virius suus, potiundi nempe per eandem Hannibalis amicitiam imperio Italiæ: *Neque controversiam fore*, (dicebat Vibius ille ad Campanos suos apud eundem auctorem) *quin ipse confecto bello Annibal victor in Africam hinc decedat, exercitumque deportet: Italiæ imperium Campanis relinquatur*; in servitutem ejus concessit, ut notavit *Ausonius* loco supra allegato:

Adspirantes ob insignem suam, quæ tum erat, felicitatem ad imperium Italiæ.

Veruntamen Annibal non servavit exacte leges illas.

Livius & Ausonius collati.

Annibalis jurata armis, deceptaque, in hostis
Servitium, demens, specie transivit herili;

alludens ad illud, quod legitur apud *Livium* lib. XXIII. de Campano Decio Magio, in custodiam dato ab Hannibale contra recentis fœderis leges.

Capua in longam miseramque servitutem tracta est ab Romanis, victoribus suis,

Atque utinam illa de immodica spe sua longaque felicitate non decidisset in multo miseriorem longioremque servitutem! Nam quinquennio post Cn. Fulvio Centumala, P. Sulpicio Galba Coss. hoc est anno DXLII. ab Urbe condita, (*Cicero* in *Agraria* II. hoc factum biennio serius, & ad Q. Fulvium Flaccum quartum, Q. Fabium Maximum quintum Coss. refert) post pertinacem asperamque obsidionem adacta illa fuit sese Romanis dedere durioribus, quam omnia prædicta fœderum genera conditionibus; &, ut victoribus placuit, redacti in præfecturæ formam. Narravit hoc *Livius* lib. XXVI. ad hunc modum: *Porta Jovis, quæ adversus castra Romana erat, jussu proconsulis aperta est. Ea intromissa legio una, & duæ alæ cum C. Fulvio legato. Is, cum omnium primum arma telaque, quæ Capuæ erant, ad se conferenda curasset, custodiis ad omnes portas dispositis, ne quis exire, aut emitti posset, præsidium Punicum comprehendit, Senatum Campanum ire in castra ad imperatores Romanos jussit: quo cum venissent, extemplo his omnibus catenæ injectæ, jussique ad quæstores deferre, quod auri argentique haberent.* Et mox: *Ad septuaginta principes Senatus interfecti:* (præter hos septem & viginti Senatores una cum Vibio Tirio hausto veneno perierant, antequam portæ aperirentur Romanis) *trecenti ferme nobiles Campani in carcerem conditi, alii per sociorum Latini nominis urbes in custodias dati, variis casibus interierunt. multitudo alia civium venundata. De urbe agroque reliqua consultatio fuit: quibusdam delendam censentibus urbem, prævalidam, propinquam, inimicam. Ceterum præsens utilitas vicit: nam propter agrum, quem omni fertilitate terræ satis constabant primum in Italia esse, urbs servata est, ut esset aliqua aratorum sedes. Urbi frequentandæ multitudo incolarum, libertinorumque, & institorum, opificumque retenta: ager omnis, & tecta publica populi Romani facta. Ceterum habitari tantum, tanquam urbem, Capuam, frequentarique placuit: corpus nullum civitatis, nec Senatus, nec plebis concilium, nec magistratus esse: sine consilio publico, sine imperio, multitudinem nullius rei inter se sociam, ad consensum inhabilem fore, præfectum ad jura reddenda ab Roma quotannis missuros. Ita ad Capuam res compositæ, consilio ab omni parte laudabili.* Ita *Livius*, satis sibi constans, qui Vibium Virium introduxerat prædicentem Campanis suis quasi uno verbo totam hanc calamitatem: *Quid, vos eam deditionem fore censetis, qua quondam, ut adversus Samnites auxilium impetraremus, nos, nostraque omnia Romanis dedidimus?* Sane multum diversi generis, licet earundem rerum, hæce fuerunt deditiones. Audiamus denuo legatos eorum, qui istam priorem fecerunt: *Populum Campanum, urbemque Capuam, agros, delubra Deûm, divina, humanaque omnia in vestram, patres conscripti, populique Romani ditionem dedimus.* De hac vero posteriori *L. Atilius Tribunus plebis* apud eundem *Livium* eodem lib. XXVI. *ex auctoritate Senatus plebem in hæc verba rogavit: Omnes Campani, Atellani, Calatini, Sabatini, qui se dediderunt in arbitrium ditionemque populi Romani Fulvio proconsuli, quæque una secum dediderunt, agrum, urbemque, divina, humanaque, utensiliaque, sive quid aliud dediderunt; de his rebus quid fieri velitis, vos rogo, Quirites?* Sed per illam Campani manserunt domini earundem rerum suarum, civitatique non adempti sunt magistratus sui, mutata tantum conditione ejus ex libero populo in dedititii formam: contra vero per hanc omnia prorsus fuerunt permissa victorum arbitrio, qui hoc solummodo reliqui fecerunt, quod *non sævitum incendiis* (verba sunt ejusdem *Livii*) *ruinisque in tecta innoxia, murosque; & cum emolumento quæsita etiam apud socios lenitatis species incolumitate urbis nobilissimæ opulentissimæque, cujus ruinis omnis Campania, omnes, qui Campaniam circa accolunt, populi ingemuissent.* Et in hac integra narratione exponenda *Livius* eundem sequutus est auctorem, quem *Cicero*, qui postquam in citata *Oratione* fere eadem dixerat de pœna, qua affecti Campani, hæc verba subjunxit: *Itaque illam Campanam arrogantiam, atque intolerandam ferociam, ratione & consilio majores nostri ad inertissimum & desidiosissimum otium perduxerunt. Sic & crudelitatis infamiam effugerunt, quod urbem ex Italia pulcherrimam non sustulerunt, & multum in posterum providerunt, quod nervis urbis omnibus exsectis, urbem ipsam solutam ac debilitatam reliquerunt.*

Qui eam redegerunt in præfecturæ formam, varie punitis civibus ejus; & de omnibus rebus ejus egerunt pro arbitrio.

Denuo enim illa in potestatem venit per multo duriorem priore conditionem:

Et adeo illa ob nobilitatem ejus ac pulchritudinem integra reliquerunt ejus tecta murosque.

Cicero & Livius collati.

Ita itaque post expugnatam Capuam res ejus sunt ordinatæ. Sed nihilominus illa retinuit principatum inter alias Campaniæ suæ urbes: quæ cum deinde æqualiter fuerint præfecturæ Romanorum, subjectæ quoque fuerunt, si recte video, regimini ejusdem præfecti Campani, qui ab urbe Roma quotannis eo mittebatur. Atque hoc ex *Festi* verbis deprehendo adeo manifeste, ut nihil supra. *Præfectura* (dixit ille) *eæ appellabantur in Italia, in quibus & jus dicebatur, & nundinæ agebantur: & erat quædam earum respublica, neque tamen magistratus suos habebant: in quas legibus præfecti mittebantur quotannis, qui jus dice-*

Etiam præfecturæ Romanorum fuerunt, & subjectæ regimini præfecti Campani Campaniæ Capuanæ urbes,

Festus illustratus.

dicerent. Quarum genera fuerunt duo : alterum, in quas solebant ire præfecti quatuor, (viginti sex virum pro populi suffragio creati erant) in hæc oppida : Capuam, Cumas, Casilinum, Volturnum, Liternum, Puteolos, Acerras, Suessulam, Atellam, Calatiam: alterum, in quas ibant, quas prætor urbanus quotannis in quæque loca miserat legibus; ut Fundos, Formias, Cære, Venafrum, Allifas, Privernum, Aragniam, Frusinonem, Reate, Saturniam, Nursiam, Arpinum, aliaque complura. Huc usque *Festus*: & retuli ista verba ejus, quæ parenthesi sunt inclusa, quemadmodum illa legere voluit *Casaubonus ad Suetonium* lib. II. cap. XXXVI. qui ea collata cum *Dione*, quem paulo post afferemus, multo exposuit aptius, quam variis aliis modis fecerant *Turnebus*, *Augustinus*, & *Scaliger* secundum alteram lectionem. Per totum fere istius belli tempus in Romanorum potestate fuerunt Acerræ, Suessula, Puteoli, Cumæ, Volturnum, (& quis inter hæc oppida non idem credet de Literno?) & Casilinum : unde *Cicero* in *Agraria* I. dixit, quod *bello Punico quicquid potuit Capua, potuit ipsa per sese.* Galatia solummodo & Atella, quæ satis habebant se ipsas defendere, ipsis fuerunt inimicæ, ideoque & eadem pœna affectæ, qua Campani : *Atellaque & Calatia* (subjunxit *Livius*, postquam de Capuæ deditione dixerat) *in deditionem acceptæ. ibi quoque in eos, qui capita rerum erant, animadversum*; quamvis, si attendere volumus ad accuratam *Polybii* observationem lib. IX. urbes istæ potissimum fame conflictatæ sint. Et adeo per hanc quoque, cum præterea nullam possent amplius habere spem auxilii, ad ultimum adactæ sunt istam facere deditionem. *Romanæ quidem legiones* (ita Latine habent ejus verba) *hostilis equitatus metu prodire ad dimicationem non audebant, eædemque intra castra nihil quicquam metuentes manebant, quæ certo compertum haberent, equites, a quibus in acie collatis signis semper vincebantur, nihil jam sibi obfuturos.* Et hanc ob caussam neque ipse Hannibal potuit obsidione liberare Capuam, aut eo nova intromittere auxilia, *adversus quem*, ut subjunxit idem *Polybius*, *rectos oculos tenere ne cogitantes quidem poterant.* Et *Livius*, qui omnia hæc dissimulavit, quomodocunque tamen lib. XXVI. non tacuit, eam fuisse *obsessam acrius, quam oppugnatam.* Deinde autem introduxit Vibium Virium Campanum dicentem ad Senatores suos quasi per exaggerationem, eruptionibus ipsorum Romanos fuisse *circa vallum ac fossas sæpe trucidatos, & prope ad extremum castris exutos.* Atque hoc secundum *Polybium* admodum pro vero est admittendum : cum interea iidem Romani incerti fuerunt, *num communicassent consilia* (sermo est de Campanis) *cum aliquibus sociorum Latini nominis, & municipiorum, & num ope eorum in bello forent adjuti*; quod in *Agraria* I. diserte negavit *Cicero*, quem non multo ante retulimus. Atque hinc etiam possit intelligi, contra ad hunc modum eundem Hannibalem commode posse adscendisse, cum postremum Tarento rediret, in collem Tifatorum, cui hodie *Montanino* nomen, ibique castra posuisse in conspectu Romanorum, quod alioquin, ubi de isto monte fuit actum, *Silio* negavimus. Denique hinc etiam intelligi possit, peræque facile fuisse duci isti, pro arbitrio suo colligere omnes in Volturno flumine naves, easque, postquam illis fuerat usus, cremare. Sed ut revertamur, unde digressi sumus, quam aliam ob caussam deinde fidelium infidarumque civitatium una fuit eademque conditio, disparibus earundem meritis atque delictis; nisi ob hanc, ut hac parte adhuc observaretur idem illarum pristinus status ? Certe non minus hice præfecti togati *mittebantur quotannis, qui jus dicerent*, in præfecturas istas, quæ omnes erant in Campania Capuana, quam aliis quibusdam præfectis militaribus inter primos istos annos securitatis ergo mandata est cura provinciæ Capuæ : nempe Q. Fulvio, T. Quintio Crispino, denuo eidem Fulvio, & denique C. Hostilio Tubulo, qui eam præfecturam retinuit ultra annum, ut deprehendi potest ex *Livio*, lib. XXVI. XXVII. XXVIII. & XXIX. cujus verba referre arbitror esse supervacuum. Sed hoc quidem sileri non debet, in iisdem locis allegatis peræque legi nomen *Capuæ* absolute, quam *Capuæ provinciæ* cum epitheto, eadem ubique significatione: quemadmodum teste eodem *Livio* lib. XXVIII. nomine urbis Arimini *Galliam appellabant.*

Ipsi illæ per se sola contra eos ceperant arma, — Cicero illustratus. — Polybius laudatus. — Livius illustratus, & cum Polybio collatus, ac notatus. — Cicero ab Livio dissentiens. Auctor se ipse refutat. Silius defensus. — *Et merita atque delicta aliarum non fuerant paria.* — *Sed visum fuit hic observare veterem Campaniæ descriptionem.* — Livius illustratus. — Livius illustratus.

Sed facile contigerit, ut quis mihi opponat, *Festum* dixisse, quatuor præfectos, qui jus dicerent, quotannis fuisse missos in istas Campaniæ præfecturas, quas ipse memoravit, non vero unum solummodo : ut adeo inter illos debuerit fuisse divisum ipsorum regimen, & uni ex illis demandata fuisse cura Capuæ, ut diserte affirmavit *Livius*, & insuper Galatiæ & Atellæ, quoniam compar earum delictum compari quoque pœna vindicatum erat. Neque ego negarem hanc potuisse esse *Festi* sententiam, nisi in istis verbis ejus viderem esse reconditam satis memorabilem historiam rerum hujusce regionis nostræ, usque adhuc prorsus obscuram & ignotam. Narrat *Dio* lib. LIV. temporibus Augusti fuisse institutum, ut viginti viri eligerentur, quibus separatim varia committebantur munera in urbe Roma, *qui in locum viginti & sex virorum successerunt* : hoc est, illorum *viginti sex virûm Festi*, secundum emendationem *Casauboni*, qui *pro populi suffragio creati erant.* Postea subjungit, quemadmodum inter illos fuerint distributa munera, hisce verbis : *Eorum tres ad capitalia judicia sunt ordinati: alii tres cudendo numismati præsunt: quatuor vias urbanas curant: decem judiciis iis, quæ ad centumviros sorte deferuntur, præficiuntur : duo enim, qui vias extra urbem curabant, & quatuor, qui in Campaniam mittebantur, tunc abrogati erant.* Jam nullum prorsus est dubium, ante Augusti jam tempora non amplius fuisse missos quatuor præfectos ad regendas illas prioris generis præfecturas. Nam & Campaniæ Capuanæ, & Campaniæ Felicis urbes, factæ erant coloniæ Romanorum, quæ proinde, utpote imagines Romæ urbis, suum quoque Senatum habebant, qui alio nomine dicebatur *Ordo Decurionum*; & ad ejusdem exemplum alios quoque magistratus suos : unde *Strabo*, qui vixit iisdem temporibus, lib. VI. dixit, ut etiam notavi in fine *capitis* de Neapoli urbe, hos locos possideri a Campanis: *ab his quidem verbo, reapse a Romanis : sunt enim & ipsi Romani.* Itaque non de aliis, quam de quatuorviris *Festi* loquutus est *Dio*. Sed notemus, eum dixisse: *In Campaniam mittebantur.* Atque hic ille mea quidem sententia non intellexit Capuanam, sed Felicem Campaniam. Et adeo, si huic majori Campaniæ possit probabili ratione tribui quadripartita terrarum suarum distinctio, secundum naturalem varietatem ipsarum, populorumque suorum, qui separatim illas tenuerant, antequam eas occupaverunt Romani; & insuper secundum distinctionem ipsorum temporum, quibus illi eas occupaverunt; persuadere nobis poterimus, unumquemque istorum quatuorvirorum, *qui in Campaniam mittebantur*, præfuisse uni parti seu præfecturæ ejus. Sed an non forsan

Quandoquidem quatuor erant præfecti, qui mittebantur in hasce præfecturas, videri posset unus ex illis præfuisse Capuæ, & illis, quarum par fuerat delictum; reliqui autem præfuisse aliis. — *Et sane erant illi quatuor numero.* — Festus & Dio collati. — *Sed illis committebatur regenda Campania Felix, in quatuor partes ab Romanis divisa varias ob caussas:*

ſan verum eſt, Romanos, ut ſupra abunde demonſtratum eſt, primum per voluntariam deditionem Campanorum, origine Etruſcorum, occupaviſſe illorum Campaniam; & deinde illa, quæ ultra Volturnum ad Lirim uſque amnem ſunt, armis ſibi ſubjeciſſe, oppreſſis Auſonibus ac Sidicinis, quo paucos poſt annos colonias ſuas deduxerunt? Et an non mox quoque Samnitibus vi ademerunt Nolam una cum tractu adjacente ad Sarnum amnem & mare uſque, diviſis inter milites ſuos ipſorum agris; & denique Nucerinis origine Sarraſtibus, itidem ſuam regionem, clauſam eodem Sarno & promontorio Minervæ? Imo vero. Oportet igitur ipſos iſtis quatuor præfectis ſuis commiſiſſe regimen Campaniæ, ob cauſas prædictas diviſæ in quatuor præfecturas; aſſignata cuique ipſorum præfectura ſua: & forte non minus ante, quam poſt ſpoliatam omni dignitate Capuam. Veruntamen non crediderim, inter iſta principia eorum munus fuiſſe unius ejuſdemque poteſtatis, cum hæce terræ non fuerint una eademque conditione, ut quidem fuerunt temporibus ſequentibus, de quibus loquutus eſt *Feſtus*, qui contentus nobis indicaviſſe nomina urbium, quæ in prima erant, eaque maxima præfectura, omiſit illarum nomina, quæ in aliis tribus erant: niſi hoc forte vitium eſt laceri textus ejus, in quo minirum deſit periodus quædam, qua omnia hæc breviter complexus erat. Sane ille dixit, præfecturas apud Romanos non fuiſſe niſi duorum generum. Et adeo, ſi primi generis fuerunt omnes peræque Campaniæ Capuanæ urbes, etſi merita & delicta earum neutiquam fuerant paria; minime alienum eſt, reliquas integræ Felicis Campaniæ civitates, quæ in fide erga Romanos in iſto ultimo eorum contra Campanos bello permanſerant: hoc eſt, in tractu ultra Volturnum amnem, Cales, Teanum, & Sinueſſam: in tractu autem ultra Acerras, Nolam, Herculaneum, & Pompejos: (Neapolis ſemper fida fuit Romanis, & ex ſingulari privilegio ſeparatim relicta, ut paulo poſt manifeſtum fiet) & in tractu ultra Sarnum amnem Nolam una cum ſuis urbibus vicinis; ordinatas fuiſſe ad eundem modum cum aliis illis, quæ iſtam Campanorum pœnam etiam non commeruerant. Atque hoc etiam ſatis manifeſte deprehendi poteſt, dummodo conſiderare libeat, ſi Romani non uſi fuiſſent eadem regiminis forma per totam Campaniam Felicem, eoſque illam non conjuncturos fuiſſe ſive deſcripturos in unam ſolam regionem. Neque tamen ideo ego arbitror, hunc morem veterem, & provinciam, ſive præfecturam, in qua Cales oppidum fuit intellexiſſe *Annalium* lib. IV. *Tacitum*, ubi de oppreſſa a Curtio Lupo Quæſtore conjuratione loquitur, *cui provincia vetere ex more Cales evenerat:* quam ſententiam ambigue *Lipſius*, & audacius *Marcellus Donatus* in *Notis* ad iſtum *Taciti* locum protulerunt, licet ipſi de Campania in quatuor partes diviſa nihil quicquam cognitum habuerint. Itaque magis placet illa lectio, quam iſti loco reſtituere ſtuduit *Turnebus Adverſariorum* lib. III. cap. IX. quæ hæc eſt: *vetere ex more calles evenerat*; etſi illi quidem eum hoc nomine injuſte reprehenderunt. Nam iſtud factum accidit Brundiſii, & in locis circa, ex quorum paſcuis hodieque magni reditus proveniunt. Neque vero poteſtas præfecti regionis noſtræ, & maxime illius, quæ non verſus iſtam urbem, ſed Romam, verſus erat ſita, potuit uſque eo pervenire. Quod ſi maxime ex alio more veteri, hodie prorſus ignoto, uni ſolummodo quæſtori fuiſſet unquam commiſſa hæc integra pars Italiæ; quænam jam potuiſſet eſſe cauſa, cur ampla adeo provincia nomen acciperet potiſſimum a Calibus, urbe ſitu ſuo nihil commodiore ad iſtud munus obeundum, nec etiam majoris nominis, quam aliæ?

Hoc eſt, unicuique ſua præfectura, quæ ante captam varii, poſtea autem unius ſolummodo generis fuerunt.

Et omnimodo unius ſolummodo generis fuerunt præfecturæ Campaniæ Capuanæ.

Nec alioqui ipſa Campania Felix deſcripta fuiſſet & conjuncta in unam regionem: Licet de ejus provincia, in qua Cales *oppidum erat, non poſſit loquutus fuiſſe quidam vetus auctor.*

Tacitus illuſtratus. Turnebus defenſus. Lipſius & Marcellus Donatus refutati.

Atque hujus meæ novæ diſtinctionis nomine, qua Campaniam Felicem in quatuor divido præfecturas, non arbitror me multa reprehenſione cujuſquam dignum eſſe, qui modo ad verba mea recte attenderit. Neque etiam credo, ex illis, quæ in hiſce *Diſſertationibus* ſunt demonſtrata, non poſſe manifeſte cognoſci, quot modis falſa ſit altera iſta diſtinctio, quam prodidit *Joannes Annius* in ſuo confictio *Sempronio*, quamque multi ſunt ſequuti, & præter ceteros *Sigonius*, utique tamen antiquitatum Romanorum vir intelligentiſſimus, qui lib. I. cap. X. *De antiquo jure Italiæ* ita ſcriptum reliquit: *Campaniam a Liri amne ad Volturnum, a Volturno ad Sarnum, inde ad Silarum antiqui produxerunt. Quare tres Campaniæ partes inſtitutæ: una, quam Auſones, Aurunci, Sidicini, & Capuani tenuerunt: altera, quam Cumani & Opici: tertia, quam Nucerini.*

Non hæc diſtinctio Campaniæ in quatuor, ſed illa in tres partes, quam alii protulerunt, ſatis eſt falſa. Joannes Annius refutatus. Sigonius notatus.

Jam vero poſt illam Capuæ captivitatem, quam diximus, per quam illa diu remanſit in eo ſtatu, quem ſupra retulimus, quique illam reddidit, ut verbis utar *Livii*, *nullius rei inter ſe ſociam, ad conſenſum inhabilem*, *Cicero* in *Agraria* II. Romanos affirmat nonniſi maximas utilitates ad omnes ſuas res graviſſimas periculoſiſſimaſque ex ea percepiſſe; & neque cogitatum unquam in ea urbe fuiſſe quicquam contra Romanos. *Poſt Q. Fulvium, Q. Fabium Coſſ.* (verba ſunt *Ciceronis*) *quibus conſulibus Capua devicta atque capta eſt, nihil eſt in ea urbe contra hanc rempublicam, non dico factum, ſed omnino excogitatum. Multa poſtea bella geſta cum regibus, Philippo, Antiocho, Perſeo, Pſeudophilippo, Ariſtonico, Mithridate, & cæteris: multa præterea bella gravia, Carthaginenſe, Corinthium, Numantinum: multæ in hac republica ſeditiones domeſticæ, quas prætermitto: bella cum ſociis, Fregellanum, Marſicum; quibus omnibus domeſticis externiſque bellis Capua non modo non obfuit, ſed opportuniſſimam ſe nobis præbuit, & ad bellum inſtruendum, & ad exercitus ornandos, & tectis ac ſedibus ſuis recipiendos. L. Florus*, qui lib. III. cap. XVIII. Campaniam dixit una cum aliis Italiæ regionibus contra matrem ſuam conſurrexiſſe bello Marſico; non Capuam, ſed alias Campaniæ urbes intellexit, quæ cognoſci poſſunt ex *Appiano Alexandrino* lib. I. *De bello civili*.

Dum Capua fuit præfectura Romanorum, nihil illa ne quidem cogitavit contra eos; atque hi ad omnia bella ſua magnas multaſque utilitates ex ea perceperunt.

Florus illuſtratus, & cum Cicerone atque Appiano Alex. conciliatus.

Denique autem Cæſar primo conſulatu ſuo, qui incidit in annum DCXCIV. ab Urbe condita, (omittimus heic deductionem ab Sulla factam, quæ abolita fuit, qua de re alibi) *legem tulit*, (verba ſunt *Velleji* noſtri lib. II.) *ut ager Campanus plebi divideretur, ſuaſore legis Pompejo: & ita circiter, viginti millia civium eo deducta, & jus ab his reſtitutum poſt annos circiter* CLII. *quam bello Punico ab Romanis Capua in formam præfecturæ redacta erat.* Idem Cæſar viginti viros creavit, qui hujus diviſionis curam haberent, de quibus *Paulus Manutius Ciceronem* fuiſſe loquutum credit *ad Atticum* lib. II. *epiſt.* VI. & VII. Et adeo eoſdem intellexiſſe oportet *Plinium Secundum*, ubi lib. VII. cap. LII. ita dixit: *Varro auctor eſt*, XX. *viris agros dividentibus Capuæ, quendam, qui efferretur feretro, domum remeaſſe pedibus.* Nempe ſatis poterat tum temporis, cum Romanorum potentia jam in immenſum aucta erat, illorum mentibus prorſus excidiſſe vetus ille timor, quo ſibi metuerant a Carthagine, Corintho, & Capua, quas ipſi urbes judicaverant poſſe dignas eſſe orbis imperio. Atque hanc ob

CAPUA per deductam eo coloniam a Cæſare, *quæ aucta deinde ab* Auguſto *novis colonis,*

ob caussam duas priores deleverunt, hujus nonnisi integra ædificia & vanum nomen reliquerunt. *Majores vestri* (dixit idem *Cicero* ad populum Romanum in *Agraria* II.) *tres solum urbes in terris omnibus, Carthaginem, Corinthum, Capuam, statuerunt posse imperii gravitatem & nomen sustinere.* Et in *Agraria* I. *Neque aliud quicquam, nisi inane nomen Capuæ reliquerunt.* Merito itaque non dubitavit idem Cæsar, qui tam validam coloniam deduxit Capuam, instaurare etiam, ut *Strabo* lib. XVII. & *Pausanias* lib. II. eum fecisse testantur, Carthaginem & Corinthum, non temeraria audacia, sed magnanimitatis suæ securus. Et quantum ad nostram urbem attinet, Augustus, sororis ejus nepos, minus adhuc habens, quod timeret, deinde satis nobile illi incrementum adjecit novorum colonorum post victum Sex. Pompejum, ut testatur idem *Vellejus* eodem libro: *Speciosum per id tempus adjectum supplementum Campanæ coloniæ.* Et adeo ad hunc modum recepisse eam multum nobilitatis, & ex ædificiis ac incolentibus multum splendoris, tuentem quoque vetustam dignitatem suam rebus satis prosperis per pacem & concordiam cum vicinis, gravissimo encomio testatus est lib. V. *Strabo*, qui primum loquutus de pristina felicitate, tum deinde de subsequenti calamitate Campanorum, denique dixit, ut interpres ejus habet, ad hunc modum: *Nunc rebus utuntur prosperis colentes concordiam cum vicinis, civitatisque suæ vetustam dignitatem, amplitudinemque, & virtutem tuentur.* Idem nobis indicavit *Vellejus* noster lib. I. qui istam coloniæ Campanæ deductionem intelligens dixit, eam fastigio illo, quo processerat, dejectam novissime resurrexisse, earumque mutationum judicavit nimis exiguum esse quingentorum annorum tempus: *Ego* (*pace diligentiæ Catonis dixerim*) *vix crediderim, tam mature tantam urbem crevisse, floruisse, concidisse, resurrexisse.* Atque hunc *Tacitus* lib. IV. *Historiarum*, licet ex solenni more suo satis concise, tamen manifeste eam dixit maximam Campaniæ coloniam: *Iisdem diebus* (ita habent verba ejus) *Lucilius Bassus cum expedito equite ad componendam Campaniam mittitur.* Et mox: *Viso milite quies, & minoribus coloniis impunitas. Capuæ legio tertia hyemandi caussa locatur, & domus illustres afflictæ.* Et disertius idem *Strabo*, quem paulo ante diximus, libro citato Capuam suis temporibus dixit esse *re vera id, quod nomine ejus significatur: reliquas enim si ei compares, oppida sunt, excepto Teano Sidicino, quæ urbs est magni nominis.* Nihil itaque mirum, si illa temporibus istis erat inter opulentissimas Italiæ urbes. *Quæ procul a mari habitantur*, (verba sunt *Pomponii Melæ*, qui vixit sub Augusto) *opulentissimæ sunt: ad sinistram Patavium Antenoris, Mutina, & Bononia, Romanorum coloniæ: ad dextram Capua, a Tuscis, & Roma, quondam a pastoribus condita.* Atque hinc factum est, ut *Cicero*, qui incredibili cum ardore publice in Senatu & ad populum dissuaserat deductionem coloniæ Campanæ, quam parabat Rullus, usque adeo ut & metum inde injicere conaretur Romanis: *Tunc contra hanc Romam, communem patriam omnium nostrum, illa altera Roma quæretur*; & idem, cum eam denuo Cæsar promulgasset, non minus de ea questus erat amico suo Attico, maxime lib. II. *epist.* XVI. quæ verba retulimus in I. *Dissertatione*; & cum eam vidisset ab illo perfectam, hoc numeraverat ad eundem *Atticum* lib. VII. *epist.* VII. inter alia ab eo injuste & contra leges facta; novissime tamen non ausus fuerit eam vituperare, ubi in *Oratione in Pisonem* ita dixit: *Ego Kal. Jan. Senatum & bonos omnes legis agrariæ maximarumque largitionum metu liberavi. Ego agrum Campanum, si dividi non oportuit, conservavi: si oportuit, melioribus auctoribus reservavi.* Acceperat enim, multa virtute & splendore ornatos esse novos [1] colonos ejus. Audiamus, quæ de illis in eadem *Oratione*, describens Aulum Gabinum, luxu perditum ad exemplum priscorum Campanorum, dixit: *Gabinum denique si vidissent duumvirum vestri illi unguentarii, citius agnovissent. Erant illi compti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ, & fluentes cerussatæque buccæ, dignæ Capua, sed illa vetere: nam hæc quidem, quæ nunc est, splendidissimorum hominum, fortissimorum virorum, optimorum civium, mihi amicissimorum multitudine redundat.* Idem loquens deinde de M. Antonio in *Philippica* II. Capuam instauratam *florentis coloniæ* nomine dixit, cujus territorium ille minuere studuerat: *Casilinum coloniam deduxisti, quo erat paucis annis ante deducta, ut vexillum videres, & aratrum circum duceres, cujus quidem vomere portam Capuæ pene perstrinxisti, ut florentis coloniæ territorium minueretur.* Sed quid attinet dicere amplius, cum ille, qui tantopere timuerat, ne Capuam colonia deducta, illa foret altera Roma *contra hanc Romam* & ibidem denuo dixerat: *Illud exsilium Campanæ coloniæ vehementer huic imperio timendum*; deinde *Philippica* XII. Romanos voluerit suam ex hujus jam coloniæ & alterius Romæ sententia corrigere? *Quemadmodum* (dixit ille) *hoc vestrum consilium Capua probavit, quæ temporibus his Roma altera est?*

Quandoquidem igitur per istius coloniæ deductionem denuo prosperis adeo rebus gavisa est Capua, dicente ipso etiam illo, qui deductioni isti semper adversus fuerat, intelligere inde poterimus, non ex vana civium suorum jactantia, pro more illo, quo *Dio* lib. LIV. notavit civitates pro arbitrio suo componere sibi solitas insignium cognominum longas series, sed jure & ex vero eam habuisse *Juliæ felicis* cognomentum, quod demonstravit nobis *Frontinus* in libello *De coloniis* hisce verbis: *Capua muro ducta colonia Julia Felix: jussu Imp. Cæsaris a* XX. *viris est deducta.* Veruntamen, nisi forte ille heic Cæsari titulum Imperatoris dedit per anticipationem quandam, qui prorsus nullo pacto ipsi potuit competere primo consulatu suo, possit ille loquutus esse de supplemento Augusti, quoniam insuper nonnulli codices habent *a* III. *viris*, non *a* XX. *viris*. Sane de Augusto accipienda est hæc *Inscriptio*:

IVSSV IMP. CAESARIS
QVA ARATRVM DVCTVM
EST

quæ prorsus eodem modo legitur in duobus nostris marmoribus, quorum alterum Capuæ est ad templum S. Bartholomæi Apostoli versus Occidentem

[Marginalia: Cicero, Strabo, & Pausanias illustrati. — Variis modis pristinam dignitatem suam recepit; — Strabo & Vellejus collati. — Ita ut urbium Campaniæ maxima esset; — Tacitus illustratus, & collatus cum Strabone & Pomponio Mela. — Et ille, qui semper adversus fuerat deductioni hujus coloniæ, deinde eam laudaret. — Colonos quoque ejus variis magnisque laudibus prosequens. — Ipsamque ornans florentis coloniæ titulo. — Et adeo ille non amplius ab ea timendum esse judicavit, sed Romæ suæ ex ipsa capiendum exemplum. — Capua colonia non vane, sed ex vero FELICIS cognomen tulit. — Frontinus varie illustratus. — Vetus Inscriptio illustrata.]

1 Dubito, an hæc fuerit mens *Ciceronis*, ut dicere voluerit de virtute novorum colonorum, quos Cæsar deduxerat Capuam, & in agrum Campanum: nam parum illis convenire videtur nomen *auctorum*, nisi forte quis putaverit, *Ciceronem* scripsisse *cultoribus*. Itaque potius arbitror, *Ciceronem* illud dicere voluisse, se conservavisse agrum Campanum, quem antea Rullus, homo impurus, & tribunus plebis dividere destinaverat inter plebem Romanam: quod si ille omnino tamen dividendus erat, se hanc divisionem & coloniæ deductionem reservavisse melioribus auctoribus: hoc est Cæsari & Pompejo. Nam Cæsar consul deduxit hanc coloniam, ut *Vellejus* dixit lib. II. *suasore legis Pompejo*, cujus tunc auctoritas maxima erat in urbe Roma.

dentem, sed adeo lacerum, ut vix supersint ista verba; alterum prorsus integrum visitur in pago nostro Marcianensium ad templum S. Caroli versus Occidentem hybernum. Atque illum eodem modo oportet fuisse insculptum aliis quoque marmoreis terminis territorii ejusdem coloniæ Campanæ, quos ponere solebant in locis istis, qui signati erant aratri sulco, de quo more paulo ante loquebatur *Cicero*. Hanc novam eximiamque Capuæ felicitatem non habuisse cognitam produnt illi nostri Campani, qui proximo seculo crediderunt, (& eadem opinio hodieque durat) præcipua ejus ædificia, & maxime marmoreum amphitheatrum, non posse fuisse nisi antiquorum illorum temporum opera, quibus ipsa adhuc æmula erat Romanorum. Sed hæc iniqua adeo & meritis patriæ & veritati sententia manifeste refutari vel inde potest, ut omnia alia omittamus, quod ne quidem ipsa Roma ante Augusti tempora magnificis admodum ædificiis fuit ornata, ut deinde quidem ipse eam ita ornavit, *ut jure sit gloriatus* (*Suetonii* verba sunt lib. II. cap. XXIX.) *marmoream se relinquere, quam lateritiam accepisset*. Et ampihtheatrum, Romanum quod hodieque magna ex parte superest, & cujus areæ, sive solo prorsus est consimile, licet mensura aliquantum minori, nostri amphitheatri solum, non alterius quam Imperatoris Titi opus est. Sed de hisce rebus alio loco opportuniore pluribus dicendum erit. Quod ad cetera attinet, *Plinius Secundus* lib. III. cap. V. dixit, sua ætate ex institutione Augusti colonias esse in prima regione Italiæ has solummodo nostrarum urbium: *Capuam*, *Suessam*, *Venafrum*, *Teanum*, *&* *Nolam*. Atque adeo reliquas appellavit *oppidorum* nomine, quorum forte nonnulla separatim contributa erant coloniis istis: sicut ipso teste lib. XIV. cap. VI. Urbana ipsius ætate contributa fuit Capuæ, & olim ab Sulla contributa fuerat Calatia, cujus rei mentio fit in libello *Frontini. De coloniis*. *Tacitus* per eadem tempora urbes illas distinxit in colonias & municipia, ubi *Annalium* lib. XV. ita de Nerone narrat: *Acriore indies cupidine agebatur promiscuas scenas frequentandi. Non tamen Romæ incipere scenas ausus, Neapolim, quasi Græcam urbem, delegit. Ergo contractum oppidanorum vulgus, & quos e proximis coloniis & municipiis ejus rei fama civerat, quique Cæsarem per hyemem aut varios usus sectantur, etiam militum manipuli theatrum Neapolitanum complent.* Et denuo lib. III. *Historiarum*, ubi narrat illarum urbium inter se æmulationem, quæ, sequentibus aliis Vespasiani, aliis Vitellii partes, etiam in civile bellum erupit, præcipue motum a Capua & Puteolis, quod municipium erat, abolito forsan isto jure coloniæ, quod isti oppido non multis ante annis concesserat Nero.

Et ad hoc tempus referenda sunt præcipua ejus ædificia una cum amphitheatro marmoreo.

Iisdem temporibus aliæ quoque Campaniæ urbes erant coloniæ,

Aliæ autem municipia. Tacitus illustratus.

XV. *Cum in Romanorum servitute esset Campania Felix, NEAPOLI, Græcæ urbi, tum ut eam præmio aliquo afficerent propter inveteratam fidem, tum quod victu moribusque Græcorum delectabantur, peculiarem concesserunt libertatem, quod idem aliis quoque fecerunt urbibus.*

JAm vero non alienum erit hoc ultimo loco exponere, quisnam interea NEAPOLIS urbis fuerit status. Nam cum Romani late tenerent hanc regionem sibi subjectam, eam neque Campaniæ Capuanæ, ut quidem situs ejus postulavisset, neque cuiquam alii præfecturæ contribuerunt, nisi valde ego erro. Igitur de hac urbe satis convenit agere disputatione peculiari per causam priscæ, & multo magis præsentis ejus dignitatis, cum illa sit felicissima integri regni metropolis. Atque hoc tanto magis etiam me facere oportet propter ipsius adeo argumenti difficultatem, quod a scriptore quodam non multis adhinc annis aliquanto ambitiosius, ne dicam negligentius, quam oportebat, est tractatum. Non heic repetere est animus, quomodo hæc urbs condita atque aucta sæpius fuerit a variis Græcorum populis; neque etiam quomodo illa orbata Cumanorum auxilio, auctorum suorum, qui a Campanis subacti erant anno ab Urbe condita CCCXXXIII. satis arctam cum Samnitibus amicitiam inierit, qui Nolam tenebant, multosque eorum intra mœnia sua receperit præsidii causa. Nam de hisce omnibus abunde dictum est in secunda & hac ipsa *Dissertatione*. Etiam vidimus, quondam ante L. Cornelium Lentulum, Q. Publilium Philonem Coss. hoc est, ante annum ab Urbe condita CCCCXXVI. *hanc civitatem*, (ut *Livius* dixit lib. VIII.) *cum suis viribus tum Samnitium infida adversus Romanos societate fretam, sive pestilentia, quæ Romanam urbem adorta nunciabatur, fidentem, multa hostilia adversus Romanos, agrum Campanum Falernumque incolentes, fecisse.* Diximus etiam, eundem consulem Publilium mox eam obsedisse, & in deditionem accepisse anno sequenti opera duorum ex principibus civitatis. Itaque tum illa fidei & arbitrio Romanorum se permisit, ex qua deditione voluntaria deinde nata est firmissima inter illos amicitia, quod æque potuisset fieri, si vel ipsi illi Samnites eam deditionem fecissent, ut factum fuisse nonnulli auctores apud eundem *Livium* dixerunt, qui argumento restitutæ illius amicitiæ, si quid video, parum firmo hanc sententiam refutat. Sane enim potest hæc defendi opportunissimo Tarentinorum exemplo, qui prorsus nullo modo dedititii Romanorum, sed ipso teste lib. XXVII. vi subacti ab illis, *plerisque æquantibus eos Campanorum noxæ*, ut ipse quoque dixit eodem libro, in amicitiam tamen eorum accepti sunt eodem modo, quo Neapolitani, ut itidem ex ipso paulo post intelligemus: ut, ne hoc dicam, si illi sententia ista non videbatur posse esse vera, quam ob causam igitur notavit ipse Samnitium amicitiam [1] *Samnitium infida adversus Romanos socie-*

Illa NEAPOLIS urbis, quæ olim fuit, & est hodieque, dignitas postulat

disputatione peculiari de pristino statu ejus agi, quem non recte cognovit quidam recentiorum.

Hæc urbs, non una origine Græca, postea Samnites Nolanos recepit.

Deinde ob hostilia adversus Romanos, qui in Campania erant, facta, hi eam obsederunt, Eamque occupaverunt, sive per civium, sive per Samnitium suorum deditionem.

Livius notatus.

[1] Hic locus *Livii* est lib. VIII. cap. XXII. ad quem vir omni elogio major, *Joannes Fredericus Gronovius* notavit, cavillari hic *Camillum Peregrinum*, nec non ibi quoque, ubi *Livium* notat, quasi parum firmo argumento illam opinionem refutaverit, qua proditio Neapolis ab Samnitibus facta tradebatur. Et cavillatur ille profecto strenue. Primum enim nihil attinebat quærere, quam ab causam Samnitium societatem cum Neapolitanis *infidam* dixerit *Livius*, si illi sententia ista non videbatur posse esse vera, Neapolim ab Samnitibus proditam fuisse Romanis. Nam satis illam discere poterat ex ipso *Livio*, ejusdem libri cap. XXV. ubi ex emendatione *J. Fr. Gronovii* ita ille de Neapolitanis obsessis dixit; *Fœdiora aliquanto intra muros iis, quibus hostis territabat; &, velut capti a suismet ipsi præsidiis, indigna in liberis quoque & conjugibus, quæ captarum urbium extrema sunt, patiebantur. Itaque, quum & a Tarento & a Samnitibus fama esset nova auxilia ventura, Samnitium plus, quam vellent, intra mœnia esse rebantur: Tarentinorum juventutem Græci Græcos, haud minus per quos Samniti Nolanoque, quam ut Romanis hostibus resisterent, exspectabant.* Nempe voluerunt scelesti homines Neapolim sibi habere, perinde ut fraude occupaverunt Messanam in Sicilia, & forte etiam Nolam Campaniæ, ut exposuit auctor cap. XI. & XII. Atque hoc satis animadverterunt ipsi Neapolitani, unde *Livius* ejusdem lib. XXIII. *duo millia Nolanorum militum, & quatuor Samnitium, magis Nolanis cogen-*

societate freta. Sed concedamus hoc ipsi, & licitum illi fuerit in gratiam urbis, quæ literarum amantibus semper fuit gratissima, illam amplecti opinionem, quæ meritis ejus potissimum debebatur. Sed ut illuc revertamur, fœdus illud Neapolitanum paulo post subsequutum fuisse oportet affirmante hoc Sulpicio, Romanorum legato in oratione ad Regem Antiochum, cujus verba non multo post afferemus. Atque adeo Cicero pro Cornelio Balbo, dixit de eo, si recte observentur ejus verba, quasi de re vetere, ubi loquitur de ceremoniis sive sacris Græcorum, quibus Ceres in urbe Roma colebatur ab sacerdotibus Græcis: *Has sacerdotes video fere aut Neapolitanas, aut Velienses fuisse, fœderatarum sine dubio civitatum. Mitto vetera: proxima dico.* &c.

Atque tunc factum est fœdus Neapolitanum, quod numeratum fuit inter antiqua fœdera, Cicero illustratus.

Jam vero Neapolis constantissime permansit in eadem amicitia cum Romanis, juxta prosperis horum adversisque rebus: maxime quidem bello Punico secundo, cum Annibalis frequentes victoriæ contra ipsos totam Italiam ipsamque adeo Romam terrore atque confusione implessent. Laudavit insigniter hanc ejus constantem fidem *Vellejus* noster lib. I. quem post afferemus. Eandem laudem promeruit Cumarum civitas, cujus apud *Livium* lib. XXIII. memorabile istud factum legitur, quo, cum subtraxisset sese, quonam pacto, &c num jam antea, an vero illo ipso tempore, non satis scio, imperio Campanorum, ipsa causam præbuit ingentis ipsorum cladis, quam passi sunt a Tib. Sempronio Gracco consule, anno sequenti quam amicitiam cum Annibale inierant, qui fuit ab Urbe condita annus DXXXVIII.

Et semper deinde duravit singulari fide Neapolitanorum.

Perottus, qui in versione sua *Polybiano* lib. III. de Annibale ita dixit: *Relicto Gerione* (Apuliæ urbe) *Neapolitanam arcem occupat*; debuit usus esse Græco quodam codice corrupto, qui habebat: Νεαπόλεως ἄκραν pro πόλεως ἄκραν, *civitatis arcem:* nisi forte ille textum, qui sincerus erat, judicavit esse vitiosum.

Perottus refutatus.

Atque heic illud observetur, Neapolim, quæ ante fœdus istud, quod diximus, & per sese, & per amicitiam cum Samnitibus inimica fuerat Campanis Etruscis, qui inimici erant Cumanis, eorumque amicis; nunquam fuisse in eorundem Campanorum potestate, ut antea quoque indicavimus. Atque adeo postea etiam, licet merita ejus judicaverit *Vellejus* paria meritis Cumarum, illa non fuit contributa præfecturæ Campaniæ Capuanæ, sicut Cumarum urbs est contributa, quæ Campanis diu paruerat.

Atque adeo hæc urbs a principio usque ad finem nihil quicquam commune habuit cum reliqua Campania.

Jam vero, an antiquum fœdus illud Neapolitanum prorsus fuerit utrinque æquum, hoc mihi videtur cognosci posse eodem modo, quo fœdus Campanorum, qui itidem se dederunt Romanis, diximus fuisse *æquum fœdus* solummodo nomine tenus. Fuerunt quondam Campani potentes navibus, quam in rem manifestum testem habemus *Ausonium* in hisce versibus De urbibus illustribus.

Fœdus Neapolitanorum cum Romanis oportet fuisse æquis legibus solummodo nomine tenus.

Nec Capuam pelago, cultuque, penuque potentem,
Deliciis, opibus, famaque priore silebo.

Sed cum illi non retinuerint pristinam hanc potentiam, prorsus nescimus eos Romanis pependisse tributi nomine certum navigiorum numerum, ut quidem satis est notum eos magno numero militavisse inter terrestres illorum copias. •Quia enim regionem tenebant fertilissimam, oportet eos tam equestri, quam pedestri militiæ studuisse. Contra igitur credibile quoque erit, Neapolitanos ipsis quasdam naves præstitisse pro tributo. Nam *illi studuerunt*, ut sapienter notavit *Petrus La Sena* cap. III. *Gymnasii Neapolitani, inprimis rei maritimæ*, neque sane ultimo in ea arte loco fuerunt. Sed hac de re quid opus est conjecturis uti, cum certum habere possimus indicium ex *Livio*, apud quem lib. XXXV. Minio amicus Antiochi regis P. Sulpicium legatum Romanorum alloquitur, ubi simul quoque nobis indicat, eos etiam pependisse adhuc aliquid amplius, quam tributum navium? *Qui enim* (dixit Minio) *magis Smyrnæi Lampsaceni- que Græci sunt, quam Neapolitani, Rhegini, & Tarentini, a quibus stipendium, a quibus naves ex fœdere exigitis? Cur Syracusas, atque in alias Siciliæ Græcas urbes prætorem quotannis cum imperio & virgis ac securibus mittitis? Nihil aliud profecto dicetis, quam armis superatis vos iis has leges imposuisse.* Atque hæc tributa pacta erant inde usque a principio facti fœderis, ut affirmat idem legatus in responsione sua hisce verbis: *Ab Rheginis, & Neapolitanis, & Tarentinis, ex quo in nostram venerunt potestatem* (a tempore fœderis Neapolitani jam luxerant anni CXXXV) *uno & perpetuo tenore juris, semper usurpato, nunquam intermisso, quæ ex fœdere debent, exigimus.*

Atque hic illos solvisse convenit tributi nomine aliquam numerum navium, quarum ipsis maximum fuit studium.

Quin imo hac de re veterem habemus certumque testem.

Præter hæc tributa, quæ Romani exigebant ab Neapolitanis, sociis suis, certam illi quoque potestatem habebant componendi lites eorum cum populis vicinis: unde apud *Valerium Maximum* lib. VII. cap. III. de Q. Fabio Labeone, qui vixit tempore præfecturarum Campaniæ; gessit enim consulatum cum M. Claudio Marcello anno DLXX. ab urbe condita; ita legitur: *Arbiter a Senatu finium constituendorum inter Nolanos & Neapolitanos datus, cum in rem præsentem venisset, utrosque separatim monuit, ut omissa cupiditate, regredi a controversia, quam progredi mallent: idque cum utraque pars, auctoritate viri mota, fecisset, aliquantum vacui in medio agri relictum est. Constitutis deinde finibus, ut ipsi terminaverant, quicquid relicti soli fuit, Romanis adjudicavit.* Atque hoc factum narravit quoque *Cicero* lib. I *Officiorum* deque eo se nonnihil incertum esse satis ostendit: forte non tam ex sese, cum dicat, se non alium ejus auctorem habere, quam famam; sed quia *decipere*, ut verbis ejus utar, *hoc quidem, non judicare est.* Animadvertebat enim hoc æque ad ipsius Romanæ reipublicæ, quam ad istius deceptoris Labeonis dedecus spectare.

Et certum quoque est, eos paruisse Romanis in componendis litibus suis cum vicinis.

Cicero collatus cum Valerio Maximo, & notatus.

Jam vero Neapolitani, ut supra notatum est, eodem tenore colentes amicitiam cum Romanis, quacunque tandem illorum fortuna, eam insuper donis voluntariis firmavere, quale illud fuit, cum quadraginta pateras aureas per legatos miserunt Senatui post cladem ad Thrasimum, ornantes istud donum sinceri & generosi amoris testificatione. Atque hujus rei etiam *Livius* est non ambiguus auctor, ubi lib. XXII. ita dixit: *Neapolitani legati Romam venere ab iis quadraginta pateræ aureæ magni ponderis in curiam illatæ, atque ita verba facta, ut dicerent, scire se Romani populi ærarium bello exhauriri: & cum juxta pro urbibus agrisque sociorum, ac pro capite atque arce Italiæ, urbe Romana, atque imperio geratur; æquum censuisse Neapolitanos, quod auri sibi, cum ad templorum ornatum, tum ad subsidium fortunæ a majoribus relictum*

Semper autem perseveraverunt illi in amicitia, eamque insuper coluerunt dono voluntario quadraginta paterarum aurearum.

cogentibus, quam voluntate Græcorum, (intelligit ipsos Neapolitanos) *recepta Palæpoli* fuisse dixit. Itaque erant illi Neapolitanorum socii infidi, Romanorum hostes aperti, & infensissimi: unde jam satis apparet, quam parum sit verisimile, Samnites Romanis prodidisse Neapolim, & quam temere *Peregrinus* notaverit *Livium*, qui deditionem illam ab Neapolitanis factam voluit. Utique enim absurdum dictu est, ut nihil supra, Samnites quidem prodidisse Neapolim Romanis, contra autem non cum ipsis, sed cum Neapolitanis fœdus fuisse factum, & Samnites præmii loco fuisse bello afflictos ab Romanis. Sane enim toto illo tempore, & ante & post captam etiam Neapolim diu acriterque bellatum in Samnio ab Romanis.

ctum foret, eo juvare populum Romanum: si quam opem in sese crederent, eodem studio fuisse oblaturos. (nimirum in hoc bello, quod [1] intra Italiam gerebatur, usus non erat istius tributi navium) *gratum sibi patres Romanos populumque facturum, si omnes res Neapolitanorum suas duxissent; dignosque judicaverint, a quibus donum, animo ac voluntate eorum, qui libentes darent, quam re majus ampliusque, acciperent. Legatis gratiæ actæ pro munificentia curaque: patera, quæ ponderis minimi fuit, accepta.* Ita *Livius*, qui ceteroqui videri possit, si non de industria historiam hujus doni immutavisse, saltem eam [2] male cognitam habuisse. Forte enim Romani unam tantum acceperunt pateram, ipsis donatam ab Neapolitanis una cum aliis, ex more isto, quem nobis prodidit *Josephus* *Antiquitatum* lib. XIV. cap. XVI. ubi decretum Senatus refert, factum jussu Cæsaris in gratiam Judæorum, cum Pontifex esset Hyrcanus, quod ita habet: *L. Valerius, L. F. Pr. retulit ad Senatum Idib. Decembr. in æde Concordiæ, præsente L. Coponio L. F. & C. Papirio Quirino de his, quæ Alexander Jasonis, Numenius Antiochi, Alexander Dorothei, legati Judæorum, viri optimi, & socii nostri petierunt, renovantes veterem erga populum Romanum benevolentiam; qui phialam, & clypeum ex auro, argumentum societatis, attulerunt, existimationis aureorum L. millium, & literas petierunt ad liberas civitates, ac reges, ut per regiones eorum atque portus secure possint iter facere. Placuit igitur Senatui, eos in amicitiam & societatem recipere, & omnia, quæ petierunt, concedere, & allatum clypeum accipere.*

Livius illustratus.

Quarum tantum unam acceperunt Romani, forte quasi debitum signum societatis. *Livius notatus.*

Jam vero, etsi prærogativa illa, quam nobis indicavit lib. VI. *Polybius*, nempe ut exsules Romanorum tuto degere possent Neapoli, non fuit propria soli fœderi Neapolitano: *Exsulibus* (ita habet interpres ejus) *impune degere licet Neapoli, Præneste, Tibure: item aliis in urbibus. quibus hoc jure fœdus intercedit cum Romanis*; certe tamen fuit illa urbs semper singulari cum benevolentia ab Romanis amata, idque non unam ab causam, si recte attendimus. Equidem *Vellejus* noster constantem ejus fidem, quam quia sui Campani non coluerant, Capua facta est, ut apud *Livium* lib. XXXI. eam appellavit aliquis Macedonum legatorum in Ætolorum consilio, *sepulcrum ac monumentum Campani populi, elato, & extorri ejecto ipso populo, urbs trunca, sine Senatu, sine plebe, sine magistratibus, prodigium, relicta crudelius habitanda, quam si deleta foret.* Itaque *Vellejus* lib. I. de Neapoli & Cumis, ipsius matre, ita dixit: *Utriusque urbis eximia semper in Romanos fides facit eas nobilitate atque amœnitate sua dignissimas.* Verum *Strabo*, observans jucunda instituta atque exercitia Neapolitanorum, id est, Græcorum, voluit, hanc ob causam eam Romanis fuisse gratissimam: & adeo credere nos oportet, & hunc, & *Vellejum* dixisse verum. Verba ejus, ubi de hac urbe agit, Latine ita habent: *Plurima ibi Græcorum institutorum supersunt vestigia, ut gymnasia, epheborum coetus, curiæ, (ipsi phratrias vocant) & Græca nomina Romanis imposita. Hoc tempore sacrum quinquennale certamen musicum, & gymnicum per aliquot dies agitur, ludis Græcorum nobilissimis æmulum.* Et mox: *Vitæ autem Græcanicæ rationem Neapoli augent, qui eo Roma secedunt in otium: sive qui ab ineunte ætate laboribus defuncti sunt; sive alioquin ob imbecillitatem aut senectutem cupiunt vitam faciliorem degere: & Romanorum nonnulli, hoc vitæ genere gaudentes, ubi vident multitudinem hominum, qui ejus instituti causa ibi versantur, lubentes locum eum amplectuntur.*

Neapolis, quæ ex legibus fœderis, perinde ut aliæ urbes, aliquod habuit privilegium ab Romanis,

Maxime ab ipsis amata fuit ob fidem suam singularem.

Eadem multum frequentata fuit propter jucunda sua exercitia Græcanica:

De facili atque amœno vitæ genere, quod in hac urbe solebat agi, *Cicero* quoque non obscuram nobis prodidit notitiam, licet credidisse videatur, hanc esse quasi ingenitam loci naturam, ubi in *Oratione pro P. Sulla* ita dixit: *Locus est ipse non tam ad inflammandos calamitosorum animos, quam ad consolandos accommodatus.* Et in *Oratione pro C. Rabirio Postumo* hoc quoque nobis indicavit supra quam nobis exposuit *Strabo*, non tantum debiles, & laboribus annisque graves, sed cujusque adeo loci & ætatis homines ex urbe Roma eo secedere consuevisse voluptatis causa, gestantes istic deliciarum & commoditatis ergo mitellam quoque, Græcum capitis ornamentum, perinde ut in hortis suis villisque: *Deliciarum causa & voluptatis*, (ita verba ejus habent) *non modo cives Romanos, sed & nobiles adolescentes, & quosdam etiam Senatores, summo loco natos, non in hortis aut suburbanis suis, sed Neapoli, in celeberrimo opido*, (intelligit magnam frequentiam ejus) *cum mitella sæpe videmus.* De amœnis Neapolitanorum otiis multi veterum auctorum dixerunt, quos alibi citavimus. Atque horum satis notis verbis nunc nihil aliud addere, aut ex illis observare libet, quam eos forte speciatim intellexisse literarum & Scholarum otia Σχολάζειν enim Græcis est, quod Latinis *otiari*. Hinc Fredericus II. Imperator, qui in hac urbe ejusmodi scholas instituit, eam dixit apud nostrum *Petrum de Vinea* lib. III. *epist.* X. *antiquam matrem & domum studii.* Et postquam sequenti *epist.* laudaverat amœnitatem situs ejus & civium benignitatem morum, denuo *epist.* XIII. commendavit eadem studia ejus, eandemque amœnitatem, & insuper puritatem fidei ejus: quasi peræque alludere voluisset ad *Velleji* nostri, quam ad *Strabonis* & *Ciceronis* dictum. Verba ejus hæc sunt: *Universale studium in civitate nostra Neapolis consultanti deliberatione providimus reformandum, ut civitas ipsa, antiqua mater & domus studii, sic ut puritate fidei & situs amœnitate præfulget; sic renovata, quasi paranympha scientiæ, & singularium hospitalaria facultatum, docentibus & addiscentibus se se præbeat gratiosam.* Non hujus generis fuit istud otium Campanum, quod ab eodem *Cicerone* in *Agraria* II. dictum fuit *inertissimum & desidiosissimum.* Et quale illud fuerit, cognosci potest ex verbis *Livii*, quæ supra etiam retulimus: *Urbi frequentandæ multitudinem incolarum, libertinorumque, & institorum, opificumque retenta.* Nam antiquis ignobile otium erat quodcunque exercitium, excepta publicarum rerum administratione. Sane vero sequentibus seculis Capuæ floluerunt clarissima in literis ingenia, & fuit

Unde hic locus natura sua visus est aptus ad consolandos, non ad turbandos afflictorum animos. *Eodem secedere solebant voluptatis causa cujusque ætatis & loci homines.*

Otia autem ejus tantopere celebrata, fuerunt scholarum otia,

Quas postea restituit Fredericus II. Imp. ob easdem causas, ob quas illa Romanis tantopere fuerat grata.

Petrus de Vinea collatus cum Vellejo, Strabone, & Cicerone.

[1] Hariolatur heic *Peregrinus*; quasi vero Romani non opus habuerint navibus ad hoc bellum, atque hoc non etiam mari, & extra Italiam in Sicilia quoque & Hispania fuerit gestum. Sed ut hoc addam, prorsus incerta est ista auctoris conjectura de hoc tributi genere, quod Neapolitani pependerint Romanis. Nam de ista illorum potentia & re maritima non multum legere memini apud veteres. Et quem unicum ex *Livio* locum pro sua sententia adduxit auctor, ibi forte naves illæ speciatim referuntur ad Tarentinos, quos mari potentes fuisse, satis est notum.

[2] Non capio, quid heic sibi velit, aut ex isto *Josephi* loco, quem subjungit, eruere conetur auctor, quo historiam doni istius aut immutavisse, aut male cognitam habuisse *Livium* contendat. Et adeo heic quoque cavillari *Peregrinum* notavit *J. Fr. Gronovius.* Certe enim tantundem & plus etiam de legatis Neapolitanorum dixit *Livius*, quam de Judæorum legatis *Josephus*: nec magis hic reddidit rationem non integri doni accepti, quam *Livius.* Sed hanc quidem non difficile est assequi fuisse magnitudinem animi vere Romani, ut recte hic notavit *Gruterus.* Sic & ejusdem lib. cap. XXXVI. *Legati a Pæsto pateras aureas Romam attulerunt iis, sicut Neapolitanis, gratiæ actæ: aurum non acceptum.*

fuit quoque gratum literatis extraneis secedere eo nonnunquam. Ita compendio suo *Historiæ Romanæ*, quod ad nos pervenit nonnihil mutilatum, satis celeber fuit, & ab Imp. Tiberio ad honores promotus *Vellejus Paterculus*, cujus genus ex ipso scimus fuisse per adoptionem insitum in gentem *Magiam*, cujus nobilis memoria legitur in *Inscriptione* veteri, quam retulit *Capacius* lib. I. *Historiæ Neapolitanæ*, quæque visitur ad templum S. Michaëlis Archangeli, ad radices Tifatorum. Clarus arte dicendi fuit, magnasque sibi divitias inde comparavit, Eprius Marcellus imperante Nerone, & magis adhuc Vespasiano, licet obscuris natalibus ortus, ut satis indicat Auctor libri *De claris oratoribus*, & item *Tacitus* plus uno loco *Annalium* & *Historiarum*. Neque dubito, quin hujus ejusdem gentis fuerit ista puella, Epria Marcia, de qua in nostro foro judicum (*la piazza delli giudici*) in exiguo & ignobili marmore habemus *Inscriptionem*, quæ sepulchro ejus imposita fuit, & ita habet:

Vetus inscriptio illustrata.

DIS
MANIB
EPRIA
MARCIA
VIXIT
ANNIS VII
DIEBUS VII

C. Numitorio Callistrato, homini rarissimo, licet hodie nomen ejus prorsus in obscuro sit, amicus quidam hoc nobilissimum elogium summæ bonitatis atque doctrinæ suæ posuit in marmore quibusdam privatis domibus, in parœcia S. Marcelli Majoris e regione templi S. Salvatoris Minoris, ut adeo illud heic quoque prætermitti non debeat.

C. NUMITORIO
CALLISTRATO
HOMINI
OPTIMO
DOCTISSIMO
QUE ET VIRO
RARISSIMO
FL. ARISTVS V. C.

Vetus Inscriptio ambigue illustrata.

Et de his ingentibus ejus variisque laudibus cogitanti in mentem venit *Callistrati Jurisconsulti*, qui floruit temporibus Imperatoris Alexandri Severi, cui convenientiores majoresque laudes dici nequivissent. Atque hinc in memoriam mihi redit nomen *Cocceji Campani* Jurisconsulti, qui vixit Severo, & Antonino filio ejus imperantibus, cujus mentio fit in *Digestis* & *Institutionibus* Justiniani Imperatoris. Atque hic possit etiam ad nos referri, tam per causam cognominis sui, quam etiam ideo, quod gentis Coccejæ memoria occurrit in marmore Campano, quod in villa mea *Casapullæ* asservo, & hæc verba exhibet.

Vetus Inscriptio illustrata.

L. COCCEIVS
C. L. M. L PAPA
L. VALERIO L. L.
NICEPHORO
MEDICO AMIC.

Quod si Coccejus ille ad nos non pertinet, certe Campanus fuit Postumius ille, a *Suida* dictus Ῥωμαῖος ἀπὸ Καπύης, qui, ut interpretis ejus utar verbis, *in Græcis literis post trigesimum ætatis annum est eruditus, earum amore captus: initio vero aurifaber fuit. Postquam vero semel hoc doctrinæ studium ac amor eum invasit, Athenas abiit, & illic in Græcorum disciplinis est eruditus, & multarum ac præclararum rerum notitia decoratus, ad profundam* longamque *senectutem est progressus. Haud igitur absurdum* ac indecorum *fuit, hunc Postumium* de se ipso *proferre illa verba, quæ Heraclius de se ipso dixit: Me ipsum inveni.* Neque tamen ideo, quod Postumius Athenas se contulit, ut ibi Græcas literas addisceret, easque ex ipsis fontibus hauriret puriores, judicandum est, interim Capua literas exsulavisse. Sane *Dio*, ut ipse affirmat apud *Xiphilinum* lib. LXXVII. cum *Historiam* suam conscriberet, istic degere solebat: & *Symmachus* ibi quoque villam habebat, quo sæpe secedere consueverat. Nam & conditas ibi fuisse copiosas bibliothecas, argumento esse potest dictum *Labeonis* JCti, quod retulit *Ulpianus* *Digestorum* lib. XVIII. Tit. I. l. 50. Sed annon fuerunt etiam Capuæ, ut conveniebat nobili urbi metropoli, (videatur hac de re *Codex Theodosianus* lib. XIII. Tit. IXI. l. II.) publici linguæ Græcæ professores? Certe de uno ex illis legimus in ædibus Cavalierorum *Inscriptionem*, quam ipsi posuit ad monumentum uxor ejus. Neque illa prætermittenda est, & ita habet:

Labeo JCtus illustratus.

TI. CLAUDIO
LACONI GRAMMA
TICO GRÆCO
CLAUDIA VERA
MARITO BEN
MERENTI FECIT
CUM QVO VIXIT
ANNIS XXVI

Ibidem loci visitur prima sequentium trium *Inscriptionum* Græcarum, quarum secunda est in villa, cui nomen *Turris captivorum*, (*La torre degli schiavi*) in fronte arcæ marmoreæ: tertia autem, Græca & Latina, est in villa, quæ satis vicina nostræ urbi versus Orientem nomen habet *Il fieo.*

ΙΟΥΛΙΑ ΜΑΡΚΕΛΛΑ
ΙΟΥΛΙΟΥ ΒΑCCΟΥ
ΘΥΓΑΤΗΡ
ΚΟΜΜΑΓΗΝΗ ΛΑΥΠΕ
ΧΑΙΡΕ

CΕΜΝΟΝ
ΤΡΥΦΑΙΝΗC
CωΜΑ

ΔΕCΠΟΙΝΗ ΝΕΜΕCΕΙ
ΚΑΙ CΥΝΝΑΟΙCΙ ΘΕΟΙCΙΝ
ΑΡΡΙΑΝΟC ΒωΜΟΝ
ΤΟΝ ΔΕ ΚΑΘΕΙΔΡΥCΑΤΟ
IUSTITIAE NEMESI
ATIS QUAM VOVERAT ARAM
NVMINA SANCTA COLENS
CAMMARIVS POSUIT

Neque hic mihi ex memoria excidit, sed eum huic loco reservavi, *Cn. Nævius* notissimus & antiquissimus poëta: cujus *superbia Campana*, reprehensa ab *A. Gellio* lib. I. cap. XXIV. unicum cum sit argumentum, eum fuisse civem nostrum, simul quoque nobis indicavit, vitia nostra non esse sine laudibus nostris.

Sed ut revertamur, unde digressi sumus, Campanorum erga Romanos perfidia, propter quam ipsi quondam multati fuerant agro Falerno, sed utcunque tamen honorem illum atque ordinem servaverunt, ut amici eorum sociique essent; novissime ob societatem cum Annibale initam periculosissimis reip. Romanæ temporibus, ea illos pœna oneravit, quam supra intelleximus. Contra igitur singularem istam Neapolitanorum fidem etiam

Consentaneum est, Neapolitanos fidei suæ erga Romanos aliquod tulisse præmium, quod tamen non satis diserte nobis pro-

ditum a veteribus.

etiam oportet aliquo præmio esse affectam, etsi diserte nihil de eo dixit idem *Vellejus*, qui eam tantis laudibus extulit, ut nec quisquam alius scriptorum veterum. Et adeo non abs re erit hanc in rem diligentius inquirere, ut etiam hac parte illustretur pristina illius urbis fortuna. Igitur Campani fœderis legibus hoc quoque pactum fuisse oportet, ut in urbe Capua esset statum præsidium militum Romanorum, etiam ablato metu belli cum proximis Samnitibus: nam id postulabat inconstantia Campanorum. Atque hoc cognosci etiam potest ex eo, quod antea jam retulimus: nempe quod post illam cum Pœnis amicitiam contractam *præfectos sociûm*, ut narrat *Livius* lib. XXIII. *civesque occupatos, partim privatis negotiis implicitos, plebs repente omnes comprehendit.*

Sed unum illorum hoc fuit, ut Neapoli non locarentur Romanorum militum præsidia:

Sed Neapoli non fuit tale præsidium, ne quidem periculissimo isto ejusdem belli Punici tempore, nisi petentibus ipsis Neapolitanis. *Sub adventum prætoris Romani* (dixit auctor libro citato) *Pœnus agro Nolano excessit, & ad mare proxime Neapolim descendit, cupidus maritimi opidi potiundi, quo cursus navibus tutus ex Africa esset. Cæterum posteaquam Neapolim a præfecto Romano teneri accepit, (M. Junius Silanus erat, ab ipsis Neapolitanis accitus) Neapolim quoque, sicut Nolam, non admissus, petit Nuceriam.* Terentius Varro, consul Romanorum, exprobravit legatis Campanis, quod ipsi olim ab Romanis accepissent, quasi duo ingentia beneficia, & leges, & civitatem Romanam: *Adjicite ad hæc, quod fœdus æquum dedimus, quod leges nostras, quod ad extremum, id quod ante Cannensem certe cladem maximum fuit, civitatem nostram magnæ parti vestrum dedimus communicavimusque vobiscum.*

Alterum hoc, ut adeo luculenta esset ipsorum conditio, ut comparatione ejus inutilis videretur civitatis Romanæ prærogativa:

Sed Neapolitani gavisi sunt sua libertate & conditione peculiari, quam oportet satis fuisse luculentam eamque, quia nunquam defuerunt officio fidelium sociorum, sibi semper illibatam conservaverunt. Atque adeo, cum lege Julia *Civitas est sociis & Latinis data*, ut dixit *Cicero pro Cornelio Balbo*, magna inter ipsos contentio fuit, utrum accipienda an repudianda ipsis esset ista liberalitas, quam reliqui omnes Italiæ populi admodum avide expetebant: *In quo* (verba sunt ejusdem *Ciceronis*) *magna contentio Heracliensium & Neapolitanorum fuit: cum magna pars in iis civitatibus juris sui libertatem civitati anteferret.*

Item hoc tertium, ut semper inviolatâ servaretur lex illa de impunitate exsulum Romanorum in urbe Neapoli,

Peræque hoc etiam promeruerunt ista illibata fide sua, ne unquam aliquid detraheretur isti privilegio fœderis antiqui, quo exsulibus Romanis Neapolim ire licebat, ibique impune agere: quare & hanc ob causam se eo conferre parabat sceleratus ille Q. Pleminius, cum in via captus est a Q. Metello, prout famam quoque tulisse *Livius* lib. XXIX. dixit hisce verbis: *Cæterum duplex fama est, quod ad Pleminium attinet. Alii, auditis, quæ Romæ acta essent, in exsilium Neapolim euntem, forte in Q. Metellum, unum ex legatis, incidisse, & ab eo Rhegium vi retractum: alii &c.*

Etiam temporibus bellorum civilium, quibus in Imperio Romano nihil intactum erat aut sanctum.

Atque hoc jus, sive prærogativam nunquam fuisse violatam, vel hoc non levi argumento esse potest, quod etiam Neapolim evasit Tiberius Nero temporibus istis, quibus in imperio Romano per longa bella civilia & factiones continuas neque leges, neque aliud quidquam sanctum aut inviolatum amplius erat. De Tiberio isto lib. III. cap. IV. ita dixit *Suetonius: L. Antonium consulem, triumviri fratrem, ad Perusiam sequutus deditione a cæteris facta, solus permansit in partibus; ac primo Præneste,* (nam hæc urbs eodem gaudebat privilegio, ut ex *Polybio* haud ita multo ante intelleximus) *inde Neapolim evasit.* Quod si ille postea, suspicans se parum illic esse tutum, in Siciliam inde profugit, hoc fecit, quod metuebat sibi, si recte video, ob res novas, quas rupto triumviratu molitus fuerat, *servis ad pileum vocatis*; sive ob causam aliorum istorum motuum, quos ipse etiam excitaverat in hac regione, quosque *Vellejus*, qui etiam scripsit, cum Neapoli in Siciliam fuga evasisse, narravit lib. II. hisce verbis: *Per eadem tempora exarserat in Campania bellum, quod professus eorum, qui perdiderant agros, patrocinium, ciebat Tiberius Claudius Nero, prætorius & pontifex, Tiberii Cæsaris pater.*

Vellejus & Dio discordes ab Suetonio, & notati.

Atque hoc imperante scripsit *Vellejus*, qui multum laudans patrem Tiberium, forsitan in gratiam Imperatoris sui, (nam & alioquin ab omnibus insignis adulator Tiberii Imp. perhibetur) Silentio præteriit istam aliam minus adhuc honestam seditionem. Neque hac fide *Velleji* major fuit diligentia *Dionis*, qui lib. XLVIII. de eadem fuga Tiberii istius loquens, neque quicquam sciens aut de nomine urbis, unde evasit, aut de utraque ista seditione, (nam cum omnia hæc dissimulasse, non est credibile) magis conjectura sua, quam certa notitia ductus, nisi temerarius ego sum conjector, talia nobis exposuit, quæ in statum Neapolis urbis, qualis isto tempore erat, minime poterant conveni-re. Et verba quidem ejus hæc, sunt: *Præsidio in Campaniæ quodam opida præfectus, quia Cæsaris res obtinerent, cum uxore sua Livia Drusilla, & filio Tiberio Claudio Nerone ad Antonium abiit.*

Atque adeo in hac urbe diu servati sunt, & invaluerunt etiam prisci Græcorum mores.

Hac itaque ratione, & forte etiam quadam alia, de qua paulo post agetur, ab Romanis præmium fidei suæ tulerunt Neapolitani. Atque adeo non intermissis in eadem urbe priscis moribus, & Græcorum institutis, quæ quoniam iidem Romani illis dilectabantur, adhuc majorem in modum istic invaluerunt, ut nobis exposuit *Strabo*, quem supra attulimus; ipsa quoque sola omnium aliarum hujus regionis urbium non experta est populi sui mutationem, & hujus fortunæ socias sibi habuit solummodo Rhegium & Tarentum, ut testis nobis est satis idoneus idem *Strabo*, quem non multo ante citavimus.

Romani Neapolitanis inviolatas servaverunt antiqui fœderis leges, in præmium constantis ipsorum fidei.

Et ego hoc appello donum Romanorum, quod Neapolitanis in præmium constantis ipsorum fidei inviolatas servaverunt fœderis antiqui leges: unde ipsis inter exercitia sua fruentibus vitæ genere facili & jucundo, simul quoque satis ampla ac nobilis fuit eorum dignitas. Nam hoc sane voluit nobis indicare *Vellejus* noster, si recte observentur prædicta verba ejus, licet ille, quoniam conjunctim loquebatur de Neapoli & Cumis, utriusque urbis easdem prædicaverit laudes, quæ integro jure tantum ad Neapolim pertinebant: *Utriusque urbis eximia semper in Romanos fides facit eas nobilitate atque amœnitate sua dignissimas.*

Vellejus illustratus.

Et nobilitatem quidem potuisse esse dignum ipsorum fide præmium ob concessa privilegia, nemo negaverit: sed potuisse ipsis quoque donari amœnitatem, naturæ donum, forsan non adeo facile mihi quis concesserit.

Vellejus & Livius collati & illustrati.

Et nihilominus ipse *Vellejus* utramque istam laudem in unam periodum conjunxit: ut adeo ille possit loquutus esse de facili isto vitæ genere, & exercitiis Græcorum, quæ Neapoli vigebant. Et ad hunc modum *Livius* quoque videtur fuisse usus eodem vocabulo, ubi lib. XXIX, refert calumnias, quibus Scipio in Senatu Romano oneratus ob moram, quam in Sicilia agebat, cum trajicere deberet in Africam: *Cum pallio crepidisque inambulare in gymnasio, libellis etiam palæstræque operam dare: æque segniter molliterque cohortem totam Syracusarum amœnitate frui.*

Et hanc eandem ob causam ipsi

Sed quæso, annon *Josephus* quoque lib. II. *contra Appionem* hoc appella-

Quoque non subjecerunt sibi quædam alia loca, & quosdam populos alios.

pellavit donum Romanorum, qui Judæorum etiam fidem non sine præmio esse voluerunt, quod eos non subegerant, sed pro sociis ac amicis suis habuerant? *Dum universi reges*) verba sunt interpretis ejus) *sunt expugnati a Romanis*, *omnium soli propter fidem suam majores nostri & socii & amici fuere.* Et an non *Dio* lib. LIV. narravit de Augusto, quod ille, cum iter faceret per Asiam, *subditos ex Romanarum legum præscripto composuit*, *fœderatos uti majorum suorum institutis permisit*; *neque quidquam vel illis adimere*, *vel bello acquirere*, *sed contentus esse partis*, *statuit?* Num forte quis crediderit, victores ubique Romanos, & imperandi avidissimos, postquam non solum integram Italiam, sed totum terrarum orbem, qui temporibus ipsorum cognitus erat, occupaverant; & postquam longissimis terra marique itineribus, expeditionibusque difficillimis multorum seculorum spatio subegerant reges potentissimos & bellicosissimas nationes; non habuisse vires idoneas ad subigendam & occupandam unam urbem, quæ ipsorum oculis subjecta erat, (nam eos nullam plane cogitationem aut curam ejus habuisse, neque ego dixerim, neque quisquam aliud sentiens illud concesserit) qui in orbe Imperii sui non multum diversa rogare Neapolitanos potuissent, quam Socrates rogavit Alcibiadem suum, qui de suis divitiis magnifice gloriabatur? Atque hujus insulsæ opinionis, indignæ sane hominis intellectu, qui vel tenuiter historias Romanas cognoverit, quæque sub falsa specie imaginarii ficti honoris abscondit verissimam singularemque istius urbis gloriam, neque ego multa cum cura refellere errorem aggrediar, neque etiam omnino negligam eum eradicare, si forte in quorundam mentibus radices egerit. Itaque hic sufficere posse arbitror, si illud observemus, Romanos pro generositate & munificentia sua variis modis libertate donavisse multos populos, multasque civitates, & maxime Græcas, postquam illas occupaverant, quemadmodum & nonnunquam eam illis iterum ademerunt in pœnam delictorum. Videantur, quæ de Iliensibus, Rhodiis, Lyciis, Magnesiis, aliisque populis narrat *Appianus Alexandrinus* in *Mithridaticis*: de iisdem Rhodiis *Tacitus* lib. XII. *Annalium*: de Amisenis *Plinius Cæcilius* lib. X. *epist.* XCIII. de tota Achaja idem *Plinius* lib. VIII. *epist.* XXIV. & ejus avunculus *Plinius Secundus* lib. IV. cap. VI. de Cyzicenis idem *Tacitus* lib. IV. *Annalium. Suetonius* lib. III. cap. XXXVII. *Dio* lib. LIV. & *Strabo* lib. XII. de Atheniensibus idem lib. IX. iterum de Iliensibus idem lib. XIII. iterum de Lyciis & Magnesiis idem lib. XIV. de iisdem Lyciis, Lardicensibus & Tarcensibus *Appianus* lib. V. *De bello civili*: de Mitylenæis *Vellejus* lib. II. de omnibus Græcis urbibus Asiæ, & Europæ, hoc est, Græciæ & Macedoniæ *Livius* lib. XXXIII. & lib. XLV. *Plutarchus* in *Flaminio*, & *Justinus* lib. XXXIII. de insula Sardinia *Diodorus Siculus* lib. V. Et ne de hoc minime controverso argumento omnia veterum auctorum loca colligamus, ex illis, quæ de Romano imperio quasi in epilogum conjunxit *Strabo* in fine *Geographiæ* suæ, intelligi poterit, inter varias regum & provinciarum, isti imperio parentium, conditiones, fuisse etiam liberas quasdam civitates, quæ aut liberæ manserant, quod in veteri societate perseverassent, aut recens factæ erant liberæ in præmium fidei. Verba ejus Latine ita habent: *Eorum*, *quæ Romanis obediunt*, *partem reges tenent*, *aliam ipsi habent*, *provinciæ nomine*, *& præfectos & quæstores in eam mittunt. Sunt & nonnullæ civitates liberæ conditionis: aliæ ab initio per amicitiam Romanis adjunctæ*, *aliæ ab ipsis honoris gratia libertate donatæ. Sunt & Principes quidam sub eis*; *& reguli*, *& Sacerdotes*: *his permissum est*, *patria sectari instituta.*

Nam ceteroqui facile ipsis erat Neapolim occupare.

Sed fuit illis in more positum, ob fidem civitates atque populos libertate donare.

Atque adeo imperio Romano subjecti erant reges, provinciæ, civitates, & Principes variis diversisque modis.

Sed omnino volunt nonnulli, quandoquidem Neapolis fuerit civitas socia Romanorum, quod negari non potest, debuisse eam quoque prorsus immunem esse ab omni servitute: atque adeo cum illa debuerit ipsis præstare naves, quasi tributum, vicissim quoque ipsos debuisse casdem illi præstare, si opus iis haberet. Verum illi, ut omnia alia omittamus, non attenderunt ad P. Sulpicii legati Romanorum, cujus verba supra jam retulimus, formam loquendi: *quæ ex fœdere debent*, *exigimus*; qua certe denotatur species quædam servitutis ex sententia *Ciceronis* in simillimo Messanæ, urbis itidem sociæ, quæ unius navis tributum Romanis debebat, exemplo: qua de re ipse copiose disseruit in *Verrina* v. ubi Verrem accusat, quod donis corruptus liberavisset eam isto tributo, cum prætor esset Siciliæ: *Pretio* (verba sunt *Ciceronis*) *atque mercede minuisti majestatem reipublicæ*, *minuisti auxilia populi Romani*, *minuisti copias*, *majorum virtute ac sapientia comparatas. Sustulisti jus imperii*, *conditionem sociorum*, *memoriam fœderis.* Et mox: *Inerat*, *nescio quomodo*, *in illo fœdere societatis*, *quasi quædam nota servitutis.* Atque huc mihi videntur satis bene posse accommodari ista alia ejusdem Oratoris ibidem verba: *Quid censetis in hoc fœdere faciundo voluisse Mamertinos impendere laboris*, *operæ*, *pecuniæ*, *ne hæc biremis adscriberetur*, *si id ullo modo possent a majoribus nostris impetrare?* Itaque potius censuerim, Romanos liberavisse Neapolitanos non tantum isto navium tributo, sed etiam ab omni cujuscunque Romani magistratus potestate, tum ob constantem illam, quam sæpius diximus, ipsorum fidem, tum ob amœnas voluptates, quibus ipsi frui solebant Neapoli. Et de ejus modi liberalitate exemplum Massiliensium tanto adhuc certiores nos reddere posset, quod ipsi, licet minoribus ipsorum meritis, licet perdita ista prærogativa per causam delictorum, postea tamen illam recuperaverunt in gratiam veteris amicitiæ, & studiorum Græcorum, quæ apud ipsos vigebant, de quibus postquam lib. IV. dixerat *Strabo*, ita subjunxit, ut interpres ejus habet: *Cæsar*, *& qui eum sequuti sunt principes*, *mediocres se in vindicandis eorum in bello delictis gesserunt recordatione amicitiæ*, *libertatemque pristinam urbis conservarunt*, *ut neque ipsa*, *neque ejus subditi missis in provinciam rectoribus parere opus habeant.* De quarundam civitatium a jurisdictione Romanorum immunitate, quæ ipsis concessa per Senatus Romani consulta, præter exemplum Massiliæ, & Nemausi quoque, quod eodem lib. IV. notavit idem *Strabo*, certissimus auctor nobis est *Cicero* in *Oratione de provinciis consularibus*, ubi ita dixit: *Omitto jurisdictionem in libera civitate contra leges Senatusque consulta.* Atque adeo non alienum fuerit judicare, Neapolim, urbem ipsis adeo caram, non tantum isto navium tributo, cum pax toto orbe terrarum esset imperante Augusto, fuisse liberatam, sed præterea etiam imperio cujuscunque magistratus Romani; sive jam illa fuerit inter fœderatas, sive inter liberas civitates, inter quas idem *Cicero pro Cornelio Balbo*, & item in *Pisoniana* nonnihil fuisse discriminis indicat, licet Amisenorum civitas simul libera & socia dicta fuerit a *Cæcilio Plinio* loco supra citato: qua de re hic prolixius agendi non est locus. Sed Cæsar quidem habuit odio quondam Neapolitanos, ut *Cicero* scripsit lib. X. *epist.* XI. *ad Atticum*: forte hanc ob causam, quod, cum Pompejus gravi morbo conflictaretur principio belli

Neapolitani, qui ex legibus fœderis præstabant Romanis certum numerum navium, quæ erat quædam servitutis species,

Livius & Cicero collati.

Forsan immunitas ab hoc tributo data est nec non illud privilegium, ne cuiquam magistratui Romano subjecti essent:

Strabo & Cicero collati.

Neque tamen hoc a Cæsare, qui eos odio habuit, quia

Pompejum amaverant, belli civilis in urbe Neapoli, *Neapolitani auctore Proxagora*, ut verbis utar interpretis *Plutarchi in Pompejo*, *pro incolumitate ejus ſacrificaverunt: quos ſequutis vicinis, eaque re totam pervagante Italiam, civitates, tam parvæ, quam magnæ, ferias per multos dies egere.* Contra vero Auguſtum eos multum amaviſſe, & ſingulari quadam nobilique prærogativa ornaviſſe, eam in rem manifeſtum poteſt eſſe argumentum, quod ipſi in ejus honorem conſecraverunt & celebraverunt athletarum certamen ludicrum, cui ipſe aliquando intereſſe voluit, ut lib. II. *Vellejus* noſter affirmat, qui ita de eo dixit: *Interfuturus athletarum certamini ludicro, quod ejus honori Sacratum Neapolitanis eſt, proceſſit in Campaniam.* Atque adeo ego hoc Auguſto adſcripſerim, urbem eam ab ipſo fuiſſe auctam prædictis iſtis privilegis, ſive aliis novis, ſi illa forte iſta altera jam obtinuerat. Certe, ſi nihil aliud, ſaltem Liviam ſuam, quæ in maximis periculis a primo marito Tiberio eo deducta fuerat, ut ſalutem ſibi quæreret; ut & *Virgilium* ſuum, qui tantopere delectabatur otiis Neapolitanis, oportet ipſi ſuaves fuiſſe tanti amoris illecebras: & alibi oſtendimus, ſingularem ipſi curam fuiſſe, ut Neapolis in unam conjungeretur urbem, quæ ad id tempus in duas erat diviſa. Si ad omnia hæc attendiſſet *Franciſcus de Petris*, certe ille multo confidentius crediſiſſet, non legi martyria Chriſtianorum Neapoli facta, *percioche ella*, (ita habent ejus verba lib. I. cap. V. *Hiſtoriæ Neapolitanæ*) *qual republica Criſtiana, non ſoggetta à quei principi gentili, non permiſe quel macello in ſua caſa.* id eſt, *quia illa, utpote reſpublica Chriſtiana, & non ſubjecta principibus iſtis gentilibus, non permiſit iſtam lanienam in penatibus ſuis.* Verum hoc nomine acriter eum reprehendit licet nomen ejus tacuerit, *Antonius Caracciolus* cap. X. *De ſacris monumentis Neapolitanis*, ubi ita dixit: *Quid enim magis vanum, quam gloriari, privatum ſe eſſe honore & decore maximo?* Sed illum quidem exiſtimaviſſe oportet, ſe non dediſſe locum huic reprehenſioni, cum crediderit, totam Neapolim ad Chriſtiana ſacra fuiſſe traductam inde uſque a primo tempore, quo S. Petrus Apoſtolus ibi prædicavit Euangelium, tum cum Antiochia Romam proficiſcens ibidem primum conſtituit epiſcopum S. Aſprenum, qui certe, ut affirmat *Joannes Diaconus*, *dierum ſenex obiit*, non autem martyrio. Nihilominus autem *Symmachus*, acerbiſſimus ille Chriſtianorum hoſtis, lib. VIII. *epiſt.* XXVII. quam ad *Cenſorinum* ſcripſit, Neapoli titulum addidit *urbis religioſæ*, non mehercle intelligens ullo pacto religionem Chriſtianam: *Quam primum* (verba ſunt ipſius) *Neapolim petitu civium ſuo um viſere ſtudeo. Illic honori urbis religioſæ interuallum bidui deputabo, De hinc, ſi bene deſtinata Dii juverint, Capuano itinere venerabilem nobis Romam, laremque petemus.* Sed hunc quidem nodum eximii literati Neapolitani ſolvant: nos detegere pergimus, quod reliquum eſt erroris, quo nonnulli fuerunt imbuti, quantum ad hoc argumentum de priſco ſtatu ejuſdem urbis attinet.

Sed ab Auguſto, quia hunc amaverunt, & ipſi ab Livia & Virgilio fuerunt amati.

Atque hinc videri poſſit eſſe verum, Chriſtianos propterea martyrio non affectos Neapoli, quam ad Chriſtiana ſacra volunt eſſe traductam.

Veruntamen ejus religio minime Chriſtiana laudata fuit ab inſigni idololatra.

Nempe illi exiſtimaverunt, Neapolim fuiſſe remp. ejuſdem dignitatis, cujus illa futura fuiſſet, ſi forte nullam unquam cum Romanis iniiſſet ſocietatem aut fœdus. Et crediderunt, magnum hanc in rem indicium eſſe illud, quod nomen reip. Neapolitanæ in pluribus *Inſcriptionibus* auctoribuſque antiquis legatur. Sed illis exciderat, Sermone Latino denotari iſto vocabulo communionem, non vero dignitatem publicarum rerum. Et adeo Præfecturarum quoque, quæ omni conſilio publico orbatæ erant, *erat*, ut *Feſtus* dixit, *quædam reſpublicâ*, *neque tamen magiſtratus ſuos habebant.* Et quid pluribus opus eſt? *Servis*, ut verbis utar *Plinii Cæcilii* lib. VIII. *epiſt.* XVI. *reſpublica quædam*, *& quaſi civitas*, *domus eſt.* Itaque ex hac illorum opinione temporibus *Senecæ* reſpublicæ quoque fuiſſent, (domeſtica exempla referre libet, omiſſa ingenti extraneorum copia) & Capua, & Teanum, ſive Atella, quandoquidem ille fines agrorum reipublicæ Campanæ, & Teanenſis, ſive Atellanæ memoravit lib. VII. cap. IV. *De Beneficiis*, quem locum attulimus & emendavimus ubi de Teano urbe fuit actum. Quod ſi mihi quis objiciat, ſcriptorem illum dixiſſe de primis temporibus Campanorum, & Teanenſium, ſive Atellanorum; videamus jam, an ad tempora adeo antiqua referri poſſint ſequentes *Inſcriptiones*, quæ proximis annis repertæ fuerunt inter rudera proſcenii theatri noſtri veteris. Altera earum integra eſt altera mutila, ita ut hic eas ſubjecimus. Conveniebat enim, eas in hocce meo libro ſervari, quandoquidem dominus loci illas nihil curavit.

Convenire quondam in Neapolim potuit nomen reipublicæ, ob communionem rerum ſuarum publicarum, non vero ob dignitatem ſuam:

Feſtus & Plinius Cæcilius collati.

Seneca cum veteribus quibuſdam Inſcriptionibus collatus.

C. CLODIO C. F. . . . . P. F.
Q. VIR. ADIVTORI . . . . . . ITONI
, PRAETORI . . . . NO PR
TRIBVNO PLEBIS . . . . S PROVINC
QVAESTORI . . . . ONIAE QVAEST
QVOD EXREDITV HS X . . IVIRO CAPITALI
LEGATO CLODIS . . . EXREDITV HS X
REIPVBLICAE CAMPANORVM . . A CLODIS
VIAE TVTELA PRAESTATVR . . . . ICAE CAMPANORVM
. . . . . . LA PRAESTATVR

Addiderunt, eandem civitatem ſuam, quæ iſto ipſorum modo reſpublica fuerit, primum cum Imperio tenuiſſe Capreas inſulam, poſtmodum Pithecuſas, quæ nunc *Iſchia*, qua de re dixit *Suetonius* lib. II. cap. XCII. *Strabo* lib. V. & *Dio* lib. LII. Verum illi non opus habebant longe abire, ſed peræque Capuam animadvertere poterant, dum colonia eſſet, quam conditionem ipſi exiſtimaverunt prorſus pati non poſſe, ut aliqua civitas reipublicæ nomine dici potuerit tenuiſſe in inſula Creta regionem Gnoſſiam, ut retulimus, ubi de Atella urbe fuit actum. Sane vero, ſi hoc ipſorum argumentum, quod Neapolis iſtam tenuit inſulam, idoneum eſſet ad ipſorum ſententiam inde eliciendam; dubium quoque non foret, eandem civitatem per multa adhuc proxima ſecula, ſtante Imperio Orientali, & exſtincto iterumque renato Occidentali imperio, obtinuiſſe eandem ab ipſis male cognitam dignitatem. Habuit enim illa vicinarum inſularum Imperium etiam tempore *S. Gregorii Magni*, ut videri poteſt ex ipſius *epiſt.* LIII. lib. VIII. *Indict.* III. & deinde etiam tempore Pontificis Joannis XII. & itidem tempore Pontificis Benedicti VIII. ut fidem faciant *Privilegia* ita ſive *Diplomata*, quæ Otho I. & Henricus I. Imperatores Eccleſiæ Romanæ conceſſerunt de patrimonio eccleſiaſtico, quæque retulit *Baronius* in *Annalibus* ſuis. Sed neque tale dominium ullam hoc probandi vim habet, quoniam & hæc nova Capua in dominio ſuo habet Cales urbem, & caſtellum Volturni, ut ſuis locis notavimus; neque unquam verum fuit Neapolim fuiſſe ejuſmodi rempublicam ſerioribus iſtis, quæ modo diximus, temporibus, ut cognoſci poteſt ex illis, quæ in *Hiſtoria Principum Longobardorum* lib. II. etſi aliud agentes, copioſe demonſtravimus. Denique autem dixerunt, de priſca libertate Neapolitana quomodocunque nos poſſe certos eſſe ex pri-

Neque etiam propter imperium inſularum maris vicini.

Nam hoc illa retinuit per multa ſecula, cum nihilominus ſubjecta eſſet Imperatoribus Orientalibus & Occidentalibus.

Neque enim libertas ejus aliud fuit, quam ſpe-

privilegio isto, quod retulit *Cujacius* lib. 1. cap. XII. suæ *Historiæ Neapolitanæ*. Et adeo crediderunt istic intelligi talis reipublicæ libertatem, quam ipsi somniaverunt, cum illa non aliud fuerit, quam certa quædam immunitas, aut speciale quoddam libertatis genus, qua de re itidem egimus in *Castigationibus ad Chronicon Falconis Beneventani*. Sed quidnam illi jam respondissent, si quis dixisset, tempore *Ciceronis* ex omnibus Campaniæ nostræ urbibus solos Puteolos in sua potestate fuisse, & quasi illa libertate gavisos esse, quum ipsi voluerunt Neapoli attingere; & adeo eundem Oratorem *pro Balbo*, verbis istis, quæ supra retulimus, de fœdere Neapolitano, A quasi de re vetere, hoc est, in desuetudinem adducta, loquutum? *Calenum municipium* (verba sunt *Ciceronis* in *Agraria* II) *complebunt, Teanum opprimunt. Atellam, Cumas, Neapolim, Pompejos, Nuceriam suis præsidiis devincient. Puteolos vero, qui nunc in sua potestate sunt, suo jure libertateque utuntur, totos novo populo occupabunt.* Solvant, rogo, etiam hunc alterum nodum iidem egregii mei literati Neapolitani: nam ego quidem pro instituti mei ratione de rebus Campaniæ Felicis dixi, quantum justæ PRÆPARATIONI ad reliquas antiquitates CAPUÆ, patriæ meæ, sufficere potest.

[Margin: ius quædam immunitatis: / Et adeo aliis erit curæ illud exponere, quam ob causam quidam / scriptor vetus non illam dixerit civitatem liberam, sed tantum Puteolos.]

F I N I S.

INDEX AUCTORUM,

Quos in hoc opere citavit, cum aliis Auctoribus contulit, defendit, illustravit, laudavit, notavit, aut refutavit Camillus Peregrinus.

Carac-

Gel-

Scha-

F I N I S.

I N D E X
N O M I N U M R E R U M
E T
V E R B O R U M.

A.

Arche-

B.

C.

Ca-

Capua

G.

H.

I.

L.

M.

Nor-

O.

P.

R.

Roma-

T.

Va-

FINIS.

CATALOGUS
VARIORUM LIBRORUM,

Quos PETRUS VANDER AA, è diversis Locis nuperrimè accepit, & qui sua in Officina Venales prostant.

BAsnage de rebus Sacris & Ecclesiasticis, 4°.
Liturgiarum Orientalium Collectio, 4°. 2 voll.
Allatius de Eccles. Oriental. 4°.
Antiquitates Ecclesiæ Orientalis, Allatii, Morini & aliorum, 8°. Ecclesiæ Orient. Græcæ, Zialowski, 8°. Fides Ecclesiæ Orientalis, per Morinum, 4°. Simonis fides Eccl. Orient. 4°.
Septem Asiæ Ecclesiarum & Constantinopoleos Notitia Smithii, 8°. Rituale Græcorum, Gr. Lat. Jacobi Goar, fol. Liber Pontificalis Ecclesiæ Græcæ, Gr. Lat. Haberti, fol.
Monumenta Ecclesiæ Græcæ, Cotelerii, 4°. 3 v.
Smith de Ecclesiæ Græcæ hodierno statu, 8°.
Delectus Actorum Ecclesiae; fol. 2 voll.
Historia Gestorum in Ecclesia Memorab. 12°.
——— Ecclesiasticae, Supplem. per Fechtium, 4.
Cabassutii Notitia Ecclesiastica, fol.
Ecclesia Æthiopica, 4°. — Græcanica, 4°.
— Judaica, 4°. — Muhammedana, 4°.
— Muscovitica, 4°. — Waldensium, 4°.
Ecclesia Africana, Schelstrate, 4°.
Antiquitates Eccles. Argentoratensis, 4°.
Historia Patriarchum Alexandrinorum Jacobitarum, per Renaudot, 4°.
Antiquitates Ecclesiarum Brittannicarum Usserii, Fol. Batavia Sacra, fol.
Bebelii Antiquitates IV. Saecul. Evangelicae, 4°.
Wharton de Episcopis & Decanibus Londinensibus, 8°. Gallia Christiana, fol. 4 voll.
Historia Ecclesiae Parisiensis, per du Bois, fol. 2 voll.
Metropolis Remensis Historia, per D. G. Marlot, fol. 2 voll. Martene de Antiquis Ecclesiae ritibus, 4°. 3 voll.—de Disc. Antiq. Eccl: 4°.
Vetus & nova Ecclesiæ Disciplina, per Thomassinum Fol. 3 voll. Codex Canonum Vetus Ecclesiæ Romanæ, Pithoei, fol.
Richerius de potestate Ecclesiastica & Politica, 4.
Morinus de S. Ordinationibus, fol.
—— de Poenitentia, fol. Missæ Pontificales, fol.
Tractatus de execut. in vestibus, per Monach. 4.
Carolus Magnus de Imaginibus, 8°.
Germon de Veteribus corruptoribus Ecclesiasticorum Codicum, 8°.
Historia Lutheranismi, Seckendorfii, fol.
Appellationes S. Petri, per Lupum, 4°.
Salmasius de primatu Papæ, 4°.
Bacchinus de Ecclesiasticæ Hierarchiæ Originibus Dissertatio, 4°.
Ciampini examen Libri Pontific. cum Parergo, 4.
Cardeira Clava Pontificia, 4°.
Historia Dogmatica de Scriptur. Usserii, 4°.
Salmasius de Regionib. & Ecclesiis suburbicariis, 4.
Marca de Concordia, fol.
Corpus Institutorum Soc. Jesu, 4°. 2 voll.
Historia Inquisitionis, per Limborg, fol.
Annales Ordinis Benedicti, per Mabillon, fol. 5 v.
—Carmelitarum, fol.—Ordinis Cistercienfis, f. 4 v.
Codex Regularum Monach. Virgin. &c. per Holstenium, 4°.
Flacii Illyrici Catalogus Testium Veritatis, fol.
Acta Martyrum, per Ruinart, fol.
Martyrologium Hispanum, per J. T. de Salazar, fol. 6 voll.
Martyrologium Romanum, fol.
— Romanum Gregorii III. & Urbani VIII. per Lubinum, 4°. Artarii Martyrol. S. S. Virgin. fol.
De S. S. Martyrum Cruciatibus, en 45 planches, per Tempest, 4°.
Epistolæ Innocentii III. edit. per Fr. Bosquetum, fol. — Innocentii III. cum notis Baluzii, fol. 2 voll. — & Vita D. Thomæ, Archiepisc. Cantuar. per Lupum, 4°. 2 voll.
— Præstantium ac Erudit. Virorum Remonst. fol.
Anhorn ab Hartwitz Theatrum Concionum, 4. 9 voll.
Catechismus Prædicatus, per Herlet, 8°.
Conciones Dominicales, per Zach. Lafelve, 8. 2 v.
— de Adventu, per Zach. Lafelve, 8°.
— tempor. Quadragesim. per Zach. Lafelve, 8. 2 v.
— de Sanctis, per Zach. Lafelve, 8°. 4 voll.
Explicatio Parabolarum, Teelmanni, 4°.
Conciones in Esaj. XXXVIII. Sibelii, 4°.
Parerga Sacra, per Hombergk, 4°.
Baumanni analecta Typica, 4°. — Theologia Allegoriæ practica, 4°. Ferrarius de ritu concionum, 8°. Theologica Homiletica, per Sanden, 4°. Homiliæ Clementis XI. editæ, 8°.
Homiliæ Catecheticæ & Festales, per van Til, 4°.
Catechismus Historicus, per Fleury, 12°.
Coccæus in Catechesin, 8°. Bocharti Opera, f. 2 v.
Cardin. Bonæ Opera Omnia, 8°. 3 voll.
Bulli Opera Theologica Omnia, fol.
Coccæi Opera Omnia, cum Anecdot. fol.
— Opera Anecdota, fol. 2 voll.
Gatakeri Opera, fol. Georgi Majoris Opera, f. 3 v.
Gersonis Opera, per du Pin, fol. 5 voll.
Th: à Kempis Opera Omnia, 8°.
Corn: a Lapide Opera Omnia, fol. 10 voll.
Opera Theologica, Melchioris, 4°. 2 voll.
Paraei Opera Omnia, fol: 2 voll.
Przipcovii Opera Theologica, fol:
Reginaldi Opera, fol. Riveti Op: Omn: fol: 3 v.
— Tomus 3. Seorsim, fol: Spanhemii Opera Omnia, fol: 3 voll. Walæi Opera Omnia, fol.
Bibliotheca Pontificia, Scherzeri, 4°.
— Pontificia, per Rocabertum, fol: 21 voll:
Preces Familiares, 24. Exercitia Quotidiana, 24.
Officium B. Mariæ Virginis, 8°.
Kempis de Imit. Christi, fol. Typis Regiis.
Augustini Confessiones, 12°.
Bona Via compendii ad Deum, 12°.
— Horologium Asceticum & Testament., 12.
Bebelius de Officio Christiani, 12°.
Pia Desideria, Hugonis, 12°. & 24.
Flammulæ amoris S. P. Augustini, versibus & Iconibus exornatæ, per Hoyerum, 12°.
Symbola Christiana, Philothei, 8°.
Emblemata & Lux Evangelica, per Engelgrave, fol. Doctrina Moriendi, 12°.
Botsacci Moralia Gedanensia, fol.
Theologia Moralis, Genetti, 4°. 2 voll.
Admonotio de morte corporali, 4°.
Adversaria Sacra, Larroquani, 8°.
Amadei Eloquentia Christiana, 4°.
Amesius de Conscientia, 12°.
Analecta Aritico-Historica, Creenii, 8°.
—— Sacra Dougtæi, 8°. — Sacra Ursini, 8°.
Apologia, per Morton, 4°. 2 voll.
Arnoldi Religio Sociniana, 4°.
Ashwel de Socino & Socinianismo, 8°.
Bartholinus de Latere Christi aperto, 8°.
Bartholini Paralytici N. Testamenti, 8°.
Benoit de stylo Novi Testamenti; 4.
— Dissertationes Epistolicæ, 8°.
Boileau de Adorat: Euchar: 8°.
Clasenii Theologia Gentilis, fol:
Codroncus de Christiana ac tuta medendi ratione, 4°. Creenii Fascis Exercitat: Philolog: Histor: 8°. 5 voll: — Fasciculus Dissertat: Philolog: 8°. 2 voll.
Dallæus de confessione Auriculari, 4°.
—— de Cultibus Roman: 4°. — adversus cultus Romanorum, 4°. — de extrema Unctione, 4.
Demonstratio Evangelica per Huetium, 4°.
Disperata causa Papatus, per Voet, 4°.
Dissertationes Historicæ, Spanhemii, 8°.
— Selectae, Heideggeri, 4°.
Disputationes Theolog. Philolog. Philos. Professor: Acad: Lugd: Bat: 4°.
Dougtæus de Calicibus Eucharisticis Veterum, 8.
Epistola Spanhemii ad Vander Wayen, 8°.
Epistolæ Joh: Lannoy, fol. Erici Humanæ Linguæ Genesis, 4°. Fazoldi Græcorum Veterum ΙΕΡΟΛΟΓΙΑ, fol: & 12°.
Fechtius de Statu Damnatorum, 4°.
Fewrborn Anti Ostrodus, 4°. Gonzales de Natura peccati Orig: fol. Gretserus de Cruce, 4°. 3 voll. Grotius de veritate Religionis Christianae, 8°. & 12°.
Hebenstreit de variis Christianorum Nominib: 8°.
Heinsius de contemptu mortis, 4°.
Historia congregationum de Auxiliis, per Aug: le Blanc, fol: — Idem, per Th: de Lemos, fol:
— Transubst: Papalis, Pearsoni, 8°.
Hobbes Leviathan, 4°. Hody contra Historiam Aristeam, 8°. Honstede de Vita fidei, 4°.
Huberus de concursu rationis S. Scripturæ, 8.
—— de foederibus Testamentis, 8°.
Huetius de Interpretatione, 4°.
Jacobus de vulneribus J. Christi, 8°.
De Jonghe contra Jansenium de Gratia, Libero Arbitrio, Prædestinat, &c. fol.
Launoy Assertio Inquisitionis in Chartam Immunitatis, quam Beatus Germanus Parisiorum Epis-

Episcopus suburbano monast. dedisse fertur, 8°.
Launoy de auctoritate negantis argumenti: 8°.
— Confirmatio Dissertationis de vera plenarii apud Augustinum Concilii notione, 8°.
— de Controversia super exscribendo Parisiensis Eccl. Martyrologio exorta Judicium: 8.
— de Cura Eccl: pro miseris & pauperibus, lib: 8.
— Dissertatio de Auctore Librorum de Imitatione J. Christi, 8°.
— Dissertatio de Auctore vero Professionis fidei, quæ Pelagio, Hieronymo, Augustino tribui vulgo solet, 8°.
— Dissertationes III. Greg: Turon: de VII. Episcoporum missione in Gallias vindicatus. Sulpitii Severi de primis Galliæ martyribus locus defenditur. De primi Cenomanorum Præsulis Epocha; 8°.
— Dissertationes, in quibus Judicium de Auctore vitæ S. Maurilii, Andegav: Episcop: & de Historia Renati Andegav: Episcop: 8°.
— diversi Generis erratorum quæ in Parthenicis Nicolai Advocati Billiadi vindiciis extant specimen; 8°.
— Explicat: Ecclesiæ traditio circa Canonum omnis utriusque sexus. 8°.
— de frequentis Confessionis & eucharisticæ communionis usu atque utilitate liber: 8°.
— Inquisitio in Chartam fundationis & Privilegia Vindocinensis Monasterii; 8°.
— Judicium de Hadr: Valesii discept. quæ de Basilicis inscribitur, 8°.
— de Mente Conc: Trid: circa contritionem & attritionem in Sacramento Poenitentiæ; 8°.
— de Mente Trid: Conc: circa satisfactionem in Sacramento Poenitentiæ; 8°.
— de recta Nicæni Canonis VI. & prout à Rufino explicatur, intelligentia Dissert: 8°.
— de recta Nicæni Canonis VI. intelligentia Dissertationis propugnatio, 8°.
— Romanæ Ecclesiæ circa Simoniam tradit: 8.
— de Scholis celebr: Facult: Paris: de Doctrina pronuncians, &c. 8.
— de Scholis celebrioribus per Occidentem instauratis, 8°.
— Stochii de Simonis viso, de Sabbatinæ Bullæ Privilegio & de Scapularis Carmelitarum sodalitate, 8°.
— de Tempore, quo primum in Galliis suscepta Christiani fides: 8°:
— de varia Aristotelis in Academia Parisiensi fortuna, 8°.
— de vera causa secessus S. Brunonis in Eremum Dissertatio, 8°.
— de vera notione plenarii apud Augustinum Concilii in causa Rebaptizantium Dissert: 8°.
— de Veteri Ciborum delectu in Jejuniis Christianorum & maxime in quadragesima Diss: 8.
— de Victorino Episcope & Martyre Dissert: 8.
Mabillon de pane Eucharist. 8°.
Meletemata Leidensia, Witzii, 4°.
Miscellanea Sacra, Smithii, 8°.
Momma de apparitionibus J. Christi; 8°.
Morton de Eucharistia, 4°.
Mysterium Christi & Christianismi; Langii, 4:
Musæum Philolog: & Historicum, Creenii; 8: 2 v.
Nicolaus de Baptismi Antiquo usu; 12°:
— de Jejuniis, 12°. Observ: Sac: per Vitr: 4. 2 v.
Observationes Sacræ, Woergeri, 8°.
Oedipus Sacer, Woergeri, 8°.
Opuscula Philologica, Glassii, 4°.
Oratio de Quietismo, Frisii, 8°.
Osiander de Asylis Gentilium; fol.
Otia Divina, Morhofii, 8°. Palæstina, Reelandi, 4.
Parenæsis ad Harduinum; per Noris; 8°.
Parkerus de Deo, 4°. — de descensu Christi ad Inferos. 4. Peraldi summa Virtutum & Vitiorum, 4°. Philaletha dilucidationes in Croesii Historia Quakerorum, 8°.
Philologia Glassii, 4°. — Hacspani, 4°.
Recreationes Sacræ, Heideggeri; 8°.
Responsio ad Cochletium per Polyandrum; 8.
Rhetorfort de Gratia; 8°. Rudimenta fidei Christianae, 12°. apud Stephanum.
Ronssæus de humanæ vitæ primord. 8°.
Sanderson de juramento Negativo; &c. 8°.
— de juramenti promissorii Obligatione, 8°.
— de Obligatione Conscientiæ, 4°.
— Casus Conscientiæ; 8°.
Schmidt de Circumcisione, 4°.
— de Imag: Dei in Homine ante lapsum, 4.
Schubart de diluvio Deucalionis; fol:
Syntagma Dissertationum Philologicarum collect. per Bernisium & van Arkel; 8°. 2 voll:
Syncretista per Goritzium; 4°.
Themis Dea; seu de Lege divina; de Horis; &c. Pighii, fol. Theologoumena Oweni, 4°.
Typus Vitæ Christianæ, Hottingeri, 8°.
Varia Sacra Gentilium, Laurentii, fol:

Velthem de Trinitatis mysterio, 4°.
Waeyen de numero Septenario, 4°.
Waudræi Liber Monasticorum, 12°.
Weisius de Messias Vermis, 4°.
Wildvogel de signo Crucis, 4°.
Windet de Vita Functorum Statu, 8°.
Corpus Juris Canonicum, 4°.
— cum notis Pithaeorum & aliorum, fol: 2 v.
— cum notis Gothofredi, 4°. 1583.
— Idem 4°. 1626. — Idem fol: Paris: 1627. 2 v:
— fol: 2 voll. Elzev:
— Corpus Juris Civilis, textus, 8°. — Id. 1664.
Codex Theodosianus, Gothofredi, fol: 4 voll:
Bazilikon, Libri Octo, Edit: Jac: Cujacio, fol:
— Fabrotti, Gr: Lat: 7 voll.
Institutiones Juris Civilis, rubr: nigr: 12°.
— Juris Civilis, Aldobrandini, rubr: nigr: 8.
— — ——— Baudozæ, 24.
— cum notis Vinnii, 8°. 12. & 24. & Id: Pacii, 8.
Acosta ad Instituta, 4. Balduinus ad Instituta, fol:
Brunemanni Exercitationes Justinianeae, 4.
Busius ad Instituta, 4. Buttneri Instit. J. Civ: 12.
Compendiosa Instit: Tractatio, 12.
Compendium Institutionum, Muyden, 8.
Corvinus ad Instituta, 12.
— Enchiridium, seu Institutiones Imp: 12.
Cyprianus Regnerus ad Instituta, 8.
Faber ad Instituta, 4. Giphanius ad Instituta, 4°.
Hug: Grotii florum sparsio ad jus Justinianeum, 4.
Harprecht ad Instituta, 4. Hunnius ad Instituta & de Feudis, 4. Institut: Imper: Pacii, 8°.
Isagogicorum ad Instit: Dig: Cod: Decr: Pacii, 8.
Majeri Commentarius ad Instituta, 4.
Matthæus ad Instituta, 12.
Methodus Institutionum Imperialium, per Marquardum, 8. Mullerus ad Instituta, 4.
Perezii Erotemata, 12. Rhetius ad Instituta, 4.
Rittershusius ad Instituta, 4.
Schneidewinus ad Instituta, 4.
Dissertationes Juris ad Jus Justinianeum, per Strauchium, 4°.
Theophilus Fabrotti, Gr: Lat: 4.
Vinnius ad Instituta, 4. Voet ad Instituta, 4. 2 v.
Wissenbach ad Instituta, 4.
Cujacii Paratitla, Fabrotti; 12. 4 voll.
Cujacius ad Pandectas ad Codicem, 8.
Matth: Wesenbecius ad Pandectas, & Codicem, 8.
Henr. Hahnii Observationes in Wesenbecium, f.
Bockelman ad Digesta, 4.
Brunemannus ad Pandectas, fol:
— Repetitio Paratitlorum Wesenbecii, 8. 2 voll.
Budæus ad Pandectas, de asse & partibus ejus, fol.
Busius ad Pandectas, 4. Corvinus ad Digesta, 12.
Eck Principia Juris ad Pandectas, 8.
Eckold ad Pandectas, 4.
Fabri Rationalia ad Pandectas, fol: 6 voll:
Joh: Laur: Gronovii Emendationes Pandectarum, 8.
Prælectiones Juris Civilis, Huberi, 4. 3 voll.
Collegium Pandectarum, Lauterbachii, 4. 4 v.
Compendium Pandectarum, per Muyden, 8.
Perezius ad Digesta, 4.
Syntagma Jurisprudentiae ad Pandectas, Struvii; 4. 2 voll.
Annotat: ad Struvii Syntagma Juris Civilis, per Floerkium, 4.
Compendium Digestorum, Struvii, 8.
Vigelius ad Digesta, Fol: 5 voll:
Wissenbach ad Pandectas, 4.
Zoesius ad Pandectas, Fol: & 4.
Brunemannus in Codicem, fol.
Memoriale Legum Codicis, per Brunem: 12.
Commentar: ad Authent: Cod: Just: per Pagenstecher, 4. Donellus in Codicem, fol:
Faber in Codicem, 4. Codex Fabrianus, fol:
Giphanius in Codicem, 4.
Perezius in Codicem, fol: & 4.
Sichardus in Codicem, fol:
Struvius in Codicem, 4.
Wissenbach in Codicem, 4.
Zoesius in Codicem, 4. Afflictis de Feudis, fol.
Alteserra de feudis Gall: 4 Bronkhorst de Feudis, 8.
Coccæi Jus Feudale; 8. Corvini Jus Feudale, 12.
Dominicis de prærogativa allodiorum in Provinciis quæ Jure Scripto reguntur, 4.
Examen Juris feudalis, Strykii, 12.
Jurisprudentia feudalis, per Hornium, 4.
Jus Feudale, Hattyseri, 12°.
Libellus feudorum reformatus a Baraterro & Rigaltio; 4.
Mincuccius de Prato de feudis, 4°.
Neostadius de feudis Holland: 12°.
Ritterhusius de feudis, 8°.
Syntagma Juris feudalis, Struvii; 4°.
Tractatus de feudis, per Ludwel: 4°.
Bibliotheca Juris Canonici, Justelli, fol: Gr: Lat: 2 voll.
Repertorium Juris Canonici, Steigeri, fol.

Acosta ad Decretales, 4.
Alteserra ad Decretales, fol.
— de Jure Ecclesiastico, 4.
Brunemannus de Jure Ecclesiastico, 4.
Carena de Inquisitione, fol.
Corvini Jus Canonicum, 12.
Decretum Ivonis, fol.
Florentis Tractatus in IX. priores titulos Lib. I. Decretalium Gregor: IX. &c. per Ccosta, 4.
Gonzales ad Decretales, fol: 5 voll:
Fontejus de Antiquo Jure Presbyterorum; 12.
Leges Mosaicæ; Zepperi, 8.
Mendo in Bullam Cruciatam. fol.
Otero de Officialibus & Pascuis, fol.
Tamburinus de Jure Abbatissarum, fol.
Ungepaur ad Decretales, 4.
Zieglerus de Dote Ecclesiæ ejusque Juribus, 4.
Bronkhorst de Regulis Juris, 12.
Decius ad Regulas Juris, 8.
Disputationes Juridicæ de div: reg: Juris Cntiqui, per Hoenonium, 8.
Faber ad Regulas Juris, 4.
Matthæus de diversis Regulis Juris, 8.
Ramus ad Regulas Juris, &c. 4. & 8.
Sande de diversis Regulis Juris, 12.
Wissenbach de diversis Regulis, 12.
Corvinus de Verborum significatione, 12.
Goeddæus de Verborum significatione, 8.
Gentilis de Verborum significatione, 4.
Popma de differ: verbor: & usu antiq. locution. 8.
Wegnerus de Verborum & Rerum Signific, 8.
Bachovius in Treutlerum, 4. 3 voll.
Becman Dissertationes Academicæ Selectæ, 4.
Boceri Dissertationes Selectæ de Universo Jure, 4.
Disputationes Juridicæ; Varior Authorum, 4.
Dissertationes Juridicæ Selectæ Hahnii, 4.
Opuscula rariora Juridica, Hertzii, 4. 2 voll.
Mæstertii Disputationes Juridicæ, 4.
Dissertationes Juridicæ, Rhetii, 4. 2 voll.
Disputat: Juris anniversariæ, Schotani, 8.
—Treutleri; 4. Hunnius in Treutl, 4. tom: 1. 2. 2 v.
—Juridicæ; per Wissenbach; 4.
Dissertationes Juris, per Suthold, 12.
Authæi Breviarium Juris, 12.
Barbosæ Loci communes, 4. 2 voll.
— Loci communes, cum notis Taboris, fol.
Ceyma commentaria in varios Titulos Juris, 4.
Joh: Bertachini Repertorium, fol: 4 voll:
Biccii Collegium Juridicum Argentoratense, 4.
Bockelmanni Compendium Juris, 12.
Bronkhorstii Centuriæ 4. & 8.
Bruxelbergii Memoriale Juridicum: 12.
Coccæi Hypomnemata Juris, 8.
Compendium Juris, Lauterbachii, 8.
Annotationes ad Lauterbachii Compendium Juris, 4. Compendium Univ, Jus Civile, 8.
Corvini Elementa Juris Civilis, 12.
Dictionarium Juris Civilis & Canonici, Rosate, fol.
Jo: Domat Legum Delectus, 4.
Elementa Juris, per Voet, 8.
— Jurisprudentiæ Universalis, Puffendorfii, 8.
Emblemata Triboniana, per Wissenbach, 8.
Engelbrecht compendium Jurisprudentiæ, 4.
Epitome Juris, Pacii, 8.
Examen Juridicum, Schotani, 12.
Exercitationes Imperiales, Hanedoesii, 8.
Fabri Clavis Jurisprudentiæ, 4.
Gerhardi Delineatio Juris Civilis, 8.
Giphanii Oeconomia Juris, 4.
Gothofredi Manuale Juris, 12.
Lexicon Juridicum, Calvini, fol.
——— Juridicum, Schardii, fol.
——— particularum Juris, Strauchii, 4.
Matthæi Paroemiæ, 4.
J. Pacii Analysis, Isagoge & Centuriæ, 8.
— — Centuriæ, 12.
Partitiones Juris Civilis, Vinnii, 4.
Peckii partitio titulorum utriusque Juris, 8.
Prælectiones J. Civilis, Huberi, cum notis Thomasii, 4. 3 voll.
Regulæ & Fallentiæ Juris, Socini, 8.
Sylvii Introductio ad Jurisprudentiam, 8.
Synopsis Juris priv. Schoepferi, 8.
Syntagma Juris Universi Tholosani, Fol.
Systema Juris, Nævii, fol: 2 voll.
Thesaurus Dictionum & Sententiarum, Brederodii, fol. — Juris Civilis, Lauterbachii, 4.
— Juris Executivi Ecclesiastici, Criminalis & Civilis, fol.
Tractatus de Principiis Jurisprudentiæ, Tuldeni, 8. Tyrocinium Juris, Pomereschi, 8.
Anselmi Opera Juridica, fol. 4 voll.
Baldi Opera, fol. 5 voll.
Barbosæ (Augustin.) Opera Omnia, fol. 21 voll.
Bartoli Opera fol. 5 voll.
Bouricii Opera, 4.
Bugnyon Opera Jurid. fol.
Canisii Opera ad jus Canonicum, 4.
Opera Juridica Carpzovii, fol: 9 voll.
Christinæi Opera Omnia, fol: 4 voll.
Covarruvias Opera Omnia, Uffelii, fol.
Cujacii Opera Omnia, fol. 10 voll. Ch. Maj.
— Opera priora. fol. — Idem, 8. 8 voll.
Damhouderi Opera Omnia, fol.
Duareni Opera Omnia, fol.
Opera Juridica Fabri, fol. 9 voll.
Farinacii Opera Omnia, fol. 21 Tomis, 14 voll.
Gomesii Opera Omnia, fol.
Gravinæ Opera, 4. Guazzini Op. Ariminalia, f.
Gudelini Opera Omnia, fol.
Harprechti Opera Omnia, 4. 4 voll.
Julii Alari Opera Omnia, fol.
Menochii Opera Omnia, fol. 8 voll.
Michalorii Opera Omnia, fol.
Molinæi Opera Omnia, fol. 3 voll.
Mornacii Opera Omnia, fol. 4 voll.
Noodt Opera Varia, 4.
Parladorii Opera Juridica, fol.
Peckii Opera Omnia, fol.
Pistoris Opera Juridica, fol. 2 voll.
Salgado Opera Omnia, fol. 4 voll.
Saliceti Opera Juridica, fol. 2 voll.
Sande (Joh. & Frid. a) Opera Omnia, fol. & 4.
Stokmans Opera Omnia, 4.
Opera Juridica Cardinalis Tuschi, fol. 10 voll.
Thronus Justitiæ, Fol.
Bouricius de Officio Judicis, 4°.
Stephanus de Officio Judicis, 4°.
Peregrinus de Jur. & Privil. Fisci, 4.
Imberti Enchiridion Iuris Galliæ, 8.
Carpzovius in Legem Regiam Germanorum, fol.
Rebuffus ad Constitutiones Regias, fol.
Voet de Statutis, 4°.
I. Bessianus in Consuetud. Avernorum, 8.
Notitia Iuris Belgici, Zypæi, 8.
Argentré ad Consuetudines Brittanniæ, fol.
Consuetudines Bruxellenses per Christinæum, fol.
Ahassanæus ad Consuetudines Ducat. Burgundiæ, fol.
Burgundus ad Consuetudines Flandriæ, 12.
Choppinus de Legium Andium municipalibus, f.
——— de Domanio Franciæ, fol.
——— de Civilibus Moribus Parisiorum, fol.
Ius Civile Gandensium per Knobbaart, fol.
Sande ad Consuetud. Feudal. Gelr. & Zutph. 8.
Ius Hebræorum, Hottingeri, 4.
Mevius ad jus Lubecense, fol.
Giurba ad Statuta Messanensia, fol.
— Lucubrationes in Jus Municipale Messanensium, fol.
Statuta Universit. Oxoniensis. 12.
Leges Palatinæ Jacobi II. Reg. Majoricar. fol.
Muta ad Consuetudines Panormitanæ, fol.
Sigonius de antiquo jure civium Romanor: fol.
Mattheu de Regimine Valentiæ, fol.
Goris ad Consuetudines Velaviæ, 4.
Statuta Vianensia & Ameydensia, Edit: per Vander Meulen, 4.
Sola ad Decreta Ducum Sabaudiæ, fol.
Wesel ad Nov: Constitutiones Ultrajectinas, 4.
Bouricii Advocatus, 12.
——— Advocatus & Captivus, 12.
Brancaccius de jure Doctoratus, fol.
Alb. Gentilis Hispanica Advocatio, 4. & 8.
Magerus de Advocatia Armata, fol.
Ars Notariatus, B. Albinii, 8.
Imberti Institutiones Forenses, 8.
Grotii Isagoge ad Praxin fori Batavici, 4.
Damhouderi rerum Civilium Praxis, 4.
Praxis de Ordine Judiciorum, per Marantam, 4.
Carbonis practica Practicarum, 8.
Coren Observationes rerum Judicatarum & Consilia, 4.
Praxis Juridica aurea, Ferrarii, 4. & 8.
Sig: Finckelthaus Observationes practicæ, 4.
Observationes practicæ, Gailii, 4.
Giurbæ Observationes Iuris, fol.
Emendationes & Observationes Iuris, Elb. Leonini, 4.
Praxis Juris Rom: Schilteri, fol.
Cameralia & Forensia, Maulii, 4.
Variorum Auctorum practicæ Observationes, fol.
B. Wurmseri, Hartmanni & Pistoris Observationes Juris, 4.
Practica, Octaviani Vestri, 8.
Ambrosini Processus Informativus, 8.
Brunemannus de Processu, 4.
Carpzovii Processus Iuris, fol.
Mindanus de Processibus, Mandatis & Monitoriis, 4.
Vantius de nullitatibus Processuum, 4.
Consilia Alexandri, fol. 2 voll.
— & Responsa Brunemanni, fol.
Carpzovii Responsa Iuris, fol

Consi-

Consilia & Responsa Everardi, 8. — Gailii, fol.
— & Responsa Menochii, fol. 3 voll.
Responsa Iuris Sichardi, fol.
Urceoli Consultationes, fol.
Annæi Roberti res Iudicatæ, 4. & 8.
Decisiones Neapolitanæ, Afflictis, fol.
Berlichii Decisiones aureæ, 4. 2 Tomis.
Fr. Borelli Decisiones, fol.
Decisiones Brunemanni, 4.
— Lusitaniæ, Cabedo, fol.
Carpzovii Decisiones, fol.
Crespi de Valdaura Observationes illustratæ Decisionibus, fol.
Deckherri Dissertationes & Decisiones, fol.
Fenzonii Annotationes & Decisiones in Statuta Urbis Romæ, fol.
Decisiones Areopagiticæ, Freheri, fol.
— Rotæ Genuæ de Mercatura, 4°.
— Haberkorni, 4°.
— Justiniani, per Linglois, fol.
— Rotæ Lucensis Variorum Authorum, 4.
Manticæ Decisiones Rotæ Romanæ, 4.
Fr. Mare Decisiones, fol.
Decisiones Tholosanæ, Maynardi, fol.
Observationes forenses, Melii, cum Decision: fol.
Blasii flores Dias de Mena Decisiones Lusitaniæ, fol.
Decisiones Rotæ Romanæ, Clem. Merlini, fol.
— de feudis, de pactis antenupt. &c. per Neostadium, 4.
— Gratianopolit. Papæ & aliorum. fol.
L. a Peguera Decisiones aureæ, fol.
Radelantii Decisiones, 4.
S. Rotæ Romanæ Decisiones, fol. IV. Tomis.
Decisiones Brabantiæ, Stockmans, 4.
— Sabbathinæ, Struvii 4. — Taboris, Fol.
Tepatii Decisiones & Variar. Sententiar. Compendium, fol.
Villegas Decisiones, fol.
Ærodii Pandectae rerum Judicatarum recognitae, & de Patrio Jure, fol.
Conclusiones Practicae, Greven, fol.
— Iuris, Hondedaci, fol. 2 voll.
Tuschi Conclusiones Iuris, fol. 9 voll.
Carpzovii Definitiones Ecclesiasticae, fol.
—— Definitiones Forenses, fol.
Fabri Codex Definitionum Forensium, fol.
Actolini Resolutiones Forenses, fol.
Resolutiones Iuris, per Hunnium, 4.
Cancerii Resolutiones Iuris, fol.
Variæ Resolutiones Iuris, Pisonis, fol.
Grassi receptae Sententiae, fol.
Repertorium Sententiarum, Brederodii, 4.
Mendo de Iure Academico, fol.
Bockelman de Actionibus, 4.
Hammelius de Actionibus, 4.
Tractatus Variorum de Actionibus, Fol.
Munnos de ratiociniis administratorum, 8.
Goris adversaria, 4. Calvinus de Æquitate, fol.
Iac. Bornitius de Ærario, 4.
Klockius de Ærario, fol.
Lyclama de ineunda rei debitæ æstimatione, 8.
Allegationes fiscales, Larreæ, fol. 2 voll.
— Juris, Fayardi, fol. — Noguerol, fol.
— Civ. & Canon. Pacioni, fol.
Amoenitates Iuris Civilis, Menagii, 8°.
Tractatus de Analogia Iuris & Facti, 4.
Feltman de inclusione Animalium, 4.
Sig. Scaccias de Appellationibus, 4.
Tractatus de Iure Asylorum, per Rittershusium, 8.
Loriot de Iuris Apicibus, de Iuris arte & ad Regul. Iuris, fol.
Lancelottus de Attentatis, &c. fol.
Salmasius ad Ius Atticum, 8.
— Specimen confutat. animadv. Heraldi, 8.
Nic. Garcias de Beneficiis, fol.
Tractatus de materiis Beneficiariis, per Fratrem Paulum. 12.
— de beneficio Inventarii Varior. Auth. Fol.
— de Inventarii confectione & Beneficio, per Vallan, 8.
— de amortizatione Bonorum P. Peckii, 8.
Sanz de divisione Bonorum, 4.
Turris de Cambiis, fol. Censius de Censibus, fol.
Martinus de Iure Censuum, 4.
Olea de cessione jurium & actionum, fol.
Rosbach de comparatione Iuris Civilis & Canonici, 4.
Tractatus de compensationibus, Seb. Medicis & Tyndari, 8°.
Zamoranus de Compensationibus, 4.
Fabri conjecturæ Iuris Civilis, fol.
Brissonius de Veteri ritu Nuptiarum & Iure Connubiorum, fol.
Hottomannus de veteri ritu Nuptiarum, fol.
Uxor Ebraica, Seldeni, 4. Bossius de Matrim. fol.
Tractatus de Matrimonio, per Dusseldorpium, 8.
Hodierna ad L. Hac Edictali, 8.
Hottomannus de Sponsalibus, de veteri ritu Nuptiarum, & jure Matrimoniorum. Item de Spuriis & Legitimatione, fol.
Tractatus de constante Matrimonio acquisitis, R. Suarez, I. Lopez & Dida Segura, 8.
Brissonius de Adulteriis, fol.
Laurentius de Adulteriis ac Meretricibus, fol.
Palæotus de Nothis Spuriisque Filiis, 8.
Motha de divortiarum Iure, 8.
Feltman de impari Matrimonio, 8.
Fontenella de Pactis Nuptialibus, fol.
Brouwer de Iure Connubiorum apud Batavos, 4.
Rodenburg de Iure Conjugum, 8.
Wesel de Connubiali Bonorum Societate, 4.
Moneta de Conservatoribus, 4.
Alderisius de Symbolicis Contractibus, fol.
Comitolus de Contractibus, 4.
Farinacii Repertorium de Contractibus, fol.
Mozzius de Contractibus, 8.
Oñate de Contractibus, fol. 2 voll.
Tractatus de Culpa in Contractibus; Meyeri. 8.
Altogradi Controversiæ Iuris; fol.
Controversiæ Juris; Ciarlini; fol.
Hodiernæ Controversiæ forenses & Questiones Practicæ; fol.
Controversiæ Iuris; Merendæ, 4.
F. Nigri Cyriaci Controversiæ forenses, fol. 4 voll.
Bulengerus de Tributis ac Vectigalibus Populi Romani, fol.
Balmaceda de Collectis & Tributis, fol.
Klockius de Contributionibus, fol.
Wintzler de Collectis, seu Contributione Imperii & Provinc. 8.
Costa de Quota & Rota, 4.
Mantica de Tacitis & ambiguis Conventionibus, fol. 2 voll.
Acosta de Privilegiis Creditorum, fol.
Gaitus de Credito, fol.
Haberkorn de concursu & prælat. Creditorum, 4.
Matthæus de rebus creditis, 8.
Tractatus de præferentiis Creditorum, Meyeri, 8.
Bavo Praxis criminalis, 8.
Carpzovii Criminalia, fol. Faust de Criminibus, 8.
Harprechti Tractatus Criminalis, 4.
Mattheu de Re Criminali, fol.
Matthæus de Criminibus, 4.
Observationes Criminales, per Odelkop, 4.
Racemationes Criminalium Definitionum, Taboris, 4.
Tractatus de Quæstionibus & Torturis Reorum, per Bocerum, 8.
Mercerii Conciliator, 8.
Dissertationes Juridicæ & Philologicæ, Huberi, 4.
Gratiani Disceptationes forenses, fol. 7 tomi, 3 v.
D. Mevii Discussio Levaminum inopiæ Debitorum, 4. Carpzovii Disputationes, fol.
Rosenerus de Dissensu, 4. Bargalius de Dolo, fol.
Garsias de donatione remunatoria, &c. 8.
Portugal de Donationibus, fol. 2 voll.
Tractatus de Donationibus & de Dotibus, 8.
Almers resolutiones casuum dubiorum, 4.
Valla de rebus Dubiis, 4. Rachelius de Duellis, 4.
Voet de Duellis, 12.
Sande de Effestucatione, 8.
Tractatus de eo quod Interest, Caballini, 8.
Eunomia Romana, Huberi, 4.
Exercitium Iuris antiqui, Obrechti, 12.
Garsias de Expensis & meliorationibus, 8.
Voet de Familia ercifcunda, 4. & 8.
Knipschild de fidei commissis Familiarum Nobilium, 4.
Peregrinus de fide commissis, cum Censalio, fol. 2 voll. Salmasius de fœnere trapezitico, 8.
Brissonius de formulis, folio. & 4.
Languinus de Fructibus, fol.
Roxas de Incompatibilitate, fol.
Parexa de universa Instrumentorum editione, fol.
Averanii Interpretationes Iuris, 8.
Carleval de Iudiciis, fol.
Matthaeus de Iudiciis, 12.
B. Ayala de Iure Officiis Bellicis & Disciplina Militari, 8.
Grotius de Iure Belli ac Pacis, fol.
— Idem, cum notis Gronovii, & aliorum. 8
———— Vander Meulen, fol. 3 voll.
— Idem Becmanni; 4. — Boecleri; 8.
— Henniges, 8. — Iageri, 8.
— Klenkii; 12. — Simonis, 8.
— Velthem, 8. 2 voll. — Ziegleri; 8.
Gudelinus de Iure Pacis; 4. & 12.
Codex Iuris Gentium, Leibnitzii, fol. 2 voll.
Ius Gentium Vitriarii, 8.
Vitriarius Illustratus Pfeffingeri, 4.
Grotius (Guilj.) de principiis Iuris Naturalis, 4.
— cum additam. Goezii, 12.
— cum notis Simonis, 12.
Institutiones Iur. Nat. & Gentium, 12.

Puffendorf de Iure Nat: & Gentium, Hertzii, 4.
—— de Officio Hominis & Civis. 12.
Seldenus de Iure Naturali & Gentium, 4.
Blondellus de Iure Plebis, 4.
Huberus de Iure Popularis, 8,
Hobbes de Cive. 12.
R. Zouchaeus de Iure inter Gentes, 12.
Vander Meulen de Sanctitate summi Imperii Civilis, 8.
Hug. Grotius de Imperio summ. potestat. circa Sacra, 4. & 8.
Marca de Concordia Sacerdotis & Imperii, fol.
— Observationes & Dissertationes in dictum librum, fol. Lipf.
Bebenburg de Iuribus Regni & Imper.Rom.&c.4.
Hornii Architectonica de Civitate, 12,
Comite Commentarius Iuris municipalis, 4.
Huberus de Iure Civitatis, 4. & 8.
Collectio Constitutionum Imperialium, Goldasti, fol.
Constitutiones Imperials, Goldasti, fol. 4 voll.
Ius Publicum, Bohmeri, 8.
Exercitationes Iuris publici, Fritschii, 4. 2voll.
Ius publicum S. Rom. Imperii, 4. 2 voll.
— publicum, cum additamentis, per Limnaeum, 4. 6 voll.
Limnaeus Illustratus, fol. 2 voll.
Ius Publicum. Ottonis. 12.
Boecleri Notae & animadverf. in Dan. Ottonis Ius publicum, 8. Perezii Ius Publicum, 12.
Weidlingii Ius Publicum Imperii Rom.Germ.fol.
Institut. Iuris Publici Rom. Germ. Schilteri, 8.
Schilterus Illustratus, 8.
Exegelis Iuris Caesarei, Speckhan, 4.
Syntagma Iuris publici, Struvii, 4.
Institutiones I. Publici Vitriarii, 8.
Codex Iuris Allemannici-feudalis, Schilteri, 4. 2 v.
Hopping de Iure Insignium & Armorum, fol.
Alteserra de Iurisdictione, 4.
Forsterus de Iurisdictione-Romana, 8.
Marta de Iurisdictione, fol.
Menochius de Iurisdictione Imperio & potestate Eccl. ac Seculari, & de Immunit. Eccl. fol.
Stephanus de Iurisdictione Veterum Graecorum Liber, fol.
Vinnius de Iurisdictione & Collationibus &c. 12.
Zahn de Iurisdictione & Iure Municipiorum, 4.
Beust de Iure Iurando, 4.
Feltman de Iuramento perhorrescentiae, 4.
Ant. del Re de Iuramento Calumniae, 4.
Curtius de Iure Iurando propter Calumniam & de Positionibus. 8.
A. de Petrucia de viribus Iuramenti, 8.
Coccaei Iurisprudentia publica, 8.
Althusii Iurisprudentia Romana, 8.
Corvini Iurisprudentia Romana, 12.
Haberkorn Iurisprud. Iustin. Sol resplendescens, 4.
Hopperus de vera Iurisprudentia, 4.
Annotationes in Iurisprud. Rom. Vultaei. per Treutlerum, 4.
Giphanii Iustinianus Magnus. 12.
——— de Imperat. Iustiniano, 4.
Lessius de Iustitia & Iure, fol.
Molina de Iustitia & Iure, fol. 2 voll.
Ius Universum, Vitriarii, 4.
Duck de usu & authoritate Iur. Civil. Rom. 8. & 12.
Bouwens Iuris Iustitiaeque usus & abusus, 4.
Gudelinus de Iure Novissimo, 4.
Statilius Pacificus de Salviano Interdicto, fol.
Gothofredus de famosis Latronibus, 4.
Paulucci Dissertationes Legales, fol.
Bugnyon de Legibus Abrogatis, fol. & 4.
Passeribus Conciliatio Cunctarum Legum, 8.
Ev. Balck ad L. Quisquis C. ad L. Iul. Majest. 8.
Maestertius de Iustitia Rom. Legum, 4°.
Cypr. Regnerus de Injustitia Rom. Legum, 12.
Merlinus de Legitima, fol.
Plotus de in litem jurando, 8.
Tractatus Locati & Conducti, Carocii, 8.
Everardi Loci Legales, 8. — Epitome, 8.
Caimi Lucubrationes variae de Dote, formula Aquiliana, &c. fol.
Seldeni Mare Clausum, 4. 8°. & 12°.
Bened. de Pratis & Stellionibus maritimis, 8.
Peckius ad rem Nauticam, cum Notis Vinnii, 8.
Roccus de Navibus, 8.
Straccha de Assecurationibus, &c. 8.
Feltman de Accessionibus memorabilibus, nec non de Aggeribus & Voraginis, 8.
Heringius de Molendinis, de Iure Burgorum &c. 4.
Borellus de Magistratuum Edictis, 4.
Henr. Arnisaeus de Iure Majestatis, 4.
Tractatus de Iure Suprematus, per Furstenerum 8.
Graswinkel de Iure Majestatis, 4.
Pereira de manu Regia, fol.
Maestertii Sedes Illustr. materiarum & tractat. de artificio disputandi Iuridicè, 8.
Vitalinus de Maleficiis, 8.

Pinellus de bonis maternis, 8.
M. Lycklama Membranorum, Libri VII. 4.
Zahn de Mendaciis, 4.
Ansaldius de Commercio, fol.
Marquardus de Mercatura, fol.
Matthaeus de Auctionibus, 4.
Philippus de Subhastationibus, 4.
Pinellus de rescindenda venditione & bonis maternis, 8.
Scaccias de Commerciis & Cambio, fol.
Tholosanus de Nundinis & Mercatibus, Fol.
Verryn de Emptione & Venditione, 8.
Wesel de remissione Mercedis, 8.
Minister peccans, Fritschii, 8.
I. Corasii Miscellanea Iuris, 8.
Mobilium & Immobilium natura, per Voet, 8.
Glins de Mora, 8.
Tractatus Mors Omnia solvit, Medicis, 8.
Salmasius de mutuo non esse alienationem, 8.
Cujacius ad Novellas, 8.
Novellae Constitutiones Iustiniani, Hombergh, 4.
Ius Novell. Constitut Sonnemanni, 4.
Pape Observationes Iuridicae, 12.
Singularia Opinionum Iuris, Masii, 4.
Spitzen de oppignoratione Iurium, 4.
Neostadius de Pactis, Feud. Holl. &c. 4.
Ph. Richter de Pactis, 4.
Acacius de Privilegiis Parentum & Liberorum, 4.
Dissert de Iure Patrio, per Kerkraad, 8.
Tractatus de Introductione Iuris Primogeniturae, per Ludolf. 4.
Franck de Dominio rei filio familias favore in patrem donatae, 4.
Pagenstecher de Iure Ventris, 12.
Bachovius de Pignoribus & Hypothecis, 4.
Merlinus de Pignoribus & Hypothecis, fol.
Negusantius de Pignoribus, 8.
Tractatus de Adipiscenda possess. Ach. Personalis. 8.
Corvini Posthumus Pacianus, 12.
Praelectiones Aurelianae, Foquelini, 12.
Tractatus de Praescriptionibus & usu capionibus, Balbi. 8°.
— de Prepositionibus, per Alb. de Pergamo. 4.
Dornsperger de Probationibus, Exceptionibus, Sententiis & Executionibus, 4.
Mascardus de Probationibus, fol. 2 voll.
Pacianus de Probationibus, fol.
Gradus de Probilitate, 4.
Pfankuch de prohib. summ. possessor. 4.
Rykius de unione Prolium, 4.
Feltman de Promotione absentis & de Iure Iurando in alterius animam, 8.
Tractatus de Iure Prothomiseos, per Afflictis, 8.
Bersanus de Pupillis, fol.
Ferratii Selectae Quaestiones, 8.
Questiones Medico Legales, Zacchiae, Fol.
Tractatus de reconventione, per Molignatum, 8.
—. de retentione, per Molignatum, 8.
Rodericus de annuis reditibus, fol.
Sixtinus de Regalibus, 4.
Haberkorn de Religione Ictorum, 4.
Galleratus de Renuntiationibus, fol.
Collectio Authorum de Renuntiationibus, Schilteri, 4. 2 voll.
Repertorium totius Operis Carpzovii, per Mollerum, fol. Someren de Representatione, 8.
Biccii Res Quotidianae, 8.
Herbaii res Quotidianae, 12.
Galesius de restitutionibus in integrum, fol.
Tractatus de Revisione, per Rieden, 4.
Gothofredus de Salario, 4.
Zacchiae de Salario, Fol.
Deckherrus de scriptis Adespotis, Pseudepigraphis & Suppositiis, 12.
Passeribus de scriptura privata & de verbis enunciativis, 8.
Tractatus de Sequestrat. possession. & Fruct. per Goeddeum, 8.
Caepolla de Servitutibus tam Urbanorum quam Rusticorum praediorum. 4. & 8°.
Stam de Servitutibus. 8.
Hect. Felicius de Communione seu Societate, 4.
Tractatus de contrahenda & committenda stipulatione, Goeddaci. 8.
Fusarius de Substitutionibus, fol.
Intrigiolus de Substitutionibus, fol.
Kellerus de Successione ab Intestato. 4.
Musculus de Successione conventionali & Anomala, 4.
Seldenus de Successionibus, 12.
Strykius de Successione ab Intestato. 4.
Tileman de Successionibus, 12.
Tractatus de Successione in majoratibus & primogenituris. per Torre. Fol. 3 voll.
Tractatus Varii de Successionibus, 8.
— Varii de Successionibus & Ultimis Voluntatibus, 8.

Vas-

Vasquius de Successionibus, Fol.
Puteo de Syndicatu, 8.
Seldenus de Synedriis Vett. Ebræor. 4.
Tractatus de Tempore, Garcæi, 8.
Baitellus de Ultimis Voluntatibus, fol.
Speculum Testamentor: per Spino a Carceres, 4.
Dauth de Testamentis, fol.
Gentilis de Testamentis, 8.
Rubeus de Testamentis, fol.
Scalona de Testamentis, fol.
Tractatus de Arte Testandi, Dilecti Durantis, 8.
Richter Tractatus qui Testamenta facere possunt vel non, 4.
Brussellus de conditionibus Testamentor. &c. 4.
Tractatus de in officios. Testam 8.
— de Codicillis, per Turrettum, 8.
Alvarado de conjecturata Mente Defuncti, 8.
Farinacii Repertorium de Ultimis Voluntatib. fol.
Mantica de Conjecturis Ultim. Voluntat. fol.
Caranza de partu, 4.
Carpzovii Disputationes Juridicæ. Item usus practic. Consanguinitatis & Affinit. De Asylo Debitor. Item de Juribus fœminarum, 4.
Cujacius ad Africanum Tractatus IX. 8.
Sylloge Variorum Tractatuum, Fritschii, 4. 2 v.
Gobii Tractatus Varii Juridici & Decision. fol.
Ph. de Leydis Tractatus Juridico-Politici, 4.
J. Mæstertii Tractatus Diversarum Materiarum, 4.
Tractatus de Nocturno Tempore, per Ripa, 8.
Fr: a Sousa Var: Tract: Nempe Repetitiones ad L. fœminæ ff. de R. J. & de Actionibus & Pactis, fol.
Tractatus Quinque Vinnii, 4.
— de Transactionibus, per Valeron, 4.
Urceolus de Transactionibus, fol.
Noalis de Transmissione, 4.
Manzius de Tutelis & Curis, 4.
Mansini Tractatus de Tutela & Cura minorum, 8.
Montanus de Tutelis, 4. & 8.
Beyeri Tyroprudentia Juris, 4.
Corpus Juris Venatorio forestalis, Fritschii, fol. 2 v.
Struvius de Victoria & Clade, &c. 4.
Harprecht de Usucapionibus, Donationibus, Societate & Mandato, 8.
P. de Salasar de Usu & Consuetudine, 8.
P. Voet de Usu Juris Civilis & Canonici, 12.
Molinæus de Usuris, 8.
Salmasius de Usuris, 8.
Aristotelis Politica, Gr. Lat. Heinsii, 4.
Aurifodina Gallica, 12.
Bodinus de Republica, fol. & 8.
Boecleri Institutiones & Dissertat: Politicæ, 8.
— Sceptrum Apollinis, fol.
Burgoldensis ad Instrumentum Pacis, 4.
Castilionus de Curiali sive Aulico, 8.
Clapmarius de Arcanis Rerum public. 4. & 12
Conringius de Origine Juris Germanici & alia Opuscula, 4.
— Introductio in Civilem Philosophiam, 4.
— de civili prudentia, 4.
Consultationes, Lansii, 8. 2 voll.
Cynosura Augusti & Augustæ, Ottonis, 4.
Dissertationes quinque de Electione Imperatoria, aliaque, 4.
Gutherius de orbitate toleranda, fol.
Heraclides de Politiis Græcorum, Gr: Lat: fol.
Historia Civilis, Huberi, 8°. 3 voll.
Institutiones Politicæ, Kippingii, 4.
Lampadius de Republica, per Kulpis, 8.
Laurentius de Rebuspublicis, Suffragiis, Conciliis, &c. fol.
Tractatus de Legato Pontificio, 4.
Legatus per Marselaar, 4.
Le Grand de Monarchia, 8.
Macchiavelli Princeps, 8. & 12.
— de Republica, 12.
Maraviglia de multiformi hominis statu, fol.
Notitia Procerum S. Rom. Imperii, per Imhof, fol.
Perionius de Magistratibus Græcorum & Romanorum. fol.
Pirckheimeri Opera, fol.
Politica Boxhornii, 12. — per Houtuyn, 8.
— Schonborneri, 12.
Politicus Sceleratus, Pelleri. 8.
Puffendorf de Statu Imperii Germanici, cum notis Titii. 8.
Reginæ Christianissimae Jura, 4. Typis Regiis.
Dominicii Assertor Gallicus, contra Vindicias J. J. Chifletii, 4. Typis Regiis.
Relationes ex Parnasso, 8.
Respublica, Aquinas de Regimine Principum, 24.
— Irvinus de Jure Regni, 24.
Salmasii Defensio Regia, 4. & 12.
Miltoni Defensio pro Populo Anglicano, 4.
Synopsis Medull. Bodini, per Weidenhagen, 8.
Tacitus Lipsii, Fol. & Idem, 24.
Taciti Agricola, cum notis Boxhornii, 12.
Forstnerus in Tacitum, 8. 2 voll.

Kirchmajer in Tacitum de Germ. liber commentar. 8.
Vindiciae contra Tyrannos, 12.
Leo in Aphorismos Hippocratis commentar. 4.
Sponius in Aphorismos Hippocratis, Gr: Lat: 12.
Wedelii Aphorismi Aphorismorum, 12.
Boerhaave Aphorismi de cognoscend & curand. morb. 8.
——— Institutiones Medicae, 8.
Institutiones Medicae, Hofmanni, 4.
Epitome Institutionum Medicarum, Moebii, 4.
Boerhaave Materia Medica, 12.
Tournefort Matiere Medicinale, 12. 2 v. Gallicè.
Armamentarium Medicum, Melichii, 8.
Collegium Medicum, Kyperi, 8.
Fundamenta Medica, Regii, 4.
Manuale, sive Vademec: Prax: Med: per Jungk: 8.
Promptuarium Materiae Medicae, Macasii, 8.
Wedelii Theoremata Medica, 12.
Universa Medicina, per Perdulcis, 4.
Crollii Basilica Chimica, 8.
Chymia Gebri Arabis, 12.
Praxis Chymiatrica, Hartmanni, 8.
Idea actionis corporum, per Le Mort, 12.
Currus triumph. Antimonii, per Kerckringium, 12.
Stam Dona Dei Medicin: hominibus revelata, 8.
Starkey Pyrotechnie, 12. Gallicè.
Wedelius de sale volatili Oleoso, 4.
— Tabulae Chymicae, 4.
Medulla Chimiae, Vigani, 8.
Bibliotheca Chymica, Albinaei, 8.
— Chymica, Mangeti, fol: 2 voll.
Dispensatorium Chymicum, Variorum Authorum, 8.
Theatrum Chymicum, 8. 6 voll.
Alchymia Libavii, fol: IV. Tomis, 2 voll.
Cossandus de magisterio Philosophorum, 12.
Hochelande de Alchemiae difficultatibus, 8.
Symbola Aureae Mensae, Alchemiae, &c. Mayerne; 4.
Wedelii Inroductio in Alchymiam, 4.
Weidenfeld de secretis adeptorum; 4.
Bartholini Anatomia, 8.
Anatomia, per Bidloo, fol.
— Blancardi, 8. — Animalium, Blasii, 4.
Diemerbroek Opera Omnia, fol.
Anatomia Practica; sive Sepulchretum, Boneti; fol: 2 voll.
Opuscula Anatomico-Chirurg. Joh. van Horne, 8.
Disputationes Anatomicae, Knoblochii, 8.
Historia Anatomica, Laurentii, fol.
Bibliotheca Anatomica, Mangeti, fol. 2 voll.
Anatomia per Verheyen; 4. 2 voll.
Nevrographia, per Vieussens, fol.
Vieussens Vasorum Corporis humani Systema; 8.
Anatome Cerebri, per Willis; 12.
Glandularum Descriptio, Cowperi, 4.
Drelincurtii Appendix ad Libitinæ Tropheæ, 12.
— de partu Octimestri Vivacia, 4.
Adenographia, per Nuck, 8°.
Sialographia, per Nuck, 8°.
Valsalva de Aure Humana, 4°.
Aldini Plantæ rariores Horti Farnesiani, fol.
Alpinus de Plantis Exoticis, 4°.
— de Plantis Ægypt. 4°. — de Balsamo, 4°.
— de Medicina Ægyptiorum, & Bontius de Medicina Jndorum, 4°.
Ammanni Suppellex Botanica, 8°.
— Character Plantarum, 12°.
Anatomia Pœoniæ; Hunerwolfii, 8°.
Apparatus Plantarum, Laurenbergii, 4°.
Axtius de Arbor: coniferis & pice conficienda, 12.
Bauhini Pinax Theatri Botanici, 4°.
Boerhaave Index Plantar. Horti L. Bat. 8.
Botanicum Monspeliense, per Magnol, 8°.
Breynii Exotica, fol.
— Prodromus fasciculi rarior. Plantar. 4. 2 v.
Castelli Opobalsamum, 4°.
Catalogus Plantarum circa Cantabrigiam nascentium, 8°.
— Plantarum Indigenarum Hollandiæ; Commelini, 12°.
— Stirpium in Exteris Regionibus, Joh: Ray. 8.
Clauderi Inventum Cinnabarinum, 4°.
— Methodus Balsamandi corpor: human: 4°.
Jac. Cornuti Historia Plantarum Canadensium, 4.
— — Enchiridion Botanicum Parisiense, 4°.
Cynosbatologia, Hagendornii, 8°.
Descriptio Plantarum Montis Baldi, per Pona. 4.
Fabii Columnæ Plantarum aliquot Historia, 4°.
— — minus cognitarum Stirpium & rarior: de Aquatilibus & de Purpura, 4°.
Fehr de Absinthio, 8°. Ferrarii Flora, 4°.
Ferrarii Hesperides, fol.
Flora Malabarica, Commelini, fol: & 8°.
Herbarius Diluvianus, Scheuchzeri, fol.
Hermolaus Barbarus de Plantis, fol.
Historia Plantarum; Morisoni, fol: 3 voll.

Historia Plantarum; Ray; fol. 3 voll.
Horticultura, Laurenbergii, 4°.
Hortus Academ. Lugd. Bat. per Hermannum, 8°.
— Malabaricus, fol: 12 voll. — Rapini, 12°.
— Regius Paris. per Jonquet; 4°.
— ——— Monspeliensis, per Magnol, 8°.
Icones Arborum, Fructuum, &c. 4°.
Index nominum Plantarum multi Linguis, per Mentzelium, fol:
Institutiones rei Herbariæ per Tournefort, 4. 3 v.
Jonstonus de Arboribus & Fructibus, fol.
Lilium curiosum Tilingii, 8°.
Malpighii Opera, 4°.
Methodus Plantarum genuina, per Kanuth, 8°.
— Plantarum, Raii, 8.
Nova Plantarum Americanarum genera, Plumier. 4°.
Omnium Stirpium Sciagraphia & Icones, per Chabræum, fol.
Paradisus Batavus, per Hermannum, 4°.
Pauli Renealmi specimen Historiæ Plantarum, 4.
Seb: Vaillant de Structura Florum; 4°.
Plantæ Barrelieri, fol.
Plumier de felicibus Americanis, fol:
Prodromus Paradisi Batavi Hermanni. 12°.
Rhabarbarologia Tilingii, 4°.
Schola Botanica &c. per Hermannum. 12.
— Botanica, per Tournefort, 12.
Stirpium adversaria nova, per Lobel, fol:
Sylloge Stirpium Exoticar: Ray. 8°.
Tract. de Amomo, Nicol: Maroneæ. 4°.
Vera Herba Brittanica, Muntingii. 4°.
Vindiciæ de Ortu ac vegetatione Plantarum per Triumfettum. 4°.
Wedelius de Sale volatili Plantarum. 12°.
Apitius de arte Coquinaria. 8°.
Castellanus de esu carnium. fol. & 8°.
Contarenus de frumentaria Romanor: Largitione. fol.
Laurentius de Prandio & Coena Veterum. fol.
Manelphi Mensa Romana. 4°.
Meursius de Tibiis Veterum, fol.
Mercurialis de Potionibus ac Eduliis Antiq: fol.
Servius de Odoribus. fol.
Sethus de Alimentis; Gr. Lat. 8°.
Tractatus de Vino ac ejus usu & abusu, Turnebii. Fol.
Wedelii Diæta Literatorum. 12°.
Paulus de Tabaco & Thea. 4°.
Pechlinus de potu Theæ. 4°.
Tractatus novi de potu Caphé, Thé, & Chocolata, per Sponium. 8°.
Thesaurus Chirurgiæ; per Uffenbach. Fol.
Praxis Chirurg: ration: Decas 3. & 4. per Muys. 12.
Blegny Zodiacus Medico-Gallicus. 4°. 3 voll.
Collegium Curiosum; Sturmii, 4°. 2 voll.
Consilia & Epistolæ Medicin. per Mayerne. fol.
Experimenta Medico-Chymica, Matthiæ. 12.
Historiæ Academiæ Regiæ Scientiar. Par. 4°.
Miscellanea curiosa Med: Phys. Germ: 4°. complt:
Observationes de Apoplexia, Wepferi. 8°.
— & Consilia Select: Pisonis 4°.
— Medicæ, Lommii. 8. & 12.
— Medico-Chirurgicæ, Marchettis. 12°.
— Singulares, Rudingeri. 4°.
Praxis Medica & Observationes Petermanni. 8°.
Lexicon Medicum, Blancardi. 8. — Castelli. 4.
— Pharmac: Chymicum, Spinæ. 8.
Collectanea Pharmaceutica, per Penicher. 4°.
Crusii Thesaurus Medicamentorum. 12°.
Grabe de Medicamentis simplicibus cognosc: 8°.
Pharmacologia, per Dale. 12°.
Pharmacopæa Augustana. 4°. — Bateana. 8°.
Pharmacopoeus & Chymicus Symmistae, per Lasher. 12°.
Pharmacopea Extemporanea. 8°.
— Schrodero-Hofmanniana. fol.
— Ultrajectina. 24.
Rhodius de Acia, de Fibulis, de Ponderibus, Mensuris & Vita Celsi. 4°.
Wedelii Pharmacia. 4°.
— Pharmacia Acroamatica; 4°.
Baglivii Opera. 4°. Barbette Opera Omnia. 4°.
Bartholdi Opera Medica. 4°.
Etmulleri Opera Omnia, fol. 3 voll.
——— Operum Epitome. 8°.
Fabricii Hildani Opera, cum Severino, fol.
Hartmanni Opera Medico-Chymica. fol.
Helmontii Opera Omnia. 4°.
Langii Opera Omnia Medica. fol: 2 voll.
Opera Medica Omnia; Ludovici. 4°.
Hippocratis & Galeni Opera Gr: Lat: Charterii, 13. Tomis. fol.
Paracelsi Opera Omnia, fol.
Ramazzini Opera Omnia. 4°.
Riolani Opera Phys. Medic & Anat fol. & 8 3 voll.
Riverii Opera Omnia, fol.
Sydenham Opera Universa, 8°.

Sylvii Opera, 4°. Willis Opera Omnia, 4°.
Albertus Magnus secretis mulierum, 12°.
Andriollus de conservanda valetudine, 4°.
Anthropologia Physico-Medico-Anatomica, Hartmanni, 4°.
Axtius abortus in morbis acutis Lethalis, 12°. tz.
Bartholinus de flammula cordis, 8°.
——— de Medicamentis inquilinis, 8°.
——— de Peregrinatione Medica, 4°.
Bellinus de Urinis & Pulsibus, 4°.
Bibliotheca Medico-Practica, Mangeti, fol. 4 voll.
Boerhaave de usu ratiocinii Mechanici in Medicina, 8°.
— de commendando Studio Hippocratico, 8.
— de repurgatæ Medic: facilitas, 4°.
— de comparando certo in Physicis, 4°.
Bohnii Circulus Anatomicus & Dissertationes Physiologicæ, 4°.
— Dissertationes Chymico-Physicæ, 8°.
— de Officio Medici, 4°.
— de renuntiatione Vulnerum, &c. 4°.
Broekhuysen Rationes Philosophico-Medicæ, 4°.
Burnet Thesaurus Medicinæ practicæ, 4°.
Cælius Aurelianus de morbis Acutis, &c. 4°.
Capivaccius de Lue Venerea, 8°.
Celsi Medicina, Almeloveenii, 8°.
— Medicina, Wedelii, 8°.
Clerici Historia Latorum Lumbricorum, 4°.
Colloquium Romano-Hippocraticum, Langwedelii, 12°.
Conciliorum, sive de morbor: curationib: liber per Lossium, 8°.
Dissertationes Physico-Medicæ, Hofmanni, 8. 2 v.
Disputationes Medicæ, Varior: Authorum; 4°.
Dodonæi Praxis Medica, 8°.
Donkers de febribus Petechialibus, 8°.
Etmulleri Opiologia, 4°.
Exercitationes Medicæ, Listeri, 12°.
Feltman de Dea Podagra, 8°.
Freind de Febribus, 4°.
Fundamenta Medicinæ Modern: electica per Jungken, 8°.
Geuderus de Fermentis, 8°.
Glisson de Ventriculo & Intestinis, 12°.
Grabe Descriptio Cervi, 8°.
Guiljelminus de Salibus, 8°.
Hecquet de curanda Medicina a curarum sordibus. 12°.
Hertodt Medicus Euporistus, 8°.
Hippocrates Contractus per Burnet. 8°.
Hippocratis Jus Jurandum, Meibomii. 4°.
Historia Vulneris Thoracici, Pechlini. 4°.
Kovacs Tataus de Epilepsia, 12°.
Labyrinthi Medici extricati, Boneti. 4°.
Lower de Corde, 8°.
Mauriceau de morbis mulierum prægnantium, parturientium & puerperium, 4°.
Medicina & Praxis Medica, Reelandi, 4°.
——— Mentis, Langii, 8°.
——— Septentrionalis, Boneti. fol: 2 voll.
Medicus præsenti seculo accommodandus, per Jungken, 8°.
Metamorphosis Æsculapii & Apollinis Pancreatici, per Pechlinum. 8°.
Morton de febribus Inflammatoriis universal. 8°.
— de morbis Acutis, 8°.
Moxa, Valentini. 12°.
Murillus de Melancholia hypochondr: 12°.
Musgrave de Arthritide anomala. 8°.
Opuscula Medica, Gorræi, fol.
——— Medica, Pitcarnii, 4°.
Praxis Medica Mayerniana, 8°. 2 voll.
Puteanus de Purgantium Medicam: ratione. 8°.
Questiones Medico-Legales, Zacchiæ, fol.
Regnum Minerale, per Konig. 4°.
——— Vegetabile, per Konig. 4°. 2 voll.
Rhodius de Acia, 4°.
Riverius Reformatus. 8°. 2 voll:
——— Renovatus. 12°. 2 voll.
Ruznamenaurus, Velschii. 4°.
Schola Salernitana. 12°.
Severus de mortibus Boum. 8°.
Sydenham Processus. 12°.
Tentamen & Examen Medicum, Leonis. 8°.
——— Medicum de Variolis. 12°.
Thesaurus Medico-Practicus, Boneti, fol. 3 v.
Theatrum Praxeos Medicae, Zuingeri, 4°.
Vercellonus de lue Venerea, 4°.
Vieussens de Remotis, 4°.
Wedelii Epitome Praxeos Clinicae, 4.
— Exercitationes Medico Philologicae, 4°.
— Exercitat: Pathologico-Therapeuticae, 4°.
— Exercitationes Semiotico-Pathologicae, 4°.
— de Medicamentor: Facultatibus, 4°.
— de Morbis Infantum, 4°.
— & Etmulleri Opiologia, 4°.
— Pathologia Medica Dogmatica, 4°.
— Physiologia Medica, 4°.

F I N I S.

JULII CÆSARIS CAPACII,

Urbis Neapoleos a Secretis & Civis,

ANTIQUITATES
ET
HISTORIÆ NEAPOLITANÆ;

in quibus

ANTIQUITAS

Ædificii, Civium, Reipublicæ, Ducum, Religionis, Bellorum, Lapidum, adjacentiumque Locorum continetur:

Noviſſima Editione a mendis corruptelisque, quibus ſcatebant plurimis, repurgatæ, locisque compluribus reſtitutæ: & Nummis Figuris*que accuratiſſimè ornatæ. Cui* Vita Auctoris Effigies*que additæ ſunt.*



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.

NOBILISSIMO SPECTATISSIMO PRUDENTISSIMO

VIRO

D. D. PETRO MARCUS

J. U. D. CONSULTISSIMO

LEIDENSIS REIPUBLICÆ

CONSILIARIO

ET

SYNDICO MERITISSIMO

COLLEGIO ILLUSTRI QUOD RATIONIBUS DELFLANDIÆ

PRÆEST A SECRETIS FIDELISSIMO

JURIS PUBLICI DEFENSORI SOLERTISSIMO

BONORUM STUDIORUM ARTIUMQUE

MÆCENATI AC FAUTORI LIBERALISSIMO

HASCE

SUB INCUDEM REVOCATAS

JULII CÆSARIS CAPACII

ANTIQUITATES ET HISTORIAS

TAM

URBIS NEAPOLEOS

QUAM

CAMPANIÆ FELICIS

NUMMIS FIGURISQUE

ADORNATAS

EA QUA DECET OBSERVANTIA

INSCRIBIT CONSECRAT OFFERT

PETRUS VANDER Aa.

BENEVOLO LECTORI
PETRUS VANDER Aa
SALUTEM.

ANTIQUITATES *hæ* ET HISTORIÆ NEAPOLITANÆ *non minimô labore, nec unô auſpice olim compoſitæ fuerunt, ac* Neapoli apud Jo. Jacobum Carlinum *MDCVII. editæ. Cæterum, quòd non ſolùm rarò eadem hodie videretur Editio, verùm etiam admodum mendîs corruptelîsque ſcateret, denuo iterare conſtitui; quin principiò quidem animus tulit, quæ calci Auctor ſubjecerat* σφάλματα, *modò corrigere: cùm autem pedetentim alia detegerem innumera, ſtudui non tantùm indicata tollere* Errata, *verùm etiam tacita emendare; ſub columnas, ne Studiis Lectoris officerent, loca citare Scriptorum, eademque ut plurimùm paullò exactiùs adducere. nec ſortem poterant ad unum ſubire, quòd minùs cognita Veterum Scripta,* Inachum *putà* Sophoclis, Licinium Euripidis, *alia Auctor alleget. quinimo vulgatîs utique privatus, accuratè Auctorem non dubitavi exprimere, quò B. L. e libris ipſis inventis meliùs ſuum adderet calculum. Porrò* Inſcriptiones, *quæ minuſculîs antea extabant litterîs, hîc recenſitas, ut decet, majoribûs dedi. Denique curavi* Icones *exſculptas ſolertiùs. Quæ, B. L., ſi ſtomachi tui eſſe ſenſero, ſenſim alios id genus tibi procurabo Scriptores. Vale.*

ILLUSTRISSIMIS

DOMINIS ELECTIS FIDELISSIMÆ CIVITATIS NEAPOLITANÆ

D. Antonio Carmignano, Marino Caracciolo, Fabricio Villano, Cæsari Pignatello, Joanni Francisco Stramboni, Gaspari Ligorio, Anello de Martino

IVLIVS CÆSAR CAPACIVS S.

NON divitem civitatem *Corinthum*, aut florentes *Syracusas* (Illustrissimi Viri *Neapolitanæ* Reipublicæ meritissimè Præfecti) hisce lucubrationibus vobis proponendas curavi, cùm Illustrissimam Civitatem inter nobilissimas Orbis Terrarum nulli secundam, situ ad prospectum præclaro, aëris salubritate, naturæ commodis, rerum omnium copia, cæteris Urbibus facilè antecellentem proponere mihi persuaserim. Illam *Neapolim* propono quàm non Sirenum domicilio, sed deliciarum omnium oblectamentis celebrandam jam tum ab ædificationis primordio innuit antiquitas. Quam etsi non *Tagus* perluat aurifero fluminis alveo, quo suam nostri Reges *Hispaniam* maximè colunt; *Sebethus* tamen aureo agri solo, auream *Saturni* ætatem retinens præterlabitur. Quam non circumfluit Oceanus, sed Crater ille continet celeberrimus, quo *Neapolitani*, non *Crotoniatæ* in *Italia* in primis beati numerantur. *Neapolim*, inquam, quæ victorem *Herculem* ex *Hispania* redeuntem retinuit, magnos Heroës *Sybillinis* vaticinationibus, atque deliciis evocavit, exteras gentes ex intima *Europa* accivit, summos Reges de ejus Imperio contendentes armavit; in qua maximorum Principum ad perpetuam nominis gloriam præclara extant monumenta; in qua majorem quàm fasces, & secures *Nortmannorum*, *Suevorum*, *Gallorum*, *Germanorum*, abhinc verò multos annos ad pacis & gloriæ securitatem, potentissimorum *Hispaniæ* Regum insignia dignitatem, atque majestatem præ se ferunt. Quæ pacis, & belli fructus nunquam non parato, lætoque animo suis Regibus protulit, perpetuò iisdem libentissimè prolatura, nostis enim vos ipsi, qui clavum Reipublicæ tenetis quàm promptè, qua animi propensione hæc civitas fortunas & sanguinem pro nostrorum Regum salute profuderit. Quæ quicquid ex *Indis* provenit sola suppeditat. Cujus copia omnibus gentibus summa cum voluntate effunditur. Cujus fides quavis proposita calamitate nullo unquam tempore occidet. Cujus mœnia privatique parietes tantâ sunt dulcedine illiti, ut suos summa cum felicitate nutriat, exteros maxima cum voluptate alliciat, atque retineat. Lineamenta hæc profectò describendo cognoscentur. Pingere haud valeo. neque μυgοθήκια *Isocrates* suppeditat, & *Aristotelica* pigmenta penicillis, quibus utor aspergerentur temerè, atque ita ut omnino deesset color. Ea tamen re maximè delector, quòd tenentur aliquando oculi pictura horrida, incultaque veluti etiam, & læta, & nitida delectantur. Et si non gratiæ causa ab *Apelle* voluit *Alexander* pingi, sed quòd illius artem, & sibi, & illi gloriæ fore putabat, opaco colore depicta nunc *Neapolis* gratiam, artemque contemnit indocti pictoris, & Illustrissimorum Virorum lumine collustrata, quorum virtute atque animi candore non tam publicis quàm privatis in rebus conjuncta maximam felicitatis accessionem sibi factam existimat, hoc tantùm sibi tribuit, quod oculis omnium vestra vigilantia, in patriam maxima benevolentia, Juris rectique observantia cunctorum oculis celeberrima, maximaque objicitur, quoniam a Prudentissimis Viris gubernatur. *Neapoli.* Calendis Octob. CIƆ IƆC. V.

AUCTO-


IULIUS CÆSAR CAPACIUS,
Vir eruditissimus:
Scriptor Antiquitatum Historiarumque
Campaniæ atque Neapolis
insignis.

AUCTORIS PRÆFATIO
AD LECTOREM.

NULLI *ex præclaris urbibus magnarum rerum* Neapolis *cedit præconio. At patriam nimis promptè laudas* Capaci. *Nihil minus. Rem ipſam laudibus efferre permittas. Ecquænam ejus rei monumenta proferes, in ea præcipuè civitate, quæ præter delicias nihil reconditum ſervavit? Næ illud ego libenter efficiam ut planè cognoſcas, ſi quid temporis lectioni, ſi quid grati animi laboribus, ſi quid propenſionis in eam urbem ab omnibus deſideratam præſtiteris. Sepulta quodammodo jacebat antiquitatis gloria, atque omnia ea ornamenta quæ plurimum ſplendoris afferre ſolent, ad hiſtoriarum veritatem, Lapides ſcilicet, Statuæ, & Numiſmata ex quibus antiquarum rerum memoria elicitur, aut cœno aut ſordibus obruta, vel Scriptorum oblivioni tradita, prorſus amiſerat ignorata. Ecce tibi quid hujus civitatis luminibus obſtruxerat. Civicæ aliquando coronæ gloria, & pietas aliquorum animos excitavit, qua licet ad vitam revocare eam haud poſſent, ſaltem parentare viderentur, & aliquo pacto præclaræ urbis dignitati aliquid muneris perſolvere. Aliquorum ſtylus, ut ea ferebat ætas, conſuluit vetuſtati. Aliquorum induſtria ea ſervanda poſteris duxit, quæ planè fuiſſent interitura. Multi immaturæ ſegetis ſemina jacientes, meſſem aliis præbuere; multi a proditionis injuria contra exteros Scriptores vindicârunt, dum alii elaboratarum lucubrationum ſtudiis eam illuſtrare ſibi perſuaſerunt.*

Aſt ego raptim doctiſſimorum hominum veſtigia ſequutus, inter ea quæ ipſi prætulerunt lumina atra & alba diſcernens, ea notando excerpſi, & ex abditis quibusdam libavi, quæ ſtudiorum meorum fructum non rejiciendum litteratis viris apponent, & quæ Neapolitanam *urbem rerum magnitudine & curioſitate cum omnibus Orbis terrarum urbibus contendentem oſtentabunt. Quamobrem poſtrema iſthæc tentare non ſum veritus. Neque magnus tot ſcriptorum numerus me perterruit, cùm tanta ſit hujus civitatis moles, ut ſemper locus ſit reliquus, quamvis tota aut ſcriptis, aut vocis laudibus occupetur.*

Antiquæ Neapolis *ſimulacrum hoc Opere propoſui, ut nihil cæteris illuſtribus civitatibus invidere poſſe cognoſcamus, non modò ornamentis atque ædificiis, in quibus Marmora, Picturæ, operoſæ moles in Theatris, Gymnaſiis, Balneis tanta majeſtate elucebant, quanta omnis* Græcia *emicuit; non modò, inquam, aut Gymnicis ludis qui dum maximos Pancratiaſtas, & Athletas habuere, maximos quoque Imperatores ad eas voluptates evocarunt; aut Muſices, Poëtices, arteque dicendi agonibus; vel Religione, in qua ex antiquitatis tenebris multa ſanè obſcura Antiquorum Lapidum, & Nummorum cognitione maximo cum hujus urbis honore in lucem ſunt revocata; ſed etiam florentiſſimæ illius Reipublicæ methodo, quam ab* Athenienſibus *ortam & conſtitutam, cum iiſdem* Athenienſibus & Lacedæmoniis *ſtatu politico certâſſe non dubitamus. Antiquos illos Magiſtratus nôſſe, non erit inutile. Ducum ſeriem, quæ ſub* Græcis *viguit Imperatoribus, ut rem novam, & in* Longobardorum *ſcriptis ſumma cum diligentia repertam, ita etiam cognitu nobilem venerabimur. Quæ verò ad ejus pertinent ſitum, quo maximè excellit, tanti erit apud curioſos, & vetuſtatis indagatores, ut cum* Neapoli *in præſens, totius Felicis* Campaniæ *in alio Libro amplitudinem, ſumma cum jucunditate perluſtrent.*

*Neque in veritate dilucidanda perpetuus Hiſtoriæ curſus ſervari potuit, quando intercurrent ſæpenumero deſcriptiones, narrationes, elogia, a quibus in tanta rerum varietate abſtinere non licuit, dum locorum anfractibus detinebor, & deſcribendo potius, quàm narrando ero occupatus. Res ſacras in aliud * Volumen compellere ſtudui; at ſi quando hoc Opere ſeſe objecerint, nefas non exiſtimavi, pro locorum opportunitate, ſuis locis conſtituere. Antiqui lapides &* Græci Latini*que hiſtoriam dilucidabunt. Politiora ſtudia quæ interdum inſerere libuit, lucem afferent auctoribus, & doctorum virorum gratiam conciliabunt. Si quid boni eſt mihi, attribuite æmulatori ſtudioſorum, qui tametſi antea ſtatuerim nihil de hiſtoria cogitare, cùm a rebus publicis ſcribendis prorſus animus abhorreret, magnum enim opus inter publica negotia verſatus cenſui, hoc tamen tempore ne cæteri mihi in patriam voluntate præſtarent, hujuſmodi ſum amplexus hiſtoriam, ut ab ea divelli non queam.*

VITA JULII CÆSARIS CAPACII,
Ex Italico Libro *Elogii d' Huomini letterati ſcritti da Lorenzo Craſſo* deprompta, Latinéque tranſlata.

JULIUM CÆSAREM CAPACIUM, illum Antiquitatûm *Neapolitanarum* Vindicem laude promeriti optimus quiſque profectò afficiet. Hic *Campaniæ*, quæ Regni *Neapolitani* Civitas eſt, Parentibûs ibidem honeſtiſſimîs ſortisque mediæ oriundus fuit, abſolutóque Philoſophiæ curſu, magiſtrîs PP. Ordinis Prædicatorum a ſuis *Neapolim* † deductus, ut ſtudio Juris utriusque, quod ſolum conditionem adauget, honoresque dat ampliores atque divitias, ſeſe addiceret. Cæterum æmulis propoſiti deſtitutus, animum ad literas humaniores appulit, Rhetoricâ Poëticêque principiò imbuendus: itaque Oratori Poëticen negotii inſtar dari credens, ſic linguæ

* quod Opus ἀνέκδοτον eſt. † conf. col. ſeq. 64. duc. I. καὶ τὰ ἑξῆς.

castitatem, styli acumen, formulasque selectas loquendi excoluit, ut sese exemplum dignissimum imitatione præberet. Porrò Linguæ *Græcæ*, ut e doctoribus priscis scientiam hauriret, non infelicem operam dedit. Dein occasione Exercitiorum Collegii *Otiosorum* celeberrimi, cujus Sociorum ille primorum unus erat, monumenta divini ingenii voluit publicè extare. itaque ut de reliquis inceptis Eruditorum experiretur judicium, specimina in vulgus non dubitavit edere. Mox naturam sequutus ducem duxit Uxorem, e qua sobolem, quæ Magistratum postea in domum inferret, procreavit. Quin *Neapoli* illustris honore, a Secretis, quod per se ea tempestate splendoris erat magni Officium, verùm ipsô administrante majoris, Civitati dabatur, ut maxima quæque sæpe negotia ex ipsius nutu consilióque gererentur. vicissim ut Artes, quas *Scribæ* vocant, opere callebat, sic librum *il Secretario* inscriptum, multâ eruditione vulgavit refertum. Adhæc aliud de *Emblematibus Imprese* adeo perspicuè composuit volumen, ut sententias differentes contrariasque decidisse videretur, veríque investigâsse rationem. Hac tantâ *Julii Cæsaris* nostri famæ celebritate e vestigio inductus temporum ipsorum ille Mæcenas Dux *Franciscus della Rovere* Urbinas, hominem, Filium Principem ut institueret, in Aulam florentissimam evocavit, quippe qui non modò doctrinâ, verùm etiam prudentiâ atque virtute præstabat. Hinc sese ad studium Historiæ Ecclesiasticæ Patrumque Sanctorum applicuit, unde Volumina *Concionum*, ceu loquuntur, *Quadragesimalium* etiam concinnavit duo. Insuper nomine Principem *il Principe* librum edidit, ubi, præcepta Politica ut omittam, prudentiam, sapientiam mentemque devotam magni Regis illius *Hispaniarum Philippi* putà *Secundi* prodocet. Deinde animi causâ *la Mergellina*, locum illum, inquam, priscis satis supérque laudatum, *Sannazarii* autem sepulcrô multò clariorem, scriptô extulit, quod ut a tot Eclogis Piscatoriis discedam, Comœdiam longe jucundissimam, quam *Neapoli* omnium applausu Comici optimi egêre, complectitur. In *Neapolin* autem Civitatem atque *Campaniam* amorem ostensurus intentum Antiquitates & Historias *Neapolitanas* ut & *Campaniæ*, Historiamque *Puteolanam* composuit; Tractatûs lectu dignissimi sunt, quòd monumenta *Græcorum* antiqua *Romanorum*que proponant, item mutationes & vicissitudines, quas Regnum tam nobile Regimine diversô subiret, annotent. Denique adeo solerter Doctis elucubrans, Vitas Pro-regum *Neapoleos* aggressus est, quas ad votum editas morte præventus non videret, utpote a C. N. 1631. vitam deseruit. Vir studiosorum Antiquitatûm valde celeberrimus fuit, verùm librîs scriptîsque suis nimium quandoque blanditus.

LIBRI EDITI.

Trattato dell' Imprese.
Il Secretario.
Lettere.
Mergellina, Egloghe Pescatorie.
Selva di Concetti
Prediche Quaresimali.
Apologi.
Dicerie Morali.
Il Principe.
Historia Puteolana.
Antiquitates & Historiæ Neapolitanæ.
Antichita di Pozzuoli.
Balnearum, quæ Neapolî, Puteolîs, Bajîs, Pithecusîs extant, virtutes.
Antiquitates & Historiæ Campaniæ.
Il Forastiero.
In Odas Urbani Papæ Octavi.

LIBRI MS.

Orazioni.
Discorsi varii.
Vite de' Vicerè di Napoli.
Res Sacræ.

IN ANTIQUITATES ET HISTORIAS NEAPOLITANAS

Paulus Portarellus.

Quas grates, quæ dona tibi dabit inclyta Siren
Parthenope scriptis nobilitata tuis?
Tu prima illius revocas ab origine gentem,
Et genus, & mores, Chalcidicumque decus.
Qui patrii Indigetes fuerint, quis conditor urbis,
Templa, theatra, vias, mœnia, tecta refers.
Qui Reges, quæ jura viris, quæ bella, triumphi,
Quæ telluris opes, deliciæque maris.
Commoda quæ tandem, cœli indulgentia, quanta
Relligio, & pietas, pectoribusque fides.
Hæc multis ignota olim, clarissima reddis
Euboici illustrans regna beata soli.
Jure tibi assurgit Sebethus, & ora Vesevi,
Craterisque sinus, Pausilypique Deæ.

Camillus Pellegrinus, Capuanus.


Livio ut Urbs debet victi orbis bella canenti
Gloria Romulidum quo magis enituit;
Barbariem ævi vincenti sic debet Iulo
In lucem e tenebris eruta Parthenope.

Peregrinus Scardinus.

Nomen an est omen quod habes divine Capacci?
An potius numen dicimus esse tibi?
Cum capias scriptis homines, fera saxa lepore,
Fama orbem, patriam moribus, ore feras,
Credimus ætherea quod tu demissus ab arce
Nomine sub celebri numen & omen habes.

INDEX CAPITUM.

ANTIQUI-




Famosissimi
REGNI
NEAPOLIS
Accuratissima
Tabula.
LUGD. BAT.
Apud PETRUM VANDER AA
GOLFO DI VENETIA
MARE TIRRENO
MARE GIONIO
BOCCA DEL GOLFO DI VENETIA
PARTE DI DALMATIA
PARTE DI ALBANIA
PARTE DI EPIRO
PARTE DELLA STATO DELLA CHIESA
PARTE DI SICILIA
Scala di Miglia Cinquanta.
Golfo di Napoli
Golfo di Salerno
Golfo di Taranto
Golfo di Squillaci
Golfo di Gaeta
Mare di Puglia
Isola di Capri
Ischia Isola
Is. di Ponza
Is. di Tremiti
Stromboli
Milazzo
Messina
Corfu
Ragusi nuovo
Ragusi vecchia
Cataro
Golfo de Cataro
Golfo de Lodrin
Durazo
Valona
Chimera
Roma
Napoli
Sorrento
Capua
Bari
Trani
Taranto
Otranto
Brindisi
Faro di Messina

ANTIQUITATES ET HISTORIÆ NEAPOLITANÆ.

CAP. I.

Campania, ejusque Agri Felicitas.

Felix Campania.

CAMPANIAE a patentibus campis & telluris æquore in quibus illuſtrium regionum quæ in Orbe terrarum florent, æmula ſedet, nomen eſt inditum. At, Felicis encomium (quin & feliciſſimi apud *Strabonem* [1] qui eum agrum εὐδαιμονέστατον appellat) quo ceteris regionibus antecellere videtur, cœli clementia, ſoli ubertas, aquarum perennitates, thermarum ſcaturigines, auri, argenti, ferri, aluminis, ſulphuris, chalcanti, nitri, ſalis, chalcitis, ceterorum mineralium venæ, pecuaria res ampla, ruſtica benè culta & fructuoſa, armentorum greges, nemora ad voluptatem, ad venationem ſaltus, ad omnem materiam ſylvæ, *Minerva* oleis, vitibus *Bacchus*, frugibus *Ceres* præſtiterunt. Frumentariam idcirco dicit *Halicarnaſſeus*, [2] & fluviis, & cœleſtibus aquis irriguam, in qua arva vel trifera ſementem æſtivam poſt hibernam, & autumnalem poſt æſtivam enutriunt. Atque fertilitatis argumentum affert *Strabo*, quòd frumentum ibi naſcitur præſtantiſſimum, triticum ſcilicet ex quo Alica fit omni præſtantior Oryza, omnique ferè alio nutrimento; traditumque memoriæ aſſerit quædam ejus regionis arua conſeri bis zea, tertiùm Panico, quædam etiam quarto ſatu aliquid producere. Et ſegetem, ſubdit *Plinius* [3] quæ vere interquieverit fundere roſam adoratiorem ſativa, adeo terra parere ceſſat. & vulgò dictum, Plus apud *Campanos* unguenti, quàm apud ceteros olei fieri. Idque quóniam non exile ſolum, aut macrum ibi reperies quod aratro perſtringi non poſſit, neque tam aſperum ſaxetum in quo agricolarum cultus non elaboret. Neque terra appulſu Solis exardet, neque obriget nive pruinaque. Frigoribus adjectis non dureſcit humor; qui ſi aliquando duruerit, illico mollitur tepefactus, & tabeſcit calore. Et calorem, vel craterem (κρατῆρας *Græci* locos ignitos appellant) cultiorem in agro *Campano* fertilitatis cauſam afferunt. Propterea quòd non tantùm *Cumis* per *Baias* & *Puteolos* ad *Veſuvium* multæ exſtant incendiorum atque ignium eructationes, velut in *Iudæa* per totum ferè tractum qui eſt ad *Jordanem* fluvium, & in *Aſia* minori per *Phrygiam*, *Lydiam*, *Cariam*, *Mœoniam*, ſed etiam in ipſo mari ad *Ænariam*, ut profundiſſimè ignem ad inſulam permeare cognoſcamus, quamobrem a Plinio [4] dictum: *Inter Italiam & Ænariam in mari ipſo aquam imo fervore exilire, ut in Bajano ſinu, & in Lyri fluvio aliquid exiſtere valetudini ſalutare*; quemadmodum in medio *Danubio* aquas calidas legimus erumpere. Quapropter in *Campania* jugium aquarum Balnea calidiſſima, ubique tepentia, tum ſpecus venenatam exhalationem expiranres reperies, quæ omnia igne fiunt. Quod ſi calidum humectumque ſolum optimum eſſe teſtatur *Theophraſtus*, quique rem ruſticam ſcribunt, quis neget *Campanos* agros imbrium, & pluviarum copia, ignium caliditate quos medullitus nutrit, tenuem, ſolutam, levemque reddi terram, ut non modò copioſè ſuggerat, ſed etiam perfectè concoquat atque efficiat alimentum? Quæ enim terra concipit ſemina, temperatione caloris oriuntur atque augeſcunt. Et ex calore ſubterraneo coquente fit nigra terra & pulla, quam *Leophanes* commendat, tum perfectius adoleſcunt quæ in ejus utero gignuntur, cùm perennes ebibit terra rivos, quæ uberes producit fructus, & fœcundiſſimum arborum genus reddit, cùm altè ad radices imbres deſcendant, & (ut loquitur Plinius) *crebros imbres percolat atque tranſmittit, nec dilui aut madere voluit propter facilitatem culturæ; eadem acceptum humorem nullis fontibus reddit, ſed temperat, & concoquens intra ſe vice ſucci continet.* Id quod ignis efficit, ut veluti per fiſtulas aquarum copiam abſorbeat, humoremque conſumat, & glebas hujuſmodi cœnoſas nutriat, venaſque humore fœcundet.

Agri Campani fertilitas, unde. — Quartus fætus in Campania. — Crateres, qui. — Loca ignita variis in locis. — Aquæ calidæ. — In Danubio aquæ calidæ. — Calidum solum, optimum. — Subterraneus calor fertilitatis cauſa.

Hac de cauſa nuſquam frequentiùs proceris populis lætiſſimæ maritantur Vites, nuſquam gleba pleniores fruges, aut ſuaviora ſuppeditat olera; tantúmque agro benignitatis ineſt, ut ab uno ſolum aſello arari patiatur, quamvis ibidem accuratiùs boves juga ferre ſint edocti. Et tamen eò felicior tota *Campania* facta eſt, quòd muliebri ſudore concreſcunt ſata, quæ hilariùs inter ruſticarum labores & operas enaſcuntur; quódque maritimarum rerum commodo & commeatu nobilitata, ad juvandos homines hinc promontoriis, indè amœno littore proſiliiſſe videtur, quæ ubique fragranti alga, ſinu & portubus, Conchylio & piſce

Campani ſoli ubertas. Fruges. Vites. — Maritima commoda.

[1] Lib. 5. [2] Lib. 1. Hiſt. [3] Lib. 18. cap. 11. [4] Lib. 2. c. 103.

sce ferax, præclara Concha, & amœnissimus Crater efficitur. *Lyæus* quotannis inter pendentem vindemiam bacchatur, frequentesque viridi pampino botros contegens, mox summa hilaritate diffundens generosa vina temetis immiscet, dum ea quæ consistunt, ea quæ fugiunt, nova prægustat, edentula prudenter doliat, atque bima, trimaque bibenda pronunciat. *Pomona* interim perpetuo servat anno fructuum genera, quos nunquam decidere, aut arboribus deesse existimabis, cùm recentes non veteribus, sed recentibus succedere videris.

Vinum. Fructus.

Ipsa Fluviorum Numina lætissima præterlabuntur *Liris*, qui & *Cæruleus Munstero* (etymologiam tamen ignoro), Straboni & Plinio *Glanius*, & *Glanicus*, sed in Græco *Strabone* Ἐ'λις, & Κλανίς, *Glanis Stephano*, quem etiam *Glanium*, appellat & apud *Cumæos* collocat; Ambrosio Nolano *Lagnus*, vulgo *Garíglianus*. Ad *Acerras* sunt qui collocent, & in *Lirim* influere dicant. Differt a *Clane Vindeliciorum*, & *Clani Etruriæ* fluvio. *Fibernus* ad *Soram*, in quo *Cicero* [1] Insulam describit, ad quam sedere solebat, de quo Silius: [2].

Fluvia Campaniæ. Liris. Fibernus.

——— *atqui * Fiberno miscentem flumina Lirim*
Sulphureum ———

** Al Fibreno.*

idemque *Cicero* in *Lirim* se præcipitare scribit. *Savo*, de quo Papinius [3].

Savo.

& Linterna palus, pigerque Savo.

Plinius ad *Vulturnum* collocat; inter *Vulturnum* & *Lirim*, alii. *Vulturnus*, qui ad *Cumas* in mare profluit apud *Servium*; apud *Varronem* verò, apud *Vulturnum* Oppidum, affirmatque oriri in *Samnio*. Qui cùm tribus millibus passuum *Capua* prius abesset, ad ejus mœnia hac ætate labitur, nova *Capua* in ejus ripis ad *Casilinum* ædificata, quamobrem & Κασουλῖνος ab *Agathia* [4] fluvius vocatur, quod & *Vibio Sequestri* placet, Οὐατουρνὸς quamvis corruptè legatur in *Plutarcho*. *Sarnus*, de quo Statius,

Vulturnus. Casilinum.

Nec Pompejani placeant magis otia Sarni.

Princepsque *Sebethus*, qui illustriorem *Campaniam* quàm suus *Helicon Græciam*, aut *Hesperiam* reddit Iberus.

Sebethus.

In apricis Collibus, montibusque *Gauris* ad *Puteolos*, ad *Sinuessam*, ad *Nuceriam*, tres enim montes eodem nomine appellantur, *Massico*, *Falerno*, *Cæcubo*, *Tiburno*, *Vesuvio Surrentinis*, omniumque celeberrimo *Pausilypo*, vinorum, fructuum, & frugum celebratur & deliciarum copia, dum colles *Tifata* illi nobiles, *Campaniæ* gloriæ vertices, voces adhuc resonant barbarorum, & inter elephantos sacra numina venerantur. Plurali numero sic Livio [5] dicuntur: *Samnites cùm imminentes Capuæ colles firmo præsidio tenuissent, descendunt indè quadrato agmine in planiciem quæ Capuam Tiphataque interiacet.* *Plinius* oppidum *Tiphata* in prima regione in *Latio* numerat.

Montes Campani. Gauri. Massicus. Falernus. Vesuvius. Cæcubus. Tiburnus. Surrentini colles. Pausilypus. Tifata.

In ipsis Campis semper ferè spicarum viriditas herbescens: vel saltem aristarum crebra culmina ubertatis testes; atque in ipsorum anfractibus perpetuo anni tempore violæ rosæque liquores ad hominum vitam propagandam effundunt. Et in ipsis inter colles Theatris, apri, cervi, cuniculi, lepores, & spectantur, & capiuntur, dum volatilium genus omne incolæ sectantur aucupio. Quod si quis locus videbitur fortasse asperior, virentem tamen laudabis asparago, ipsisque spinarum floribus corollæ ad lætitiam nectentur.

Varia animalium genera.

Et quamvis pacem observaveris loci securam (nihil enim securius *Campana* felicitate *Romanorum* voluptuosi Imperatores existimarunt), Martiales nihilominus admiraberis equos tota *Europa* celeberrimos, pulcherrimosque quibus nihil esset insignius ad triumphantes aurato curru in patriam reportandos. Illud verò nobilius, quod *Campanos* in iisdem doctissimè sedentes videris, nec insigniores habent uspiam equi domitores. Atque id quoque admiraberis, quòd quæ injucunda alibi censentur, & sordescunt cœno, maximè ibi nitent, & summa cum voluptate desiderantur. Irrigantur enim passim paludibus prata, quorum viriditas non tam delectat oculos, quàm locupletat dominos magnitudine pastionis. Nutriuntur his jugeribus armenta, quæ squalenti hyeme indè arceri non coguntur, ipsoque cibo lactescente, lactis & casei copia plurimùm laudatur. Quid plura? Nullus ager agro *Campano* amœnior & fructuosior. *Thessala* illa amœnissima *Tempe* cum *Campania* non conferas, cedatque campis *Macedonia*, & deliciis ad *Antiochiam Daphne*. Nec *Penei* te delectent fluenta, cùm Nymphæ *Campanas* aquas ad omnem vitæ usum & hilaritatem excogitaverint. Nec pigeat Cosmum Anisium Neapolitanum audire *Campaniam* his verbis describentem:

Pax & securitas Campana. Equi. Campani equorum domitores. Paludes. Armenta. Casei copia. Cosmus Anisius.

Naturæ opus gaudentis est CAMPANIA,
Campania orbis Sol, ocellus, & nitor.
At cujus in tutela ea Dea sit tamen
Huc usque nemo novit aut hominum aut Deûm.
At nec repertus qui ferat sententiam
Ex æquo iniquus quin repentè evaserit,
Tam pulcra cunctos gemma transversos agit.
Adjudicat Saturnus hanc pater sibi,
Quòd hic Relligio, Lexque Honos præsidet.
Splendoris ergo Imperiique Juppiter,
Junoque propter impotentias opum
Ob arma Mars & bellicosa pectora;
Ob Phœbus artes. Mercurius ob ingenii
Præstantiam, cui Orbis incurvat caput.
Venus, Cupido vindicant lascivias.
Sapientiam orta Pallas è capite Jovis.
Fabrilia Mulciber; Minerva lanicium,
Frugem Ceres; succos Lyæus nobiles,
Sexcenties quos mille non capiunt lacus.
Neptunus omni laude præstantes equos,
Sive quæris artes fluctuantis æquoris.
Nihil denique terris datum à Diis, affatim
Quod non vetus Campania aut ferat nova.
Quin est satietas quàm voluptas amplior.

Quid verò *Anisium*? audi Plinium [6] nobilissimè laudantem; *Jam verò tota ea vitalis ac perennis salubritatis cœli temperies est, tam fertiles campi, tam aprici colles, tam innoxii saltus, tam opaca nemora, tam munifica silvarum genera, tot montium afflatus, tanta frugum & vitium olerumque fertilitas, tam nobilia pecori vellera, tàm opima tauris colla, tot lacus, tot amnium fontiumque ubertas totam eam perfundens, tot maria, portus gremiumque terrarum commercio patens undique. & tanquam ad juvandos mortales avida in maria procurrens. Neque ingenia, ritusque ac viros, & lingua manuque superatas commemoro gentes*, & quæ sequuntur. Omnes *Dionysius* [7] Campaniæ laudes in Campum spicarum manipulis onustum congessit,

Campaniæ laus.

——— σταχύων βεβριθὸς ἀμάλλαις.

Et, πέδον λιπαρόν; addiditque Scholiastes hujusmodi loquutum; διὰ τὴν εὐκαρπίαν. *Solinus*, [8] amœnissimum tractum prædicat. Et L. Florus [9] *omnium non modo Italiæ, sed toto orbe terrarum pulcherrimam* CAMPANIAE *plagam* scribit; felicemque & beatam amœnitatem omnes ferè scriptores variis laudibus extulerunt.

CAP.

[1] Lib. 2. de Leg. [2] Lib. 8. [3] Lib. 4. Sylv. [4] Lib. 2. [5] Lib. 18.

[6] Lib. 2. c. 5. [7] Lib. de situ Orbis. [8] Cap. 2. p. 10. lit. F. Edit. Traj. ad Rh. 1689. fol. [9] Lib. 1. c. 16. v. 3.

CAP. II.

Campaniæ Divisio, Fines, Oppida.

[Cam]pania [in] Opicis. [Cam]pano[rum] po[puli].

CAMPANIAM in *Opicis Dionysius* collocat, qui secunda ejus regionis pars erant. Sic enim distribuerant veteres ut unam partem *Ausones*, *Aurunci*, *Sidicini*, & *Capuani* incolerent; aliam *Cumani*, & *Opici*; tertiam *Nucerini*. In prima regione clarissima numerantur Oppida, *Sinuessa*, & *Vulturnum* quæ maritimam oram illustrabant; habuitque in mediterraneis præter montes *Gaurum*, *Massicum*, *Falernum* agrumque *Campi Stellatis*, *Suessam Auruncam*, *Cales*, *Casinum*, *Theanum Sidicinum*, *Venafrum*, *Calatiam*, *Calliculam*, *Trebulam*, *Casilinum*, *Silvam Gallinariam*, caputque regionis *Capuam*. Præter *Combulieriam*, & *Acticulam* quæ prope *Capuam* ad *Pœnum* defecerunt. Secunda, *Linternum* oppidum cum flumine ad mare habuit, *Cumas*, *Misenum*, *Bajas*, *Sinum Lucrinum*, *Avernum*, *Puteolos*, *Neapolim*, *Heracleam*, & ea omnia, quæ nobilissimo illo sinu, qui *Crater* dicitur, continentur; intus verò, *Atellam*, *Suessulam*, *Acerras*, *Vesuvium* montem, *Nolam*, *Pompejos*. In tertia, littorales urbes vigebant, *Stabiæ*, *Surrentum*, *Minervæ promontorium*; & mediterraneæ, *Salernum* & *Nuceria*. Apud *Strabonem* [1] maritima *Campaniæ* ora, quæ ad meridiem vergit, in duos Sinus divisa est; ἔστι δὲ ἀπὸ τῆς Σινυέσσης ἐπὶ μὲν τὴν ἑξῆς παραλίαν κόλπος εὐμεγέθης μέχρι Μισηνοῦ. κἀκεῖθεν ἄλλος κόλπος πολὺ μείζων τοῦ προτέρου. καλοῦσι δ' αὐτὸν Κρατῆρα, ἀπὸ τοῦ Μισηνοῦ, μέχρι τοῦ Ἀθηναίου δυοῖν ἀκρωτηρίων. *A Sinuessa versus reliquam maris oram, sinus est usque ad Misenum justæ magnitudinis. Indè alius priore multo major, Craterem nominant, à Miseno usque ad Minervæ promontoriis duobus, in sinus morem inclusus.* Totam deinde planitiem, quam πεδίον εὐδαιμονέστατον τῶν ἁπάντων dicit, *Samnitum*, *Oscorumque* montibus scribit interclusam. *Tyrrhenos* ibi præterea plurimùm viguisse, qui duodecim Civitates incoluerint *Capuam*, *Cumas*, *Puteolos*, *Herculanium*, *Pompejos*, *Atellam*, *Calatiam*, *Casertam*, *Casilinum*, *Vulturnum*, *Sidicinum*. Tribus constare sinubus scrîbit *Volaterranus*, ad *Sinvessam*, ad *Misenum*, ad *Neapolim*. Polybius [2], sic describit, Τὴν μὲν παραλίαν αὐτῶν Σενουεσανοὶ καὶ Κυμαῖοι καὶ Δικαιαρχῖται νέμονται, πρὸς δὲ τούτοις Νεαπολῖται, τελευταῖον δὲ τὸ τῶν Νουκερίνων ἔθνος. *Siquidem oram maritimam incolunt Suessani, Cumani, Dicæarchitæ, Neapolitani, & ad extremum Nucerini.* Addidit in mediterraneis a Septentrione *Calatinos*, & *Calenos*; ab Oriente & Meridie *Daunos* & *Nolanos*; in mediis autem campis omnium olim felicissimam civitatem *Capuam*; & dum rerum copiam, regionis fertilitatem, & amœnitatem laudat, non tantùm Poëtas asserit, sed etiam Deos de iis locis esse loquutos. L. Florus [3] dum nihil mollius illo cœlo dicit, nihil uberius solo, nihilque hospitalius mari, subdidit, *Cajetæ* portum, *Misenum*, & tepentes fontibus *Bajas*, tum *Lucrinum* & *Avernum*, maris otia. *Gaurum* præterea, *Falernum*, *Massicum*, pulcherrimum omnium *Vesuvium Ætnæi* ignis imitatorem; urbesque ad mare, *Formias*, *Cumas*, *Puteolos*, *Neapolim*, *Herculaneum*, *Pompejos*, caputque *Capuam*, inter tres quondam maximas, addita *Roma* & *Carthagine*, numeratam. *Setinos*, *Cæcubosque* agros, *Falernos*, *Calenos*, *Massicos*, *Gauranos*, *Surrentinosque* montes intercludit Plinius [4], *Leborinos* Campos, idque voluptatis certamen tenuisse scribit *Oscos*, *Græcos*, *Umbros*, *Tuscos*, *Campanos*: *Savum* fluvium, *Vulturnum* oppidum cum amne, *Linternum*, *Cumas*, *Misenum*, portus *Bajarum*, *Baulos*, *Puteolos*, *Phlegræos* campos, *Neapolim*, agrum *Nucerinum*, *Surrentum* cum *promontorio Minervæ*; Colonias, *Capuam*, *Aquinum*, *Suessam*, *Venafrum*, *Soram*, *Theanum Sidicinum*, *Nolam*; Oppida, *Abellinum*, *Ariciam*, *Albamlongam*, *Acerranos*, *Allifanos*, *Atinates*, *Alatrinates*, *Anagninos*, *Atellanos*, *Asulanos*, *Arpinates*, *Auximates*, *Avellanos*, *Alfaternos*, tùm *Stabias* a *Sylla* deletas, *Tauraniam*, quæ in agro quoque *Campano* intercidit, & morientis *Casilini* reliquias.

Maritima ora Campaniæ.

Samnites, Osci. Tyrrheni. Duodecim civitates Campaniæ.

Opici, Ausones.

Felicissimi habiti sunt habitatores, *Opici*, *Ausones*, *Osci*, *Samnites*, *Tyrrheni*, *Græci*. *Opici*, *Ausones* quoque appellati a *Strabone*. *Polybius* verò duas gentes eos habet, & *Craterem* incoluisse affirmat, licet eam habitationem *Oscis* alii tribuant. Sed idem *Strabo* [5] ait in mediterraneis *Pometium* fuisse *Campum*; & huic finitimam regionem prius *Ausones* habitasse, qui iidem *Campaniam* quoque tenuerunt; post hos verò *Oscos* qui *Campaniæ* quoque partem incoluerunt, & ejus ætate *Latinorum* omnia esse usque ad *Sinuessam*. Et [6] *Oscos* & *Sidicinos* eosdem facere videtur. Sed *Opicos* sic dictos scribit *Stephanus* ὀπ ὀφικοὶ, a serpentibus, & eorum sermonem fuisse confusum. At *Opicus* pro rustico, & rudi apud *Agellium* ponitur [7]. *Oscis*, verborum obscœnitatem tribuunt. *Ausones* supra *Circejos*, *Oscis* finitimos collocarunt, ab *Ausone Ulyssis* & *Calypsus* filio, qui *Auruncam* ibi urbem condidit apud *Festum*. Ea loca tenuisse scribunt, in quibus postea *Cales* & *Beneventum* urbes conditæ; tantumque ejus nomen valuit, ut universam *Italiam Ausoniam* appellaverint, licet a *Lacinio promontorio* ad *Salentinos* fuerint propagati. *Tyrrhenos* gentem *Pelasgicam* fuisse scribit *Halicarnasseus* ex iis qui *Lemnum* & *Athenas* olim incoluerunt, quamobrem unico nomine *Tyrrhenos Pelasgos Sophocles* appellat in sua fabula *Inacho*; & *Tyrrheniæ* nomen *Italiæ* parti quæ Occidentem spectat fuisse inditum, ceteris omnibus aliarum nationum nominibus ob *Græcorum* habitationem. Quamvis *Tyrrhenum* Coloniæ Ducem alii dixerint, genere *Lydum*; alii, *Herculis* filium, qui *Pelasgos* ex regione trans *Tiberim* ejecit. Addidit, *Latinos*, *Umbros*, *Ausones* fuisse a *Græcis* appellatos *Tyrrhenos*, & ipsam *Romam*, *Tyrrhenicam* urbem, eosdemque *Etruscos*, & Tuscos a *Romanis* dictos; eaque attuli ut *Campanorum* nobilitatem ex tot antiquissimorum indigenûm memoria cognoscamus. Tantumque *Campaniæ* nomen inclaruit, ut aliæ quoque vicinæ regiones illud nomen usurpaverint, cum in Actis Synod. *Romani* Concilii sub *Agathone Placentius* Episcopus *Veliternus* provinciæ *Campaniæ* subscribat, quæ civitas in *Volscis* est.

Pometius Campus.

Sidicini.

Opici, unde dicti.

Ausones, unde.

Cales, Beneventum.

Lacinium promontorium.

Pelasgi

Campaniæ, & Neapolis habitatores.

Roma, urbs Tyrrhenica.

Inter duo felix hæc regio flumina *Lirim* & *Sarnum* posita est. Ad *Silarim* patebat apud antiquos, quapropter & *Picentini* in ea provincia numerabantur, estque in *Picentinis* urbs *Campania* quæ fortasse a *Campanis*, vel ex eorum reliquiis condita est. *Campanorum* semper ibi cives domi forisque retinuere virtutem, & ambitiosiùs inter ejus provinciæ cives enituerunt. Ex ea me oriundum maximæ mihi gloriæ tribuo.

Campaniæ fines.

Campania in Picentinis.

Liris, ab Oriente Sole ex *Apennino* per *Vestinos* præter *Fregellas* urbem *Strabonis* ætate nobilem in Lucum sacrum prorumpens infra *Minturnas* tacito cursu, viatoribus sæpenumero insidiosus, magnorum Ducum virtutis spectator & arbiter, dilabitur, *Campanos Latinosque* disterminans. Hunc fluvium simul cum *Vulturno*, *Cumanis* ab *Cristodemo* tyrannide occupatis, naturali cursu prætermisso, retorsisse aquas, & ab ostiis ad suos fontes recurrisse, scribit *Halicarnasseus* [8]. Id quod cùm augurii loco *Cumani* accepissent, cum *Umbris Dauniisque* qui eorum agrum vastabant, alacriùs congredi deliberarunt. Neque tamen *Liris*, *Liter-*

Liris, unde erumpat.

Liris, Liternus non est.

A 2

[1] Rer. Geograph. lib. v. pag. 371. Edit. Amst. 1707. [2] Lib. 3. [3] Lib. 1. c. 16. v. 4. [4] Lib. 3. c. 5.

[5] Lib. 4. [6] Lib. 5. [7] Lib. 11. [8] Lib. 7. Antiq. Rom.



NEAPOLIS.
1. Arx S. Elmi.
2. Castellum Nouum.
3. Castellum Oui.
4. Turris S. Vincentii.
5. Naualia.
6. Palatium Proregis.
7. Horti Palatini.
8. Mons Pizzafalconis.
9. Portus.
10. Basilica Cathedralis.
11. S. Mariæ Annuntiatæ.
12. S. Petri ad Aram.
13. Forum.
14. Carmelitæ.
15. Mons. Oliueti.
16. S. Claræ.
17. S. Seuerinus.
18. S. Mariæ Nouæ.
19. S. Paulo.
20. S. Martini.
21. S. Petri Martyris
22. Curia seu Vicaria.
23. Palat. Ducis Grauinæ.
24. Porta Fori.
25. Porta Nolana.
26. Porta Capuana.
27. P. S. Ianuarii.
28. P. S. Mar. Constant.
29. P. Regalis.
30. Porta Romana.
31. Camaldulenses.
32. S. Leonardus.
33. S. Maria Carm.
34. Pons S. Magdalenæ.

ternus eſt, aut *Linternus*, quod credidit *Appianus Alexandrinus* qui [1] ait; ὅσηπε ἄλλη ἀπὸ Λίεϱιος ποταμοῦ, ὁ νῦν μοὶ δοκοῦσι Λίτεϱνον ἡγεῖσθαι; *Quicquid populorum à Liri, qui nunc, ut puto, Liternus eſt*; & alii credidere *Appiani* verbis decepti. *Liternus* enim ad *Sinueſſam* fluit, & *Colonias* inter *Vulturnum* eiusque oſtia *Livius* collocat. Ad *Lirim* in mar-

A

nem XXX. millia paſſuum; in latitudinem variis in locis patet ad XXX. Ad C. millia ambiunt, & LX. Intes eas urbes nova videbis oppida, & pagos ad CXLVI. Quamobrem oppida, vici, civitates, CXCI. numerantur. Ideoque habitatoribus frequentiſſima, cœlo ſaluberrima, fertiliſſima ſolo, nobiliſſ[...] quod ad

Correctores & Proconsules. In quibus notæ illæ V. C. *Virum Clarissimum* significant, quem titulum minoribus Senatoribus datum scribit *Notitia utriusque Imperii*. Addito, *Inlustri*, Correctores, & Proconsules in provinciis appellabantur. Eam civium permixtionem indè cognitam scribit idem *Strabo* [1], quòd Magistratus quibus *Græca* nomina principio erant, *Campanorum* nomina sunt adepti; Τὰ δ' ὕστερον τοῖς Ἑλληνικοῖς ἀναμὶξ τὰ Καμπανικά. *Posterioribus temporibus Græcis permixta Campanica*; quodque plurima *Græcorum* instituta supererant, ut Curiæ, Phratriæ, & *Græca* nomina *Romanis* imposita, ut Gymnasia & Epheborum cœtus. *Cumanorum* civium partem eam urbem ædificasse scribit *Vellejus Paterculus* [2] magno intervallo post conditas *Cumas*. Sed quæ *Parthenope* sua colonia inchoaverat, eos absoluisse alii sibi persuaserunt. Lingua tamen & moribus *Græcos Neapolitanos* fuisse sic in Imaginibus declarat *Philostratus* [3]; ἡ γὰρ πόλις ἐν Ἰταλίᾳ (de *Neapoli* loquitur) ᾤκισται γένος Ἕλληνες, καὶ ἀστυκοί, ὅθεν καὶ τὰς σπουδὰς τῶν λόγων Ἑλληνικοί εἰσι. *Civitas autem in Italia condita, Græci genere atque urbani; unde & orationis studio Græcanici sunt.*

In Campania Græcorum instituta.

Diomedes. Sunt qui asserant (si Diis placet) ab *Ænea* & *Diomede* ædificatam. Quasi verò *Græcis Trojani* gloriam eripere conentur. Nec in memoriam revocarunt quod Ovidius [4] de *Ænea* in *Italiam* veniente dixerat:

Æneas.

Has ubi præteriit, & Parthenopeia dextrâ
Mœnia deseruit.

Porrò jam antea conditam liquet, licet in eo itinere *Palinuro*, *Myseno*, *Prochytæ* nomen dedisse scribat Halicarnasseus [5].

Phalaris. Aliqui a *Phalero* (*Phalarim* dicunt) *Siciliæ* Tyranno, inter quos *Lycophron* [6], ejusque Interpres *Isaacius Tzetzes* in *Alexandra*, ubi apertissimè de nostra *Neapoli* loquitur, non de *Sicula*, quod plerique existimarunt, cum eam *Glani Campaniæ* fluvio conjungat:

> Τὴν μὲν Φαλήρου τύρσις ἐκβεβρασμένην
> Γλάνις τε ῥείθροις δέξεται τέγγων χθόνας.
>
> *Unam quidem Phaleri Arx expulsam*
> *Glanisque terram humectans excipiet.*

Vaticinatur de Sirenibus, quarum unam in *Campaniam* venturam dicit. Hanc idem Arcem, & *Neapolitanum* populum nominat in Ludo *Lampadodronico*, & *Miseno* proximam facit, eaque facilè *Lycophron* didicerat, qui *Chalcide Euboeæ* ortus, *Chalcidensium* res gestas sciebat. De *Sicula* tamen *Neapoli*, aliqua *Cicero* scribit [7]. Et *Neapolis Panhormi* aliqua pars dicebatur apud *Polybium* [8], quæ a veteri urbe ad meridiem vergebat; & *Nortmannorum* ætate ibi regiones fuerunt *Hemonia*, *Albegaria*, *Deitin* & *Thalcia*, *Sarracenorum* voces. Ad *Tyrrhenorum* mores fortasse *Lycophron* respexit, qui turribus civitates more *Græco* muniebant; hinc quòd τύρσις, turris est, *Tyrrhenos* dictos asserit *Dionysius*.

Neapolis Sicula.

Hercules. Nec desunt qui ab *Hercule* ædificatam affirment, & *Herculis campum* arbitrentur appellari ab *Oppiano* in *Cynegeticis*. Qui tamen non de *Neapoli*, sed de *Assyriis* loquitur [9] ubi spicas, & boum labores celebrat, sic enim loquitur;

> -------- νέον πέδον Ἡρακλῆος·
> Πάντη δ' εἰσέτι νῦν στάχυι κομόωσιν ἄρουραι,
> Πάντη δ' ἔργα βοῶν θαλερὰς βεβρίθασιν ἀλωὰς
> Μεμνόνιον περὶ νηὸν ὅθ' Ἀσσύριοι ναετῆρες
> Μέμνονα δακρύουσι. ----, -----
>
> ——— *novum campum Herculis,*
> *Ubique verò etiam nunc spicis ornata sunt arua,*
> *Et passim labores boum florentes onerant areas*
> *Memnonium circa Fanum, qua Assyrii incolæ*
> *Memnonem deflent.* ———

[1] Lib. 5. [2] Lib. 1. [3] Exord. Imag. pag. 763. [4] Met. Lib. 14. f.b. 4. [5] Lib. 1. [6] v. 717. 718. [7] Verrina VI. [8] Lib. 2. [9] Lib. 2.

A Quod etiam Angerianum Neapolitanum Poëtam fefellit, qui ait de *Parthenope:*

> *Diceris extructa à dulci Sirene; Phaleri*
> *Diceris, & felix imperitantis honor.*
> *Diceris & Veneris gratissimus hortus, & acris*
> *Alcidis Campus diceris esse novus.*
> *Diceris & flavæ Cereris mitissima tellus,*
> *Diceris intonsi Vinea pulcra Dei.*
> *Non mirum; ipsa urbes superas dulcedine cunctas,*
> *Imperio, forma, robore, fruge, mero.*

Alii a *Cumanis Parthenopem* conditam dicunt, & *Neapolim* prope eam a *Nauplio Eubœæ* Rege xx. annos antè quàm obiisset. *Naupliam* tamen in *Peloponneso*, *Neapolim*, mutato nomine, dictam reperio. Nauplius.

B

Strabo [10] aliquorum affert opinionem quibus placuit *Rhodios* in *Hispaniam* navigasse servandorum hominum causa, & *Rhodum* condidisse postea a *Massiliensibus* occupatam, & in *Opicis Parthenopem*, in *Dauniis*, *Coum* auxilio, *Helpiam*; eosdemque Gymnasia instituisse, *Oscos* ibidem habitasse, deinde *Cumanos*, & *Chalcidenses* eò se contulisse. Id quod xxv. *Davidici* anno Regni accidisse plerique affirmant. Rhodii.

Livius [11] originem Cumanis tribuit, *Palæpolis haud procul indè: ubi nunc Neapolis sita est. duabus urbibus populus idem habitabat, Cumis erant oriundi.* Idcirco à *Strabone* dicitur in *Parthenopem* immigrâsse *Chalcidenses*, *Pithecusæos*, & *Athenienses*, quoniam *Chalcidenses Euripi* accolæ quibus cum etiam *Andrios* conjungo (adjuvat me in ea re *Plutarchus* in Quæstionibus *Græcis*) & *Eubœi* Colonias deducere didicerant, quippe *Eubœam* Coloniam deduxerat *Cecrops* minor *Erecthei* filius, *Pandionis* nepos, cujus in *Atticis* meminit *Pausanias*. Atqui *Chalcidenses*, ductoribus *Areto* & *Ghimeno Messenio*, ab *Eubœis* profligatis, ut *Græcorum* iram subterfugerent, alias sedes quærere coacti, in *Italiam* profecti sunt, *Regiumque* appulerunt. Et *Polydoro Alcmeni* Regis filio regnante, *Lacedæmonii* in *Italia* Colonias duas deduxerunt *Crotonem*, & *Locros* ad *Zephyrium promontorium*, ut idem auctor scribit in *Laconicis*. Priscos profectò demigrantium mores *Græci* receperunt, quos aut hostilis injuria, aut agrorum inopia cœlique intemperies, aut Imperii propagandi libido ex propriis sedibus ad novas comparandas arcebant. Quod si civitas aliqua civium multitudine adeo crevisset, ut domestica alimenta omnibus satis esse non potuissent (ut scribit *Halicarnasseus* [12]) Deo cuipiam annuam hominum progeniem consecrantes, & e suis finibus armis instructam expellentes, Coloniam quò melius fortuna tulisset sibi deducendam compellebant. Sed *Campaniæ* regionis felicitas ex *Peloponneso Græcos* (quam tamen Insulam, magnam & beatam, *Cypro* non inferiorem appellat *Herodotus*) in Insulas *Ænariam*, *Prochytam*, & in *Siciliam* (ut ait Thucydides) evocavit, eùm postea ad ditionem propagandam in continentem se contulerint. Additque *Pausanias* in *Laconicis*, *Chilonem Atheniensem* Heroëm unum ex iîs fuisse qui cum *Dorieo Anaxandridæ* filio in *Siciliensem* Coloniam, accepto e *Dodona* responso, classem trajecerunt. Et deducendæ Coloniæ eam causam scribit, quòd *Erycinum* agrum ad *Herculis* posteros, non ad eos a quibus tenebatur barbaros pertinere putabant. Et in *Eliacis* ait *Lybies* & *Pœnos* una & eadem classe deduxisse *Carthaginenses*, atque hos e barbaris gentibus *Siciliæ* inquilinos. Nam & *Athenienses* in Coloniam deducti, ejusque duces *Damascus* & *Naoclus Codri* filii. Id factum a *Pelasgis* scribit *Halicarnasseus*, qui ab *Originibus* recepti contra *Siculos* bellum gessere. Hi

C · D · E · F

Cumani. Andrii. Coloniæ Græcorum. Chalcidensium Duces. Croto, Locri. Sacrificia in Coloniis. Ex Peloponneso Græci in Campaniam. Colonia in Sicilia. Pelasgi.

[10] Lib. 14. [11] Decad. 1. Lib. 8. [12] Lib. 1.

ex *Peloponneso* oriundi facilè cum *Eubœis* convenire potuerunt, tum præcipuè cùm paulo post asserat eosdem quandam camporum qui *Campani* vocantur, aspectuum amœnissimorum, & pascuis aptissimorum partem non minimam, *Auruncis* gente barbara indè pulsis tenuisse, condita ibi *Larissa* urbe a sua metropoli *Peloponnesiaca* nomine recepto. Et addit ex *Thucydide* fuisse ibi nonnullos *Chalcidenses*, maximam tamen partem fuisse gentem *Pelasgicam* ex iis *Tyrrhenis* qui *Lemnum* & *Athenas* incoluerunt; Et veluti ex ritibus *Siculorum* quos a *Græcis* acceperunt, arguit in ea Insula habitasse *Pelasgos*, sic nobis tum ex ea gentium mixtione *Pelasgos Neapoli* habitasse arguere licet, qui etiam *Pompejos* tenuere; tum ex sacrorum mysteriis. Si enim *Pelasgos* in *Sicilia* sacræ mulieres patefaciunt, quæ templi curam gerebant, & puella quæ *Canistrifera* vocabatur, casta, & nuptiarum expers, & quæ sacra auspicari solebat; *Neapoli* quoque eos patefaciunt, ubi præter sacrarum mulierum ritus, quos suo loco describemus, puellæ *Canistriferæ* simulacrum extat in basi marmorea in turri sacra D. *Gregorii*.

Tyrrheni. — Pompeii Pelasgorum. — Puella Canistrifera. — *Vid. Tab. I. Fig. 1.*

Eas Virgines ex sacrorum institutis in suam Rempublicam introduxisse *Romulum*, scribit idem *Halicarnasseus*. Quæcunque enim illæ quæ κανηφόροι, hoc est *Canistriferæ* appellantur, in *Græcis* sacris faciunt, hæc ipsa apud *Romanos* peragebant Virgines *Vestales*. Describitque eas capitibus corollis ornatis, veluti *Dianæ Ephesiæ* simulacra ornabantur. Quod verò ad *Chalcidenses* attinet, Plinius ait [1]; *Littore autem Neapolis Chalcidensium ex ipsa Parthenope à Sirenis tumulo appellata.* Et *Vellejus Paterculus*, *Chalcidenses* ait, *Atticis* ortos, *Hippocle* & *Megasthene* Ducibus, *Cumas* in *Italia* condidisse. Licet *Hippoclem Cumanum* dicat *Pontanus*, & *Chalcidensem Megasthenem*. Nonnulli *Pherecydem* dixerunt eorum Ducem, idque innuisse Silium Italicum in *Annibalis* itinerario [2]:

Vestales. — Pherecydes.

> ——— *regressus ad altos*
> *Indè Pherecyadum muros* ———

Quibus verbis *Neapolim* describit. Ait præterea *Paterculus* illorum classis cursum, vel Columbæ antecedentis volatu, quod Statius explicavit [3]:

Columbæ volatus.

> —— *cui mite solum trans æquora vectæ*
> *Ipse Dioneæ monstravit Apollo Columbæ.*

Et [4].

> *Tu ductor populi longè emigrantis Apollo,*
> *Cujus adhuc volucrem læva cervice sedentem*
> *Respiciens* ———

Vel nocturno aëris sono, qualis *Cerealibus* cieri solet, fuisse institutum (sacra enim *Cereris* noctu, & cum clangore fiebant.

Cereris sacra.

Ad *Cumanos* tamen ejus originem communis opinio detulit. Ideoque *Cumæa Neapolis* dicitur a Politiano,

Cumani.

> *Hunc Phœbe claros, Cumæa Neapolis illum*
> *Protulit* ———

Et *Cumanorum*, & *Neapolitanorum* fidem, atque nobilitatem conjungit Paterculus, qui ait; *Utriusque urbis eximia semper in Romanos fides, facit eas nobilitate atque amœnitate sua dignissimas. Vires veteres earum urbium hodieque magnitudo ostentat mœnium.* Sed qui a *Cumanis* ædificatam volunt, ab iisdem eversam asserunt, ne nimium efflorescere aut augeri propter agri ubertatem videretur, atque hujusmodi *Cumana* civitas obsolesceret. Quamobrem *Cumanos* immani peste vexatos, & Oraculo monitos ut urbem restituerent, & *Sirenæ* sepulcro annua sacrificia factitarent. sic restitutam civitatem, *Neapolim* fuisse dictam. At Solinus [5] *Neapolim* dictam ab *Augusto* scribit; *Parthenope a Parthenopes Sirenis sepulcro, quam Augustus Neapolim esse maluit.* Neque illud auctor ille dixerat, quòd ignoraret *Neapolis* nomen (quod *Volaterranus* falsò dictum objicit) multas antè ætates celebre fuisse, quàm ea qua *Augustus* vixerat; sed quòd *Augustus* qui lateritiam eam Urbem inveniens marmoream reddidit, suo labore factum existimaret, ut nova civitas ædificiorum concinnitate appareret, ideoque non *Parthenopem*, quod nomen abolendum decreverat, sed semper *Neapolim* esse appellandam.

Neapolitanorum & Cumanorum fides. — Cumanorum pestis. — Augustus Neapolim appellari voluit Parthenopen.

Quisquis tamen eam ædificaverit, antiquissimam esse constat, & ante *Romana* tempora 260 annos, post eversam *Trojam* 170. celebrem inter præcipuas *Græcas Italiæ* urbes floruisse. Aliis alios sequutis auctores placet conditam anno 2804. post diluvium; & post eversam *Trojam* 20. *ante* CHRISTUM natum 1160. Aliis autem anno salutis 1176. ab Vrbe condita 2818. Alii eundem annum *Neapoli*, & *Brundusio* tribuunt 4035. Quæ tempora ob vetustatem absque suspicione nequeunt conciliari.

CAP. IV.

De Neapolitanæ Vrbis Deliciis.

GRÆCOS locorum amœnitate ductos Colonias deduxisse, loca in quibus urbes tota maritima *Italiæ* ora ædificarunt optimè declarant. Easdem itidem urbes deliciis fuisse affluentes, quòd a *Græcis* incolerentur, quibus nihil antiquiùs unquam fuit, quàm voluptatibus operam dare, innuit *Strabo* qui ea de causa deliciis Neapolim abundasse scribit, & *Romanos* aut multis laboribus functos, aut imbecillitatis & senectutis molestiis laborantes, tranquillioris vitæ desiderio flagrantes, *Neapolim* divertere consuevisse, τῆς ἡσυχίας χάριν, *Tranquillitatis gratia*, ut ipse loquitur. Quamobrem fortasse *Juvenem* eam civitatem appellat Papinius [6]:

Romani Neapolim adjere ob voluptatem.

> *Tu ne igitur largitor opum, qui mente profusa*
> *Tecta Dicarchæi pariter, juvenemque replêsti*
> *Parthenopen* ———

Et ridentem, & benignam [7]:

> ——— *ridetque benigna*
> *Parthenope gentile sacrum* ———

Idemque uxorem revocans omnes *Neapolitanas* delicias explicavit [8]:

> *Has ego te sedes (nam nec mihi barbara Thrace*
> *Nec Lybie natale solum) transferre laboro;*
> *Quas & mollis hyems, & frigida temperat æstas,*
> *Quas imbelle fretum torpentibus alluit undis.*
> *Pax secura locis, & desidis otia vitæ,*
> *Et nunquam turbata quies, somnique peracti.*
> *Nulla foro rabies, aut stricta jurgia legis,*
> *Morum jura viris* ———

Quæ a Virgilio [9] paucioribus sunt expressa:

> *Illo Virgilium me tempore dulcis alebat*
> *Parthenope, studiis florentem, ignobilis oti.*

Et, ——— *in otia natam*
> *Parthenopen* ———

dicit Ovidius [10]. Ad summum enim otium *Græcos* omnes natos, ait *Cicero* in *Verrem* [11]. Hinc insidiosa dicitur ab Ovidio,

> *Parthenope blandis insidiosa dolis.*

Atque illud otium, easque insidias, *Neroni* Tacitus [12] exprobrat, *Non tantum Romæ incipere scenas ausum, Neapolim quasi Græcam urbem delegisse.* Et *Dio Cassius* his deliciis allectum *Neapoli* privatam vitam degisse scribit, cùm & ipse, & ejus familia *Græca* victus ratione uterentur, ipseque versaretur in ludis. quasi vero *Romanam* gravitatem

[1] Lib. 3. c. 5. [2] De Bell. Punic. sec. lib. 12. [3] Lib. 3. Sylvar. ad Claudiam Vxor. [4] Lib. 4. ad Julium Menecratem c. 8. v. 47. seq. [5] Lib. 2.

[6] Lib. Sylv. 3. c. 1. v. 91. seq. [7] Sylv. Lib. 3. c. 1. v. 152. seq. [8] Sylv. 3. c. 5. v. 81. [9] Georgic. IV. v. 563. [10] Met. Lib. 15. Fab. 50. v. 716. [11] Verr. 3. [12] Annal. lib. 16.


Fig. 1.
2
3
4
5
6
7
+GRIMO+ALD
M S CAR R
S R
VSC
8
9

Fabulosa Neapolis.

tem vitaret. A *Scipione* Consule, Theatrum *Romæ* demolitum asserit *Appianus*, quoniam existimaret non esse e Republica populum *Græcanicis* voluptatibus assuescere. Tantaque voluptatum cohors effecit, ut *Fabulosa* diceretur *Neapolis*, quod a rebus gravibus vacaret, & fabulis indulgeret, atque ad veneficia rueret. Quod notat Horatius de *Canidia* loquens, & de *Folia Ariminensi* [1]:

Non defuisse masculæ libidinis
Ariminensem Foliam;
Et otiosa credidit Neapolis,
Et omne vicinum oppidum.

Et, Vicinum oppidum, *Puteolos* interpretantur. Locos omnes adjacentes ipse interpretor, eadem superstitione imbutos. Ad quam superstitionem explicandam, *Secretam* eam Urbem appellavit Statius ad *Menecratem* [2]:

Secreta Neapolis.

—— & pecudum fibris spirantibus imple
Parthenope —— ——
Nec solum festas secreta Neapolis aras
Ambiat. —— ——

omni sacrificiorum genere delectatam.

Cicero pro C. *Rabirio*, civium Romanorum oblectamentum Neapolim facit; *Deliciarum causa, & voluptatis, non modo cives Romanorum, sed & nobiles adolescentes, & quosdam etiam Senatores summo loco natos, non in hortis aut suburbiis suis, sed Neapoli, in celeberrimo oppido cum mitrella* (*mitella*, alia habent exemplaria) *sæpe vidimus Chlamydatum illum L. Syllam Imperatorem.* En tibi pacis otia. Quamvis enim chlamys militiæ quoque sit vestimentum, ideoque idem *Cicero* in *Capitolio Scipionis* statuam positam commemorat cum chlamyde & crepidis, ut militiæ pacisque tempus ostenderet (Crepidæ enim pacem significabant) in pace tamen ea vestis fuit vulgaribus usurpata, & *Ulpianus* inter puerilia vestimenta recenset. Mitrellam ad idem otium refero, quam gestasse viris molle censebatur. Ideoque *Juno Bacchi* molliciem *Jovi* exprobrans ait apud Lucianum, Μίτρᾳ ἀναδεδεμένῳ τὴν κόμην. Et Virgilius [3],

Chlamys, Mitrella, Crepidæ.

——— habent redimicula Mitræ.

Censent aliqui, Mitram capitis esse tegumentum illi simile, quo intra nostras ædes utimur. Et Oratione pro *Sylla*, cùm eum defenderet, & conaretur efficere ut intelligerent Judices, nullo pacto scelus ab ipso fuisse perpetratum, illud præcipuè in medium protulit, *Syllam* esse *Neapoli*, loco non tam ad inflammandos calamitosorum animos, quàm ad consolandos accommodato. Ibidemque cùm agrum *Picenum* & *Gallum* furoris diceret administratorem, subdidit: *Fuit enim Neapoli, ut antea dixi, fuit in ea parte Italiæ quæ maximè ea suspicione caruit.* Tot præterea *Romanos* illustres viros ibi commoratos narrat [4]; *Ego autem perspexi cùm a me* XVII. *Kal. de Puteolano Neapolim Pansæ conveniendi causa proficisceretur Hirtius.* Et, *qui Brutum Neapoli reliquisset.* Et, *Philippus Neapoli est, Lentulus Puteolis.* Et [5]. *Quod idem L. Cæsari videbatur, quem pridie Neapoli affectum graviter videram*; ut *Romanorum* ferè domicilium eam urbem fuisse sciamus. Nec immeritò *Cassiodorus* [6] de *Neapolitana Comitiva* loquens ait; Urbem eam esse ornatam multitudine civium, abundantem marinis terrenisque deliciis, ut dulcissimam vitam Comes ibidem se invenisse dijudicaret, si nullis amaritudinibus misceretur. Et meritò, εὐδαίμονα πόλιν Dionysius Afer dixit; & D. Paulinus [7], *pulcram*,

——— quos mœnibus amplis
Dives habet Capua, & quos pulcra Neapolis,
aut quos
Gaurus alit ———

quo etiam nomine Papinius appellavit in Epithalamio *Stellæ* [8],

——— & pulcrâ tumeat Sebetos alumnâ.

Quòd autem dicit Strabo [9]; Ἐπιτείνουσι δὲ τὴν ἐν Νεαπόλει διαγωγὴν τὴν Ἑλληνικὴν οἱ ἐκ τῆς Ῥώμης ἀναχωροῦντες. *Vitæ autem Græcanicam rationem Neapoli agunt ii qui eò Roma secedunt*, ædificiorum, thermarum passim per littora numerus demonstrat; licet auctiorem hac ætate diceret, qua ex toto ferè orbe varia hominum genera eò se conferunt, atque ea important quæ ad effeminandos animos maximè pertinent. Adstipulatur Silius Italicus [10],

Nam molles ubi ritus, atque hospita Musis
Otia, & exemptum curis gravioribus ævum,
Sirenum dedit una suum & memorabile nomen
Parthenope, muris Achelojas æquore cujus
Regnavere diu cantus, cùm dulce per undas
Exitium miseris caneret non prospera nautis.

Qui & mitem eam dixit, *——— mitis*

Parthenope non dives opum, non spreta vigoris.

Hoc tempore ditissimam, & potentem diceret, veluti rebus forensibus adeo implicatam (omnis enim foro frequentia, contra ea quæ *Papinius* dixerat) ut nullus otio locus relictus videatur, atque ita antiquæ *Neapolis* sæculo invideamus, in quo civium quies, & antiquæ in omnibus fidei negotiis, in sermonibus, testimonia. In quo nullæ iræ, aut turbæ, quippe virtutibus tantum dediti habitatores, a contentionibus, ab alienarum rerum desiderio longissimè aberant.

Neapolis antiqua securitas

Accessit ad *Neapolitanas* delitias, Unguentorum usus. Et cùm laudatissimum fuisse *Irinum Corinthi*, & *Cyzici*, postea *Rhodinum Phaseli*, omnem gloriam abstulisse *Neapolim*, *Capuam*, *Præneste* scribit *Plinius* [11]; Athenæus, etiam ob unguenta *Neapolim* celebrat, & Rosaceum nobilissimum appellat, Ῥόδινον δὲ κράτιστον ἐν Φασηλίδι, καὶ τὸ ἐκ νέας δὲ πόλεως, καὶ Καπύης; *Rosaceum verò nobilissimum ex Phaselide, Capua, & Neapoli.* Et peculiaria fuisse Neapolitanis unguenta, *Pythagorica* disciplina ostendit, quem splendida veste amiciri, balneisque & assueta tonsura corpus curare consuevisse, idem Athenæus [12] scribit. Nollem hoc loco effeminatos Neapolitanis mores exprobrare, quos a *Cumanis* receperant ab *Aristodemo* Tyranno corruptis, qui comam cincinnis reticulisque religatam, unguenta olentem ferre juvenes *Cumanos* coëgerat. Si verò hoc tempore corruptos dicerem? Nonne virilitatis splendore neglecto, comam in fronte plerique gerunt, ut hirti capilli, & incompositi (qui honestum hominem non decent) cornua videantur, a qua Græci ipsi non abhorrebant, sic enim Diomedes *Alexandrum* alloquitur apud Homerum [13],

Vnguenta Neapolitana.

Comam alere, inhonestum.

Τοξότα λωβητὴρ, κέρᾳ ἀγλαὲ ----

Sagittarie damnose, cornua splendide

cui tamen apponebantur a tergo comati [14]

---- θοοὶ, ὄπιθεν κομόωντες ----

— veloces a tergo comati —

ut moris est *Gallorum.* Aliquorum fuit opinio Neapolitanos in ea re imitatos fuisse *Longobardos* qui caput a cervice ad occipitium radentes capillos a fronte ad os demittebant. Antiquiora tamen tempora respicio cum Varrone [15], qui crines ad verticem convolutos *Tutulos* vocat, quòd res alta tanquam

[1] Carm. Lib. v. Od. v. [2] Sylv. Lib. 4. c. 8. v. 2. 3. 6. 7. [3] Lib. 9. Æn. [4] Ad Attic. Lib. 1. Ep. 15. [5] Ep. 14. [6] Lib. 6. c. 23. [7] Natal. III. Carm. XVIII.

[8] v. 263. [9] Lib. 5. [10] Lib. 12. v. 31. [11] Lib. 13. c. 1. [12] Lib. 4. [13] Iliad. λ. v. 385. [14] Iliad. β. v. 542. [15] Lib. 6. de Ling. Lat.

quam tuta, *Tutulus* vocaretur. Res quidem *Christiano* viro perniciosa cùm *B. Petrus* in epistola priore canonica, πλοκὴν τριχῶν, *Capilli plicationem*, communi vocabulo prohibeat; & *B. Paulus*, crines intortos, ut notavit *Franciscus Turrianus* [1]. Id quod Ethnici præcipuè improbârunt, severitatem laudantes. Juvenalis [2]:

> *Rarus sermo illis, & magna libido tacendi*
> *Atque supercilio brevior coma* ———

Seplasia, unguentarius vicus *Capuæ* percelebris erat. Nihil *Campano* luxui cedere jam tum *Neapolis* visa est, quæ *Græca* civitas, *Græcorum* mores retinuit. Et *Græcos* (omitto balnea) unguentis delibutos cœnitasse nihil est quod auctoritatibus antiquorum confirmem; præterquam quòd veluti plebeii oleo, sic nobiliores unguentis inungebantur, quibus præsertim comam alebant; ne cadaveribus condiendis solertiam commemorem.

Neapolis pulcritudo.

Ejus urbis pulcritudinem & magnificentiam, marmora undique magnis sumptibus advecta, variorum lapidum ornamenta, picturæ, Theatra, Circi, Gymnasia ob oculos spectantibus proponebant. Quæ omnia hujusmodi Statius [3] explicavit:

> *Una tamen cunctis procul eminet una diætis,*
> *Quæ tibi Parthenopen directo limite ponti*
> *Ingerit. Hic Grajis penitus desecta metallis*
> *Saxa: quot Eoæ respergit vena Syenes:*
> *Synnade quot mœstâ Phrygiæ fodêre secures*
> *Per Cybeles lugentis agros: ubi marmore picto*
> *Candida purpureo distinguitur area gyro.*
> *Hic & Amyclæi cæsum de monte Lycurgi*
> *Quod viret, & molles imitatur rupibus herbas.*
> *Hic* Nomadum *lucent flaventia saxa, Thasósque,*
> *Et Chios, & gaudens fluctus spectare Carystos.*

Ex ingentibus columnis una in Cathedrali Ecclesia nuper eruta est, quam in *Solis* templo *Neapoli* collocatam curiosi contendunt. Ex locis a *Papinio* commemoratis lapides adducti loca publica omnemque civitatem summo cum decore ornabant. Theatra, & Gymnasia potissimum, quæ sic describit Sidonius Apollinaris [4]; *Jam si marmora inquires, non illic quidem Paros, Carystos, Proconissos, Phryges, Numidæ, Spartiatæ, rupium variatarum posuere crustas.* Et Prudentius [5].

> *Et quæ saxa Paros secat; & quæ Punica rupes,*
> *Quæ viridis Macedon habet maculosaque Synna.*

At dum *Papinius* marmora celebrat quæ herbas imitari videbantur, sic respondit Sidonius [6].

> *Cedat puniceo pretiosus livor in antro*
> *Synnados, & Numadum qui portat eburnea saxa*
> *Collis, & herbosis quæ vernant marmore venis.*

Laconicum marmor.

Eratque *Laconicum* marmor, quod instar herbarum viret. Quæ tamen pingi consueverunt. Plinius [7]; *Nec committemus ut subjiciendo utiliora, luxuriam utilitate circumscribamus, dicturi, & aliàs herbis tingi lapides parietesque pingi.* Lapides tamen verissimè herbas referentes *Neapoli* adhuc cernuntur, in quibus Sanctorum imagines depictas vidi, qui in antris, & virentibus locis habitabant, dum in medio lapide, aut cœlum, aut nubes, aut aër nitet, atque hujusmodi ipsæ lapidum venæ cum addita pictura, pulcherrima simulacra proponunt; *Alabastrum* hodie vocant. Quò etiam referrem picturas *Neapoli* a *Philostrato* commemoratas. Atque ita nihil *Neapolitanæ* urbi defuisse dicemus earum rerum, quæ ceteras urbes illustres, nobiles, speciosas reddiderunt, & adeo magnifico rerum apparatu & copia voluptuosam, ut summos ad se viros semper allicere voluerit. Eam servavit etiam amplitudinem Philosophiæ, & Musarum studiis, quæ tandem ad Equitum gloriam deducta est, sic enim Scaliger [8], ut æmulam *Romanæ* urbis faciat:

Neapolitanæ urbis tria tempora.

> *Parthenope varii statuit discrimina mundi,*
> *Quæ tria diverso tempore sæcla dedit.*
> *Aurea Pythagoras communis commoda vitæ*
> *Et docuit Sophiæ Græcia magna procos.*
> *Altera succedens studiorum mollior ætas*
> *Admisit Musas debiliore sono.*
> *Tertia vulnifici quæsivit præmia ferri:*
> *Atque Equitum potuit sola tenere decus.*
> *Sic ex privata & serva, Regina supersum,*
> *Roma, quod es, fueram: quæ modo sum, quod eras.*

At *Neapolitanas* delicias cum omni *Campano* littore communes habes, & omnem oram *Amœna*, κατ' ἐξοχὴν dicebant. Glossarium *Amœnia*, αἱ ἀκταί. ubi, *Amœna*, legendum. Et Veteres glossæ; *Actæ*, Littora amœna; quamobrem de *Baiis*,

> ——— *prælucet amœnis.*

& Cornelius Tacitus [9]; *Noctu dieque & amœna littorum personanteis.* Quid autem ea de re antiquorum testimonia? Doceant hujus urbis amœnitatem ii, qui ex intima *Europa* huc accedentes eam admirantur hujusmodi, ut miraculum Naturæ, divinam habitationem eam regionem appellent. Id quod ex ejus situ copiosius libro 2. explicabitur.

CAP. V.

De Sirenibus & earum Habitatione.

HISCE deliciarum illecebris quas commemoravimus, loci amœnitate, omnium rerum commodis factum est *Græcorum* fabulis, ut *Parthenopes Sirenis* nomine fuerit appellata. Tantumque valuit opinio, & ad posteros hujusmodi progressa est, ut nec ejus simulacrum potuerit ullo unquam tempore obliterari; & *Sirenis* insigni, veluti sua Lupa *Romani*, *Neapolitani* se illustrari sibi persuadeant. Quamobrem hæc addere, non inutile existimavi.

Sirenes Nymphæ.

SIRENES aliqui inter Nymphas connumerandas censuerunt, vocaruntque *Acheloides*, *Acheloi* fluvii qui *Ætoliam* ab *Acarnania* dividit, & *Calliopes* Nymphæ filias. Idcirco natantes describit Orpheus [10].

> Δεινὰ δ' ἀνεστενάχησαν, ἐπεὶ πότμος ἤιε λυγρὸς
> Μοιρίδιος θανάτοιο, σφέας δ' ἀπὸ ῥωγάδος ἄκρης
> Ἐς βυθὸν δίσκευσαν ἁλιῤῥοθίοιο θαλάσσης,
> Πέτρας δ' ἠλλάξαντο δέμας μορφήνθ' ὑπέροπλον.
> *Sunt graviter quæstæ, & senserunt fata Deorum*
> *Adventasse sibi, summaque crepidine saxi*
> *Præcipites saliere maris spumantis in undas,*
> *Protinus in duras vertuntur crepidine cautes.*

Et Virgilius [11].

> *Transiluit scopulos, & inhospita littora classis;*
> *Illæ præcipites desiluere freto.*

Sirenum nomina.

Ab *Hygino* in Fabulis & *Nicandro*, *Melpomenes* Musæ, & *Acheloi* filiæ; ab aliquibus *Terpsichores*, seu *Melpomenes*; ab aliis *Steropes*, vel *Calliopes* dicuntur. Tres aliquando commemorantur, *Parthenope*, *Leucosia*, & *Ligea*, quarum una lyra, altera tibiis, tertia voce canebat, ut hac varietate, varia quoque hominum ingenia, & libidines oblectarent; suos enim cantûs navigantium moribus accommodabant, atque ita ambitiosis, laudisque cupidis, vel sua, vel majorum gesta recinebant; libidinosorum rebus amatoriis demulcebant aures; & veluti piscatores escâ qua delectari præternavigantes cernebant, instar piscium irretire conabantur. Alii *Aglaophemen*, vel *Aglaopen*, *Thelxiepiam*, *Pisinoën*, & *Ligeam* nominant. Alii

[1] In Clem. Rom. Lib. 1. de Laicis. [2] Satyr. 1. [3] In Surrentino Pollii Lib. Sylv. 2. [4] Ad Domicium. [5] Lib. 2, contra Symmachum. [6] Carmine 22. [7] Hist. Nat. Lib. 22, Cap. 2.

[8] Vrbium fol. 555. Part. prior. [9] Lib. 3. Hist. [10] In Argonauticis, v. 1285. seq. [11] In Opusculis.

Alii abſque nominibus duas narrant, quod notat *Euſtathius.* Sunt qui etiam quinque eas fuiſſe dicant.

Habitudo Corporis.

Græci tradiderunt *Sirenes* a pectore habuiſſe ad ſuperiora Στρυθῶν, *paſſerum* ſpeciem; inferiora verò, *mulierum.* Apud Servium [1], *parte Virgines fuerunt, parte Volucres. Boccacius* ex *Albrico*, virgineum corpus umbilico tenus eis tribuit, & gallinaceos pedes. Is *Albricus*, ſi is eſt, qui Philoſophus appellatur, ſcripſitque de *Imaginibus*, nullam *Sirenum* mentionem facit. *Cumanus* & *Siculus* nummus ſic pictas *Sirenes* oſtendunt.*

In quorum altero duæ, quæ cernuntur ſagittæ, fluvium *Acim* ſignificant, qui ab *Ætna* monte in duas partes derivatur. Alterum ad *Cumas* invenimus cum *Petronii* nomine Triumviri. Idem in *Petronia* familia refert *Fulvius Urſinus*, aitque Denarium ad *Cumas* Coloniam deductam ab *Auguſto* inſtauratam referri. Pennatas eas pingi, ex *Pauſania* cognovimus, qui in *Bœoticis* [2] ſcribit infra *Mercurii Epimelii* & Ventorum aras ſacellum *Junoni* dicatum, quæ *Sirenes* manu præferret. Quæ nimirum *Junone* ſuadente in cantus *Muſas* provocare auſæ fuerunt. Victis *Sirenibus*, *Muſas* ex alis pennas avulſiſſe, & coronas ſibi feciſſe ſcribit, (Ἀποτίλασαι τῶν Σειρήνων τὰ πτερὰ, ποιήσαϑαι στεφάνυς ἀπ' αὐτῶν λέγον). Idemque narrat in *Atticis* mortuo *Sophocle Lacedæmonios* in *Atticam* irrupiſſe, eorumque ducem ſibi viſum *Liberum* patrem videre, mandantem, ut novam *Sirenem* omnibus honoribus proſequerentur, quos mortui habere conſueverant. Laudabat *Sophoclis* carmina. Hinc obſervatum ait Poëmata & Orationes, in quibus ſit ſuaviloquentia, cum *Sirenis* cantu conferri. Pennarum verò rationem dum perquirit Ovidius [3], hæc ait;

——— vobis Acheloides unde
Pluma pedeſque avium, tum virginis ora geratis?
An quia, cùm legeret flores Proſerpina vernos
In comitum numero, miſtæ Sirenes eratis?
Quam poſtquam toto fruſtra quæſiſtis in orbe
Protinus, ut veſtram ſentirent æquora curam,
Poſſe ſuper fluctus alarum inſiſtere remis
Optâſtis: facileſque Deos habuiſtis, & artûs
Vidiſtis veſtros ſubitîs, flaveſcere pennîs.

Οἰωνὺς appellari *Sirenes* ſcribit *Tzetzes* in *Lycophronem*, & Θεάς; *Pennatas*, & *Deas. Pennatas*, quippe volucres, & volucris Dea *Parthenopes* a *Lycophrone* dicta eſt. Deas verò, διὰ τὸ τοιαύτην ἔχειν δυνάμιν θελκτικὴν, *quòd demulcendi vim habent.* Eorum prorſus opinionem refello, qui ex *Parthenopei* inſigni (unus is ex ſeptem Ducibus qui ad *Thebas* pugnârunt) *Sirenem Parthenopen* traducunt. Quamvis enim in aureo clypeo hæc depicta geſtaverit*, ea tamen *Sphinx* eſt, quæ unguibus hominem *Cadmeum* detinet, in quem plurima jacula contorquebantur.

Locus.

Locus in quo *Sirenes* habitant, ſic ab Homero deſcribitur:

Ἥμεναι ἐν λειμῶνι, πολὺς δ' ἀμφ' ὀστεόφιν θὶς
Ἀνδρῶν πυθομένων, περὶ δὲ ῥινοὶ μινύθουσιν.

Deſidentes in prato; ingens circùm ex oſſibus acervus
Virorum putrefactorum, undique cutes putreſcunt.

Indicat ſanè mortuos homines, quos ſcilicet *Sirenum* cantûs demulcebant, ut inquit *Pauſanias*, atque eos qui illuc deducti, mori, & inhumati jacere cogebantur.

--- ὧν πύθεται ὀστέα λευκά

Inquit Leſches in parva Iliade; quod Virgilius [4],

Jamque adeo ſcopulos Sirenum advecta ſubibat
Difficiles quondam, multorumque oſſibus albos.

Quæ ad meretricum lenocinia procul dubio referuntur, *Ulyſſem* allicere, & *Herculem* in fœminam transferre ſtudentium. Et *Argonautæ*, dum ad earum periculum incidiſſent, ab *Orpheo* liberantur citharæ ſonitu, quo earum cantus non audiebatur. Id efficiebat cera & vincula ad navis malum, *Circes* inventum, ne *Ulyſſes* a *Sirenibus* detineretur.

Argonautæ.

Strabo meminit *Sirenum* locum ab aliis collocari ad *Peloriadem*, & *Euſtathius* addit, ad *Plantas* prope *Pelorum.* Ab aliis ad *Sirenuſſas* (*Sirenes* eas inſulas appellat Ariſtoteles [5]) quæ tres parvæ inſulæ ſunt *Pæſtanum* ſinum a *Cumano* ſeparantes, a *Pomponio Mela* [6] Petra, ſive σκόπελος, appellatæ, & a *Dionyſii* Scholiaſte πέτρα Σειρήνος. Ibi aliqui *Leucoſiam* tantùm ſepultam ferunt. Ovidius de *Ænea* loquens:

Alia Sirenum loca. Sinus Pæſtanus.

Leucoſiam petiit, tepidique roſaria Pæſti.

Lycophron unam e tribus *Sirenibus* a *Phaleri* arce (*Neapoli* ſcilicet) fuiſſe receptam ſcribit, ut ſuprà diximus, cùm *Leucoſiam* in ripam *Enipei* ejectam dicat; & *Ligeam* in *Terinam. Dio Chryſoſtomus* [7], in deſerto pelago ait eas habitaſſe in ſcopulo quodam, ad quem nemo appulit. *Plinius* earum ſedem *Surrentum*, & *Minervæ promontorium* fuiſſe ſcribit; & *Strabo*, in locis quæ contra *Capreas* & *Surrentum* in littore jacent ad *Minervæ* templum *Sirenum Fanum* collocat. *Archippus* ſcribit (citatur in Mythologiis a *Natali Comite* [8]) loca quædam marina anguſtias quaſdam præruptis montibus contracta fuiſſe, in quas illiſi fluctûs ſonum cum ſuavitate & harmonia emittentes, navigantes allicerent ad viſendum, quò cùm appuliſſent, undarum impetu delati abſorbebantur. Hinc locus datus fabulæ. *Dorion* libro de piſcibus, meretriculas ſcribit fuiſſe has *Sirenes* in littore habitantes, quæ nautas invitarent. Horatius [9], deſidiam, *Sirenem* appellat

Surrentum.

Meretrices.

——— placanda eſt improba Siren
Deſidia ———

D. *Hieronymus* epiſtola ad *Furiam*, fidicinas, pſaltrias, & hujuſmodi, chorum Diaboli, quaſi mortifera *Sirenum* carmina perturbanda hortatur. Idcirco ad ſcenas *Neapolitanas* referunt, in quibus pſaltriæ adhibebantur. Sed ob cetera urbis oblectamenta, ubi commodius quam *Neapoli Sirenes* habitâſſe dicemus? Inde factum arbitror, ut ſemper *Parthenopes* ſymbolo *Neapolitanis* uti placuerit, tùm quòd volucribus pennis, religione, nobilitate, ingeniis *Neapolitana* civitas caput inter ceteras urbes extulerit, & ad aſtra evolaverit; tum quod Lyræ concentu, urbis ſuavitatem, comitatem civium, placidamque tranquillitatis quietem oſtenderint. Quid ſi ad concordiam deducemus? Et licet aliquando chordæ inſuaviùs obſtrepuerint, inter civiles tempeſtates excitatas, ſemper tamen erga ſuos Reges, & Magiſtratûs concordi obſervantiæ melodia modulatur. Oblectantur itaque *Sirenis* imagine, ut ſeriis etiam rebus adhibeant, & in publico fonte poſuerint, cujus ex mammis dum aqua depromitur, ardentes *Veſuvii* flammæ, reſtinguuntur. Muſarum amicus *Antonius Epicurus*, hoc Epigramma inſcripſit, DUM VESUVII SIREN INCENDIA MULCET, & tumultibus *Neapolitanis* alluſiſſe arbitror, quibus ſedatis, ſymbolum illud effictum eſt. De *Sirenum* loco ſic cecinit amicus noſter:

Non longè a Capreis ſcopuli tres ordine circùm
Maxima Campani, Pæſtani & gloria ponti,
In quos Nereides Nymphæ, turba humida aquarum
Sæpius inſiliunt, madidos expandere crines

B *Ad*

[1] In Æneid. V. v. 664. [2] Cap. 33. p. 778. [3] Lib. 5. Met. v. 552. ſeq. [4] Lib. Æneid. 5. circa fin.

[5] Lib. περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. [6] De ſit. Orb. Lib. 2. c. 4. [7] Oratione ad Alexandrinos. [8] Lib. 5. [9] Lib. 2. Serm.

Ad Solis radios, & candida membra movere
Ad choreas, pelagique lacessere carmine Divos.
Hæc nautis tranquilla quies, si quando procella
Horrisonæ insurgunt, hic ocia carpere suêrunt,
Et nassis, linoque vagos comprendere pisces
Allecti a scopulis Sirenum nomine dictis.

Symbolicè.

Aliud *Sirenum* symbolum *Plato* explicavit, qui eas cœlestibus orbibus adscripsit, ideoque non esse eum ferendum affirmat *Plutarchus*[1], qui gyris æternis & divinis, *Musarum* loco *Sirenes* præficit, non admodum humanos neque placidos Genios, dum *Musas* vel præterit prorsus, vel *Parcarum* nominibus appellat, nominatque *Necessitatis filias*. Quòd verò ad earum cantum pertinet, ad animorum concinnitatem idem auctor [2] accommodat, atque ea de causa fabulosas esse asserit, his verbis: ἄγε μὲν δὴ Ὁμήρου Σειρῆνες, οὐ κατὰ λόγον ἡμᾶς τῷ μύθῳ φοβοῦσιν, ἀλλὰ κἀκεῖνος ὀρθῶς ἠνίττετο τὴν τῆς Μουσικῆς αὐτῶν δύναμιν οὐκ ἀπάνθρωπον, οὐδὲ ὀλέθριον οὖσαν, ἀλλὰ ταῖς ἐντεῦθεν ἀπιούσαις ἐκεῖ ψυχαῖς (ὡς ἔοικε,) καὶ πλανωμέναις μετὰ τὴν τελευτὴν ἔρωτα πρὸς τὰ οὐράνια καὶ θεῖα. λήθην δὲ τῶν θνητῶν ἐμποιοῦσα κατέχειν καὶ κατᾴδειν θελγομένας. Hoc est; *Enimvero Homeri Sirenes immeritò nobis fabulositate metum iniiciunt. Ceterum ille probè innuit earum in Musica dotes, non illas quidem inhumanas & exitiales, sed avolantibus hinc illinc animis nimirum vigilantibusque ab excessu Cupidinem, ad cœlestia & divina, simul rerum caducarum oblivionem infundentes retinent, & demulcent delinitas.* Ait præterea *Sirenes* animos exultantes sequi, & cum eis circumcursare. Nescio quid etiam de rerum memoria philosophatur, quarum maxima pars obsepta carneis perturbationibus, non sinceris, ut *Musis* expeditiorem, & concinniorem locum cœlestibus sphæris tribuat, dum *Sirenes* renuntiantes res divinas prædicant ad inferos, ut *Sophocleum Ulyssem* referre scribit:

Σειρῆνας εἰς ἀφικέσθαι Φόρκου κόρας
Ἀιθροῦντος τοὺς ᾅδου νόμους.
Sirenas ingressas domum
Phorci puellas qui leges Orci occinit

quapropter Orci vocibus demulceri *Sirenes* scribit *Plato* in *Cratylo*.

C A P. VI.

Parthenopæ Variæ. Nostræ Sepulcrum.

Musæ, & Sirenes.

Parthenopæ Samiæ.

PLURES apud *Græcos* Parthenopas reperies. Alia *Ancæi* Regis *Lalagum* filia est apud *Strabonem*, quam illi peperit *Samia Mæandri* filia. Hanc scribunt *Apollinis* concubitu gravidam esse factam. De qua sic Pausanias in *Achaicis* [3] Ἀγκαίῳ δὲ τὴν θυγατέρα τοῦ ποταμοῦ λαβόντι τοῦ Μαιάνδρου Σαμίαν γενέσθαι καὶ Περίλαον, καὶ Ἔνουδον, καὶ Σάμον, καὶ Ἀλιθέρσην, καὶ θυγατέρα ἐπ᾽ αὐτοῖς Παρθενόπην. Παρθενόπης δὲ τῆς Ἀγκαίου καὶ Ἀπόλλωνος Λυκομήδη γενέσθαι. *Ancæus autem Samiam Mæandri filiam uxorem ducens, habuit filios Perilaum, Enudum, Samum, & Parthenopen. E Parthenope Ancæi filia & Apolline Lycomedes genitus.* Alia ex *Arcadica* familia *Stymphali* Regis qui cum *Pelope* bellum gessit; quam patrem habuisse *Herculem* asserunt. Tertia hæc nostra, quam *Matronam*, & dominam dixit *Pontanus*, *Eumeli* Regis *Pheræ Thessaliæ* urbis filia, ut rerum patriarum investigator Statius [3] innuit.

Parthenopæ Arcadiæ.

Parthenopæ Eumeli.

Dii Patrii, quos auguriis super æquora magnis
Littus ad Ausonium devexit Abantia classis.
Tu ductor populi longè emigrantis Apollo,
Cujus adhuc volucrem læva cervice sedentem
Respiciens blandè felix Eumelis adorat.

Ubi, *Abantia classis*, Eubœa est, *Homerus* [5] enim

Οἳ δ᾽ Εὔβοιαν ἔχον μένεα πνείοντες Ἄβαντες
Χαλκίδα τ᾽ ------
Qui autem Eubœam habitabant robora spirantes
Abantes
Chalcidáque. ———

Et ubi, *Eumelis*, *Parthenope* est *Eumeli* filia, quem *Græco* more Deum patrium esse effectum, & constituisse *Neapoli* tribum, vetustissimus *Græcus* lapis qui sordidus in ædibus *Tiberii Coppulæ* jacet cum *Neapolitanæ* antiquitatis magna jactura, quo ad equos conscendendum utuntur habitatores, declarat. In eo hæc leguntur;

ΕΥΜΗΛΟΝ. ΘΕΟΝ. ΠΑΤΡΩΟΝ
ΦΡΙΤΟΡΣΙΝ. ΕΥΜΗΛΕΙΔΩΝ
Τ. ΦΛΑΥΙΟΣ. ΠΙΟΣ
ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΣ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ
ΣΥΝ. Τ. ΦΛΑΥΙΩΙ. ΤΕΚΝΩΙ.

Eumelum Deum Patrium Tribulibus Eumelidarum, T. Flavius Pius Curator dicavit cum T. Flavio filio.

Tantumque hoc nomine valuit *Eumelus*, ut inter *Penates* invocaretur, veluti *Athenis Apollinem Patroum*, commemorat *Pausanias* in *Atticis*, & *Dianam Patroam*, idem in *Corinthiacis* post *Arati* monumentum cum *Isthmio Neptuno* & *Milichio Jove* conjunctam, & veluti in precationibus, θεοὺς πατρῴους inuocatos scribit *Xenophon*, quos & *Histiæus* apud Herodotum, θεοὺς τοὺς βασιληΐους, jurat. Morem verò Diis *Tribulibus* erigendi statuas, ab *Atheniensibus* conditoribus acceperunt, quos illud fecisse solitos docet idem *Pausanias*, qui ait se *Cecropis* & *Pandionis* inter eos, a quibus Tribuum sunt cognomina vidisse, & Curias suos quasque Deos privatim coluisse, *Minervæ* rem divinam facientes. Pilas quoque tumulis impositas (veluti hæc erat) commemorat cum elogiis, nomen cujusque & Curiam testantibus. Hunc igitur illum existimant *Eumelum*, de quo Homerus [5],

Eumelus inter Deos Penates.

Apollo Patrous.

Statuæ Deorum tribulium.

Οἳ δὲ Φερὰς ἐνέμοντο παραὶ Βοιβηΐδα λίμνην
Βοίβην, καὶ Γλαφυρὰς, καὶ ἐϋκτιμένην Ἰαωλκὸν
Τῶν ἦρχ᾽ Ἀδμήτοιο φίλος παῖς, ἕνδεκα νηῶν
Εὔμηλος, τὸν ὑπ᾽ Ἀδμήτῳ τέκε δῖα γυναικῶν
Ἄλκηστις ------

Qui Pheras habitarent apud Bœbeidem paludem,
Bœben, & Glaphyras, & benè ædificatam Iaolcum.
His imperabat Admeti dilectus filius undecim navibus,
Eumelus; hunc sub Admeto peperit nobilissima mulierum
Alcestis ———

Quibus verbis nobilissimam conditricem extollimus, & nobilitatem *Neapolitanam* inter *Græcos* illos adhuc vigere cognoscimus, quando inter *Æolidæ* & *Iolci* Dynastas habet *Æsonem* illum *Thessaliæ* Regem, *Iasonem* Argonautarum ducem, *Amythaonem*, *Idomeneum*, *Pherem*, *Promachum*, *Polyxenum* Eliensium Regem, & quamplurimos alios illustrissimos viros progenitores, ne *Alcestis* quoque familiam multis modis celebrandam proponamus, quam idem celebrat *Homerus*.

Parthenopes nobilitas.

Multi hunc *Eumelum* cujus mentio in lapide est, alium ab *Eumelo* Rege faciunt, quippe sapientissimus quidam vir fuit arcanarum rerum studiosus, ex cujus doctrina etiam picturarum imagines prodière, quem celebrat *Philostratus*. Cùm enim is hospitio *Neapoli* per triennium accepisset *Aristodemum* ex *Caria*, cognovit eum doctissimè pingentem ad *Eumeli* sapientiam; & in eo picturæ genere secretiora quædam & abscondita Philosophiæ lumina, & mysteriorum arcana enituisse, videtur asserere. Aitque Ἔγραφε δὲ κατὰ τὴν Εὐμήλου σοφίαν, πολὺ τὸ ἐπίχαρι ἐς αὐτὴν φέρων. *Pingebat enim ad Eumeli sapientiam, maximam adhibens venustatem.* Idque ζωογραφίας genus *Neapoli* floruisse, idem auctor confirmat, cùm multas tabulas pictas a variis pictoribus elaboratas quidam collegisset in suburbio, quod ad mare vergebat, in porticu quæ ad Favonium fuerat ædificata, quatuor conta-

Alius Eumelus.

Eumeli pictura.

[1] Quæst. conviv. [2] Symposiac. Lib. 9. quæst. 14. [3] Cap. 4. [4] Lib. 4. Silv. [4] Iliad. β.

[5] Iliad. β. v. 711. seqq. [6] Prœmiô in Icon. pag. 763.

contabulationibus mare *Tyrrhenum* reſpiciente. Ibi *Philoſtratus* adoleſcentibus abditarum rerum curioſis, & ejus Philoſophiæ audiendæ cupidis, multa de *Homerico Scamandro*, *Dæmone*, *Como*, *Nilo*, *Amoribus*, *Neptuno*, *Amphione*, *Phaëtonte*, *Boſphoro*, *Semele*, *Pelope*, *Pentheo*, *Tyrrhenis*, *Olympo* ceteriſque, quæ ad *Neapolitanorum* religionem refero, diſceptavit. Philoſophiam tamen in picturis oſtendi, ipſemet declarat in Fabulis, cûm de *Æſopo* loquitur; φιλοσοφεῖ δὲ ἡ γραφὴ καὶ τὰ τῶν μύθων σώματα· *philoſophatur autem pictura, & circa fabularum corpora.* Quamobrem multa in ipſis Imaginibus doctiſſimè & ſapienter interpretatur. Ad hæc quæ diximus, φροντιστοῦ quoque nomen in noſtro lapide videtur reſpicere, nam quod *Etruſci* antea & *Pelaſgi* fecerant in magnorum Deorum ſacris, idem *Romulus* in Republica faciundum juſſit. Id tamen præterea, ut ex unaquaque tribu Vates unus ſacris intereſſet, quem Ἱεροσκόπον vocabant. Et omnes Sacerdotes, & Deorum miniſtros a Curiis eligi, & confirmari ab illis, qui Deorum voluntatem per vaticinia interpretantur (quod ab *Eumelo* factitatum *Neapoli* in ſua tribu affirmo) ſingulis Deos & Genios aſſignans, quos perpetuò colerent, certamque pecuniam ad ſumptûs in ſacra faciendos conſtituens; & Curiæ cum Sacerdotibus ſacrificia ſibi attributa faciebant, & unà in Curiali domo (quod infrà explicatur) diebus feſtis epulabantur. Sive is igitur P*arthenopes* pater *Eumelus* fuerit (quod ut affirmem illud præcipuè efficit, quòd *Deus Patrius* effectus eſt, ſummi viri & Ducis encomium) ſive *Eumelidarum* Curiæ ſacerdos, aut nobilitatem, aut ſapientiam *Neapolitanorum* oſtendit, qui etſi omnibus ingenio præſtant, picturarum tamen deſiderio ſe curioſiſſimos præbent, atque undique iis coëmendis incumbunt.

Sacerdotes a Curiis eligebantur.

Parthenope itaque non *Siculi* Regis filia eſt, cui cùm ad *Bajas* animi cauſa divertiſſet, ibique obiiſſet, templum fuiſſe conditum dictitant; ſed Eumeli filia, quæ honoris & caſtitatis amantiſſima in *Campaniam* ſe contulit, *Eubœorum* Coloniam deduxit, & *Neapolitanum* ſolum delegit, quod ipſi admodum gratum, & in deliciis habitum (ut *Pontanus* loquitur) Columbæ volatum ſequuta. * Reconditus locus eſt apud *Dionyſii* Scholiaſten [1] qui ad *Parthenopes* hiſtoriam dilucidandam facit. Scribit, *Parthenopen* Virginitatis amantem, nunquam procorum petulantiæ voluiſſe aſſentiri. Cùm deinde *Methiochi Phrygii* amore capta eſſet, comam ſibi reſecuiſſe dedecoris pœnitentem, & indè profectam petiiſſe *Campaniam*; Παρθενόπη πολλοῖς ἀνθρώποις ἐπιβουλευθεῖσα, καὶ τὴν παρθενίαν φυλάξασα, εἶτα Μητιόχου Φρυγὸς ἐρασθεῖσα, τὰς τε τρίχας ἔτεμεν, ἀκοσμίαν ἑαυτῆς καταψηφιζομένη, καὶ εἰς Καμπανοὺς ἐλθοῦσα ᾤκησε. Ad ejus adventum ſignificandum *Apollinis* ſtatuam cum columba in humero a *Neapolitanis* cultam ſcribit *Alexander ab Alexandro* [2], veluti & *Parthenopolim Theogenes* in *Macedonicis* commemorat a Virginibus *Caraſti* filiabus memorabili caſtitate puellis. Quod ſi *Neapolim Cumani* ædificârunt, *Parthenopæ* tamen urbis initia tribuuntur, quæ parva deducta Colonia, & ſepulcro, ad auguſtiorem civitatem ædificandam, addito Oraculi monitu, incitavit. Qui meretricii nominis notam *Parthenopæ* inurunt, erubeſcant encomio quo, eam laudat Dionyſius [3],

Parthenope Coloniam deduxit.

Vid. Tabul. I. fig. 4.

Parthenope Methiochum amat.

Apollinis ſtatua Neapoli.

Parthenopes encomium.

> — — Καμπανῶν λιπαρὸν πέδον· ἧχι μέλαθρον
> Ἁγνῆς Παρθενόπης, σταχύων βεβριθὸς ἀμάλλαις,
> Παρθενόπης, ἣν πόντος ἑοῖς ὑπεδέξατο κόλποις·

> —— *Campanorum pingue ſolum, ubi domicilium*
> *Caſtæ Parthenopes, ſpicarum onuſtum manipulis;*
> *Parthenopes, quam pontus ſuis ſuſcepit ſinubus.*

Et qui *Parthenopen Circes* ſociam conſtituere, meminerint nihil *Sarmatiam* unde *Circe* diſceſſerat, cum *Eubœa* commune habere. *Suidas* [4] P*arthenopes* ſtatuam *Neapoli* celebrat; ἐν ᾗ Παρθενόπης ἵδρυται Σειρῆνος ἄγαλμα; *in qua Parthenopes Sirenis ſtatua poſita eſt.* Eam profecto noſtra ætate ad D. *Stephani* poſitam P*erifanus Ribera* Regni Vicarius, cum plurimis antiquitatis monumentis tranſtulit. Ejus ſimulacrum tanta animorum propenſione *Neapolitani* amplectuntur, ut caput marmoreum prægrande ad D. *Eligii* conſtitutum (etſi cujus ſit ignoratur,) caput P*arthenopes* appellet vulgus, & cuſtodiat. In denariis æreis argenteiſque variis modis ejus caput cum *Hebone* depictum cernimus, quos in Religione retulimus.

Parthenope non Circes ſocia.

Sepulcrum.

Lycophron ad P*arthenopes* tumulum *Neapolitanos* faces ferre ſolitos ſcribit, & *Diotimum Athenienſium* Præfectum *Neapolim* ad *Parthenopes* oraculum veniſſe, & in ejus rei memoriam *Græcorum* ludum *Lampadodronicum* celebrâſſe, ut ſuo loco dicemus. Pontanus [5] hæc de tumulo; *Tametſi quæ de Sirenibus dicuntur pleraque habeantur fabuloſa, proditum tamen eſt memoriæ. atque ita hominum opinio tenuit, unius ex eis conditum ſepulcrum editiore in colle ad ultimum maris ſinum, dediſſe colli nomen, vocatumque illum ex eo Parthenopen, quod nomen poſt fuit etiam urbis ejus quæ nunc eſt Neapolis.* Idemque alibi; *Itaque ſepulcrum ipſum indicio eſt Parthenopen colli imperitaſſe, qui ſubjectæ imminebat ſtationi, atque ad ſinus ipſius caput, eque regione Surrentum ſpectabat, quæ Sirenum ipſarum ſedes tunc eſſet. Quem ad locum quod naves quaſi in quendam portum applicarent, collis ipſe frequens erat habitatoribus atque ab accolis & nautis celebratus, iſque obliterato priori nomine, poſt matronæ memoriam, atque ab ejus ſepulcro, Parthenope agnominatus.* De eo colle *Pontanus* loquitur qui editior adhuc eſt in urbe, cui Montis nomen reliquum eſt, & locus ipſe, in quo ſedile cernitur, *Montis* utitur inſigni. Ibi tutelares Dii erant collocati, *Parthenope* ſcilicet, Caſtorque & P*ollux*, ceterique in quo Theatrum, Circus, Forum. Idcirco Papinius [6];

Tumulus Parthenopes, & Oraculum.

Mons, Neapoli.

> *Exere ſemirutos ſubito de pulvere vultus*
> *Parthenope crinemque afflato Monte, ſepulti*
> *Pone ſuper tumulos, & magni funus alumni.*

ſic deplorabat Patris mortem; & innuit cum Theatri *Neapolitani* ruina, quod terræ motu fuerat concuſſum, *Parthenopes* etiam ſepulcrum in eodem monte corruiſſe; hortatur enim ut ſemirutos vultus excitet de pulvere ſubito, quando terræmotus ædificia quæ circùm erant, ſubito deturbavit. Atque ita de opinione decedant, qui arbitrati ſunt, collem editiorem eum eſſe, in quo D. *Joannis* templum ædificatum eſt, cùm eo tempore is locus marini tantùm littoris rupes eſſet, cui collis imminebat, veluti etiam hodie mons imminet, ſemper enim indè acclivem aſcenſum experimur. Nec quoniam in ejus templi æde in tabula marmorea legimus, PARTHENOPE TEGE, FAUSTE, lapidem ex Parthenopes ſepulcro, & ſepulcrum ibidem conſtitutum fuiſſe dicemus, pueros enim nos eſſe omnes arbitrarentur, cum ea verba neoterica ſint, & ſimplici dicendi genere P*arthenopen*, pro ipſa *Neapoli* ea inſcriptione explicatam cognoſcamus, Divoque *Joanni* commendatam.

[1] In v. 358. [2] Lib. 2. Genial. Dier. cap. 1. [3] Perieg. v. 357. ſeq.

[4] Voc. Νεάπολις. [5] Lib. 6. de bello Neapolit. [6] Sylv. lib. 5. c. 2.

CAP. VII.

Parthenope. Palæpolis. Neapolis.

TRIA hæc urbs, nomina sortita est, quæ temporum vicissitudo mutavit, *Parthenopen*, *Palæpolim*, *Neapolim*. *Parthenope* a prima conditrice dicta est, quod nomen deinde semper Poëtis fuit peculiare, & quod ab *Augusto* in *Neapolim* est commutatum, ut ex *Solino* suprà notavimus, quod quidem obsoleverat, nam cum primùm denuo a *Cumanis* exædificari cœpta est, qui antea *Parthenopen* amplificaverant, *Neapolis* est appellata. Sed *Palæpolis* nomen sæpius me in dubium revocavit, nulla enim apud Geographos ejus urbis mentio facta est. Apud *Stephanum* qui accuratè urbes describere conatus est, non reperitur, & ferè similes describit Παλικὴν πόλιν Σικελίας, &, Παλλήνην Θρᾴκης. A *Suida* non commemoratur. A nullo præterea observatur indice, licet in suo *Thesauro* collocaverit *Abrahamus Ortelius*, cùm a nostris scriptoribus deprompserit. Est tamen Παλαιὰ πόλις *Straboni* notissima, *Emporiensium* civitas, quam olim *Massilienses* habitarunt, Οἱ Ἐμπορῖται πρότερον νησίον τι προκείμενον, ὃ νῦν καλεῖται Παλαιὰ πόλις. Idcirco, quamvis apud *Græcos* πάλαι olim significet (dicitur aliquando de eo quod paulò ante factum est, pro ἄρτι, ut notat *Budæus* ex *Xenophontis* auctoritate) & παλαιὸς nihilominus, veterem significat, non *Palæpolim*, sed *Palæopolim* aliqui dicendam contendunt. Quid verò illud *Græcæ* locutioni obstat? nonne ex *Papho*, *Palæpaphum* dicimus, quemadmodum Νεάπολιν, & Νέαν πόλιν? Unum habemus, nostræ *Palæpolis* auctorem *Livium* [1], qui scribit illud oppidum haud procul indè, ubi *Neapolis* nunc est, fuisse, & eundem populum duabus urbibus habitasse, & contra *Palæpolitanos* a *Romanis* bellum esse gestum anno ab V. C. 427. L. *Cornelio Lentulo*, & Q. *Publio Philone* Coss. qui inita cum *Romanis* pace, omnes uno nomine *Neapolitani* dicti sunt. Duas ergo has urbes fateamur necesse est, si *Livio* fides sit adhibenda.

Palæpolis. — *Livius tantum Palæpolim nominat.*

Quæstio inter nostros de situ *Palæpolitano* est. Pontanus, sub *Hermite* monte in eo littore ubi nunc *Arx nova* cernitur, *Palæpolim* collocare videtur, ait enim [2]; *Quod autem ab eo loco quadringentis ferme passibus Oppidulum aberat secundum littus, ac sub monte ad meridiem positum, cui Græca nomen esset appellatione Palæpolis, ubique brevitate sua habitatores non caperet, crescente jam multitudine, quò habitandi laxior ferebat commoditas, multi eò continuo immigrabant ob diversandi amplitudinem. Quocirca augescente in dies novo oppido, novo paulatim nomine, & ab ipsis incolis, & ab navigantibus, vocari pro Parthenope, Neapolis cœpta est.* Quibus verbis nescio quo pacto *Parthenopen*, *Palæpolim*, *Neapolim* confundit, ut eodem in loco semper eas urbes fuisse videatur innuere. Nec alium montem quam *Hermitem* intellexisse, qui *Palæpoli* ad *Arcem novam* immineret, alibi declarat; *Post ipsam verò Palæpolim, in qua nunc Arx cum adjectis hortis, postque montem qui Palæpoli imminet, promontorium protenditur ad meridiem, quod a deliciis sortitum nomen est Pausilypum.* Quæ summi viri auctoritas, qui longè aliam civitatis formam ab ea quam nostra ætate cernimus, sua ætate vidit, efficeret ut crederem in ea Arcis regione positam fuisse *Palæpolim*, cùm præcipuè multæ antiquorum ædificiorum reliquiæ terræ aggeribus obrutæ sub novis ædificiis & via, quæ ad Palatium ducit esse sciamus. Sed *Livii* historiam legens, ab ea prorsus opinione deducor, & cogor ut mihi persuadeam *Palæpolim* nullo pacto ibi esse potuisse. Nam si *Romanus* exercitus inter *Neapolim* & *Palæpolim* loco opportunè capto diremerat hostibus (ut is auctor scribit) societatem auxilii mutui quo ut quisque locus premeretur, inter se usi fuerant; quo pacto *Palæpolim Nolani* & *Samnites* introduci potuissent, si medius *Romanus* exercitus aditum non permisisset, cùm ex orientali *Nolana* plaga, in occidentalem, vel meridionalem, ut cum *Pontano* loquamur, *Palæpolitanum* iter facere *Nolani*, & *Samnites* debuissent? Præterea ad littus ea urbs posita fuisset, si quis in ea Arcis regione collocet. Et tamen à littore abfuisse *Palæpolim* eo præcipuo utor argumento, quòd cùm *Nymphius* Prætorem *Samnitium* decepisset, ut sineret se classe circumuehi ad *Romanum* agrum, quòd omnis *Romanus* exercitus esset circa *Palæpolim*, omnem *Samnitium* juventutem ad littus misit Prætor; tunc *Charilaus* ex altera urbis parte introducto *Romano* milite, clamorem tolli jussit, quo sublato, *Nolani* per aversam portam, via *Nolam* ferente, effugerunt. Quòd si prope littus *Palæpolis* fuisset, clamorem facilè *Samnites* exaudientes, in urbem illico se recipere potuissent. Tantum abest, ut quoniam in ora maritima, quæ Plaga dicitur, ædificando subterraneæ parietinæ inveniantur, veluti concamerationes lateritias ipse vidi ex quibus Vas vitreum fractum servo, & lapidem cum hac inscriptione:

Palæpolis ubi posita. — *Mons Hermis.* — *Romanus exercitus Neapoli.* — *Nolani & Samnites.* — *Nymphius.* — *Charilaus.*

C. IVLIVS. HYPOPTVS
C. IVLIVS. NARCISSVS
NIGRI. LIB. DE. SVA. P
FECERVNT. SIBI. ET. SVIS

in eadem ora *Palæpolim* fuisse existimandum sit; quam opinionem aliqui cum *Pausilypanis* propè ædificiis confirmabant.

Aliqui in iis locis asserunt fuisse, in quibus hoc tempore serici operis mercimonia venduntur, & in quibus pelliones habitant, ubi dum putei aliquot sunt effossi, ex marmore murorum ordines, ruinæ quam plurimæ, repertæ sunt. Quæ tamen *Gothorum*, & *Sarracenorum* ædificia multi arbitrati sunt, & *Iudæorum*, quorum vestigia substructionum insanis molibus, & maris gurgitibus oppressa cernuntur, quemadmodum contrà aliis locis mare etiam longiùs discessisse videmus. Idque confirmare conantur cum *Gothicis* inscriptionibus ibidem repertis. Quos toto cœlo errare dixerim, propterea quòd, nec barbarorum tanta in ædificiis diligentia fuit, ut nobilissimos lapides perquirerent, quales *Græci* luxus amatores perquirebant, & quales indè erutos vidimus, quibus non multos abhinc annos Regiæ sacræ ædis porta in Palatio ornata est; nec a *Gothis*, & *Sarracenis* ad hæc nostra tempora adeo profundè obstructa esse ædificia possent; & jam reliquum *Aureum Castrum* est in *Iudæorum* compitis, & Turris quam *Derumatam* nominat inventarium monachorum S. *Benedicti*, qui monasterium S. *Severini* incolunt, barbarorum opus. Et ad littus quoque civitas fuisset, ad ea enim usque loca mare effluebat. *Neapolis* igitur pars.

Pelliones. — *Castrum aureum.* — *Turris Derumata.*

Ambrosius Nolanus, *Palæpolim* tribus millibus passuum mari proximam describit, & monti *Vesuvio*, in ipsa via quæ *Neapoli Nolam* ducit. Multa in iis locis quidem subruta ædificiorum fragmenta, multa quoque *Græca* sepulcrorum epigrammata. Inter cetera,

Palæpolis in via Nolana.

D. SERVILI. D. L. APOLLONI
MEDICI. SERVILIA. D. L.
AMBROSIA. FECIT. PATRONO
SVO. ET. SIBI. ET. SVIS.

[1] Dec. 1. lib. 8. [2] Lib. 6. de bello Neap.

ΩΔ

ΩΔ. ΕΠΑΦΟΥ ΓΕΝΝΗΜΑ. ΣΟΦΟΙΣ. ΕΠΕΙΚΕΛΟΣ. ΑΝΗΡ.
ΚΕΙΜΑΙ. ΡΩΜΑΙΩΝ. ΣΠΕΡΜΑ. ΠΟΛΥΚΤΕΑΝΩΝ
ΚΛΗΤΟΜΕΝΟΣ. ΔΕΚΜΟΣ. ΣΕΡΟΥΙΛΙΟΣ. ΕΙΣ. ΕΤΗ, ΕΛΟΩΝ
ΕΝΝΕΑ. ΠΟΥ. ΔΕΚΑΔΩΝ. ΚΑΙ. ΤΡΙΑ. ΩΣ. ΕΛΕΓΟΝ.

item,

ΣΤΑΣ ΞΕΝΕ ΤΑΝΔ' ΑΘΡΗΣΟΝ ΕΠΙΣΤΑΜΑΙ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΝ
ΑΝ ΦΘΟΝΟΣ ΕΙΣ ΑΙΔΑΝ ΟΥ ΧΡΟΝΟΣ ΗΓΑΓΕΤΟ.
ΜΟΡΦΑΣ Α ΠΡΩΤΕΙΟΝ ΕΧΕΙΝ ΔΩΡΗΣΑΤΟ ΚΥΠΡΙΣ
ΕΡΓΑ Δ' ΑΘΑΝΑΙΑ ΤΕΡΠΝΑ ΣΑΟΦΡΟΣΥΝΑΣ.
ΜΟΥΣΑ ΔΕ ΚΑΙ ΣΟΦΙΑΝ, ΚΑΙ ΠΑΚΤΙΔΑ ΤΑΝ ΦΙΛΕΡΑΣΤΟΝ
ΣΥΜΦΩΝΙΑΝ ΕΡΑΤΟΙΣ ΜΕΙΞΑΜΕΝΑ ΜΕΛΕΣΙΝ
ΚΑΙ ΓΝΟΥΣ ΩΣ ΘΑΝΑΤΟΙΟ ΟΥΔΕΝ ΓΛΥΚΕΡΩΤΕΡΟΝ ΑΥΓΑΣ
ΖΗΘΙ ΚΑΛΟΝ ΤΕΙΝΑΣ ΟΥΡΙΟΝ ΕΥΦΡΟΣΥΝΑΝ.

ΕΙ ΚΑΙ ΣΟΥ ΚΕΥΘΕΙ ΚΑΛΛΟΣ ΝΕΟΝ Ω ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ
ΤΥΜΒΟΣ, ΚΑΙ ΦΡΟΥΔΟΝ ΣΩΜΑ ΛΕΛΟΓΧΕ ΚΟΝΙΣ
ΑΛΛ' ΑΡΕΤΑ ΒΙΟΤΑΣ ΑΙΕΝ ΖΩΟΙΣΙ ΜΕΤΕΣΤΙ
ΨΥΧΑΣ ΜΑΝΥΟΥΣ' ΕΥΚΛΕΑ ΣΩΦΡΟΣΥΝΗΝ.

Stans hoſpes hanc aſpice, ſcio, Cleopatram
Quam invidia ad inferos, non tempus duxit.
Pulcritudinis primas habere dedit Venus,
Opera autem Minerva jucunda prudentiæ.
Muſa autem & ſapientiam, & tibiam valde optatam
Symphoniæ optatis miſcens cantibus.
Et cognoſcens quod morte nihil dulcius ſplendore,
Vive bonum tendens ventum ſecundum prudentiam;
Quamvis & tuam abſcondat rectè pulcritudinem ô Cleopatra
Sepulcrum, & corruptibile corpus ſortitus eſt pulvis,
Virtus tamen vita ſemper cum vivis participans,
Animi indicat glorioſam prudentiam.

Quid in ea antiquitate nobilius? quid *Græca* ſuavitate dulcius? Non erant profectò duo hæc præclara monumenta prætermittenda. Canis in ea re venaticus efficior, ut antiquitatis ſtudioſos aliqua ex parte juvare poſſim. Sunt itaque in iis locis multa, quæ P*alæpolim* poſſent oſtendere. *Leander Albertus*, ad Aquas Regias collocat; ſed quæ ibi unquam antiquitatis veſtigia reperta ſunt? Multi ad eam regionem *Neapoli*, quæ Crypta D. *Martini* dicitur, ubi quamplurimæ ruinæ ſuperſunt, ſed cùm dixerit Livius[1], *Haud procul abeſſe*, non, P*roximam*, *Neapolim* quoque eam partem judico. Quod ſi ibi fuiſſet P*alæpolis*, & *Romanus* exercitus inter P*alæpolim* & *Neapolim* locum occupâſſet, ut mutuum auxilium dirimeret, tanta erat vicinitas, ut in eadem urbe fuiſſe videretur. *Nolano* idcirco aſſentirer.

Aliorum opinio de Palæpoli.

Illud aſſererem, non oppidulum P*alæpolim* fuiſſe, ut vocat P*ontanus*, ſed urbem, ut *Livius* nominat. Quam valuiſſe viribus indè ſcimus, quòd multa hoſtilia adverſus *Romanos*, agrum *Campanum*, *Falernumque* incolentes geſſerit, quocirca & auctoritate Patrum bellum P*alæpolitanis* fuit indictum. Neque in oppidulo præter cives, duo millia *Nolanorum*, & quatuor *Samnitium* recipi potuiſſent. Neque tanta auctoritate *Charilaus* de oppidulo loquutus fuiſſet[2]; *Quod bonum, fauſtum, felix* P*alæpolitanis*, *populoque Romano*, tradere ſe ait mœnia ſtatuiſſe. Et belli ſumma cum P*alæpolitanis* gerebatur, magiſque metuenda videbatur *Romanis* P*alæpolis*, quàm *Neapolis*, cùm circa P*alæpolim* eſſet exercitus. Videbatur præterea *Neapolitanorum* P*alæpolitanos* fuiſſe præſidium, quippe *Tarentini* cùm rem *Neapolitanam* vana ſpe auxilii aliquandiu ſuſtinuiſſent, poſtquam *Romanos* urbe potitos accepere, veluti deſtituti increparunt P*alæpolitanos*, qui poſt eam calamitatem *Neapolim* ſe contulere, & omnes dicti *Neapolitani* (eò enim ſumma rei *Græcorum* venit, ut ait *Livius*) & *Neapolitanum* fœdus effecit ut ii in *Romanorum* amicitiam redierint. Apud P*olybium*[3] *Neapolis* atque P*alæpolis* P*anhormo* adſcribuntur. Et apud P*lutarchum* in *Marcello*, *Syracuſis* pars *Achradine* eſt, ejuſque una pars *Neapolis*, altera *Tyche* dicitur. Quæ omnia oſtendunt P*alæpolim* non eſſe *Parthenopen*, neque ideo *Neapolim* appellatam novam civitatem, quòd eandem veterem P*alæpolim* inſtauraverint; ſed P*alæpolim* alibi quàm *Neapolis* ſive *Parthenope*, & *Neapolim* poſt P*alæpolim* fuiſſe ædificatam, quod vetus nomen declarat, & *Livii* verba oſtendunt, qui ſcribit P*alæpolitanos Cumis* fuiſſe oriundos, quos tamen a *Romanis* victos, & *Neapolitanis* conjunctos uno acquiſito nomine, veterem urbem deſeruiſſe mihi perſuadeo, & *Neapoli* habitaſſe.

Palæpolis urbs, non oppidulum.

Romani cum Palæpolitanis pugnabant.

Palæpolitani quando dicti Neapolitani.

Palæpolis pars Panhormi.

Sed *Neapolis* ſitum ſic deſcribit Pontanus[4]; *Sed redeamus jam Neapolitana ad mœnia omnium illa tempeſtate magnificentiſſima, qua quidem tempeſtate mare, quod illic curvari ſenſim incipiebat in ſinum, radices allidebat collis.* Et paulò poſt; *Ipſius quoque ad collis ima fontes tùm manabant ſcatebroſis ſub rupibus, qui nunc etſi paucioribus locis, in ipſa tamen maris ora ſubter ædificia defluentes ſcaturiunt.* Quapropter mirum illud videri non debet, ſi noſtra ætate aquarum ſcaturigines paſſim ad littora ſummo cum civitatis commodo perennes erumpant. Et collis ipſe ad mare impoſitus, rupibus in mediterraneis inſurgebat obnoxius, vallibus undique præterquàm ad mare cingentibus. Circumducta erant mænia, quæ haud prompta viſa ſunt *Annibali* oppugnanti. Ne tamen aliquem fallant *Pontani* verba, quibus crederent murorum reliquias ad D. *Patriciæ* quæ extant, eas eſſe quæ *Annibalis* oppugnationi prompta viſa non ſunt; illud præcipuè propono, duplicem illam molem tam craſſa materia exſtructam, non mœnia (ſcimus enim quo pacto, quove ordine *Græcarum* civitatum mœnia exædificarentur) ſed templi, aut ſtadii, aut alicujus ejus generis ædificii partem eſſe reliquam, cum omnia civitatis Sacra ibi continerentur. P*rocopius*[5] muros *Neapolitanos* partim ad mare fuiſſe, partim in continenti, & locis difficilioribus ad quos nemo adire poterat propter acclivitatem ſcribit; eaque acclivitas rupium mœnia haud prompta oppugnanti efficiebat. Valles nunc maximo ædificiorum numero complanatæ, & habitationum frequentia refertæ, atque illuſtratæ. Portus nominis ad rupium maritimarum radices memoriam ſervat cymba, quam ſingulis annis nobiles in ea regione comburunt, cùm mare longiùs receſſerit. *Ormum*, regionem dicunt, non *Ulmum* ab ulmo quod vulgo placet, ſed ἀπὸ τοῦ ὅρμου, *Ormum* enim *Græci portum* appellant, quam vocem inter alias *Græcas* cuſtodit, quibus frequentiſſimis utitur. Parvum ſanè tunc oppidum, exiguo continebatur ambitu ſi cum eo, quo nunc cingitur, aliquis voluerit metiri. Ad Boream nulla erant ſuburbia, ſed viarum potius cuniculi, & anfractus, quibus N*eapolim* inſidiosè *Annibal* petiit. Ad orientem, Cathedralis non excedebat Eccleſiæ terminos; ſed ſi P*alæpolim* ad viam conſtituerimus *Nolanam*, parietinæ, quæ præter hæc loca ad D. *Magdalenæ* cernuntur, *Neapolim* quoque conſtituebant. Ad occidentem, ea pars quæ ad *Hermitem* montem protenditur, nulla inerat. Ad meridiem, a Portus ſtatione ad molem maximo ædium numero civitas aucta eſt; ut oppidum, quod ad duorum millium paſſuum ſpatio ambiebatur, ad duodecim cum ſuburbiis, & eo amplius hac tempeſtate contineatur. Exprobrarunt ſiquidem *Beliſario* obſidionem paranti *Neapolitani*, non decere magnum Ducem, cum numeroſo exercitu, parvam urbem invadere; *Romam* priùs ipſi fore recuperandam.

Neapolis ſitus.

Aquarum ſcaturigines.

Muri ad D. Patriciæ.

Muri Neapolitani.

Portus & Ormi regio.

Neapolitanæ urbis ambitus.

[1] Lib. 8. Dec. 1. [2] Dec. 1. lib. 8. [3] Lib. 5.

[4] Lib. 6. de bello Neap. [5] Lib. 1.

CAP. VIII.

De vario Neapolitanorum Reipublicæ statu.

PROPOSITO *Neapolitanæ* urbis ædificio, & *Græcorum* in eam regionem adventu, Rei publicæ nunc status proponendus est, qui ex *Cumana* Republica elicitur, quoniam hujusmodi eam constituisse *Cumanos* conditores liquet, ut ad *Athenienſem* optimè constitutam (quoad fieri poterat) accederent, cujus amplitudo elucebat omnibus in locis, ad quæ *Græci* Colonias ducturi appellerent. In ea tamen ora, *Cumæ*, *Dicæarchia*, *Neapolis*, *Herculanium*, *Surrentum*, quarum civitatum Respublicæ multis antiquis in lapidibus continentur.

Reipublicæ Neapolitanæ forma.

Ut verò *Neapolitanæ* Reipublicæ formam dignoscamus (qui enim *Romanorum* Rempublicam eodem tempore nôrunt, quid ab ea *Græcorum* vicinæ Respublicæ differrent, noscere cupiunt) ad *Platonem* accedendum est, cujus non illius Reip. methodum in medium afferamus, in quo nihil mali est, nihilque præterea administrationis ratione, temporum æqualitate, civium moribus desiderari potest; sed rectas in suo genere illas administrationes, Monarchiam, Aristocratiam, Politiam, quo ultimo nomine popularem administrationem notabat; in quibus tamen omnibus plurima peccata recensentur, quas μεταβολὰς τῆς ὀρθῆς πολιτείας, dicimus. Sed Politiarum τρόπους enumerans, bifariam dividit; ita verò ut tres formæ indè oriantur. Vel enim unum, vel plures, imperare dicit. Si unus, Monarchia, vel Regnum erit; si plures, vel Optimates erunt, & Aristocratiam constituent; vel Populus, & appellatur Politia. Atque hujusmodi Præceptoris doctrinam elucidavit Aristoteles, qui etiam ut vitia ostendat, Regno Tyrannidem, Aristocratiæ Oligarchiam; Populari dominationi, vel Politiæ, Democratiam opponit, quo nomine Ochlocratia ab utroque intelligitur; licet *Plato* quatuor ἡμαρτημένων πολιτειῶν formas statuat, τιμοκρατίαν, ὀλιγαρχίαν, δημοκρατίαν, τυραννίδα. Ad primam formam, veluti honorariam, *Cretenſem*, & *Laconicam* deducit gubernationem. Secundam, plurimis malis plenam affirmat; tertiam, Popularem excessum intelligit, veluti, & *Aristoteles* intelligit Politiam; quartam, ultimum Reip. malum appellat.

Tria administrationum genera.

Respublica in qua minores sunt Potentatus.

At cùm aliam Remp. commemoret, in qua minores Potentatus, & venalia quædam Regna, quæ supremo cuidam imperio sint vectigalia, quarum non pauciores inter barbaras, & *Græcas* reperiri scribit, & ὠνητὰς appellat βασιλείας, ut in Regnis Ducatus, Comitatus, & hujusmodi; quænam de *Neapolitana* Republica dicemus? Ea profectò quæ ipsemet *Plato* [1] explicat, ita scilicet comparatas res humanas esse, ut nusquam pura & genuina constet rectæ gubernationis forma, sed ubique fiat in deterius commutatio, ut in omni administrationis genere vanitas dignoscatur. Eam profectò primo loco optimè constitutam fuisse arbitror, & optimum appello quod *Græcis* Rebuspublicis conveniebat; quas *Polybius* [2] *Lacedæmoniorum*, *Cretenſium*, *Mantineorum*, *Carchedoniorum*, numerat, quibuscum *Athenienſium*, & *Thebaeorum* immiscet. Quas verò nec competenti augmento, nec stabili vigore potitas, rerum moderationes non esse sortitas scribit, sed quasi nova quadam fortuna illustres esse factas, & cùm prosperè vigere viderentur, contrariam esse mutationem expertas. Habemus *Neapolitanæ* Reip. varietates, quas mox explicabo. Nescimus an alicujus virtute illustris facta fuerit. Si enim *Thebanorum* status prosperè stetit, *Epaminondæ*, & *Pelopidis* virtuti tribuamus necesse est. Si *Athenienſium* laudatissimus, omnem laudem *Themistocles* attulit; quorum hominum tamen naturæ inæqualitas, contrariæ mutationis experientiam protulit? Hanc *Neapolitanæ* Reipublicæ varietatem temporum attulit mutatio, non hominum natura, quando nullum eorum qui ibi floruerint habemus monumentum. Omnium verò statuum formam habuisse id declarat, quod Regnum, in ea fuerit Archonticum, & βασιλεὺς quoque princeps Senatus erat. Cum Archontibus, Optimates intelliguntur; & cum his administratio Popularis, Demarchorum, quos in Politia *Platonis* ejusmodi statuo, ut nisi excessum fecerint popularem, unius nihilominus Reipublicæ corpus divisisse appareat. Omissis verò his omnibus, ejus Reipublicæ quatuor tempora consideremus.

Rerum publicarum varietates.

Neapolitana Respublica omnes formas habuit.

Primus Neapolitanæ Reipublicæ status.

Primum illud est quo *Cumani*, ab *Chalcide Euboica* originem ducentes classe advecti (ut ait *Livius*) multum in ora maris quod accolebant, potuere, primò in insulas *Aenariam* & *Prochytam* egressi (*Aenaria Pithecusæ* a *Pithecusæis* populis a *Strabone* commemoratis, non a *Simiis*, aut figulis dicta) deinde in continentem sedes transferentes, in quibus suis moribus, suisque usi ritibus *Græcanicam* illam vivendi rationem instituere, quam ex suis sedibus traduxerant. Id quidem tempus, vel ob civitatis calamitates, vel ob scriptorum inopiam, prorsus ignoramus. Quis ergo quæ in ea gesta fuerint ex tanta antiquitate poterit eruere? Magistratus sese nobis offerunt. Archonticam enim, & Democraticam administrationem habemus, quibuscum alios quoque Magistratus qui in *Athenienſi* Rep. floruere, fuisse conjunctos non vereor, nam in iisdem monumentis quæ pauca supersunt, Dioecaetas, Agoranomicos, Phrontistas, Στρατηγὺς legimus, qui antiquæ illius Reipublicæ munera redolent. Atque hunc statum liberum censeo, & nulli servituti pervium, sed qui suis continebatur finibus, extra sui nominis limites non procurrens.

Magistratus Neapolitani.

Fœderata Respublica.

Secundus status.

Secundum tempus turbationibus vexatum, servituti addictum anno ab V.C. 237. reperio. Cùm enim jam *Græci* a *Samnitibus* & *Tarentinis* (*Rheginos* addo) quibuscum inita erat societas, contra *Romanos* solicitarentur, veluti *Privernates* quoque, *Fundani*, & *Formiani*, *Romanorum* in se odium concitârunt, atque ita ut misso Consule cum exercitu, duas urbes *Palæpolim* atque *Neapolim Romani* subjugaverint. Hoc verò amissæ libertatis vulnus, fœdus aliqua ex parte sanâsse visum est. Ideoque Livius [3]; *Tum fœdus* *Neapolitanum* (*eò enim deinde summa rei Græcorum venit*) *similius vero facit ipsos in amicitiam rediisse.* Erant *Neapolitani* fœderati fœdere *Italico*, ut & Rempublicam, & Magistratûs, & leges suas, & amicitiam *Romanorum* retinerent. Ceterùm in fœderata oppida *Romanos* exilii causa solum vertere solitos, ut in liberas civitates se contulisse scribit *Polybius*, inter quas *Tybur*, *Præneste*, *Neapolim* numerat. Sed *Neapolitanis* & *Palæstinenſibus* posterioribus temporibus jus civitatis a *Severo* fuisse sublatum quòd contra eum in armis fuissent, scribit *Spartianus* [4]. Etsi non in oppida fœderata tantùm secessisse, scribit *Sigonius*, sed sæpe in Colonias etiam *Latinas* jure donatas, quippe quæ longiùs a civium Romanorum jure abessent quàm *Romanæ*. Fœdere dixi *Italico*, nam alia oppida fœderata erant jure *Latii*, ut *Tybur*, & *Præneste*; jure *Italico*, ut *Neapolis*, *Velia*, *Hera-*

Neapolitani fœderati fœdere Italico.

Fœdus Latium & Gallicum. Colonia jure Italico.

[1] Lib. 8. de Rep. [2] Lib. 6.

[3] Lib. 8. Dec. I. [4] In *Severo*.

Heraclea; jure *Gallico*, ut *Ravenna*. Addunt Jurisconsulti jure *Italico Heliopolitanam* Coloniam a D. *Severo* institutam, ab eodem *Tyriam* in *Syria* fœderis *Romani* tenacissimam, *Laodicenam*, *Napocensem*, *Apulensem*, *Pataviensem*; *Emisenam*, ab *Antonino*; *Zernensium*, a *Trajano*; adde *Pacensem*, *Emeritensem*, in *Lusitania*; *Barcinonensem*, *Lugdunensem*, *Narbonensem* in *Gallia*; *Carthaginem*, *Leptim*, *Uticam* in *Africa*, & alias quæ inter barbaras gentes jus *Italicum* sunt adeptæ. Et fuisse in eo fœdere *Neapolitanam* Rempublicam *Romanis* obstrictam, *Polybius* [1] ostendit, qui scribit, *Romanos* maritimarum rerum tunc prorsus ignaros, & qui nullam navigandi peritiam ante eum diem habuerint, quo cum *Carthaginiensibus* pugnârunt, quapropter audaciæ vitio illos notat, usos esse XL. navibus *Tarentinorum*, *Locrensium*, & *Neapolitanorum*, præter triremes, dùm ipsi ne lembum quidem ullum haberent; & ad quinqueremis postea exemplar, quæ *Carthaginiensium* erat, & casu fracta ad eorum manus pervenerat, classem ædificâssent, & in arena artem navigandi essent edocti, tum in transtris sedentes brachia protendere ac reducere, tum remos per arenam movere hortatoris voce, qui in medio esset, didicissent. Quod aliquid gloriæ *Neapolitanis* attulit, maritimæ classis parandæ, antequam *Romani* parare scîssent, expertibus. *Livius* [2] ea de causa *Neapolitanos* ab iisdem *Romanis* fuisse vexatos asserit, qui *Minionem* loquentem inducit in *Sulpicii*, & *Villii* adventu contra *Antiochum Syriæ* Regem, a quo complures *Græcorum* urbes occupatæ fuerant, & dicentem; *Specioso titulo Romanos uti Græcarum civitatum liberandarum, facta tamen orationi non convenire, & aliud Antiocho juris statuere, alio ipsos uti; Qui enim magis Smyrnæi, Lampsaceni que Græci sunt, quàm* Neapolitani, *& Rhegini, & Tarentini, à quibus stipendium, à quibus naves ex fœdere exigitis?* Quod fœdus armorum jure fuisse acquisitum, idque ad eam spectare ætatem, qua a *Charylao* & *Nymphio Neapolitanæ* urbis deditio *Romanis* facta est, verba quæ sequuntur, declarant; *Cur Syracusas, atque in alias Siciliæ Græcas urbes Prætorem quotannis cum imperio, & virgis, & securibus mittitis? nihil aliud profectò dicatis, quàm armis superatis vos iis has leges imposuisse.* Sed imperium ab eo tempore, quo in eorum potestatem *Neapolitani* deducti fuerant, hujusmodi explicat *Sulpicius Minioni* respondens; *Ab Rheginis &* Neapolitanis, *& Tarentinis ex quo in nostram venirent potestatem, uno & perpetuo tenore juris semper usurpato, nunquam intermisso, quæ ex fœdere debent exigimus.* Addidit quoque hos populos non per se, non per alium quemquam fœdus mutâsse, veluti *Asiæ* civitates, ut semel venerunt in majorum *Antiochi* potestatem, non in perpetua ejus possessione permansisse, quando aliæ in *Philippi*, aliæ in *Ptolemæi* fuerint manibus, aliæ per multos annos libertatem usurpaverint. Et *Junius Syllanus Romanus* Præfectus *Neapolim* tenebat, cùm *Annibal* eam obsidere tentâsset. Quo etiam victore ad *Cannas* anno ab V.C. 537. M. *Attilio*, & *Gemino Servilio Musitano* Coss. calamitoso *Romanæ* Reip. tempore, XL. aureas pateras *Neapolitani* ad *Romanos* miserunt, si quid fortè subsidii ex iis essent accepturi, tantum abest, ut aut metu perterriti, aut pacis conditione allecti ad *Annibalem* deficere, & jus fœderis violare voluerint. *Romanorum* quoque animi magnitudo in eo munere elucet, qui præter fœdus quod exigerent, socios non afficiendos molestia statuerunt, una solum patera accepta; & socios in ea legatione appellârunt; *Ut dicerent, scire se Romani populi ærarium bello exhauriri; & cùm juxtà pro viribus agrisque sociorum, atque pro capite & arce Italiæ urbe Romana atque Imperio geratur*, &c. Cujus societatis causa id quod auri ad subsidium fortunæ a majoribus relictum foret, juvare posse populum *Romanum* sibi persuaserant. Apud *Polybium* [3] eo bello *Cannensi*, *Neapolitana* Arx ab *Annibale* fuit occupata, antequam signa conferrent, frumento & omni commeatus genere munitissima, in quam *Romani* ex *Canusio*, aliisque circùm locis frumenti copiam reposuerant, qua deinde ad quotidianos castrorum usus uterentur. Adepta victoria, *Magnam Græciam*, *Neapolimque* in deditionem accepit. Quæ *Livio* contradicunt, qui nunquam *Neapolim* ab ipso captam affirmat.

Neapolitani navibus juvant Romanos.

Ius fœderis ex armis.

Junius Syllanus Neapoli Præfectus.

Aureæ pateræ Neapolitanorum ad Romanos.

Municipium.

Licet Municipem nativitate, manumissione, & adoptione describat *Ulpianus*, & muneris participem sic appellari dicat receptum in civitate, ut munera nobiscum faceret, & abusivè dici Municipem subjungat suæ cujusque civem patriæ, ut *Campanum*, *Puteolanum*, atque ita si quis *Campanis* parentibus ortus fuerit, *Campanus* est; si ex patre *Campano*, ex matre *Puteolana*, æque Municeps *Campanus* dicitur, nisi fortè aliquo privilegio maternæ originis erit Municeps, veluti *Iliensibus*, *Delphicis*, *Ponticis* est concessum; & manumissos, & adoptatos, adoptatoris & patroni originem sequi; & incolas esse Municipes voluntarios, qui in civitatem aliquam, vel ejus fines domicilium contulerunt; dicam tamen fœderatione factum esse, ut hujusmodi oppida *Municipia* dicerentur, quæ propriis legibus vivere permittebantur, quo nomine a *Cicerone Neapolis* fuit appellata, ideoque Municipii nomen nihil Reipublicæ oberat, sic enim in *Romano* lapide:

Municipes qui dicantur.

Municipia ex fœderatione.

> AVGVSTALIBVS. MVNICIPI. CAERITVM
> LOCO. ACCEPTO. A. REP. SVA. IMPENSA
> OMNI. EXORNATVM. DONO. DEDISSE

Quin etiam cùm lege *Julia* sociis, & *Latinis* civitas data esset (antea enim, ut Cicero loquitur [4], *Qui Fundi facti non essent, civitatem non habebant*; & Fundus erat factus populus, qui legibus *Romanis* uteretur) magna *Neapolitanorum* & *Heracliensium* contentio fuit, cùm magna pars in iis civitatibus juris sui libertatem civitati *Romanæ* anteferret; nam qui suffragio in civitate *Romana* valebant, suis legibus spoliabantur, ut ait *Livius*. Quamobrem ante legem *Juliam Romani* civitate *Neapolitana* donari cupiebant, quod innuit Cicero [5]; *L. Manlius est Sosis. Is fuit Catinensis, &c. erat enim adscriptus in id Municipium Neapolitanorum ante civitatem Sosiis, & Latinis datam. Hic fuit in ea urbe Decurio.* Ea lege id factum est, ut qui fœderatis civitatibus adscripti essent, si tùm cùm lex ferebatur in *Italia* domicilium habuissent, ac sexaginta diebus apud Prætorem professi essent, cives essent *Romani*. Id maximè ad jus *Romanum* pertinebat, pro iis *Romanis* qui extra urbem habitabant.

Fundi populi qui dicerentur.

Neapolitanorum, & Heracliensium contentio.

Tertius status is est ejus Reipublicæ, qui mixtus, quodammodo *Græcos Latinosque* Magistratûs habuit. Cùm enim Municipium esset, & quæ Municipiorum jura essent subiret, *Romanis* quoque legibus obnoxia, Senatus formam tantummodo mutavit, ut *Græcos* Magistratûs non amitteret, sed simul cum iis Decuriones quoque & Duumviri gubernarent, qui Municipiorum Senatores erant. Senatus verò intercedebat auctoritas, & in nostris lapidibus qui usque ad hæc tempora latuerunt, legitur:

Tertius Reipub. Neap. status.

Senatus Neapolitanus.

[1] Lib. 1. [2] Dec. 4. lib. 4. [3] Lib. 3. [4] Oratione pro *Balbo*. [5] In Epist.

tur: τὸ βουλῆς ψήφισμα, itemque προσανήνεγκαν ἐν Προσκλήτῳ. ubinam clarior Senatus? Sed *Græcos Latinosque* hujusmodi cernimus in duobus lapidibus, altero in ædibus olim *Joviani Pontani:* *

* ΟΚΤΑΥΙΟΣ ΚΑΠΡΑΡΙΟΣ

ΟΚΤΑΥΙΩ ΚΑΠΡΑΡΙΩ ΥΙΩ ΕΥΣΕΒΕΣΤΑΤΩ

ΚΑΤΑ ΤΟ ΤΗΣ ΒΟΥΛΗΣ ΨΗΦΙΣΜΑ.

I. ΠΡΟ ΚΑΛΑΝΔΩΝ ΙΑΝΟΥΑΡΙΩΝ, ΓΡΑΦΟΜΕΝΩ ΠΑΡΗΣΑΝ ΠΕΙΡΟΝΙΟΣ ΣΚΑΠΛΑΣ ΜΑΝΝΕΙΟΣ ΠΡΕΙΣΚΟΣ ΠΟΠΠΑΤΟΣ ΣΕΟΥΗΡΟΣ. ΠΕΡΙ ΟΥ ΠΡΟΣΑΝΗΝΕΓΚΑΝ ΤΗ ΒΟΥΛΗ ΠΑΚΚΙΟΣ ΚΑΛΗΔΟΣ ΚΑΙ ΟΥΕΙΒΙΟΣΠΟΝ ΟΙ ΑΡΧΟΝΤΕΣ. ΠΕΡΙ ΤΟΥΤΟΥ ΤΟΥ ΠΡΑΓΜΑΤΟΣ ΟΥΤΩΣ ΕΔΟΞΕΝ. ΠΑΝΤΙ ΜΕΝ ΠΟΛΙΤΗ ΣΥΝΑΧΘΕΣΘΑΙ ΔΕΙΝ ΕΠΙ ΤΕΚΝΟΥ ΤΕΛΕΥΤΗ, ΜΑΛΙΣΤΑ ΔΕ ΟΚΤΑΥΙΩ ΚΑΠΡΑΡΙΩ ΑΝΔΡΙ ΑΞΙΟΛΟΓΩ, ΒΙΟΥΝΤΙ ΕΠΙΕΙΚΩΣ, ΚΑΤΑΓΟΡΑΝΟΜΙΣΑΝΤΙ ΣΕΜΝΩΣ, ΑΠΟΒΑΛΟΝΤΙ ΥΙΟΝ ΚΑΠΡΑΡΙΟΝ ΝΕΩΤΕΡΟΝ ΜΕΜΑΡΤΥΡΗΜΕΝΟΝ ΥΦ' ΗΜΩΝ ΔΙΑΤΕ ΤΗΝ ΤΩΝ ΤΡΟΠΩΝ ΚΟΣΜΙΟΤΗΤΑ ΚΑΙ ΔΙΑ ΤΗΝ ΟΜΟΙΑΝ ΤΩ ΠΑΤΡΙ ΕΠΙΛΕΥΣΘΕΙΣΑΝ ΑΥΤΩ ΑΓΟΡΑΝΟΜΙΑΝ. ΠΑΡΑΜΥΘΕΙΣΘΑΙ ΟΥΝ ΑΥΤΟΝ ΔΗΜΟΣΙΑΚΟΝ ΔΙΔΟΣΘΑΙ ΤΟΠΟΝ ΤΗΣ ΚΗΔΕΙΑΣ ΟΝ ΑΝ Ο ΠΑΤΗΡ ΑΥΤΟΥ ΕΛΗΤΑΙ. L. D. P. P. D.

Octavius Caprarius Octavio Caprario filio pientissimo ex decreto Senatus. X. ante Calendas Januarias. Scribendo adfuerunt Pironius, Scaplas, Mannius, Priscus, Poppatus, Severus. De ea re ad Senatum retulerunt, Paccius, Caledus, & Vibiospon Archontes. Ea consequuta est sententia. Singulis civibus in morte filii condolere nos oportet; maximè verò Octavio Caprario laudabili viro, cùm moderatè vivat, Annonæ Præfecturam magnificè gesserit, Caprarium juniorem filium amiserit nostro testimonio comprobatum, cùm propter modestos mores, tum quòd annonam æquè tractarit ac Pater. Easque ob res, ut ipsum consolemur, publico sepulturæ loco, quem Pater ejus elegerit donare. Locus datus publico privilegio Decurionum. Nobilissimum *Neapolitanæ* Reipublicæ monumentum, quæ tamen sub *Romanis* florebat. Utinam hujusmodi antiquioris Reipublicæ testimonium haberemus. Sunt in eo Archontes, *Græci* Senatus capita; sunt & Decuriones, *Latini* Municipii Senatores. Eorumque auctoritate in Senatu decerni videmus, nam privilegio Decurionum locus datus Sepulturæ. Ex novem nominibus, quæ hic leguntur sex prima ad *Thesmothetas* deduco, qui Senatorum officio fungebantur. Tria quæ sequuntur, ad Regem, *Polemarchum*, & Archontem, qui omnes *Archontes* dicebantur, licet plures alii fuissent Archontes. Nôstis *Atheniensium* Rempublicam. Et quamvis *Græci*, ut ait *Appianus*, aliquot cognomina nominibus habebant adjuncta, hic tamen sex nomina absque cognominibus lego, veluti etiam tria Archontum nomina simplicia recensentur. In altero autem lapide apud *Gulielmum Spataphorum*, non item, sic enim legimus cum cognominibus: *

— Senatores & Decuriones. — Græci aliquot cognomina habebant.

* I. ΠΡΟ. ΚΑΛ. ΑΠΡΕΙΛΙΩΝ

ΓΡΑΦ. ΠΑΡΗΣ. ΦΟΥΛΟΥΙΟΣ ΠΡΟΒΟΣ, ΛΟΥΚΙΟΣ ΠΟΥΔΗΣ, ΝΕΑΠΟΛ. ΠΟΥΛΧΕΡ ΠΕΡΙ ΟΥ ΠΡΟΣΑΝΗΝΕΓΚΑΝ ΤΟΙΣ ΕΝ ΠΡΟΣΚΛΗΤΩ ΚΟΡΝΗΛΙΟΣ ΚΕΡΕΑΛΙΣ Ο ΑΡΧ. ΠΕΡΙ ΤΟΥΤΟΥ ΤΟΥ ΠΡΑΓΜΑΤΟΣ ΟΥΤΩΣ ΕΥΗΡΕΣΤΗΣΑΝ. ΛΙΚΙΝΙΩ ΠΩΛΛΙΟΝΙ ΑΝΔΡΙ ΤΟΥ ΗΜΕΤΕΡΟΥ ΤΑΓΜΑΤΟΣ ΠΑΤΡΟΣΤΕ ΒΟΥΛΕΥΤΟΥ ΕΠΙΕΙΚΩΣ ΚΑΙ ΑΞΙΩΣ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ..... ΤΟΠΟΝ ΕΙΣ ΚΗΔΕΙΑΝ ΔΙΔΟΣΘΑΙ ΟΝ ΑΝ ΟΙ ΠΡΟΣΗΚΟΝΤΕΣ ΑΥΤΟΥ ΕΛΩΝΤΑΙ ΕΚΤΟΣ ΤΩΝ ΙΕΡΩΝ ΤΟΠΩΝ ΚΑΙ ΕΙΣ ΠΑΡΑΜΥΘΙΑΝ ΤΩΝ ΓΟΝΕΩΝ.

C. LICINIVS. PROCIVS. ET. MECIONIA

C. F. SECVNDILLA. PARENTES.

Decimo ante Cal. Aprilis. Scribendo interfuerunt Fulvius Probus, Lucius Pudes, Neapolitanus Pulcher. De ea re detulit ad Senatum Cornelius Cerealis Archon. Ea consequuta est sententia; Licinio Pollioni nostri exercitus ductori placenter & digne.. ...... locum in sepulturam dari, quem Parentes ejus elegerint extra sacra loca in consolationem genitorum. Tres hic Senatores, unum Archontem legimus. Quemadmodum enim Archontis nomini cognomen, ita & Senatorum nominibus cognomina adjuncta esse non est verendum. Neque Cerealis cognomen hoc loco annonæ Præfectum significat, veluti in multis lapidibus legimus, ut *Sæpini:* AEDILIS. PLEBIS. CEREALIS; & veluti Ædilem *Cerealem* in prima Republica *Romana* floruisse notat *Livius*[1], quod de *Cerere* & frumento providendi munus haberet; sed cognomen simpliciter prolatum, veluti P. *Petilius Cerealis* apud *Dionem*, unus ex primis Senatoribus, & veluti in *Fastis Romanis* plures *Cereales*. Ubi *Latinum* subscriptum *Epigramma* leges, mixtam Rempublicam intuere. Quæ permixtio a *Petro* Diacono *Casinensi* sub *Adriano* II. & *Ludovico* II. & *Basilio* Imperatoribus animadvertitur anno 872. ait enim, *Neapolim* binas Præsulum gestare sedes, qui eam gubernabant & regebant, ut capite teguntur artus diversi, & laicos & clericos, *Græcè* & *Latinè* communi prece psallere Deo. Hoc in ultimis Ducibus notavimus, Joannes enim *Græco* charactere subscribit, sed Idioma *Latinum* est. Plures Archontes habuisse *Neapolitanam* Rempublicam idem lapis ostendit, ne ad unum modò Magistratum illum deducamus. Quid si decem Archontes aliquando fuisse dixerim? Sic legimus in lapide qui ab acerrimi ingenii equite *Joanne Paulo Sanfelicio* servatur, in quo *Græcorum* quoque Magistratus *Latino* idiomate leguntur:

— Cerealis. — Græci Latinique in Rep. Neap. — Archontes plures Neapoli.

D. M.

MARCIAE. MELISSAE. CONIVGI. INCOMPARABILI

FELIX. ARX. X.

REIPVBLICAE. NEAPOLITANORVM

L. D. EX. PERM. MAGISTRAT.

ET. MARCIVS. FELIX. MATRI. B. M.

Senatus autem etsi *Græcus*, *Latinorum* formulas decernendo observabat. Legito *Romanos* lapides. Sed hic quoque *Neapoli* citatur,

S. C. AVCTORITAS. L. V. PRIDIE. CAL. OCTOBRIS IN. AEDE. APOLLINIS. SCRIBENDO. ADFVERVNT L. DOMICIVS. CN. F. AENOBARBVS. Q. METELLVS. C. F. PIV SCIPIO. L. VILLIVS. L. F. PONTINA. ANNALIS. C. SEPTIMIVS. T. F. QVIRINA. C. LVCEIVS. C. F. PVPINA. HIRTVS. C. SCRIBONIVS. C. F. PVP. CVRIO. &c.

Ex quibus intelligimus τὸ βουλῆς ψήφισμα idem esse cum Senatus consulto, ejusque auctoritate, de qua ad *Lentulum* Cicero[2]; *De his rebus pridie quàm hæc scripsi, Senatus auctoritas gravissima intercesserat.* Et Senatores scribendo adfuisse, idem declarat

— Senatus consultum.

[1] Dec. 1. lib. 7.

[2] Lib. 1. Epist.

declarat *Catoni* gratias agens, quod ſcribendò S. C. de ejus ſupplicatione adfuiſſet. In hoc Reipublicæ tempore, libertatem quoque, deſidiam, voluptates enumero *Neapolitanas*; ludos, ſcenas illuſtriores cenſeo; Imperatorum nobiliumque frequentiores acceſſus effeciſſe, ut hilarius viveretur, mihi perſuadeo.

Quartum ſtatum inferioribus temporibus tribuam neceſſe eſt; a *Conſtantino* videlicet ad *Rogerium Nortmannum*, in quibus Ducum, Conſulum, Comeſtabulorum, Comitum adminiſtratio, ad fæcem Remp. deduxit, ſi primum ſtatum conſiderare libuerit, a cujus felicitatis culmine, ad miſerias & onera decidit; licet ſe immunes & liberos *Beliſarii* temporibus *Neapolitani* appellaverint, nec ſe Imperatoribus ſubjicere velle contenderint. Tempora verò hujuſmodi aliqui partiuntur, ut eam Reip. imaginem, quam cetera Municipia habere conſueverant, *Auguſti* temporibus habuiſſe dicant. Et quidem tempora differunt, cùm L. *Manlium* Decurionem fuiſſe *Neapoli Cicero* dicat. Alii a *Græcorum* Republica ad *Romanorum* adminiſtrationem, cum eam *Gotthi* occupârunt, ſub *Genſerico* anno 456. uſque ad annum 537. quo a *Beliſario* capta eſt. Cùm vero *Totilas* anno 545. *Italiam* occupâſſet, *Neapolim* cepit, & expulſis a *Narſete Gotthis*, *Græcorum* Imperium eam civitatem iterum ſubiiſſe, qui Principem, vel Præfectum, vel Ducem, vel Prætorem (ſic appellat *Zoſimi* interpres) civitati gubernandæ præfecerunt. Atque mortuo *Phoca* Imperatore, Præfectus *Joannes Canſinius*, qui ſe Regem fecerat anno 612. ob inſolentem animi ſuperbiam ab *Eleutherio Heraclii* Duce occiſus eſt; quocirca *Neapolitani* Imperatoris partes ſequuti ſunt, & *Græcorum* & *Longobardorum* diuturnis cladibus oppreſſi vixerunt. Expulſis tandem a *Carolo Magno Longobardis* anno 775. diviſoque Imperio, Orientale *Græci*, Occidentale *Romani* ſortiti ſunt, atque ita ſuis quoque *Græcis Neapolitani* obtemperarunt uſque ad *Rogerium* anno 1125. Ejus diviſionis alius annus apud Hiſtoricos reperitur. Nam *Nicephorus* Imperator Orientis XLIV. *Thoxia* cognominatus Legatos ad *Carolum Magnum* miſit de feriendo fœdere. Eaſque conditiones inter ſe receperunt, ut ambo Auguſti, fratreſque dicerentur, Orientis alter, alter Occidentis. In *Italia*, hinc a *Neapoli*, illinc a *Siponto* quicquid ulterioris *Italiæ* in mare procurrit cum ſuis e regione inſulis *Græco* Imperatori, reliquum *Franco* obediret. *Venetiæ* inter duo Imperia medius cardo, Imperii majeſtatem piè conſervarent, neutri ſe addicerent, propriis uterentur legibus, utriuſque eſſent amici, anno 803.

COLONIA.

Omnem *Neapolitanæ* liberæ Reipublicæ jacturam, Colonia patefacit. Eam Veteres Inſcriptiones apertiſſimè oſtendunt, ut tandem aliquando ii concedant, qui Coloniæ nomen veluti profanum ab hac Republica arcere conantur. Ac ſi *Romanorum* majeſtas, quæ omnes perdomuit populos & ſubjugavit, atque omnibus urbibus imperitare didicit, ſua quoque jura & juga fœdere deteriora, *Neapolitanam* urbem perferre noluerit. Sed afferamus teſtimonia. Ex Panuinio:

GENIO. COLONIAE. NEAPOLITANAE.

Neapoli:

M. AVRELIO. PELAGIO
PATRONO. COLONIAE. NEAPOL.
PIENTISSIMO.

Item,

S. P. Q. NEAPOLITANVS
DD. L. BAECIO. L. F. GAL
COMINIO. PATRONO. COLONIAE.

Et apud M. *Antonium de Cavaleriis* antiquarum rerum ſtudioſum, qui multa etiam in *Neapolitana* hiſtoria deſcribenda congeſſit, patriæ obſervantiſſimum:

NEAPOLITANI
... O. COMINIO. PRIS
Co.... V. P. MAGISTRO
Lud.... ORVM. PATRONO
Colon.... IAE. SACERDOTI
Aug.... VRVM. AGONOTHE.
&
LICINI
ALFIO. LICINIO. V. P.
PATRONO. COLONIAE. EX
COMITIBVS. REGIO. THERMEN
SIVM. VERE. PATRONO

Ad *Neapolitanam* Coloniam extremum hunc lapidem eſſe referendum, duo præcipuè docent; *Licinii* memoria, cùm conſtet ſub *Liciniorum* tutela *Neapolitanos* fuiſſe, veluti in *Brutorum Puteolani*, quod confirmat *Alexander ab Alex.* [1] qui etiam addidit plebem per clientelas etiam ſub Patriciorum Equitumque tutela fuiſſe diviſam; & Cæſarem *Græcorum* patrocinio plerumque adfuiſſe; & Regio *Thermenſis* quæ ad noſtra ferè tempora ſub *Gulielmo* Rege in Inuentario *Caſinenſium* viget. *Thermenſes majores Piſidiæ* invenimus in antiquis lapidibus, qui *Thermeſes* quoque ibidem nominantur. Erat autem *Piſidia Ciliciæ* regio, ut *Cilices* etiam *Neapoli* cum *Iſauris* cognoſcamus habitatores. Præterea, ſi ſuos Conſules, & Proconſules *Romani* judicandis litibus ad Colonias mittebant, ad *Neapolitanam* miſſum ſcimus Q. *Fabium Labeonem*, qui *Neapolitanis*, & *Nolanis* de finibus contendentibus datus eſt arbiter; veluti Cæſar miſſus eſt ad *Lucrini* lacus negotium cum mercatoribus perficiendum, ut *Romanæ* ditionis dignitatem retineret. Si cui tamen Coloniæ nomen fuerit odioſum, ad Agellium [2] confugiat, qui ſic loquitur: *Sic adeo & Municipia quid & quo jure ſint, quantumque a Colonia differant, ignoramus; exiſtimamuſque meliore conditione eſſe Colonias quàm Municipia.* Et tamen D. *Adrianus* oratione, quam pro *Italicenſibus* habuit, miratur quædam antiqua Municipia cùm ſuis legibus uti poſſent, in jus Coloniarum mutari cupiviſſe. Contrà *Præneſtini Tiberium* obſecrârunt, ut ex Colonis in Municipes redigerentur. Et quamvis *Romanorum* Coloniæ tripliciter diſtinguantur, una enim eſt in qua *Romani* deducti ſoli habitabant; alia, in qua *Romani*, & alii; tertia, in qua etſi barbari incolebant, *Romanornm* tamen legibus obſtringebantur; & licet in hoc tertio ordine Coloniam *Neapolitanam* poſſem adnumerare; tanta nihilominus in ea eſt varietas, & tam pauca de *Neapolitana* colonia habemus, ut ignorem quid decernam. Illud affirmare tutò poſſumus, a *Romanis* jure Colonico omnem *Italiam* eſſe ſubactam; & quemadmodum antea *Romani* ſolum vertentes *Neapolim* ſe conferebant, poſtea frequentem habitatione eam urbem reddidiſſe.

Quod ſi alio modo Coloniam, coloni habitatores faciant, quænam major Colonia quàm *Neapolis* poterit reperiri? *Cumanos* a *Campanis* expulſos libentiſſimè a *Neapolitanis* fuiſſe receptos, ſcribit *Halicarnaſſeus* in Legationibus, & ejus civitatis bonis donatos aſſerit. *Bajanos* & *Cim-*

Regio Thermenſis Neapol.

Cilices.

Neapolitani & Nolani

Cæſar ad Lacum Lucrinum.

Colonia & Municipia.

Habitatores Neapolis Cumani.

Bajani.

[1]. Lib. 5. c. 24. [2]. Lib. 6. c. 13.

Cimmerii.

Cimmerios, ibi habitâſſe notat *Pontanus*, & ſub variis Imperatoribus in regione *Furcillenſi* invenimus, qui ſua ætate *Bajanam* & *Cimmeriam* regionem commemorat. noſtra ætate utraque reliqua eſt. Bello navali, quod inter *Menecratem Pompejanum*, & *Calviſium Sabinum* Cæſarianum geſtum eſt, quamvis Cæſar cladem accepiſſet, & *Mencrates* a *Mena* ejus Duce fuiſſet interfectus (id quod ejus calamitati ſolatium attulit) hoſtes tamen *Sabinum* inſequi *Siciliam* uſque juſſit, quorum ipſe parata claſſe ab *Apollophane* Duce *Pompejano* circumuentus eſt. Et tandem Cæſar [1] ad terram eſt pulſus, multaque navigia naufragium fecerunt, atque hujuſmodi potiundæ *Siciliæ* ſpem abiecit. Tunc *Pompejus Neptuni* filius creditus eſt, veſtemque cœruleam induit. Ceteris hac de cauſa ad *Pompejum* deficientibus,

Liparenſes.

Liparenſes Cæſar antevertit, & ex inſula in *Campaniam* tranſlatos *Neapoli* habitare coëgit, quoad bellum eſt abſolutum.

Alexandrini.

Alexandrinos Nero Alexandria Neapolim evocavit, eorum modulatis laudationibus (ut loquitur *Suetonius*) delectatus. Genus illud modulationis veluti novum *Neapoli*, obſcœni Imperatoris aures nimium demulcebat. *Auguſto* in *Puteolano* ſinu iidem de navi, quæ tunc appulerat candidati, & coronati, thura libantes, eximias laudes congeſſerunt. Quadragenos aureos comitibus Imperator diviſit, tum etiam togas & pallia.

Sybaritæ.

Sybaritarum habitationem ex fragmento *Græci* lapidis in *Fabii Cicinelli* ædibus, elicimus:

.:.. ΙΜΕΛΗΘΕΝΤΩΝ
ΠΑΝΙ. ΤΩ. ΕΚ
ΣΥΒΑΡΙΔΟΣ
ΑΝΤΟΝΙΑΣ. ΣΕΒΑΣΤ.

Ducentis a *Crotone* ſtadiis *Sybaris* eſt ab *Achæis* condita, ut inquit *Strabo*; & luxus & libidinis auctores *Sybaritæ* habiti ſunt.

Antonia uxor Iuſtiniani.

Antoniam Juſtiniani Imperatoris, eam judico, inter alias Auguſtas a *Neapolitanis* celebratas. Duas e lupanari ſorores, *Juſtinianus* antequam Imperium adeptus eſſet, & *Beliſarius* abduxerunt. *Antonia* Imperatori, *Antonina Beliſario* contigit. Hiſtorici [2] de *Antonia* hæc narrant; Cum ſub dio meridianis horis *Juſtinianus* quieſceret, caputque in ſinum *Antoniæ* reclinâſſet, advolans Aquila expanſis alis a Solis ardore eum defendere conabatur. Auſpicium animadvertit mulier, portendi ſcilicet *Juſtiniano* Imperium. Quamobrem re communicata, a juvene petiit, ut ad imperium evectus ipſam ſibi uxorem copularet. Quod jurejurando promiſit, & inter ipſos annulorum ea de cauſa permutatio facta eſt. *Beliſarius* interim

Antonina uxor Beliſarii.

Antoninam accepit uxorem. *Auguſtus* Senatûs acclamatione *Juſtinianus* appellatus eſt. Acceſſit *Antonia*. Princeps cognito annulo, Regiis veſtibus indutam, *Auguſtam* vocandam imperavit. Scribunt, *Beliſarium Neapoli Antoninam* retinuiſſe. *Antoniæ Juſtiniani*, monumentum eſt dicatum.

Romani.

Romanorum alia inferior Colonia *Neapoli* facta eſt, cum *Beliſarius* urbem defendens, *Gotthis* quos oppugnaverat a muro repulſis, pervigilium utrinque factum eſt. Inſequenti die *Romanis* edixit, ut uxores, ac liberos, & imbellem multitudinem ab Urbe *Neapolim* transferrent, & cum his ſimul ſervitia, quæ ad murorum cuſtodiam minus neceſſaria ducerent, ne aliis eſſent ad annonam, & ad vitam ſervandem impedimento. Qui *Neapolim*, atque in totam *Campaniam* profecti ſunt.

Gotthi. Oſtrogotthi. Longobardi. Hungari. Hunni. Alani.

Gotthorum adhuc monumenta, munitiones, turres retinet; *Oſtrogotthos* eodem tempore cum *Theodato* cognovit. Quis *Longobardorum*, non audivit in ea civitate imperia? Quis *Hungaros*, *Hunnoſque* & *Alanos*

Gepidæ. Cimbri, Teutones. Saxones.

cum *Cacano*, *Gepidas* cum *Uſdula Narſetis* Duce ibidem habitâſſe? Et *Hungari* allecti iterum & *Cimbri Teutoneſque* cum *Ludovico* Rege *Andreæ* fratre, quem laqueo *Joanna* ſtrangulaverat, & ad vaſtandum Regnum *Neapolitanum* venerant. *Saxones* cum *Othone Branſuichio* quarto *Joannæ* viro.

Franci.

Quid *Franci*? Hos a *Gallia* Tranſalpina in auxilium evocatos in *Italiam* duxit *Gregorius Miniaces* a *Michaële* Imperatore miſſus in *Siciliam*, ut *Apolophari* auxilium ferret; quos poſtea *Neapolim*, *Capuam*, *Beneventum* extruſit.

Sarraceni.

Quis *Sarracenos* (quos primo loco commemorare debueram) ab ea habitatione excipiet, qui toties eam urbem invaſerunt, quibus & ipſi *Neapolitani* aliquando ſancito fœdere locum dedere?

Slavi. Nortmanni. Suevi. Galli. Germani. Hiſpani.

Slavos, *Campaniæ* vaſtatores quis inter eos habitantes non adſciverit? Quis *Nortmannos*, *Suevos*, *Gallos*, *Germanos*, *Hiſpanos* non nouit? adhuc *Gallorum*, & *Catalonorum* regiones *Neapoli* nominantur; adhuc Coloni iis nominibus vivere creduntur.

Piſani.

Nec prætereundi *Piſani* ſunt, qui jam indè ſub *Lothario* anno 1137. cùm inter *Innocentium* & *Anacletum*, *Rogerium* Regem & *Robertum* II. *Capuanorum* Principem ſimultates intercederent, in ſuam poteſtatem ora *Amalfitana* deducta, *Neapolitanæ* urbis cuſtodiam petiêre, quam facilè per ſeptennium obtinuerunt. Maritimæ claſſis gloria eos viguiſſe lapis ad D. *Jacobi Italorum* ædem patefacit. Ædes quæ prius D. *Petri Fuſarelli* fuerat, ab eorum Conſule fuit denuo exædificata, Epigramma hoc eſt:

ANNIS MILLENIS TERDENIS OCTO DVCENTIS
POST CHRISTVM NATVM HOC OPVS ÆDIFICATVM,
QVARTO SEPTEMBRIS DENA INDITIONE KALENDAS.
CONDIDIT HANC CONSVL ODDO GVALDVLIVS AVLAM.
ROGERIVS PISCIS CVM SVIS COMPATRIOTIS.
DE FVSARELLO SANCTVS PETRVS HIC ERAT ANTE.
EN PISANORVM NVNC EST, SIC PLEBE VOCANTE
CVM PISIS VRBANÆ LAVDEM FAMAMQVE DECVSQVE.
CVI PARENT TERRÆ, CVI PARENT ÆQVORIS VNDÆ.
IACOB IN PETRA VOLVIT TVNC SCVLPERE METRA

Græci.

Græci ſuæ ferè Coloniæ non ignari iterum in eam conceſſere, cùm *Bajazetes Turcarum* Imperator anno 1507. cum *Venetis* bellum gerens in *Peloponneſum* irruit & *Methone*, vel *Modone* (quæ *Pedaſus* dicebatur) *Corone* & *Zanchio* urbibus idib. Aug. potitus, occiſis *Venetorum* præſidio, & civibus, domibuſque incenſis, qui reliqui ex tanta clade fuerant Cæſaris beneficio in hanc civitatem ſeſe receperunt & templum D. *Petro* erectum a *Rale Aſſagno Palæologo* nobiliſſimo viro in ſua Colonia colunt, quæ nunquam in hac civitate nomen amittet. Suam habuere non multos annos antè Coloniam *Mauri*, quos ſuas ſuperſtitiones exercentes puer vidi.

Scalenſes.

Suam item *Scalenſes*, qui regionem ejus nominis incolunt. Quis narret alios? Quis *Neapolitanos* colonos deſcribet? Plures ſemper colonos quàm incolas habitaſſe fateamur neceſſe eſt. Maximum profectò id affert decus *Neapolitanæ* urbi, quæ tot aluerit gentes, hodie alat, tanquam ad matrem exteri ad eam conveniant, ejus lacte & opibus nutriantur, vivant, commoda quæ alibi non ſunt maxima cum voluptate in ea reperiant.

Ordo, & Populus Neap.

Nihil itaque vel antiquæ, vel novæ Coloniæ nomen moveat. Hoc ad antiquitatem ſpectat, ut ordinem & Populum *Neapolitanum* tunc animadvertamus, veluti etiam Senatum Populumque:

M. AVRELIO. ANTON. AVG.
PATRONO. INDVLGENTISSIMO
ORDO. POPVLVSQ. NEAP. DD.

Ordo, & Populus, idem quod in aliis lapidibus, *Decuriones & plebs Æſculanorum*, *Decuriones & plebs Coloniæ Anconitanæ*. Et in aliis; *Decuriones*, *& Coloni Coloniæ Æliæ Auguſtæ*. Et *Capuæ* in pila quadam in porticu: DECVRIONES, ET

[1] Dio. Lib. 48. [2] Annonius Lib. 2. C. 5.

ET COLONI; ubi enim Ordo, ibi Decuriones qui ordinem conſtituebant; & ubi Decuriones, ibi Colonia. De Decurionibus ſiquidem loquens Andreas Alciatus [1], ait; *Emanavit autem nominis origo a Coloniis Populi Romani, in quibus qui eas deducebant Triumuiri decimum quemque conſilii cauſa adſcribebant. Ex his Magiſtratus Municipales eligebantur.* Ergo Senatores ii erant, & Senatorium Ordinem, & plebem *Puteoli* habebant, nam ad Senatum miſiſſe legationes ſcribit *Tacitus*. Et quid notæ illæ in noſtris lapidibus, L. D. D. D. *Locus datus decreto Decurionum*, ſignificant, niſi Coloniam? *Conſtantinorum* ætate ejuſmodi inſtitutam *Neapolim* legimus in uno lapide, cùm *Helenæ* ſtatuam erexiſſent, in *Montis Sedili:*

PIISSIMAE. AC. VENERABILI. DOMINAE. NOSTRAE. HELENAE. AVGVSTAE. MATRI. DOMINI. NOSTRI. VICTORIS. SEMPERQ. AVG. CONSTANTINI. ET. AVIAE. DOMINORVM. NOSTRORVM. BEATISSIMORVM. CAESARVM. ORDO. ET. POPVLVS. NEAPOLITANVS.

Eidem fortaſſe alia ſtatua antea erecta fuerat, cum *Græca* Inſcriptione ΘΕΙΟΤΑΤΗ. ΚΑΙ. ΕΥΣΕΒΕΣΤΑΤΗ. ΣΕΒΑΣΤΗ. Quam enim aliam diviniſſimam, & piiſſimam appellâſſent?

Et in *Jeſuitarum* Collegii hortis:

PIISSIMAE. AC. CLEMENTISSIMAE. DOMINAE. NOSTRAE. AVG. HELENAE. MATRI. DOMINI. NOSTRI. VICTORIS. SEMP AVG. ET AVIAE. DOMINOR. NOSTROR. BEATISIMORVM. CAESARVM. VXORI. DIVI. CONSTANTINI. ORDO. NEAPOLIT POP.

Quibus etiam verbis inſcribit litteras *Gregorius* Pontifex ad *Neapolitanos* de Epiſcopo deligendo, & vicinæ uſæ ſunt Reſpublicæ *Surrentinorum*, ac *Puteolanorum* quibus *Splendidiſſimis* quoque epithetum tribuerunt. Sed de Ordine in Decurionibus agemus. Noſcite *Neapolitani* verè piiſſimam illam & auguſtiſſimam *Helenam Coëlis*, vel *Coylli* filiam, *Conſtantini* Pii *Chlori* uxorem, *Magni Conſtantini* matrem, *Conſtantinorum* juniorum, qui urbi imperitarunt, aviam. Atque hos lapides tanto honore ſervandos curate, quantus debetur *Conſtantino* Pio ſic dicto, quòd ſævientibus aliis in *Chriſtianos*, ipſe ſolus eos amavit & complexus eſt; quantus debetur *Helenæ* quæ filio nondum baptizato, *Chriſtiana* jam facta, ſanctiſſima Cruce *Chriſtianorum* vexillo & gloria inventa, tres clavos quibus *Chriſtus* Salvator crucifixus fuerat, dedit; & quantus debetur *Conſtantino*, qui eorum uno pro Galeæ amuleto uſus eſt; alium equi loris juſſit affigi; tertium ad maximam tempeſtatem ſedandam, in mare projecit; quantus, inquam, tanto Imperatori debetur, qui cum *Maxentio* conflicturus, elevato ad ſidera vultu, in æthere Crucis trophæum vidit, clamante voce: *In hoc ſigno vince.* En quæ vobis marmora repræſentant. Alias tamen cognoſcat hæc urbs *Helenas* ſuas Imperatrices. *Helena* fuit *Juliani* uxor, *Conſtantii* ſoror, *Magni Conſtantini* filia, cui *Euſebia Conſtantii* uxor honoris ſpecie inſidiabatur, quòd ipſa ſterilis vixerit, illexitque per fraudem ut venenum biberet, ut quoties concepiſſet, abortum faceret. *Helena Alipii* filia uxor *Conſtaniini* X. *Porphyrogeniti* Orientis Imperatoris LXI. *Helena Conſtantini* VIII. Imperatoris LV. uxor, *Chriſtophori* mater. *Helena*, *Romani Lecapeni*, ejuſdem *Conſtantini* conjux. *Helena*, *Roberti Guiſcardi* filia uxor *Conſtantini* XIII. *Ducæ* Imperatoris LXXIII. qui cum *Nicephoro Botoniata*, & *Alexio Comneno* ad VII. annos imperavit, & *Dyrrachii* contra *Robertum* dimicans occubuit anno 1084.

Helenæ encomia.

Conſtantini laudes.

Helenæ plures Imperatrices.

[1] Tom. 1. col. 441 § *Decuriones.*

CAP. IX.

De Græcis Neapolitanæ Reipub. Magiſtratibus.

QVos Conſules *Romana* Reſpublica dinumeravit, Archontes videntur *Græci* appellâſſe; quos Rebuſpublicis præeſſe noverant, ii qui in *Græciam* miſſi ſunt, ut condendis *Romanis* legibus e *Græcia* exempla ſumerent. At quoniam Archontum Magiſtratus *Neapolitanæ* Reipublicæ præcipuus erat, aliqua ad eorum cognitionem præmittenda duxi. *Theſſali* Regias, & Tyrannicas poteſtates, Ἀρχοὺς vocabant, quos *Lacedæmonii* Ἁρμοστὰς, atque ita honeſtioribus vocabulis grave illud nomen atque odioſum convelabant. At nec eo modo Reipublicæ Magiſtratus intelligebant Ἀρχὰς, ut *Iſocrates* in *Panthenaico*, Ἀρχὰς οὐ κληρωτὰς, ἀλλ' αἱρετὰς fuiſſe ſcribit. Et *Ariſtoteles in Politicis*, εἰ καὶ βουλόμενον, καὶ μὴ βουλόμενον ἄρχειν, τὸν ἄξιον τῆς ἀρχῆς, *Nam & volentem, & nolentem, modò dignus ſit Magiſtratu, ad eum admovere oportet.* Quamobrem illud ἄρχειν, ad Magiſtratus pertinet. Principatum quoque denotat, ut de *Jairo*, [2] καὶ αὐτὸς ἄρχων τῆς Συναγωγῆς ὑπῆρχε. Et de *Nicodemo* Joannes [3]; ἄρχων τῶν Ἰουδαίων; de quo Tertullianus [4]: *Quis Levites, aut Sacerdos, aut* ἄρχων, *quis vel poſtea Apoſtolus, aut Evangelizator, aut Epiſcopus invenitnr coronatus?* Et adverſus *Hermogenem* [5]; *Nam & in Græco Principii vocabulum quod eſt* ἀρχὴ, *non tantùm ordinativum, ſed & poteſtativum capit, principatum, unde &* Ἄρχοντας *dicunt Principes & Magiſtratûs.* Quamvis μεγίστας Ἀρχὰς, Maximos Magiſtratus aliquot agnoſcat *Xenophon* de Repub. *Lacedæmoniorum*, quo in numero conſtituuntur Rex, Senatus, Ephori, & Harmoſti. Semper autem apud eundem auctorem dùm Ephori *Lacedæmoniis*, Archontes *Athenienſibus* imperitant, quod pluribus locis oſtendit lib. 2. *de Hiſt. Græcorum.*

Archi.

Armoſtæ.

Archontes Principes.

Exactis quidem Tyrannis, Decemuiri *Athenis* Remp. adminiſtrârunt, qui *Decaduchi* dicebantur. Poſt hos præfuere *Aſtynomi* numero decem, quinque in *Pyræo*, totidem in urbe, quibus tibicines curæ erant. *Suidas* ſcribit hos in Arce *Palladis* pecuniam ſervâſſe. Alios Decemviros recolit *Plutarchus*, qui rebus bellicis præerant. Novemvirorum deinde Magiſtratum coluerunt & ſortitò annis ſingulis, quos *Archontes* nuncupabant, inter quos primus Archon, primarius Archontum, & Reipublicæ princeps erat (fortaſſe is βασιλεὺς, cùm Regis nomen fuiſſet inviſum) a quo ſicuti *Romani* a Conſulibus, & *Lacedæmonii* a Tribunis, annos & tempora dinumerabant.

Decaduchi.

Aſtynomi.

Decemuiri rei militaris.

Novemuiri.

Alii ſic dividunt, ut novem fuerint Principes, qui *Archontes* dicerentur, Rex, Archon, Polemarchus, & Theſmothetæ ſex, quibus jus omne quod primùm Regum, poſtea Archontum fuerat, hujuſmodi tributum legimus, ut in eorum poteſtate eſſet Reſpublica. Sed Decemuiri poſtea in *Romanam* Remp. introducti ſunt anno ab V. C. 311. cùm enim T. *Romilius* ſententiam dixiſſet, ut Legumlatores crearentur qui jura Patribus plebique ſcriberent, & quæ ab iis eſſent decreta, ea plebs atque Patres obſervarent, miſſi legati in *Græciam* (addit *Dionyſius*, in *Græcanicas* etiam *Italiæ* civitates, nam *Athenienſium* quoque Rempublicam obſervabant, ut de *Neapoli* diximus) Sp. *Poſthumius Albus*, A. *Manlius*, Ser. *Sulpicius Camerinus*, qui *Græcorum* inſtituta, mores, & jura cognoſcerent, & cognita *Romam* deferrent. Quibus redeuntibus, legeſque ferentibus, Senatûs conſultum factum

Archontes Polemarchus. Theſmothetæ.

Decemuiri quando introducti.

Romani à Græcis habuerant leges.

C 2 eſt,

[2] Luc. 8. v. 41. [3] Ioan. 3. v. 1. [4] cap. 9. de Corona Militis. [5] adverſus Hermogenem cap. 19.

est, ut Decemuiri crearentur cum imperio Consulari ac Regio sine provocatione, qui ex patriis moribus, & peregrinis legibus optimas seligentes, & Reip. utiles, Populi *Romani* jura constituerent. Quamobrem ad Decemuiros spectare arbitror Archontes, & Archontes jura Reip. condidisse, quippe Consulari utebantur potestate. Desiisse Decemuirorum imperium anno ab V. C. 301. scribit *Messala Corvinus*, cùm *Appio Claudio* petulanter sæviente in *Virginiam*, Decemuiri abdicare se magistratu coacti sunt. Eosdem tabulis leges notasse scribit L. *Florus*. At *Cleomenes Leonidæ* filius *Eurydamida* Rege per Ephoros veneno sublato, & translato imperio ad *Epiclidam*, Senatusque auctoritate versa, *Patronomos* creavit, qui patriarum legum essent auctores, ut narrat *Pausanias* in *Corinthiacis*.

Codrus.

Alii scribunt, post obitum *Codri* illius, qui sciens volensque mutato habitu ex hostibus militem quendam provocans occisus est, saluti suorum consulens, quòd sciret ab Oraculo responsum *Doriensibus* ne regem inimicum occiderent si victoriam consequi vellent, *Athenienses* Archontum imperio se subjecisse, qui usque ad *Caropum* singulis annis creabantur. Mox ad decennium prorogatos, idque tempus septem Archontum imperio perdurasse; & de ea re *Dionysius* [1], ait *Albanos* Colonia *Romuli Remique* ductu missa, *Romam* condidisse initio primi anni septimæ Olympiadis, qua *Daides Mesenius* in stadio vicit Archonte *Athenis Caropo*, decennalis imperii anno primo. Postea in singulos annos esse rejectos, primumque Archontem fuisse, *Medonem Codri* filium. *Auctor Theatri vitæ humanæ* hujusmodi disponit. *Codro* Rege a *Doribus* interfecto placuit Regum imperium imminuere, atque referendis rationibus obnoxium reddere, neque Reges in posterum, sed Archontes creare. *Medon* obiit anno 2916. *Arastus* 2952. *Archippus*, 2971. *Thersippus*, 3012. *Phorbas*, 3043. *Mecades*, 3073. *Diognetus*, 3101. & sic usque ad *Erycem*, vel *Eryxiam* anno 3282. Quæ ideo adscripsi, ut hujusmodi etiam *Neapolitanos* suos Archontes numerasse sciamus, quamvis pauciores illi nobis cogniti sint, *Paccius*, *Caledus*, *Vibiospon*, *Cornelius Cerealis*, & *Felix*. Tempora ignoramus.

Archontum mutatio.

Archontes novem.

Olympiadis 24. anno 3. ab *Athenis* conditis 867. Archontum decennali imperio abrogato, summa rerum novem Archontibus quotannis est demandata, Regi, Archonti, Polemarcho, & Thesmothetis sex; permissumque est, ut ab Archonte anni singuli numerarentur. Hinc legimus in *Halicarnasseo* [2], discordiam inter plebem & Senatum de creandis Consulibus esse ortam anno 273. Olymp. 75. Archonte *Athenis Calliade*; atque eos cum *Romanis* Consulibus confero, scribente *Herodoto*, ὕπατον ἀρχὴν τελέσαι δεύτερον, *Bis consulatu functum*. Et in lapidibus, habemus, ὕπατον, ἀνθύπατον. Reliqua semper *Neapoli* Archontum memoria fuit; atque in ea regione habitasse existimarunt, quæ ARCO, non ab arcubus, sed ab Archonte dicta est. Crediderunt etiam *Neapolitani* habitationem eam turrim fuisse, quæ in quadrivio posita, mea ætate deturbata est, quòd crederetur a κακοδαίμονι coli. Fuerat aliquando a *Landulfo Vulcano* Cardinali *Surrentino* instaurata.

Archontum habitatio.

DEMARCHUS.

Favebant Archontes Senatus auctoritati; Populi verò, Demarchi ejus Principes. Idcirco in lapidibus passim legitur, ἡ Βυλὴ καὶ Δῆμος. Eo

[1] Lib. 1. [2] Lib. 20.

A tamen pacto, ut Demarchiam *Neapolitanam* non deducamus ad tertium illum statum Democraticum, quo etiam ruentem Rempublicam cernimus, quamvis enim destructis Regno & Tyrannide Aristocratia proveniat; & hæc in deterius labens Oligarchiæ formam accipiat; & cum injustitiam eorum qui præsunt plebs ulciscitur, Democratia oriatur, in qua omnis multitudo quæcunque libuerit faciendi habet potestatem; ex ea tamen corrupta (quod facile in ignara plebe efficitur) non modo Ochlocratia sequitur, turbæ scilicet popularis administratio, id enim ὀχλοκρατοῦμαι significat; sed bestialis illa Chirocratia B qua cuncta prompta manu, ferro, seditionibus, alieni avida plebs, potentiorum invida, nullius virtutis æmula, imprudentissimè decernere exoptet, quod Virgilius [3] ita expressit:

Democratiæ vitia.

Ochlocratia.

Chirocratia.

> *Ac veluti magno in populo cùm sæpe coorta est*
> *Seditio, sævitque animis ignobile vulgus,*
> *Jamque faces & saxa volant, furor arma ministrat;*

Idque cuilibet Reipublicæ unius duntaxat potentiæ vi constitutæ evenit, quæ confestim instabilis efficitur, propterea quòd in peculiarem sibi malitiam degenerat, & varia mutationum tempora C ob oculos ponit. Malitiam eam intelligit *Polybius*, qua quisque in contraria tendit, si enim quis Monarchiam regit, Regnum expetit; in Aristocratia Optimatum inter se variis affectibus dissiderent, mox Oligarchia exposcitur, ut ad paucorum manus administratio deveniat; si Democratiæ forma destruetur, vulgi petulantia, quod quid sibi velit semper ignorat, libertatemque atque æqualitatem optat, contemnit reliqua, in violentiam atque furorem, ut diximus, convertitur. Ideoque Lycurgus qui optimè illa præviderat, non unius solum formæ Rempublicam constituit, sed omnes simul Politiarum vir- D tutes conjunxit, quæ alternatim singularum viribus stabilitæ nusquam nutarent, æqua semper ratione solidarentur; atque ita Monarchiæ insolentia, metu plebis coërceretur; plebs Regem non contemneret, *Seniorum* metu, qui ab Optimatibus electi æquitatis studio semetipsos essent accommodaturi; & qui inferioris essent ordinis hujusmodi obtemperarent, ut Optimatum pars semper gravior esset, quòd a Senibus adjuvaretur. Hinc Rerumpublicarum libertas diutius servabatur. Servata est præcipuè *Romana*, in qua Consulum potestas, Monarchicæ, vel Regiæ; Se- E natus, Aristocraticæ; Populus, Democraticæ comparatur. Et quamvis eandem *Neapolitanæ* Reipublicæ rationem, quod supra innuimus aliquo pacto considerare possimus, si βασιλεὺς quoque inter Archontes constituetur, ut ad Regem spectet; Archontes ad Optimates; Demarchus ad popularem administrationem, longè tamen alia est primi Archontis, vel etiam posterioribus temporibus Duumvirorum auctoritas; ejusque populi, a populo *Neapolitano* status. Consules enim, si Regia potestate in bellicos apparatus, ac reliqua omnia quæ sub cœlo aguntur, potiebantur; Archontes tantùm roboris non ha- F buêre, qui limitibus in *Neapolitana* civitate septi vivebant. Populus præterea *Romanus*, honorum & suppliciorum potestatem sortitus est, quod maximum esse gravissimi auctores testati sunt, quoniam iis solis mortalium vita continetur. Principatus dabat iis, qui digni habebantur, quod in Republica pulcherrimum profectò est honestatis præmium. Hujusmodi leges probabat, ut in ejus voluntate pax & bellum consisteret, & de sociorum auxilio, & fœderibus judi-

Respublica unius potentiæ.

Malitia id Respub.

Oligarchia.

Optimus Reip. status.

Optimates.

Romana Resp.

Duumviri.

Consules.

Populi Romani auctoritas.

[3] Lib. 1. Æneidos.

Plebiscita.

dicaret; & eo pacto Democratica Respublica potest appellari. Hinc Plebiscita appellabantur, quæ plebs suo suffragio sine Patribus jussit, plebejo magistratu rogante, ut ait *Sextus Pompejus*, quod & *Justinianus* [1] confirmat; *Plebiscitum est, quod plebs plebejo magistratu interrogante, veluti Tribuno constituebat.* At populus *Neapolitanus* licet in ea Demarchia potuisset efficere quod *Plutarchus* narrat, *Lycophronem* scilicet *Lycurgi Butadem* promulgatione proscripta postulasse sibi jus epulandi in *Prytaneo*, quod donatum a populo fuit *Anaxicrati* Archonti, ut qui Demarchus esset aliam ab Archonte haberet potestatem; tantùm verò ab eo populo aberat, quantum Ordinem populumque Municipiorum, a Senatu populoque Romano absuisse non ignoramus. Sed in eo Ordine Demarchus hujusmodi præfuit, ut in parua Republica maximam servaret potestatem; hujusmodi, inquam, ut eum Magistratum *Adrianus* Imperator *Neapoli* gerere voluerit, sic enim de eo Spartianus [2]: *Apud Neapolim Demarchus, in patria sua Quinquennalis, & item Hadriæ quinquennalis quasi in alia patria; & Athenis Archon fuit.* Quapropter Demarchum cum Archonte eundem aliquando faciunt, & dictum Consulem & Demarchum; ut in lapide, ΥΠΑΤΟΣ. ΔΗΜΑΡΧΗΣΑΣ. Eundem aliquando cum Ædiibus. Cum Dictatore sæpius in *Latio*, quem Magistrum populi appellarunt, veluti *Magister Equitum* dictus est, qui summam potestatem haberet in equites, ait *Varro*. Et primus Dictator M. *Valerius* plebis furorem repressit, quare *Maximus* appellatus est. *Majorem* populi *Neapolitani Gregorius* Pontifex appellat. Alii eundem arbitrantur cum Vergobeto *Heduorum*, Diorigio *Achæorum*, Dionysiarcho *Carthaginiensium*, Archino *Thebanorum*, Diæceta *Ægyptiorum*, Medice *Oscorum*, Democrate *Tarentinorum*, Chiliarcho *Persarum*, Mediastutico *Campanorum*. Alii cum Tribuno *Romanorum*; legem enim sacratam plebs tulit in *Sacro monte*, cujus *Cicero*, *Livius*, & *Dionysius* meminêre, ut liceret plebi Magistratum ex suo corpore creare, qui plebem ab injuria prohiberet; ut nemini Patricio hunc Magistratum capere liceret; ut hic Magistratus sacrosanctus esset, id est, ne quis Tribunum plebis, aut verbo, aut manu violaret; qui secus fecisset, ipsum impunè posse occidi. Sed hunc Magistratum apud *Romanos* tumultuarium respicio, & ad seditiones potius placandas spectare; cùm enim de legibus ferendis inter *Romanos* ageretur, sæpe inter plebem & Senatum discordiæ ortæ sunt. Et quamvis manibus temperatum sit, ut ait *Appianus*, & civiliter disceptatum, cum sese occasio obtulisset; suam tamen ut sibi plebs potestatem tueretur, separatione primùm, cùm in *Montem Sacrum* secessisset, deinde novi Magistratus creatione, æquas in administranda Rep. partes, & Senatui, & populo divisas ostendere voluit. Novum Magistratum, Tribunum plebis creavit, qui Consulum reprimeret potentiam, ne tota Respublica in eorum manibus vincta jaceret. Dissensiones haud multò pòst inter utrosque intercesserunt, & paulatim sævierunt animi, atque inter odia & dissidia armis certare cœperunt. Nec solum alterius partis fautores, in exilium missi sunt, quod *Marcio Coriolano* accidit quamobrem patriæ bellum intulit, sed etiam ipsi Tribuni novas leges ferentes, aliáque ultra potestatis limina molientes, occisi sunt; novimus enim *Tiberium Gracchum* qui omnium primus concitata seditione, occubuit. Hinc etiam in Comitiis, in Foro, jussu Tribunorum, Prætorum, Consulum varii cecidere augescente in dies juris legumque contemptu, & bacchante populo & sicariis. Hinc domi militiæque succedente temporum vicissitudine immensum in Remp. prorupit malum, conjuratorum consilia, damnatorum pravitas, exulum incursus, proclives animi ad evertendam patriam, in qua nihil nisi hostiliter gerebatur. Hujusmodi rixæ effecerunt, ut anno post *Gracchi* cædem quinquagesimo, nec Senatu, nec Populo administrante Remp. L. *Sylla* magistratum occupârit, qui suo arbitrio rem *Romanam* regeret *Dictatoris* titulo, qui difficillimis temporibus adhibebatur, & jam desierat. Et quamvis perpetuam Dictaturam assequi conaretur, potentiæ nihilominus satur, privatam vitam elegit, quibusvis rationem redditurus, quod factum memorabile celebratur. Quam perpetuam Dictaturam *Cæsar* occupavit, cui Triumviratus postea conjuratorum occurrit. Tanta verò fuit Tribunorum potestas, ut convocandi, & dissolvendi Senatum potestatem habuerint. Quapropter Imperatores veluti Pontificatum Maximum, & Censuram, ita Tribuniciam in se receperunt potestatem. Quid ergo Tribunus cum Demarcho magistratu omnium pace in *Græcis* Rebuspublicis creato? Quid præterea unus Demarchus cum pluribns Tribunis, qui Collegium quoque habuere, & aut quinque, aut aliquando decem inveniuntur? Quod verò ad eum attinet, illud addam, δημαγωγεῖν, de eo dici, qui populi favorem aucupatur; & δημαγωγίαν, gratiam & auctoritatem significare, qua quis apud populum valet. Et in agro *Neapolitano* lapillus inventus est, in quo insculptum, ΕΥΔΗΜΙΑ, *Bona Popularitas*, ad popularem gratiam conciliandam. Sed alia cum Demarchia ostendit munera lapis *Græcus*, qui erat apud *Sanctinos*, jam indè ablatus:

ΗΒΩΝΙ. ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΩΙ. ΘΕΩΙ.
Γ. ΙΟΥΝΙΟΣ. ΑΚΥΛΑΣ. ΝΕΩΤΕΡΟΣ
ΣΤΡΑΤΕΥΣΑΜΕΝΟΣ. ΕΡΙΤΡΟΠΕΥΣΑΣ
ΔΗΜΑΡΧΗΣΑΣ. ΛΑΥΚΕΛΑΡΧΗΣΑΣ.

Heboni clarissimo Deo C. Junius Aquila junior
Miles, Procurator, Tribunus plebis.

Vocem, λαυκελαρχήσας, nemo quod sciam interpretatus est. Ipse castissimè verba descripsi. Vox, στρατευσάμενος, efficit ut Tribuniciam potestatem tribuam. *Caledianum* Demarchum infrà in alio lapide habebimus, qui ex Senatûs consulto Aviæ sepulcrum ponit, ut cum Senatoribus & Tribunicia potestate Respublica conveniret.

Populus Neapolitanus. — Ordo, & Populus. — Adrianus Imperator Demarchus Neapoli. — Demarchus confunditur cum aliis Magistratibus. — Tribunus plebis. — Tribuni plebis creatio. — Tribunorum potestas.

PHRETARCHUS. PHRATRIÆ.

Neapolitani antiqui Magistratus.

Quatuor antiquos Magistratûs præter alios in lapide, quem in Epuli Sacrificio recitabimus, notavi, Φρήταρχον, χαλκολόγον, Φροντιστὴν, Διοικητάς, Phretarchum, Chalcologum, Phrontistam, Dioecetas. Ἀγορανόμον, Annonæ Præfectum, in aliis inveni. Hos minores magistratus absque dubio appellandos censeo, nec ad eos referendos quos Ἀρχὰς diximus fuisse appellatos; sed post Archontes, & Demarchos esse constituendos, & quibus Respublica carere non poterat, in quavis enim Republica numerabantur. Ad Curationem pertinebant, de qua Cicero priore Oratione in *Rullum*; *Licinia est lex atque altera Ebatia, quæ non modo eum, qui tulerit de aliqua Curatione ac potestate, sed etiam collegas ejus, cognatos, affines excipit, ne eis ea potestas Curatiove mandetur.* Hanc *Græci* (etsi Magistratus set, vocant enim Magistros quoque Societatum, Vicorum, Collegiorum) Ἐπιμελίαν dicunt, & Διακονίαν, quæ vox in antiqua Neapolitanorum *Christiana* Religione viget, in qua S. *Andreas*, & aliæ sacræ ædes ad

Curatio. — Diaconia.

[1] d. §. 4. h. [2] Vit. Hadrian. pag. 177. Ed. Basil. Froben.

Diaconiam dicuntur, quibus vocibus ad eam rem demonstrandam usus est *Æschines* Oratione in *Ctesiphontem*. *Aristoteles* [1], Curationes civiles appellat, in quibus & belli Ducem, & matronarum Censorem, & puerorum Magistros recenset. Honores, potestates, & procurationes *Cicero* [2] conjungit. Sed cum Phretarcho, Curiæ, quas Decuriones posterioribus temporibus curarunt. Hinc in *Neapolitanis* lapidibus, Φρήτορες Εὐμελιδῶν, Φρήτορες Ἀρτεμίσιοι, Φρήτορες Ἀρισταίων, Tribules *Eumelidarum*, *Artemisiorum*, *Aristæorum* & hujusmodi. Tribules *Eumelidas*, initio commemoravi. *Artemisiorum*, in ædibus *Hyppolytæ Ruffæ* erat memoria, quæ ad Sacerdotes *Theatinos* D. *Mariæ Majoris* templum incolentes devenit. Obsecravi eos, ut relictam ex marmore tabellam publicè collocarent, ne tot monumenta ædificiis concinnandis simul perirent. Ea est hujusmodi;

Phratriæ. Eumelidæ. Artemisii. Aristæi.

Λ. ΚΡΕΠΕΡΑΙΟΝ. ΠΡΟΚΛΟΝ
ΥΠΑΤΟΝ. ΑΝΤΙΠΑΤΟΝ. ΤΩΝ. ΙΛΙΩΝ
ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ
ΑΡΤΕΜΙΣΙΟΙ. ΦΡΗΤΟΡΕΣ
ΑΜΟΙΒΗΣ. ΧΑΡΙΝ.

L. Creperlio Proclo Consuli Proconsuli Iliensium ob beneficia Artemisii Tribules retributionis gratiam.

Ea enim elocutionis formula *Græci* vovebant, ut *Romæ*, Λ. ΦΑΒΙΟΝ. ΚΕΛΩΝΑ. ΤΟΝ. ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ. ΕΠΑΡΧΟΝ. ΡΩΜΗΣ. pro, *L. Fabio Celoni splendidissimo Romæ Imperatori*. Itaque *Artemisii* L. *Creperlio* vovent ii, qui in Phratria *Iliensium* erant, veluti *Nolæ* Regio *Romana*, & Regio *Jovia*, *Julio Clementiano* statuam collocant. *Claudii* temporibus hunc lapidem tribuunt, cùm in ejus vita [3] dicat Suetonius; *Iliensibus quasi Romanæ gentis auctoribus tributa in perpetuum remisit, recitata vetere epistola Græca Senatûs Populique Romani Seleuco* Regi *amicitiam & societatem ita demum pollicentis, si consanguineos suos Ilienses ab omni munere immunes præstitisset.* Horum quoque legatio adiit *Tiberium Capreis* commorantem. atque tunc facetè respondisse scribit Franciscus Petrarcha [4], cùm Legati de filii obitu eum consolarentur: *Ego quoque fortunæ vestræ compatior qui magnificum civem Hectorem perdidistis. Ilienses*, & *Neapolitanos* celeberrimos populorum in *Sardinia* insula collocat Plinius [5].

Ilienses.

Sed ut ad rem redeam, Curiarum, & Tribulium caput erat Phretarchus. Et φρατρίαν, sic describit Suidas: φρατρία ἐστὶ τὸ τρίτον μέρος τῆς φυλῆς· φρατρίαρχος, ὁ τούτου μέρους ἡγούμενος. *Phratria est tertia pars Tribus, & Phretarchus hujus partis moderator. Budæus* scribit Phratrias esse conventus hominum, veluti pagos. Jam Confraternitates omnes ferè habent urbes. Quid autem sint φρήτορες, & γεννηταὶ sic idem Suidas explicat: φυλαὶ *Tribus fuerunt olim ad quatuor anni temporum numerum. Harum singulæ tribuebantur in tres* φρατρίας, *id est, Curias, quæ xii. fuerunt, duodecim mensium imitatione. Unde* φράτορες. φρατρία *habuit* γένη, *id est, gentes triginta pro numero dierum mensis; unde* Γεννηταὶ *dicti Gentiles, non quidem ratione cognationis, sed propter familias hoc pacto distributas. Halicarnasseus* [6] ait *Romanos Græco* ritu semper usos, jam tùm cùm *Aborigines* in *Palatinum* collem *Arcades* exceperunt; & ex *Græca* familia *Potitios* & *Pinarios* sacra esse edoctos; asseritque Curias fuisse triginta Populi *Romani* partes, & *Romulum* singulis præclarum aliquem virum præposuisse, deinde partitum eas in decem totidemque viros præfecisse; has Curias, illas Tribus vocasse. Addidit præterea eos, qui

Curiarum caput Phretarchus. Tribus, Phratriæ, Curiæ.

[1] Lib. 4. de Repub. [2] Verr. [3] Vit. Claudii. c. 25. [4] De Viris Illustr. *sensus Vitâ Tiberii a Suet. c. 52. depromptus est.* [5] Lib. 3. c. 7. [6] Lib. 2.

Tribubus erant præfecti, Phylarchos (φυλῆς Ἄρχοντας dicit *Hesychius*) qui autem Curiis, Phratrearchos esse dictos, & λοχαγοὺς, quos Curiones *Romani* appellant. Habes Decuriones. Alibi dicit, a *Numa Pompilio* primum sacrorum ministeriorum ordinem Curionibus assignatum, qui publicè pro suis Curialibus rem divinam facerent. Hi quidem nostri Phrontistæ, & Curatores. Secundum Flaminibus, quos *Græci Stephanophoros* dixerunt. Curias, *Phratores* vocat *Demosthenes* contra *Eubulidem*. Ex *Græcis* igitur φρατρίας *Romani* acceperunt, & servant; quid mirum si *Græci Neapolitani* servant? Servat, inquam, regiones distributas, sed non eosdem Decuriones; neque enim præclari viri præficiuntur, neque sacrorum ministeriorum administratores.

Stephanophori.

CHALCOLOGUS.

Hunc Magistratum Phratriarum Quæsturæ tribuo, cui earum census curæ erat, ἀπὸ τοῦ χαλκολογεῖν, quod nummos colligere significat. In Republica *Atheniensium* Quæstorem, sacrarum publicarumque pecuniarum appellari ait *Colacretas* Pollux; & Quæstorem Tribuum, *Phylarchon*. In quem verò usum *Chalcologus* pecuniam erogaret, in Sacrificio epuli in *Neapolitanorum* Religione edisces.

Colacretæ.

PHRONTISTA.

Suidas Phrontistas, Curatores, & Solicitos vocatos esse *Socraticos* scribit, quòd alii alios curarent, & quòd nunquam non soliciti essent, his verbis: φροντισταὶ δὲ ἐκαλοῦντο οἱ περὶ τὸν Σωκράτην, διὰ τὸ φροντίζειν περὶ ἀλλήλων, καὶ διὰ μηδέποτε παύεσθαι φροντίδος. Addit etiam *sapientes* vocatos esse, Merimnophrontistas. Sacrorum diximus hos curâsse mysteria, & Curiis sacras aperuisse disciplinas. Ideoque φροντιστήρια dixit *Aristophanes* Judicum consessus, a Philosophorum solicita contemplatione; & in Forum transtulit, quoniam qui litigant in profundissimas juris indagines rapiuntur. Et quoniam ad Curias transfertur; Curiones sunt qui macerantur curis. Plautus *Aululariâ:*

Volo ex te ego scire, quid sit agnus Curio.

Hinc Parochi Curiones dicuntur, & φροντισταὶ, a curis quibus erant obnoxii. De his fortè Livius: [7] *Inter majorum rerum curas Comitia maximi Curionis cùm in locum M. Æmilii sacerdos crearetur, vetus excitaverant certamen. Romanæ* urbis regionibus Curatores tribuit P. *Victor*, qui cum Vicomagistris & Decurionibus conjunguntur.

Curatores. Curiones. Parochi.

DIOECETES.

Διοικηταὶ, Sacerdotes erant Tribulium negotiorum administratores, & procuratores. Cicero Oratione pro C. *Rabirio Postumo: Diœcetes, Regius homo est. Id autem (inquit) facere non poterat nisi Diœcetes, hoc enim nomine utuntur qui a Rege essent constituti.* Alius a nostro magistratu videtur. Apollonius Tyaneus scribit Διοικηταῖς Ἀσίας. *Quorsum prodest ex agrestibus arboribus, quæ in noxam hominum nascuntur ramos amputare, & radios incolumes relinquere?*

AGORANOMUS.

Ἀγορανόμον, & κατὰ ἀγορανομήσαντα *Neapolitani* habent lapides, cùm Annonæ Præfectum significant. *Ædilem*, interpretatur Glossarium. At verò Ædiles & Quæstores aliósque ejusdem generis, *Ro-*

[7] Lib. 27. c. 8.

Romæ Annonæ præfectos fuisse asserit *Perionius*; sed Ædiles primos in Coloniis Magistratûs fuisse, tota affirmat antiquitas. *Arcadius* Jurisconsultus, *Episcopos* nominat. Rem frumentariam, pondera, & mensuras curabant. Agoranomus quoque dictus. Plautus *Captivis:*

Episcopi. Rei frumentariæ curatores. Agoranomus.

Euge edictiones Ædilitias hic quidem habet, mirumque
Nisi hunc fecerunt sibi Ætoli Agoranomum.

Præcipua semper Annonæ Præfectura *Neapoli* fuit, nihilque in ejus administratione desiderabilius est ac difficilius, quàm res frumentaria. Magni eam fecit antiqua *Neapolis*; sed parva *Neapolis*. Quanti facere hoc tempore debet, cum decies centena millia modiorum victui singulis annis vix sufficiant? Laudârunt in ea re *Neapolitani Octavium Caprarium*; laudent *Lopez Mardonem* qui primus ei negotio præfectus est; *Ferdinandum Loffredum Trivici*; *Alfonsum Sancium Grottulanorum*; *Joannem Franciscum* de *Ponte Morconensium*; & qui hoc tempore præfectus est, *Fulvium Constantium Corleti* Marchiones; atque his duobus Regentibus præter *Vincentium de Franchis* S. C. Præsidem addant alios *Salazarium*, *Lanarium*, *Gorostiolam*, & *Petrum de Castellet*, omnes quidem insignes viros, qui eam præfecturam tam prudenter gesserunt, ut inter illustria eorum opera, hoc præclarissimum sit judicandum. Ad ducenta, & septuaginta millia hominum alere, tantam frumenti copiam non modo a vicinis, sed etiam ab exteris longissimè comparare, munitam amplissimam civitatem *Neapolim* retinere, nostra ætate tam difficile est, quàm quod difficillimum, tantæque industriæ ac diligentiæ laboriosum opus, ut majus nullum ipse possim excogitare. Qui inter ea versatur negotia, aliquam eorum potest reddere rationem. Non enim hujusmodi interpretatur, ut *Theodosii* rescriptum ad *Proculum*, de civica annona, de panibus militum, aut ædificiorum, vel palatinorum, quos pauperibus *Constantinus* est elargitus apud *Metaphrastem*. Nec de *Theodosii*, *Valentiniani*, *Marciani* buccellis agitur; nec de gradili pane de quo scribit *Valentinianus* Jurisconsultus, quam etiam liberalitatem *Trajanus* exercuerat, ut ejus nummi ostendunt; sed de ea re agitur, quam *Neapolitana* dignitas tuetur, & quam *Augustus* maximus Princeps Præfecto Urbi demandandam jussit.

Annonæ Neapolitanæ Præfecti.

ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ.

Habuit alios fortasse *Neapolis Græcæ* Reipub. Magistratus *Xenoparchos*, præbendis hospitiis; *Telephoros*, vectigalium exactores; *Siticomas*, *Decaprotos*, *Prostatas*, *Logographos*, de quibus *Alciatus*. Sed Στρατηγὸς non est prætereundus, qui & Ἡγεμὼν dictus est. Legitur is magistratus inter majores, tribuitur enim Demarcho, Ἀκύλας στρατηγῶν... Sed cum majori magistratu non conjunctum, Polemarcho paruisse non vereor. Apud *Græcos* qui in Italia degebant ejus nominis gloria semper claruit, *Theophylactum Baruli* στρατηγὸν *Theanum* venisse scimus, cùm *Sarraceni* ad *Lirim* amnem consederant. Et *Symbaticium* Strategon *Macedoniæ*, *Beneventum* occupâsse. Et *Marianum Antipatrum* Imperialem Patricium, & στρατηγὸν *Calabriæ* legimus. *Græcorum* altrix *Sicilia* eum retinet magistratum. Straticoton, & Stratigetam appellat. Præsidem, vel Stratorem dicit *Afflictus*, a sternendo, quòd maleficos sternat. Ignoravit Græcum Idioma. Qui a Rogerio institutum dicunt, non negligant *Arcadii* Imperatoris tempora, cujus ætate annno 407. Methrodorum στρατηγὸν reperimus.

Xenoparchi. Telephori. Siticomæ. Decaprotoi. Prostatæ. Logographi.

Strategi Campaniæ.

Capitaneus armorum in *Ferdinandi* Regis diplomate nominatur; qui tamen pacis tempore *criminis læsæ Majestatis*, *assassinatus*, *contra famosos latrones*, *homicidii apostatato modo perpetrati*, *resistentiæ contra Magistratum*, *contentionis inter cives*, *domus expugnationis*, *populationis agrorum*, *falsæ monetæ causas cognoscit*. In iis verò, ad alium Judicem provocant *Messanenses*..

Capitaneus armorum.

CAP. X.

De Latinis Ejusdem Reip. Magistratibus.

DECURIONES.

Post veterem Reip. statum, Municipia, qualis etiam *Neapolis* erat, si ordines quærimus, Decuriones, Equites, & plebem habebant. Si Magistratus, & Sacerdotes, Duumviros juri dicendo, Censores, Ædiles, & Flamines, qui ex Decurionum ordine eligebantur. Si Consilium publicum, Senatum & Populum. Archontibus itaque *Neapolitanis* successisse Decuriones, Decurionibus Consules, Consulibus Duces, Ducibus etiam aliquo pacto Comites, aliquot monumentorum fragmenta demonstrarunt, quæ nihilominus Decurionum præcipuam ostenderunt potestatem, & Municipii *Neapolitani* sub Romanis servitutem, scriptasque has notas reperimus, L. D. P. P. D. *Locus datus publico privilegio Decurionum*. Et, L. D. D. D. *Locus datus decreto Decurionum*, qui in Municipiis iidem cum iis erant, qui *Romæ*, Senatores. Et veluti *Romæ* ex patriciis Senatus conflatus fuerat; ita extra Urbem ubi pauci erant Patricii, ex Equitum ordine, & præcipuè qui Decurionatus officio præditi fuerant, Rempublicam administrabant.

Dicti sunt Decuriones, Patres, & Curiales a curia in qua consulebant. *Ulpianus* appellat Possessores, quia Reip. prædia possidebant. Cassiodorus, [1] *Honoratos Possessores Curiales Tridentinæ civitatis*. Et Honorati etiam tantummodo dicebantur; de quibus D. Ambrosius; *Honorati multa minabantur gravissima, nisi Basilicam traderent*. A *Græcis* dicti sunt Βουλευταί, quòd consilio rebus publicis præstarent, & quòd Curiales creabantur nobiliores civitatis (quapropter Decuriones ordinem efficiebant) cum alii dicerentur plebeii. Ulpianus; *Veteres qui Rempublicam ordinârunt ad exemplum Regiæ urbis in qualibet civitate nobiles congregandos, Senatumque constituendum esse censuerunt, qui publica negotia tractarent, & rectè cuncta disponerent. Quæ res ita excrevit, ad eumque splendorem pervenit, ut magna virorum multitudine refertæ Decurionum familiæ invenirentur*. Diversis quoque temporibus diversa contigisse scimus, quippe ex plebeiis quoque electos fuisse Decuriones legimus apud *Ulpianum* in *Digestis*, ubi ait non nocere plebejo patre esse natum, si postea honor Decurionis patri accesserit. Et spurios etiam in ordinem posse allegi, non enim impedienda dignitas ejus qui nihil admisit, sed si habeat competitorem legitimè quæsitum, præferri non oportere, Divi fratres *Lolliano Avito Bithyniæ* Præsidi rescripserunt. Hoc tamen certum est, Decuriones in Municipiis nobilitatem effecisse, & a nobilitate ordinem fuisse constitutum; ideoque ORDINEM ET POPULUM sæpissime legimus; & ORDINEM DECURIONUM TUDERTI, ut ab Ordine Populum fuisse segregatum sciamus, licet obeundis Reipublicæ muneribus conjungerentur. Ordinem designari a Decurionibus, elicitur ex Paulo Juris-

Decuriones quo alio nomine appellantur.

Ordo & populus.

[1] Variar. lib. 2. c. 17.

risconsulto, qui de privilegiis Veteranorum ait: *Veterani muneribus fungi cogantur, dum passi fuerint in Ordinem legi*; ubi Accursius, *eligi Decuriones* interpretatur.

Decurionum electio.

Quod ad eorum electionem & numerum attinet, in tabella Decuriones notabantur, quæ Album appellabatur, quemadmodum etiam Senatorum scribebantur nomina. Sed veluti Senatus princeps eligebatur, sic etiam creabatur primus Curiæ, qui universa civitatis munera explebat. Et quoniam plures pauciorésque erant pro civitatis magnitudine, quisque rogatus sententiam dicebat, qui honore præcederet. Quandoque decem erant quos *Græci* Δεκαπρώτους nominabant. Aliquando viginti, εἰκοσαπρώτους. Nunquam pauciores quinque. Non minores XXV. annis allegi nisi ex causa poterant Callistrato; neque hi qui annos LX. excesserint. Nonnunquam longa consuetudo in ea re observata, recipienda erat. *Ulpianus* Municipiis perpetuos Decuriones præfuisse scribit, e quorum numero singulis annis eligebantur Duumviri, tanquam omnium præcipui, qui aliunde non poterant cooptari, maximumque honorem Duumviratum appellat. *Cicero* tamen commendat *Valgium*, Quatuorviris ex Decurionibus *Fregellanis*. Usus multa tulit. Alii scribunt Decuriones *Calendis Martii* nominari solemniter a Duumviris Curia convocata, & a Provinciæ Præside confirmatos, eosque qui creati erant honoriarium aliis Curialibus exolvisse. Qua de re Plinius [1] nepos; *Decuriones qui supra legitimum numerum Cæsaris indulgentia adjecti fuerant, singula millia denariorum, & quandoque bina millia Curiæ pro introitu intulisse.* Eorum census erat centum millium nummum. Medicos, Grammaticos, Rhetores, & Philosophos in civitate alebant. Quælibet autem civitas Professoribus liberalium artium pecuniam destinaverat, cujus diminutio facta est a *Justiniano* Imperatore, cùm pecunia ad Templorum ædificia non sufficeret. *Vespasianus*, Medicis, Grammaticis, & Rhetoribus centena sestertia constituit, ut ait *Tacitus*. Et *Neapoli* hujusmodi studiosos viros floruisse quis nescit? Et *Archiam* civitate donatum? & cohonestatum a nostris Decurionibus sepultura *Lucilium*?

Numerus. *Decuriones perpetui.* *Decurionum census. Officium.* *Archias. Lucilius.*

Decurionum potestas in sepulturis.

Quid verò ad sepulturas a Decurionibus concessas adjiciam? Apud *Hermogenianum* tributorum exactionem hujusmodi Decuriones curabant, ut si qua detrimenta Fiscus mortuorum causa pateretur, ipsi suis sumptibus resarcirent. Nam cùm corpus in civitatem inferri non liceret, ut scribit *Paulus* [2], ne funestarentur sacra civitatis, *Adrianus* Imperator statuit, ut pœnam LX. aureorum solverent, qui in civitate sepelirent, eamque pecuniam Fisco addixit, eandemque solverent Decuriones qui id licere passi essent, locumque publicari & corpus transferri. Quod rescriptum in iis quoque civitatibus obtinere *Ulpianus* ait, in quibus lex Municipalis permittebat in civitate sepeliri. Cicero [3]; *Ex agro culto, vel qui coli possit, ullam partem sepulcro sumi vetat Plato. Sed quæ natura agri tantummodo efficere possit, eam nequis minuat, neve vivus, neve mortuus. Postumius* tamen cui cognomentum *Tuberto*, in urbe sepultus est, ut ait *Zonaras*, & *Plutarchus*, & *Cicero Tuberti* virtuti illud tribuit. Et ob virtutem a *Neapolitanis* Decurionibus locus datus est sepulturæ *Octavii Caprarii*. Pertinebant quoque ad Decuriones cursus publici, aquæductuum solicitudo, spectacula, publicæ viæ, munitiones, calefactiones thermarum, annona, & legationes. Studebant tandem tranquillitati, & commodo civitatis.

In civitate non sepeliebant. *Sepulcra à Decurionibus concedebantur.* *Decurionum alia munera.*

[1] Epist. 73. [2] Lib. I. Sent. [3] Lib. 2. de Leg.

Electi civitatis Neapolitanæ quid differant à Decurionibus.

Quibus omnibus factum est, ut civitatis *Neapolitanæ* Electos Decuriones appellandos esse censeant. Nihil minus. Magistratus hic *Neapolitanus*, qui profectò maximus est, a Decurionatu longè abest, si quæ suprà retulimus attentiùs considerentur. Primò temporis habita ratione; Decuriones enim perpetui eligebantur; Electi, non item; qui vel semestri, vel annua dignitate funguntur, quod paucos abhinc annos est introductum. Secundò, quòd plebejo patre non intererat esse natum, si postea honor Decurionis patri accessisset; quàm illud obstet Electis, eorum lecta nobilitas doceat, licet unus ex popularibus intercedat. Tertiò, quòd Duumviros tanquam omnium præcipuos Decuriones habebant; & inter *Neapolitanos* Electos æqua omnium potestas est, & nemo eorum majorem exercere auctoritatem profitetur. Quartò, quòd Decuriones a provinciæ Præsidibus confirmabantur; quam confirmationem Electi aliunde non expetunt, quàm quisque a sua Curia (plateas & sedilia vocant) accipit. Quintò, quòd Decuriones, qui supra legitimum numerum adjiciebantur, honorarium aliis Curialibus exsolvebant; at Electi nec supra numerum eliguntur, nec honorarium aliud ullum alicui erogant. Sextò, Decuriones in Coloniis & Municipiis Romanis legibus obnoxiis administrabant; Electi in Regia civitate, a Regibus excogitati. Septimò, Electi non eo obstringuntur jure, ut si Electus crearetur filiusfamiliias voluntate patris, universis muneribus quæ filio injunguntur (ut ajunt Jurisconsulti) quasi fidejussor obstrictus sit pater. Octavò, quid Senatorum, cum Electorum officio? Quæ jura, quæ leges immutatæ? Quid a Reipublicæ statu, Regius differt dominatus? At quando Decuriones tanta cum majestate, & dignitatis gloria in Municipiis imperitarunt, quanta *Neapolitani* Electi amplissimæ orbis urbi præsunt? Si tamen cum aliis Magistratibus essent comparandi, cum Decurionibus profectò comparabuntur, quod annonæ illi præcipuè consulebant, nec debebant cogi (ut notat *Marcianus*) vilius præstare frumentum civibus suis, quàm annona exigebat. Condebant præterea eas leges, quæ administrandæ Reip. necessariæ videbantur, veluti Electi suas quoque promulgant leges, quibus civium status victu constituitur. Quamobrem Electi nomen plurimùm sibi dignitatis comparavit, (licet Sexviri, & Syndici a Regibus fuerint quoque appellati) nec alio nomine majorem dignitatem additam quisquam putet. Et qui Decuriones a supremo illo Municipali ordine traducunt ad minorem nostræ civitatis Magistratum, quem *Capitaneum* dicunt, ea tantùm re non benè dicere cognoscant, quòd nunquam Senatus auctoritas Capitaneis fuit tributa, nunquam munitiones, publicas vias, annonam, & hujusmodi curarunt. Vicomagistros potiùs *Romano* more appellarem, apud quos non dicuntur *Caporiones* a Curiis, sed a variis regionibus quibus præficiuntur; *Comestabulos* corruptior ætas cum Consulibus appellavit. Et novum hoc Capitanei nomen, etsi barbarum, plùs tamen habet dignitatis, quàm quodlibet aliud erogaveris, nova hac gubernandi ratione proposita.

Duumviri cum Decurionibus. *Electi, Sexviri, & Syndici.* *Capitaneus.*

CONSULES. COMESTABULI.

Consulum Neapolitanorum varia tempora.

Consules quos Συμβούλους & Ὑπάτους dixerunt, in *Neapolitana* Republica triplici serie cognoscimus. Primi fuerunt ii, qui aliquandiu Decurionum loco administrarunt, vel ante Decuriones post Archonticam dignitatem, nihil enim certi compe-

perimus, quamvis etiam cum Archontibus Decuriones reperiamus. *Philippus* hujuſmodi Conſul objicitur in æde *Pontani*:

ΤΟΝ. ΠΑΣΗΣ. ΑΡΕΤΗΣ. ΕΙΛΗΜΟΝΑ. ΦΩΤΑ. ΦΙΛΙΠΠΟΝ ΠΡΕΣΒΗΝ. ΑΟΝΙΗΣ. ΕΝΠΕΡΑ. ΜΟΝΣΟΦΙΗΣ ΑΥΣΟΝΙΩΝ. ΥΠΑΤΟΝ. ΠΑΤΕΡΑ. ΚΛΥΤΟΝ. ΑΝΤΙΓΟΝΟΙΟ ΘΡΕΨΕ ΜΑΧΗ. ΔΟΝΙΗ. ΔΕΞΑΤΟ. ΔΕΠΑΛΙΗ

Sic in ſuperiori lapide: *L. Creperlius Proculus Conſul*. Et in aliis noſtris lapidibus Conſules cum Duumviris: *Cn. Domitio Dextro*, *L. Valerio Meſſala Coſſ.* cum quibus Cn. *Papirius Sagitta*, & P. *Ælius Eudæmon* Duumviri ad Senatum retulerunt de Statua ponenda a Dendrophoris, qui thermas lignis calefaciendas curabant, atque idcirco ad *Puteolanam*, vel *Cumanam* potiùs Rempubl. ſpectant; ad noſtram tamen dignoſcendam plurimum valent, quippe quæ eadem Senatus auctoritate intercedente gubernabatur. Atque ejuſmodi mutationes in Coloniis dignoſcimus; & *Cæſar* [1] Duumviris Municipiorum omnium imperat, ut naves conquirant. Et in Rep. *Puteolana*, ejuſmodi Conſulibus (qui profectò Conſules *Romani* non erant, qui Regiam habebant poteſtatem) antecellunt: AB COLONIA. DEDVCTA. ANNO. XC. N. FVFIDIO. N. F. M. PVLLIO. DVOVIRO. P. RVTILIO. CN. MANLIO. COSS. qui ſic etiam cum Decurionibus recenſentur: DVOVIRI. ET. DECVRIONES. FORO. SEMPRONIENSES.

Duumviri.

Dendrophori.

Secundam Conſulum ætatem *Conſtantini* Imperatoris ævo habemus, quando conſtitutis Ducibus, Conſulum quoque nomen & auctoritatem retinuiſſe viſus eſt; & recenti Ducum Magiſtratui plurimum addidit honoris Conſulis nomen, quo eorum auctoritas & poteſtas quodammodo confirmabatur. Idcirco *Neapolitanus* Dux, ΥΠΑΤΟΣ ΚΑΙ ΔΟΥΞ, apud Græcos; *Conſul*, & *Dux*, a *Latinis* dicebatur. Solius ſæpe Conſulis nomine appellabantur; ut cùm etiam *Magiſtri militum* dicerentur, ad Conſularem poteſtatem aliquo pacto viderentur accedere. Poterant fortaſſe tunc Duces & Conſules, Conſuli & Dictatori comparari, qualem M. *Fabium Ambuſtum* fuiſſe ſcribit *Livius* anno ab V. C. 428. Alios *Nortmannorum* ætate habemus Conſules, qui ut in minoribus civitatibus imperitabant, minori quoque dignitate quàm Duces fungerentur. Hujuſmodi Conſulem *Lottefridum*, & *Leonem Fundani* habuerunt, & *Andream* Municipes *Montis Corvi* anno 1123. apud *Leonem Oſtienſem*.

Duces & Conſules.

Conſules Fundani, & Montis Corvi.

Tertiam, jam conſenuiſſe in *Neapolitana* Republica videmus, & inclinatiorem eſſe factam, quando aliquot diplomatibus ob varias res variis temporibus, ſubſcribunt, *Conſules magnificæ Civitatis Neapolis*. Si tamen vero Subſcriptio illa habenda eſt. Et anno 1190. cum *Alierno Cutono* magnus ſubſcribit Conſulum numerus, quæ ſi etiam vera habeantur, tot Conſules præcipuè cum *Cutono* a culmine ad valles dignitatis deſcendiſſe cognoſcuntur. Aliud quoque Conſulum genus *Neapoli* permiſerunt, quo variæ gentes negotiis præficiuntur. Veluti & a Rege *Ferdinando* Catholico ipſi *Neapolitani* obtinuère, ut *Neapolitanos* Conſules ubique præficiendi poteſtatem habeant; atque ita ut ſuperioribus annis *Hiſpanorum* Rex ad *Neapolitanos* ſcripſerit, ut in *Balearibus* inſulis eum Conſulem eligerent, quem ipſe per litteras peteret. Et nuper cùm *Syracuſis*, & *Drepani*, Conſul quidam a *Neapolitanis* Electis creatus, Proconſules in tota *Sicilia* ſubſtituiſſet, orta inter aliquos lite, & Conſules & Proconſules abdicare ſe Magiſtratu coëgerunt, noviſque Conſulibus creatis, Proconſules abrogarunt.

Conſules ſubſcribunt diplomatibus.

Conſules Neapolitani apud varias Nationes.

Electi creant Conſules.

Cum Conſulibus, *Comeſtabuli* numerantur. Hæc quoque dignitas, quæ tunc nullius ponderis erat, in Regia adminiſtratione maximum pondus, maximamque auctoritatem adepta eſt. *Comeſtabuli*, *Comeſtabiles*, *Coneſtabiles*, & *Conteſtabiles* (his enim vocibus eadem dignitas ſignificatur) rei tantum bellicæ præpoſiti iidemque cum στρατηγοῖς, ſic dicti *Gallica* voce, ut in Titulo de Magiſtratibus *Romanorum*; vel quaſi Mareſcalli, ut alio vocabulo appellantur; vel quia Comitivæ Stabiles debent eſſe, atque idem *Coneſtabili*, quaſi Cuneus ſtabilis, ait *Frezza* [2]. Atque illud addam, legi in *Notitia utriuſque Imperii*, Cuneos Equitum *Dalmatarum*, Scutariorum, *Conſtantinianorum*, quæ diviſio contigerat militiæ *Ripenſis* Ducis, & Ducis *Mœſiæ* Cuneum Equitum *Solenſium*, Armigerorum, & hujuſmodi. Et quoniam plures per provincias eſſe poterant diſtributi Comeſtabuli, ut bellorum occaſio ferebat, factum eſt, ut is, qui in Regno crearetur, dictus ſit Magnus Comeſtabulus, quaſi Magiſter Equitum, qui a *Romano* Dictatore inſtituebatur; quapropter Ammianus Marcellinus [3] ſcribit a *Valentiniano* Imperatore *Valentem* fratrem Comeſtabulum creatum fuiſſe. Huic extenſa manu a Rege gladius aureus traditur his verbis; *Accipe Sanctum gladium, in quo dejicies adverſarios populi mei.* veluti Præfectum Prætorio a Trajano ornari, ait Plinius in Panegyrico; *Accipe hunc enſem, ut ſiquidem rectè Reip. imperavero, pro me; ſin autem ſecus, in me utaris.* Primus apud Regem ſedet Comeſtabulus, ut in Conuentu a Rege *Alfonſo* I. convocato legitur, anno 1442. Et quamvis Mareſcallus, & Comeſtabulus, Stabuli Magiſtrum ſignificent, barbaras tamen voces affirmant *Latinæ* linguæ ſtudioſi; Tribunum Stabuli appellat *Marcellinus*. Noſtri verò Comeſtabuli, vel aliquo pacto rem bellicam tractabant, & ut Dictatori Magiſter equitum, ſic ipſi Conſulibus parebant; vel etiam ipſi Conſules eo nomine appellabantur. Scimus tamen ad antiquam eorum dignitatem accedere non potuiſſe. Placet aliis a *Nortmannis* hujuſmodi fuiſſe inſtitutos viginti quatuor numero, ideoque ad noſtros *Capitaneos* referunt.

Comeſtabuli.

Cunei equitum.

Magnus Comeſtabilis.

PROCONSULES, PALATINI, CORRECTORES.

Quamvis Gregorio Magno Pontifice, & *Mauricio* Imperatore, cujus ætate Pontifex vivebat, Exarchatus dignitas in *Italia* vigeret, & miſſos ab eodem Imperatore ſciamus *Romanum*, *Callinicum*, & *Smaragdum* Exarchos; legimus tamen in ejus Pontificis Epiſtolis Proconſules, ſive Exconſules & Palatinos *Italiæ* fuiſſe Præfectos, & in *Campania* atque *Neapoli* juriſdictionem exercuiſſe. Scribit [4] ad *Gregorium* Proconſulem *Italiæ* his verbis; *Fertur itaque quod annonas atque conſuetudines Diaconiæ, quæ Neapoli exhibetur, Eminentia veſtra ſubtraxerit.* In Diaconiis igitur annona pauperibus erogabatur. Et eos Magiſtratus in civitatibus habuiſſe aliquos, qui ipſorum vicem gererent, idem ſuperiùs declarat ſcribens *Joannem Neapoli* præfeciſſe *Dulcitium*, & alterum *Joannem* ejus deceſſorem in eadem epiſtola nominat, a quo eas conſuetudines ait fuiſſe adminiſtratas. Et [5] ad *Amantium* Domeſticum; *Scripſimus ut cautiones agentium vices Joannis Præfecti ſimul & Palatini, huc tranſmittere debeat.* Hunc clariſſimum dicit ad *Fortunatum* ſcribens. Atque eundem non fuiſſe Ducem, Pontificis verba ſic innuere videntur; *Etſi, quod non credimus, admonitionem noſtram prædictum Joannem virum clariſſimum videtis fortè differre, cum eminentiſſimo filio noſtro Præfecto ſtrictè loquimini.* Clariſſimi titulum Ducibus non da-

Diaconiæ.

Clariſſimi titulus.

D

[1] Lib. 1. de bell. civil.

[2] Lib. 1. de Subfeud. [3] Lib. 26. [4] Lib. 8. Ep. 10. [5] Lib. 1. Ep. 51.

datum contendunt. Sed si Eminentissimi titulum Præfectis, Palatinisque tribuunt, Ducibus quoque fuisse tributum affirmo, cùm eo titulo *Neapolitani* Duces in Diplomatibus subscribant. Præfectum alii non Palatinum, sed Ducem intelligunt. Atque hujusmodi hæc inter se nomina commiscebantur.

Cubicularii. Exquæstores.

Ceterum hujusmodi Proconsules, quos & Exconsules appellat, & Palatinos, & Cubicularios Consulatu functos intelligit, veluti Exquæstores, Quæstorio munere functos intelligit *Justinianus*. Quamobrem *Landuinum*, & *Racterium Campaniæ* Consules legimus in *Cassinensibus* Chronicis circa annum 1000. Et in lapidibus de illustribus aliquot *Campanis* habemus has notas V. C. *Virum Clarissimum*, quæ dignitas Consularibus Viris, Proconsulibus, & Præsidibus, vel Correctoribus conveniebat. Habebat siquidem suos Consulares & Correctores Campania sub *Italico* Prætorio, veluti *Tuscia*, *Lucania*, & *Apulia* habebant. *Spartianus* in *Herodiano* quatuor Consulares per omnem *Italiam* constituit. At de *Campania* Symmachus [1]; *Lupus Consulari jure Campaniæ præsidens*. *Tetrici Lucaniæ* Correctoris meminit *Vopiscus* in *Aureliano*; a quo *Samnii*, *Lucaniæ*, *Brutiorum*, *Apuliæ*, *Calabriæ*, *Etruriæ*, *Umbriæ*, *Piceni*, & *Flaminiæ* Correctores habes. Consulares Correctores sub *Gotthis* quoque statuit. In lapidibus antiquis:

Campaniæ Consules. Correctores Campaniæ.

BETTIO. PERPETVO. ARZYCO. V. C. CONSVLARI. TVSCIAE.

Et in alio:

RVFFIO. VOLVSIANO. V. C. CORRECTORI. CAMPANIAE.

Palatini.

Palatini autem dicti tanquam custodiendi Palatii Principis honorem consequuti; & ideo aliis digniores habiti. Quapropter inventis a *Constantino Magno* Comitibus, eorum tres ordines fecit, ut scribit *Eusebius*, Palatinos, Comitatenses, & Pseudocomitantes. Eo tamen loco, Præfectum Prætorio intelligere *Gregorium* docti viri existimant. Et sub hoc Magistratu Dioeceses Provinciarum continebantur. Erant & Palatini Magistri militum (sed hoc non ad Duces *Neapolitanos* pertinet) sub quibus erant Legiones *Palatinæ*, *Martiarii*, *Daci*, *Scythæ*, *Primani*, *Undecimani*, ac reliqui, quos in *Notitia* reperies. *Leontium* quoque Exconsulem nominat *Gregorius* [2] cùm de causa libertini scribit, & de insulis *Neapolitanis* non surripiendis *Romanum* Defensorem admonet. Numerantur etiam Præfecti *Campaniæ*. *Cassiodorus* vocat Præfectos, & Consules.

Comites inventi a Constantino. Comitum tres ordines. Præfecti Campaniæ.

Tribunus, vel Præfectus custodiæ.

Constantium Tribunum custodiæ civitatis commendat Gregorius [3] universis Episcopis Neapolitanis, his verbis; *Summa militiæ laus inter alia bona merita hæc est, obedientiam sanctæ Reipublicæ utilitatibus exhibere, quodque sibi utiliter imperatum fuerit, obtemperare: sicut & nunc devotionem vestram fecisse didicimus, quæ epistolis nostris quibus magnificum virum Constantium Tribunum custodiæ civitatis deputavimus præesse, paruit, & congruam militaris devotionis obedientiam demonstravit. Unde scriptis vos præsentibus curavimus admonendos, uti prædicto viro magnifico Tribuno, sicut & fecistis, omnem debeatis pro Serenissimorum dominorum utilitate, vel conservanda civitate obedientiam exhibere, quatenus quidquid a vobis hactenus benè gestum agnoscitur, per præsentis temporis vigilantiam, ac solicitudinem augmentetis.* Magistro militum & Duce tunc *Neapolim* caruisse, ea verba ostendere videntur, quando ejus custodiæ cura Tribuno committitur. An verò non etiam

Gregorii Pontificis in Neapolitanos studium.

[1] Lib. 1. Ep. 39. [2] Lib. 8. Ep. 51. & Epist. 53. [3] Lib. 12. Ep. 24.

A intelligimus, omne studium in *Neapolitanam* civitatem Summum Pontificem contulisse, & pro Imperatorum dignitate omnia fecisse, quæ optimum Pastorem decebant? Ejus in ea civitate auctoritas iis verbis ostenditur, quibus Tribunum ab ipso præfectum scribit. *Eusebius* in *Græcis* urbibus hos Tribunos, Præfectos nominat. Accedit autem custodiæ Præfectus ad antiquum Præfectum urbis & Vigilum, qui incendiorum causa opportunis urbis locis ab *Augusto* fuit cum cohortibus institutus, & *Clarissimum Virum* appellat *Festus*, Triumviris, & Tribunis id negotium quoque demandatum asserens. Imperabat

Præfectus vigilum. Collegiati.

B Præfectus Vigilum sexaginta tribus Collegiatis, qui ex diversis artificum corporibus erant delecti. *Nyctoparocbus* dictus est [4]. & *Nyctostrategus l. ultima*, §. 1. *de muneribus & honoribus*. *Nocturnus advocatus*, Petronio *in Satyra*, Νυκτοφύλαξ, *Noctianus*, *Noctecustos*, *Vigilis*, in Glossis.

Comitiva Neapolitana.

Comitum dignitatem *Constantinus* invenit, ut ex *Eusebio* diximus. Sed Comitivam, quam describemus, *Longobardis Gotthisque* tribuo, quibus in *Italiam* ingruentibus aliquot Magistratûs desiêre, aliquot ad summum honoris fastigium

C sunt evecti. Duces sub *Gotthis*, nihil fuere. Viguit Comitiva; licet *Neapolitani* exactis *Gotthis*, sub Ducibus redierint. De Comitiva *Neapolitana*, sub *Visigotthorum* Rege *Theodorico*, sic loquitur Cassiodorus [5]: *Et ideo ad Comitivam te Neapolitanam per illam indictionem libenter adducimus, ut civilia negotia æquus trutinator examines, tantumque famam tuam habita maturitate custodias, quantum te illi populo, vel in levi culpa displicere cognoscas. Urbs ornata multitudine civium, abundans marinis terrenisque deliciis, ut dulcissimam vitam te ibidem invenisse dijudices, si nullis amaritu-*

D *dinibus miscearis. Prætoria tua officia replent, militum turba custodit. Consīdis* (Alibi, CONSCENDIS) *gemmatum Tribunal: sed tot testes pateris, quot te agmina circumdare cognoscis. Præterea littora usque ad præfinitum locum data jussione custodis. Tuæ voluntati parent peregrina commercia. Præstas ementibus de pretio suo, & gratiæ tuæ proficis, quod avidus mercator acquirit. Sed inter hæc præclara fastigia, optimum esse Judicem decet, quando se non potest occulere, qui inter frequentes populos cognoscitur habitare.* Hoc Magistratus genus, nihil cum supremo Magistratu commune habuisse mihi persuadeo, cum Judicem dicat, & Comitem aliis verbis, juri tantùm dicundo ele-

Comes, & Judex.

E ctum declarat. Sic enim scribit Honoratis, Possessoribus, & Curialibus, quos Decuriones suprà diximus [6]; *Tributa quidem nobis annua devotione persolvitis, sed nos majore vicissitudine decoras vobis reddimus dignitates, ut vos ab incursantium pravitate defendant, qui nostris jussionibus obsecundant. Erit vestrum gaudium, vestra quies, suave lucrum, si nesciatis incommodum.* Et paulò pòst; *Atque ideo illi nos Comitivam Neapolitanæ civitatis per illam Indictionem dedisse declaramus; ut nostra gubernatione laudatus, alteram mereatur de nostro judicio dignitatem. Cui vos convenit pru-*

F *denter obedire; quia utrumque laudabile est, ut bonus populus Judicem benignum faciat, & mansuetus Judex gratissimum populum æquabili ratione componat.* Sed gemmatum illud tribunal, Prætorium, militum turba & alia quæ subnectit efficiunt, ut credam Comitem quasi Ducem præfuisse in *Gotthica* illa calamitate, & Judicem supremum tunc Magistratum esse appellatum; & Judicibus *Neapolitanis* scripsisse Pontifices dicemus. Adjuvat hanc opinionem idem *Cassiodorus*, qui eosdem Judices

[4] Novellâ 13. [5] Variar. Lib. 7. c. 23. [6] Lib. Variar. 7. c. 24.

dices Cognitores quoque appellat, nec solùm civitatibus, sed universæ provinciæ præpositos. Idque totum ad *Gotthos* spectâsse in litibus idem confirmat; si enim inter duos *Gotthos* lis coorta esset, ipse unus Judex dirimere deberet; si verò inter *Gotthum* & *Romanum*, adhiberet sibi peritum Romanum, quocum rei consuleret; sic enim scribit [1]; *Cùm Deo juvante sciamus Gotthos vobiscum habitare permixtos, ne qua inter consortes, ut assolet, indisciplinatio nasceretur, necessarium duximus illum sublimem virum bonis nobis hactenus comprobatum, ad vos Comitem destinare, qui secundum edicta nostra inter duos Gotthos litem debeat amputare; si quod etiam inter Gotthum & Romanum natum fuerit fortasse negotium, adhibito sibi prudente Romano, certamen possit æquabili ratione distringere. Inter duos autem Romanos Romani audiant, quos per provincias dirigimus Cognitores.* Magistratus profectò illi in tanta ditionum, & variarum gentium mutatione, varia nomina, varias quoque sortiti sunt dignitates. Sic post *Græcorum* Duces Præfectosque Comites subsequuti, a *Trasimundo* enim *Capuano* Comite *Constans* Imperator, cùm soluta *Beneventi* obsidione *Neapolim* se recepisset, nonnullis detrimentis affectus est anno 603. & *Grimoaldus Alzeconis* petitioni obsequutus *Bulgaros* in *Beneventanum* Ducatum transmisit, atque oppida aliquot deserta *Bovianum*, & *Æserniam* præcipuè, a filio jussit concedi, eorumque *Gastaldium*, sive Comitem appellari anno 667. Transiit ad *Nortmannos*, & honoris fuit insigne, ut ait *Gulielmus Apuliensis*, legimusque vel provinciæ, ut *Apuliæ* Comites, vel civitatum, ut *Aquini*, *Fundorum*, *Aversæ*. Et in *Rogerii* diplomate anno 1144. quædam confirmantur quæ *Adenulfus* quondam *Puteoli* Comes concesserat, & *Landulfus* Castri *Puteolani* Comes, *Adenulfi* Comitis filius, & *Gayltragunæ* Comitissæ, aliqua cuidam *Igumeno* Monacho restituit. Ante ea tempora anno 590. *Comitatium*, & *Vectanum Misenates* Comites commemorat *Gregorius* [2]. Comitivam etiam Principis militum proponit Cassiodorus, & annuum Magistratum dicit; *Omnes apparationes decet habere Judices suos. Nam cui Præsul adimitur, & militia denegatur. Sed nos quibus cordi est locis suis universos ordines continere, indicamus illi Comitivam Neapolitanam, Deo juvante, largitos. Ut Judicibus annua successione reparatis, nobis solemnitas non pereat actionis. Quapropter designato viro præstate competenter obsequium, ut sicut vos non patimur emolumentorum commoda perdere, ita & vos parendi debeatis priscam regulam custodire.* Notavi *Neapolitanæ* urbis decus & commoda, quæ si hoc tempore *Theoderico* cognita essent, & admiraretur, & illustriores huic urbi laudes tribueret *Cassiodorus*, tum hoc præcipuè administrationis genere quod ad Regiam accedit potestatem a Regibus administratoribus datam, tum habitantium numero, quibus gubernandis oportet hujusmodi Judices, atque Rectores ut habeamus. Sed accipe varios Comitum ordines, qui aliquid lucis Comitivæ afferre poterunt;

Sub *Theodosio Juniore* inter ceteros Orientis Magistratus Comites floruere. Ideoque reperies Comites largitionum, & rerum privatarum; Comites domesticorum equitum & peditum; hique sunt postremi spectabilium, qui cum Ducibus rei militari præpositi, in limitibus degebant. Et quamvis Ducem & Comitem eundem esse non legamus, Ducis tamen nomen Comitis nomini non præponebatur. At scimus in divisione Orientalis, & Occidentalis Imperii, vel ab *Arcadio*, & *Honorio*, vel a *Probo* & *Floriano*, vel a *Maximino* & *Constante*, vel a *Constantino* & *Galerio*, qui primi *Romani* Imperii provincias sunt partiti, Comites officio Præsidis esse functos. In Occidente verò, duo Comites domesticorum erant, qui Principem semper comitabantur; & in limitibus, duo Comites rei militaris; aliquando sex reperiuntur. Sed in Palatiis utriusque Imperii, Comites Officiorum, Largitionum & rerum privatarum. *Constantius* tres Comitum ordines Largitionum invenit, primique secundi, & tertii Comites dicebantur, quos *Perfectissimos* nominabant, atque iis in cursu publico, vel evectione, præter duas angarias (ita cursum vehicularem appellabant *Persæ*, & *Græci* δημοσίους ἱπποστάθμους) hoc est duos equos, concedebant. Idque tunc fiebat cùm res gestas in provincia Principi nunciarent, quod per dispositos equos hodie efficitur, idque inventum *Herodotus Persis*, *Xenophon Cyro*, *Tranquillus Augusto* tribuit. Præter hos Comites, Clibanarii quoque Comites sunt, ex genere armorum sic dicti a *Persis*, a *Latinis* Cataphracti, qui seipsos & equos undique ferro tegebant, quorum *Lampridius* meminit & *Marcellinus*. Comites Sagittarii juniores, post Seniores inventi. *Comites Taifali*, sic a Septentrionalibus populis dicti, qui sub *Fernebio* Duce Thracias populati, cum *Fidigerno Gotthorum* Principe conserta manu magna ex parte trucidati sunt anno 379. qui a *Valente* Imperatore circa *Mutinam*, *Rhegium*, & *Parmam* sunt exterminati. Ex his postea equites factos *Gratianus* stipendio aluit, & *Comites Taifalos* vocavit. *Comites Arcades* qui ex *Arcadia Peloponnensi* regione delecti equites, Comites honoris causa sunt appellati. Ex Comitatensibus Legiones reperies sub Magistro militum in Oriente, tùm in Occidente sub *Diocletiano* & *Maximiano*; *Constantino*, *Constante*, *Valentiniano*, *Theodosio*, quibus illa nomina, *Diocletiana*, *Thebæorum*, *Maximiana*, *Herculea*, *Flavia Gemina*, *Flavia virtutis*, *salutis*, *Gallicana*, & hujusmodi. At verò præfecti limitum, quia Comites primi ordinis erant, jus animadvertendi in milites habebant, & Comites militum, vel Comites rei militaris dicebantur. Tribunos aliqui hos vocant. Minimè. Qui enim tantum auctoritatis consequuti non fuerant, Tribuni erant, qui alia militiæ necessaria curabant, continebant scilicet milites in castris (ut refert *Æmilius Macer*) ad exercitationem perducebant, claves portarum suscipiebant, frumentationibus commilitonum intererant, frumentum probabant, mensuræ fraudem coercebant valetudinarios inspiciebant, in reos animadvertebant. Habes pro *Neapolitana* Comitiva, provinciarum Præsides, jus animadvertendi in alios, & multa quæ ad Comitum dignitatem inferiorum temporum pertinebant, Comites enim *Apuliæ*, *Calabriæ*que & hujusmodi sese offerent. Eo nomine appellabantur summi Proceres, qui cum Regibus aliquando contendere ausi sunt. Nunc ab iis negligitur qui titulos exposcunt.

CAP. XI.

Corpora & Collegia Neapolitanæ Reip.

CORPORA & Collegia Rerumpublicarum fuisse partes, *Notitia utriusque Imperii* docet, in qua sunt Architecti, Arcarii, Clavicarii, Vitriarii, Figuli, Quadratarii opus vermiculatum facientes, Statuarii, Lecticarii, Deauratores, Albini, Argentarii, Barbaricarii qui ex auro (ut inquit *Donatus*) coloratis filis hominum, & animalium imagines exprimebant, Ærarii, Fusores, Diatrerarii margaritas perforantes, vel calices torno polientes, Pelliones. Alios numerat Symmachus [3]; *Noverat horum Corporum ministerio*

Marginalia: Cognitores. — Gotthi, & Romani Neapoli permixti. — Bovianum Æsernia & deserta oppida. Gastaldius. — Comites Puteolani, & Misenates. — Comitiva Principis militum. — Comites & Duces. — Imperii divisio. — Comites officio Præsidis fungebantur. — Perfectissimi Angariæ. — Clibanarii. Cataphracti. Comites varii. — Legiones variæ. — Tribuni. — Comites Regni Neapolitani. — Varia artificum Collegia.

[1] Cassiod. Variar. Lib. 8. c. 3. [2] Lib. 11. Ep. 36.

[3] Lib. 5. Ep. 13.

rio tantæ urbis onera sustineri. Hic lanati pecoris invector est, ille ad victum populi cogit armentum; hos suillæ carnis tenet functio; pars lavacris ligna urenda comportat. Sunt qui fabriles manus augustis operibus accommodant; per alios fortuita arcentur incendia. Jam Caupones, & obsequia pistoria, frugis & olei bajulos, multosque id genus patriæ servientes. Supra appellavit, *Corporatos negotiatores membra æternæ urbis.* Collectarios quoque commemorat, quibus arca vinaria statutum precium ministrabat. *Constantinus* in rescripto ad *Maximum*, alios recenset. *Tarruntenus Paternus* in *Digestis* enumerat Valetudinarios, Medicos, Capsarios, qui fossam faciunt, Veterenarios Naupegos, Ballistarios, Specularios, Fabros, Sagittarios, Bucularum structores, Carpentarios, Scandularios, Gladiatores, Tubarios, Cornuarios, Arcuarios, Plumbarios, Lapidarios, eos qui calcem coquunt, eos qui sylvam infindunt, eos qui carbonem cædunt, & torrent, Venatores, Victimarios, Librarios, Horreorum Librarios, Depositorum Librarios, Adjutorum Corniculariorum, Stratores, Custodes armorum, Præcones, Buccinatores. In antiquis lapidibus invenimus Collegia & Corpora Suaviorum, Confecturariorum, Tignariorum, Fabrorum, Centonariorum, Dendrophororum, Sartorum, Coriariorum, Dolabrorum, Solæariorum, Scalariorum, Fœnariorum, Æneatorum, Piscatorum, Pistorum, Urinatorum totius alvei *Tiberis*, Nautarum; qui Corporis nomine coibant, & Corporati dicebantur; *Societates* appellat Livius; *Ordines*, Cicero & historici; σώματα, Græci, quæ vox non tantum corpus, sed etiam servile significat opus. Ideo *Cicero* in *Pisonem*, ex omni urbe & servitio Collegia instituta commemorat. Ideoque Marcianus [1]; *Curator tenuioris corporis recipiens servos sine Domini voluntate, in singulos præstat pœnam aureorum centum; nam volentibus Dominis in eis adscribuntur.* Curatores ea Collegia habuisse, ostendit lapis *Puteolanus*, in quo Dendrophori sunt sub cura xv. Vir. De his Corporibus, Theodosius & Valentinianus ad Senatum; *Introducto negotio statuimus, vel quibuslibet Corporibus, aut legatis, aut provinciæ, vel Civitati vel Curiæ donavimus.* Sed *Marcianus* ex Senatusconsulti, vel Cæsaris auctoritate eadem coëunda dicit, & Collegia Sodalitia nominat. Aliquando illicita fuisse demonstrat, mandaturque Præsidibus provinciarum, ne ea patiantur, quemadmodum *D. Severus* nec in Urbe, nec in *Italia*, nec in provinciis locum habere rescripsit. Et quamvis Religionis causa non prohiberentur, licebat nihilominus coire, dum contra Senatûs consultum non fierent, quo illicita Collegia arcebantur, quæ qui usurpassent, pœna tenebantur (inquit *Ulpianus*) qua qui hominibus armatis loca publica, vel templa occupasse judicati essent. Monopolia sic vitanda censuerunt. *Suetonius* ait *Augustum* Collegia præter antiqua & legitima dissoluisse, propterea quòd plurimæ factiones tituli Collegii novi ad nullius non facinoris societatem coiisse. Cajus [2] Sodalitium hujusmodi a *Græcis* dicit nominari ἑταιρείαν; addidit his potestatem fecisse legem pactionem qua velint sibi ferre, dum ne quid ex publica lege corrumpant. Institutum ex *Solonis* lege deducit, qui ait; *Si plebs, si vicini, si sacrificuli, vel Nautæ, vel Convictores, vel communia sepulcra habentes, vel ad prædam simul profecti, vel in negotiationem, vel id genus simile alterum altero convenerit, firmum esse, dum publicis Sanctionibus non contradicat.* Hinc in nostris Phratriis, Epulum, convivia, χίλια δηνάρια, leges. Qui in majora, & minora Collegia dividunt, ignobiliores artes a nobilioribus separant,

Corporati Collectati.

Alii artifices.

Societates

Collegiorum Curatores.

Collegia Sodalicia.

Majora & minora Collegia.

[1] Βασιλικῶν Lib. 60. Tit. 32. fol. 540. Edit. Paris. [2] Lib. 4. ad leg. XII. Tabul.

quàm enim Argentariorum, & Sericariorum corpora, a coriariorum & hujusmodi corporibus differunt? Sic *Romæ* Collegia Tibicinum, & Fidicinum *Romanorum*, inferiora Augurum, vel Augustalium corporibus dicemus. Et quamvis *Neapoli* omnia ea corpora quæ supra commemoravimus fuisse, magificæ urbis institutio declaret, hæc tamen pauca in marmoreis monumentis, & auctorum scriptis reperimus; Figulorum, Dendrophororum, Saponariorum, *Judæorum*, Equitum.

Tibicinum Augurum, Augustalium corpora.

Corpora Neapolitana.

Extat cippus marmoreus, cum Inscriptione, in qua præter hanc vocem, FIGULI, quæ veluti titulus præponitur, nihil legi potest. Depicta in eo fax est; quam vel ad *Cereris* Religionem, vel ad *facium* ludum refero. *Plurimi faciebant Figulos, quod fictilibus prolibabatur simpuviis; & satiabant figlinarum opera imbricibus, tubulis, tegulisque ad balineas hamatis, vel ad tecta coctilibus laterculis, frontatisque aut quæ rota fiunt, etiam fictilibus doliis ad vina excogitatis, & ad aquas. Propter quæ Numa Rex septimum Collegium Figulorum instituit*, ait Plinius [2]. DENDROPHORUM *Neapoli* memoria extat in lapide qui sacram turrim *D. Gregorii* sustinet, in quo hæc leguntur:

Dendrophori.

C. DOMITIO DEXTRO. II. L. VALERIO MESSALA. THARSIA. PRISCO. COSS. VI. ID. IAN. IN CVRIA. BASILICAE. AVG. ANNIAN. SCRIBENDO. ADFVER. A. AQVILIVS. PROCVLVS. M. CAECILIVS. PVBLICIVS. FABIANVS. P. HORDEONICVS. SECVND. VALENTIN. T. CAESIVS. BASSIANVS. QVOD POSTVLANTE. CN..... DE. FORMA. INSCRIPT DANDA. STATVAE. QVAM DENDROPHORI. OCTAVIO. AGATHAE. P. C. N. STATVERVNT. CN. PAPIRIVS. SAGITTA. ET. P. AELIVS. EVDAEMON. II. VIR. RETVLERVNT. Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. PLACVIT. VNIVERSIS. HONESTISSIMI. CORPORIS. DENDROPHOR. INSCRIPTIONEM. QVAE. AD HONOREM.....

Quem licet *Puteolis*, aut potiùs *Cumis* huc advectum arbitrarer, cùm in iis locis repertum lapidem, in quo Dendrophororum creatio scripta est, ostenderit Episcopus *Puteolanus*, quem suo loco adscribam, & quem Nuntius Apostolicus *Neapoli* retinet: non est tamen cur verear, de *Neapolitanis* quoque Dendrophoris esse locutum, qui ad *Neapolitanas* thermas ligna, carbonesque importabant, cùm Balinei ad theatrum suo loco mentio fiat. *Neapolitani* verò, vel *Puteolani* sint, juvat eos nosse. Non sæpe Dendrophoros legimus, sed variis epithetis describuntur: *Qui sylvam infindunt*; *Qui carbonem cædunt, & torrent*; ubi *carbonem*, arborem intelligit Accursius; *Qui lauacris lingna urenda comportant.* Neque fabricarum servi sunt de quibus Valentinianus, *Si qui publicorum servorum fabricis, seu aliis operibus publicis deputati domibus se alienis, & privatarum ancillarum consortiis adjunxerint, conditioni pristinæ, laborique restituantur*; constituta enim erant ab Imperatoribus fabricandis arma, loca *Damascus* in oriente ubi Scutariorum fabrica; *Antiochia*, ubi Clibanaria arma quæ cataphractos protegerent; *Edessa* in *Mesopotamia*, ubi Scutaria & Armamentaria; *Irenopolis Ciliciæ*, ubi Hastaria; ut *Pontum*, *Asiam*, *Thraciam*, *Illyricum* præterea in singulis quarum fabricis servos ad opus illud publicum damnatos, & aliquando mercede conductos habebant; sed Corpus hoc sylvis præcipuè erat dedicatum, & cum Fabris, Centonariis, Tignariisque in multis antiquis monumentis conjunguntur. In lapide *Puteolano* cernitur Dedicatio Dendrophororum, & magisterium Quinquennalitatis. In alio *Romano*, Ti. *Claudius Chresimus* ob Quinquennalitatis honorem Collegio Dendrophororum quibus ex S. C. coire licebat, argenti pondo X. & HS. decem millia reddidit, quæ divisa sunt populo per gradus *Nummio Albino*, & *Fulvio Æmiliano* Coss. Sacerdotium

Thermæ Neapolitanæ.

Loca fabricis destinata.

Corpora Fabrorum, Centonariorum.

[2] Lib. 35. cap. 17.

tium quoque objicitur, *Magister* enim est & *Flamen*. *Sassinæ* in *Flaminia* inscriptio est qua collegiis Dendrophorum, Fabrûm, & Centonariorum ex testamento HS. sena millia dantur, oleumque singulis annis dividitur die natali testatoris. Ad *Lirim* amnem ex *Manutio* Q. *Junio Severiano* veterano Quæstori Reipublicæ *Asculanorum*, patrono Collegii Centonariorum, & Dendrophororum, statua a liberta dedicatur, & datur cœna Decurionibus, quibus & populo pecunia quoque dividitur. Errârunt qui arbitrati sunt Ξυλία & Δενδροφόροι eundem esse. Ξυλία enim Sacerdotem appellabant qui certo pretio ligna ad sacrorum usum, vel publicè civitatibus; vel privatim cuivis homini suppeditabat, ex eo Collegio quod ex Jovis famulatu ab *Hercule* fuit institutum qui apud *Eleos Pelopi* ad scrobem quandam sacra fecit, ad quam annui magistratus nigros arietes mactabant, ut scribit *Pausanias* in *Eliacis*. Jurisconsulti, ut familiam tres, ita Collegium & Corpus tres quoque efficere scribunt [1].

SAPONARIORUM Corpus (hac ætate *Neapoli* infimum hujusmodi *Fornunato* Episcopo Gregorius [2] Pontifex commendat; *Augustinus præsentium portitor, qui reliquorum Saponariorum civitatis vestræ vice sese dixit esse transmissum, quæstus nobis est, quòd Joannes vir clarissimus Palatinus, multis eos frustra affligat incommodis, atque nova plurima eorum Corpori præjudicialiter nitatur imponere. Denique ut, sicut ait, eos promittere sibi compellat, ut si quis arti eornm sociari voluerit, quicquid commodi de introitu ejus accesserit, ipsi proficiat. Adjiciens quoque pactum inter se de quibusdam rationabilibus artis suæ capitulis juxta priscam consuetudinem omnium consensu interposita esse pœna confectum, atque id sacramento interveniente firmatum; & ab eo nunc velle quosdam ex suis, ejus videlicet patrocinio fretos abscedere, atque ita contravenire tuitionem cupientibus impendere, ut quod dici grave est, plus in defensione ejus præsumptionem habeant, quàm de pœna penuriam, vel de sacramento præstito possint habere formidinem. Quòd si ita se res habet, quia etiam ipsi quod ait adversum est, quippe qui alieno se peccato sua defensione constituit esse participem: fraternitas vestra paterna eum adhortatione conveniat, ut ab hujusmodi se actu cohibeat, & præjudicialiter illis nihil imponat, nec eos dispendiis contra rationem affligat. Pariter etiam providendum est, ut & pactum, ubi sacramenta sunt præstita conservetur, & eum dispendio animæ suæ temporalia lucra contraveniendo non appetat: ne & periurii crimen incurrat, & commoda pravè desiderata non capiat. Et si, quod non credimus, admonitionem vestram prædictum Joanneω virum clarissimum videtis fortè differre, cum eminentissimo filio nostro Præfecto strictè loquimini, ut ipse hoc sicut in præsenti dici fecimus quomodo præviderit, rationabiliter faciat emendari; quatenus & eos qui tuitionis nostræ suffragia quæsiverunt, quorundam voluntas injustè non opprimat, & ille ab opere se indecenti prohibitum, pro suæ magis animæ utilitate cognoscat. Dat. mense Maji Indict.* III. O beatum Pontificem, cujus studium etiam ad Saponarios pro animarum utilitate descenderit; & o beatam *Neapolim* quæ tantum virum habuit protectorem.

JUDÆIS quoque locum tribuamus, quorum Corpus in ea urbis regione habitavit, quam *Synochan* vulgus appellat, quòd συνέρχομαι convenire significat; nisi malueris Συναγωγὴν. Hos quidem multos fuisse, eorumque fortunis calamitoso tempore uti solitos *Neapolitanos*, ostendit *Procopius*. Cùm enim *Belisarius* metuendam parabat *Neapolitanis* obsidionem, *Judæi* publicè a *Pastore* & *Asclepiodoto* qui principem locum in ea urbe obtinebant, sunt convocati, & proposito periculo in quo versabantur, polliciti sunt pecunia & viribus effecturos, ut intelligerent quantùm tuendæ civitati incumberent, si *Gotthi* quoque mœnia fortiter tueri voluissent. Idem Pontifex *Gregorius* [3] hæc de *Judæis Neapoli* commorantibus scribit ad *Fortunatum* Episcopum; *Fraternitati vestræ ante hoc tempus scripsimus, ut hos qui de Judaica superstitione ad Christianam fidem Deo aspirante venire desiderant, dominis eorum nulla esset licentia venundandi: sed ex eo quod voluntatis suæ desiderium prodidissent, defendi in libertatem per omnia debuissent. Sed quia quantum cognovimus, nec voluntatem nostram nec legum statuta subtili scientes discretione pensare, in Paganis servis hac se non arbitrantur conditione constringi; Fraternitatem vestram oportet de his esse solicitam, & si de Judæorum servitio non solum Judæus, sed etiam quisquam Paganorum fieri voluerit Christianus, postquam voluntas ejus fuerit patefacta, ne hunc sub quolibet ingenio, vel argumento cuipiam Judæorum venundandi facultas sit, sed is qui ad Christianam converti fidem desiderat, defensione vestra in libertatem modis omnibus vindicetur.* Quos suos ibi ritus exercuisse declarat idem Pontifex [4] ad *Paschasium Neapolitanum* scribens, monetque non asperis sed blandis verbis ad fidem aliquos esse provocandos. Hic enim titulus cap. 3. est in Decreti parte 2. Distin. 45. *Judæi siquidem* (inquit Pontifex) *Neapoli consistentes quæsti nobis sunt, asserentes quod quidam eos a quibusdam feriarum suarum solemnitatibus irrationabiliter nitantur arcere, ne illis sit licitum festivitatum suarum solemnia colere, sicut eis nunc usque, & parentibus eorum longis retrò temporibus licuit observare.* Multaque subdidit, sed præcipuè ut de suis illos solemnitatibus inquietari denuo non permittat, & liberam habeant licentiam observandi festivitates, quas per longa retrò tempora observarunt. *Neapoli* a *Petro* e *Toleto* 1540. ejecti sunt. iterum cum accedere tentassent, non fuit permissum. Reliquæ tamen aliquot familiæ sunt quæ a Judæis originem ducunt, & quæ in negotiis peragendis Judaismum sapiunt; nec in rebus publicis onera subire, & petere verentur.

Sed ne servilia solum Corpora Rempublicam constituisse arbitremur, nobiliora Corpora in medium proferamus. Prætermitto Augustalium Corpora, devenio ad corpora EQUITUM. Multos de iis lapides habemus, sed præcipuus ille est, qui ad S. Crucis Monialium positus est;

M. METTIO
M. FIL. PAL. PIO. EQVO. PVBLICO
PRAEF. COHOR. V. THRACVM.

Sic etiam *Capuæ* in monte Tifatis.

C. VELLEIO. C. F. PAL. VRBANO
MAG. FAN DIAN. TIFAT. HONORATO
EQVO. PVBLICO. AB IMP. ANTONINO
AVG. CVM. AGERET. AETATIS. AN. V
C. VELLEIVS. VRBANVS. ET. TVLLIA
NICE. PARENTES. D. D. D.

In quibusque Rebuspublicis rei militaris præcipuum hoc erat ornamentum. Et duo Equitum Corpora leguntur, alterum Equo publico, & ii verè Equites dicebantur; alterum, sine Equo publico. Censores delectum faciebant, ut cognoscimus ex Polybio, μετὰ ταῦτα τὰς ἱππεῖς τὸ μὲν παλαιὸν ὑστέρας εἰώθεσαν δοκιμάζειν ἐπὶ τοῖς τετρακισχιλίοις. *olim quidem Equites solent legere* (de Censoribus loquebatur) *post pedites*. Cumque Equus publicus diceretur, Judex selectus erat dignissimus Decurionum,

Judæi Neapolitanos juvabant.

Judæi Neapoli ejiciuntur.

Equitum corpora.

Duo Equitum corpora. Equus publicus.

Equus publicus & Decurio.

[1] I. Neratius de verborum signif. [2] Lib. 8. Ep. 27. [3] Lib. 5. Ep. 31. [4] Lib. 11. Ep. 15.

num, cui equus publicus alebatur. Quamobrem in hoc similibusque lapidibus idem Equus publicus est, ac Judex selectus, vel Decurio.

Brixiæ:

P. PLACIDIO. C. F. PAL. CLODIANO. EQVO. PVBLICO DECVR. BRIXIAE. C. PLACIDIVS HEMADION

& Auximi:

M. OPPIO. CAPITONI. Q. CAMVBIO. Q. F. TN. T PRIN. VEL. ANNIO. SEVERO. EQVO. PVBLICO IVDICI. SELECT. ET. DECVRIO. TRIB. LEG. VIII.

Equi autem publici, militares alio nomine appellabantur; ideo Plinius [1]; *Equitum nomen subsistebat in turmis Equorum publicorum.* Et Festus; *Equitare antiqui dicebant, Equo publico merere.* Hinc Cicero in *Antonium Altera Statua est Equitum Romanorum Equo publico.* Hinc ad *Neapolitanos* Equitum nomen ex militia defluxit, Militesque antiquitus appellati sunt. Dicebatur Publicus, quoniam ut ait Livius [2]; *Equis certum numerum æris assignatum, tumque primum equis merere Equites cœperunt.* Et quod e publico accipiebatur pecunia ad emendum & alendum equum, Equus publicus erat. *Augusti* ævo apud *Dionem* ad quinque millia eorum numerantur quibus Equus publicus esset, & in eum ordinem referri maximæ dignitatis erat. Notat *Lipsius* probatissimæ vitæ eum esse oportere, qui Equum publicum esset accepturus. Et cùm quidam *Adriano* diceret sibi esse substantiam Equestris dignitatis, sed cùm Equum publicum peteret, esse prætermissum; respondit Imperator, *Qui Equum publicum petit, emendatus esse debet;* producitque nummum cum Equo & Censore, Livius [3] enim; *Ne invitus militaret, neve Censor ei Equum publicum assignaret. Examen recognovit*, inquit Suetonius in *Caligula. Transvectionem* appellavit Dionysius. Et *Livius* quoque scribit institutum, ut Equites Idib. Quinctilibus transveherentur. *Transitum* appellavit Plinius in Viris Illustribus. *Recognitionem* dixit Xiphilinus. Meminit Martialis [4],

Trabeasque, & idus fibulasque censusque:

Nam trabeati, Equites transuehebantur apud *Valerium Maximum*, & *Dionysium*, qui sacrificium & pompam describit, quasi e pugna redirent equites coronati fronde Oleagina; togis purpureis, & punicei coloris materiam prætextam habentibus induti, quas vocant trabeas. Idem Auctor hoc Religionis monumentum reliquum fuisse scribit ob victoriam quam *Romani* contra *Latinos* consequuti sunt, in qua *Castor* & *Pollux Postumio* Dictatori apparuerunt. Ea de causa a *Martis* templo extra urbem, cùm alias Urbis partes transeuntes; tum ædem *Castoris* & *Pollucis* quæ in *Foro* erat pompam celebrabant, & eundem morem in Municipiis institutum. Hac de causa *Neapoli* quoque, ubi *Castoris* ædes in *Foro*. Et Papinius ad eum morem alludit [5]:

Hic cùm Romuleos Proceres, trabeatâque Cæsar
Agmina, mille simul jussit discumbere mensis,

Non igitur nova *Neapoli* sunt Equitum corpora. A prima antiquitate eorum nobilitas originem habet, & splendorem addit stemmati in dies nobiliori. *

Equi publici innumeri.

Examen equitum.

Transvectio.

Transitus. Recognitio.

* *Vide Tab. I. Fig. 6.*

CAP. XII.

De Ducibus Neapolitanis, qui Græcorum Imperatorum ætate floruerunt.

NON esset hic Ducum *Neapolitanorum* locus, qui inferiora tempora spectant. At verò cùm ad Reipublicæ statum eorum administratio pertineat, non absurdum duximus, hujusmodi Politica immiscere;

In provinciis *Italiæ* a *Constantino Magno* (vel paulò ante ea tempora) quæ decem & septem erant, ut scribit *Sigonius* [6], administrabant Consulares, Correctores, Præsides, & Præfecti. Sed expulsis Gothis *Narses* a *Justiniano Ducis* titulo *Italiæ* præpositus est. Qui cùm ab eodem Imperatore, & *Sophia* conjuge *Constantinopolim* esset accersitus, ut ejus opera in distribuenda lana ancillis uteretur (atque hoc tot laborum præmium pollicebantur) vir haud impiger, solers in bellis, insolitus contumeliæ, eorum ingratitudinem detestatus; & magis *Constantini* in ea re inertiam, qui tantum uxori injustè tribuere videbatur, quàm mulieris inconstantiam improbans, *Neapolim* se contulit, ibique privatam vitam degebat. Odio interim capitali dum arderet, crescentem flammam vindicandæ injuriæ assiduìs cogitationibûs nutriebat. Quamobrem nihil opportunius efficere arbitratus est, quàm *Alboinum* cum suis *Longobardis* ad *Italiam* occupandam evocare. *Joannes* tunc III. Pontifex *Italiæ* quieti studens, quæ tot bellorum calamitates passa fuerat: *Neapolim* contendit, ut ab iis artibus quas irato animo *Narses* moliebatur præcibus & monitis revocaret. Duos summos viros tunc *Neapolis* in sua potestate florentes intuita est, & audivit de summis rebus quæ ea ætate contigerant, & de *Italiæ* tumultibus & tranquillitate loquentes. Cùm inter se multa disseruissent, Pontificis tandem auctoritas Ducis ardorem magna ex parte restinxit, effecitque ut simul *Romam* proficiscerentur, ibique *Narses* obiit. Successor *Longinus* ei datus est, qui non Ducem, sed *Exarchum* se nominavit. Exarchos tunc primùm novit *Italia*, licet ejusdem nominis Magistratus ad bellorum munera essent in *Africa*. Sublatisque *provinciarum Correctoribus, atque Præsidibus, singulis civitatibus singulos Duces imposuit, qui pro Imperatoribus regerent, quibuscum & Judices, qui omnia reddendis juribus administrarent. Eorum Ducum posterioribus temporibus ordinibus populisque civitatum electio data est, veluti *Neapolitanis* concessam videmus, tum ex *Magni Greg.* literis, tum ex iis quæ pro tempore acciderunt, ut infrà planissimè cognoscemus.

Ducatus nomen Præfecturam significasse, *Marcellinus* [7] docet, qui Orientis Præturam, Præposituaram, & Ducatum nominat; & Orientis Ducatum cum ornamentis militaribus *Tacitus Probo* promisit. Et *Paulus Diaconus* scribit a *Justiniano Belisarium* Prætorem in *Lybia* in omnibus esse constitutum. Apud *Marcellinum* quoque *Magisterium Orientis* reperies (hinc fortasse *Magistri militum*) cui qui præfectus erat, *Cardinarius* etiam & *Catholicus* dictus est. Et apud *Vopiscum* [8], *Tacitus* Imperator totius Orientis Ducatum decrevit *Aureliano*; ut Ducis tunc dignitatem maximam existimemus. Ipsi quoque Duces, Judices deinde fuerunt; quippe Ἄρχοντες Principes erant Reipublicæ; & ἄρχειν *Ducem esse, & jubere* significat, quales Judices legimus apud *Hebræos*, qui in *Chana* Judices sibi constituerunt, ut populo jus dicerent; Regemque noluerunt, solum enim Deum Regem existimabant. Quorum tamen cum satietas cepisset, Regem petiere, primusque *Saul* Rex imperavit. Ut Judicis auctoritatem, & eundem cum Duce fuisse cognoscamus, audiendus est *Joannes* VIII. ad *Neapolitanos*, cùm enim *Sergium* Ducem abjecissent, & *Athanasium* Episcopum in ejus locum suffecissent, hæc scribit: *Et quia illo abjecto pastorem & Episcopum animarum vestrarum, dilectum confratrem & unanimem filium nostrum habere Judicem elegistis innumeras vestræ prudentiæ, atque unanimati gratias agimus.* Nescio tamen cur titulum præposuit, *Universis eximiis Judicibus*, &

Ducum initia.

Narses Neapolim venit.

Narses evocat Longobardos.

Ioannes III. Neapolim venit.

Longinus Exarchus.

Ducum dignitas.

Judices.

[1] Lib. 32. C. I. [2] Lib. I. [3] Lib. 33. [4] Lib. 5. Epigr. XLII. [5] Sylv. 4. c. 2.

[6] De Regno Ital. [7] Lib. 18. [8] In Vita ejus.

& universo populo Neapolitanæ civitatis, quo Senatum, Judices appellare videtur, nisi fortè ipsum Ducem primum Judicem voluerit intelligere, veluti inter plures Ἄρχοντας, qui Senatui præerant, Βασιλεὺς ὁ Ἄρχων primus existimabatur. Ad Decuriones quoque transferri nomen posse dicemus, ex quibus tamen Duumviri juri dicendo eligebantur, eosque Judices eam adhuc imaginem retinuisse. In Synodo *Constantinopolitana* legimus, *Judices & Senatum.* Sed Dux *Præfectus* quoque fuit appellatus. Sic *Mauritius Neapolitanus* Dux a *Gregorio* dictus est. *Rectorem* nominat *Joannes* VIII. *Senatorem Parthenopensis loci*, *Bonitus* Ecclesiæ *Neapolitanæ* Subdiaconus.

Bellorum molestiis solutus *Constantinus*, & voluptatibus deditus ædificiorum molem cogitans, distributa civibus *Byzantinis* annona, Magistratuum munera subuertit. Præfectum enim Prætorio in quatuor imperia distribuit, ut in ejus vita scribit *Zosimus*. Et cùm præessent ubique locorum militibus non modò Centuriones, & Tribuni, verùm etiam Duces (sic appellabantur, qui quolibet in loco Prætorum vicem obtinebant) Magistris militum institutis, altero Equitum, peditum altero, & in hos translata potestate militum ordinandorum, & coërcendi nocentes, hac etiam in parte Præfectorum, vel Ducum auctoritati detraxit. Quocirca aliquot annos *Magistrum militum* alium a *Præfecto* Magistratum fuisse, certum est. Ideoque *Pelagius Mauritio* scribit in tantas angustias Rempublicam esse adductam, ut nisi Princeps Magistrum militum, & Ducem Romam mitteret, omnibus essent auxiliis destituti. Qui revocato *Longino*, *Smaragdum* Patricium continuit *Ravennæ* Exarchum, *Romæ* verò *Gregorium* Ducem, & *Castorium* Magistrum militum destinavit. Quæ subsequuta sunt tempora, eundem Ducem, & *Magistrum militum* fecerunt. Declarat id *Joannes* VIII. *Neapolitanis* scribens, cùm detestatur *Sergium* Magistrum militum, qui tamen inter Duces numeratur. *Gregorius*[1], *Theodorum Sardiniæ* Ducem nominat, eundemque gloriosum Magistrum militum tantùm, velluti *Maurentium*, cui, *Gloriam vestram*, dicit, (quem etiam titulum *Theodoro Ravennæ* Curatori tribuit) quemadmodum gloriosum *Sardiniæ* Ducem appellavit, & veluti *Joannem*, qui *Sanguinarius* dictus est, appellat *Paulus Diaconus*, qui *Vethegim* vivum ad *Belisarium* adduxit. Idem auctor, Magistrum militum *Mysiæ Justinum*, & *Scythiæ Blandarium* nominat, & *Adamantium*, qui in *Palæstinam* profectus est, *Stephani* Episcopi necem vindicaturus. Et tamen hi quoque Duces erant. Magno imperante *Isaacio*, *Sergius* sic subscribit; *Nos Sergius in Dei nomine eminentissimus Consul & Dux, & Magister militum*; additque Consulis nomen, quod idem cum Duce, & Magistro militum est; ait enim, *Filius quondam bonæ memoriæ Joannis gloriosi Consulis, & Ducis, & Magistri militum*, &c. Alter quoque *Sergius* sub Alexio; *Nos Sergius in Dei nomine eminentissimus Consul & Dux, atque Dei gratia Magister militum.* In extremo autem Diplomate; *Sergius Consul & Dux, & Protosebastos.* Idemque *Consul & Dux per Domini gratiam Magister militum, & Imperialis Protosebastos*, primus scilicet Augustalis, qui & Magistratus amplitudinem, & militarem potestatem præ se ferebat. Licet apud Curopalatem, ὁ πρωτοσέβαστος οὐδεμίαν ὑπηρεσίαν ἔχει. *Protosebastos nullum ministerium habet.* Et tamen alibi scribit in nominibus Magistratuum *Constantinopolitani* Palatii, Δεσπότης Σεβαστοκράτωρ (adde Σεβαστοφόρον apud *Cedrenum*) Καῖσαρ, πρωτοσέβαστος. quem Augustalem primum dixi, cujus vestimenta eadem cum iis, quibus induebatur μέγαλος Κοντοσταῦλος, Magnus Contestabilis. Et Cæsarem appellat *Justinus Tiberium* Comitem exactorem. Et Protosebastum, cum Πανυπερσέβαστον eundem faciunt. Et inventa nomina scribunt ab *Alexio Comneno*, ut fratribus & affinibus gratificaretur, ut ait *Zonaras.*[2] Neque functio erat Palatio militans, sed dignitas honoraria, quam non ministerii necessitas faciebat, sed Imperatoris εὐδοκία. Sed quid de nova re Curopalatis dicam? terrestri exercitui imperabat Panysebastus, quemadmodum Dux maritimæ classi. Vide quid ferant tempora, quibus propria judicare nequimus. Consules verò & Duces, Anthypati quoque & Duces dicebantur (de *Amalfitanis* Ducibus legimus) & Imperiales Patritii, & Anthypati & Basti, in eorundem Chronicis. Anthypati, quæ vox Proconsules significat, Consules ipsos eo corrupto sæculo aliquando designavit. Et Basti nomen (quod Vasti corruptè legunt) ad Protosebastum refertur. Nam iidem dicebantur, *Gloriosi Duces*, *Gloriosæ potestates*, *Pansebasti*, & *Sebasti.* Patritiatus sublimis dignitas erat, Clarissimis tantùm conferri solita. Sic enim Zeno Imperator; *Nemini ad sublimem Patritiatus honorem, qui ceteris omnibus anteponitur, ascendere liceat, nisi prius aut Consulatus honore potiatur, aut Præfectura Prætorii Orientis, vel Illyrici, vel Urbis administratione, aut Magistri militum*, &c. Duces limitibus erant præpositi, qui cum militibus provincias custodiebant, ut quæ *Romanis* olim Consulibus tributa est auctoritas, Ducibus quoque tribueretur. Indè ad inferiores hos Duces auctoritas dimanavit, & aliquando Consules & Duces dicti, ut in nostris lapidibus ὕπατος καὶ Δούξ. aliquando Consulis tantùm nomine decorabantur, etsi non eo pacto Magistri militum dicebantur, quo qui limites custodiebant, similem tamen in civitatibus, quibus præerant, habuere. Et quamvis cum *Neapolitanis* hoc tempore Proregibus conferantur, tantò tamen splendidiùs hi excellunt, quantò latius Regni *Neapolitani* imperium propagatum cernimus, cùm certis finibus res *Neapolitana* Reipublicæ solùm commodo coërcebatur. Nominis tamen antiqui superest auctoritas, cùm *Primi* appellentur a Regibus, & Magistri militum meritò *Generales* possint appellari, licet aliquid gloriosius in nova militia extollatur. Militiæ causa aliquando etiam *Comestabuli* nomen Ducibus est tributum, quamvis postea suos Comestabulos Duces habuerint Prætores, & civitatum Vigiles, vel Custodes.

Hæc verò prætermittenda non sunt, ut Ducum certior cognitio habeatur, utque sciamus *Longobardorum* etiam aliquando Ducibus *Neapolim* fuisse subjectam, quando triginta sex annorum calamitatem illam barbarorum *Italia* passa est. *Alboinus* anno 568. cum *Saxonibus* in *Italiam* venit, & *Venetam* Regionem, *Forum Julium* in Ducatus formulam redegit, & *Gisulfus* ejus nepos Dux institutus. Hinc Ducatus *Forojuliensis* nomen inclaruit; atque hinc perpetua *Italiæ* ditio est comparata. Perpetuum quoque Ducatus Insigne adhuc retinet Illustrissima *Venetorum* Respublica. Eodem anno *Umbria* quoque Ducatu instituta est, Duce *Foroaldo*; *Etruria* item citerior, ulteriore *Romanis* relicta. Reliquæ Urbes singulis Ducibus commendatæ. Anno 574. *Spoletanus* Ducatus celebrari cœptus. Et hæc Regni *Italiæ* primordia. Mortuo *Alboino*, *Clepho* Rex successit anno 565. qui a puero familiari percussus interiit. Quocirca habitis a *Longobardis* Comitiis creando Regi, a Regibus abstinendum decreverunt, atque triginta Ducibus Res-

[1] Lib. 1. Ep. 47.

[2] Tom. 3. Ann.

Reſpublica eſt commiſſa; qui ita ferociter, in urbes, nobiles populares, Baſilicas, Epiſcopos ſævierunt ſacra prophanis miſcentes, ut *Saxones* qui cum iis venerant, ab eorum immanitate abhorrentes, *Italia* exceſſerint. *Mauritii* Imperatoris audito apparatu anno 585. rebus ſuis timentes *Longobardi*, in conventu ſententias tulerunt, ac Regium dominatum reſtituendum cenſuere tranſacto decennio. Itaque *Autharis* Rex *Clephonis* filius creatus inſtituit, ut Reges *Flavii* dicerentur, & ut a ſingulis Ducibus vectigalium ſuorum dimidium ad Regiam tuendam amplitudinem conferretur. Anno 589. *Autharis Longobardorum* Rex in *Samnium* penetravit, & cùm eas regiones ab eorum ſedibus remotas, exiguis præſidiis firmatas inveniſſet, & oppida, & provinciæ caput *Beneventum* ad deditionem adduxit, progreſſuſque *Rhegium* uſque, & *Beneventum* reverſus, *Zotonem* Ducem ibi conſtituit, & *Samnium* Ducatu inſignivit. Atque ita *Forojulienſi*, & *Spoletano*, tertius Ducatus *Beneventanus* eſt additus. Quamvis poſtea *Arichis*, vel *Archis*, Princeps non Dux voluerit appellari, ut ex *Heremperto* aſſerit *Leo Oſtienſis*. Anno 590. *Childebertus* ut a *Longobardis* acceptam cladem ulciſceretur quarta expeditione in *Italiam* parata ſummam Imperii xx. Ducibus commiſit, qui *Longobardorum* vires perfringerent. Tunc *Gundoaldus* Ducatum *Haſtenſem* adeptus eſt; atque hujuſmodi varia Ducum fortuna, varios attulit eventus. Hinc *Neapolitanorum* Ducum ſeries; ſed a *Græcis* Imperatoribus inſtituti, núllam a *Longobardis* acceperunt originem, quin etiam cum *Longobardis Beneventani* ſæpe pugnârunt, & Orientalium ſemper partes ſequuti ſunt, & *Gregorius* Summus Pontifex, ut Imperatoribus morem gereret, *Neapolitanæ* civitatis maximam habuiſſe curam viſus eſt. Ideoque *Neapolitanorum* Ducum maximam auctoritatem exiſtimo, quòd Imperatoribus, non barbaris Regibus obtemperabant; ideoque etiam Cæſareos eos Vicarios dicit *Nauclerus* in Chronicis. Is Ducatus, quamvis anguſtioribus finibus quàm *Beneventanus*, aut *Venetus*, aut *Spoletanus* contineretur, aliquando tamen *Salernitanis*, *Surrentinis*, *Amalfitanis* præfuiſſe, ex hujus hiſtoriæ lectione patebit. Duces, quos potui, ſummis laboribus e tenebris eruere conatus ſum, licet rerum involucra rectam annorum ſupputationem mihi abſtulerint. Eorum imagines ſumma diligentia perquiſivi. Fruſtra tamen laboravi. Hunc tantum nummum *Grimoaldi Beneventanorum* Ducis * habui, in quo noſtrorum etiam Ducum memoria elucéſcat. Sed veluti antiquiora nôſſe delectabile eſt; ita quæ mediis temporibus interceſſerunt dignoſcere jucundum exiſtimo, cum præcipuè ad Reipublicæ ſtatum, de quo agimus, hæc ſpectare quiſque dijudicabit. Sed ne *Copronymos*, *Porphyrogenitos*, *Palæologos*, *Curopalates*, *Balbos*, *Zimiſcos*; *Paphlagones*, *Argyropulos*, *Monomachos*, *Botoniates*, *Calaphates*, *Comnenos*, *Lecapenos*, *Macedones* ceteroſque Imperatores, ſub quibus Duces floruêre commemorem, longiùs enim vagari exiſtimarer, Ducum tantummodo geſta uſque ad *Rogerium*, quæ licet enumeremus.

* Vide Tab. I. Fig. 7.

CAP. XIII.

De Ducum Neapolitanorum Geſtis.

MARCELLUS; Anonymus.

NOLLEM ſanè aut quicquam de aliorum laboribus detrahere, aut aliqua ex parte ineptus haberi omnium ſcriptis eam fidem adhibendo, qua ipſe quoque ultro errarem. *Joannes Villanus Neapolitanus* Chronica hujus urbis conſcripſit (niſi magis placuerit alium mutato nomine ejus operis fuiſſe auctorem, quod a pleriſque curioſis ſæpe audivi) & gratiæ illi referendæ ſunt, qui urbis memoriæ pro viribus conſulere conatus eſt; ſed in iis rebus quas longè ab ejus ætate remotas recenſet, cùm fabularum inventis plurima immiſceat, parum credere debemus. Multa quæ ejus ætate fortaſſe acciderunt, ita ſine ordine digerit, tam longè a temporum ſerie disjungit, ut cautè quoque ad veritatem elucidandam, ſit legendus. Is *Marcellum* ab *Auguſto Neapoli* relictum fuiſſe Ducem ſcribit. Quænam *Romanorum* Imperio Ducum memoria, in Coloniis & Municipiis? An verò Duumviri & Decuriones iis non præerant, quibus nulla unquam cum Ducibus communio interceſſit? Quis ignorat, Duces a *Græcorum* & *Longobardorum* temporibus initia duxiſſe? Anonymum idem auctor anno 334. a *Conſtantino* (quem *Magnum* fuiſſe tempora indicant) Ducem creatum ſcribit; idque factum cùm *Nicæam* ad Concilium cum Pontifice Imperator proficiſceretur. At Pontifex (qui *Sylveſter* erat, ſi cum illo *Conſtantino* convenimus) Concilio anno 322. celebrato non interfuit. Aſſerit præterea eundem Imperatorem inſtituiſſe, ut a Populo deinceps Dux eligeretur. Electio ſanè populi fuit, ſed neſcio quo illud Oraculo divinârit. Quod ſi ita fuiſſet, rectiùs hunc primum Ducem, non *Marcellum* appellaſſet. Alios ipſe non ex ſerie numero, ſed ex temporibus quibus reperi.

Dux a Populo eligebatur.

THEODORUS. DUX. I.

Conſtantini ætas efficit, ut hunc niſi primum, in primorum tamen Ducum ordinem recenſeam. Lapidem quem *Falcus* citat in D. *Petri* & *Pauli* æde, quæ *Jeſuitarum* templi ædificandi cauſa diruta eſt, dum puer eſſem & ad *Jeſuitas* ſtudiorum cauſa ventitarem, legere memini. Sed quod verba ipſa memoria non retineo, & *Falcus* non optimè linguam *Græcam* callebat, exemplar malè tranſcriptum habemus. Et quoniam ejus jactura, ut multarum etiam rerum, facta eſt, verum mihi exemplar afferre non licet. Hujuſmodi ſcriptum in *Falco* reperi:

ΘΕΟΔΟΡΟΣ. ΥΠΑΤΟΣ. ΚΑΙ. ΔΟΥΞ. ΑΠΟ. ΘΕΜΕΛΙΩΝ. ΝΑΟΝ. ΟΙΚΟΔΟΜΗΣΑΣ. ΚΑΙ. ΤΗΝ. ΔΙΑΚΟΝΙΑΝ. ΕΚ. ΝΕΑΣ. ΑΚΥΝΑΣΕΝ. ΕΝ. ΙΝΔ. ΤΕΤΑΡΤΗ. ΤΗΣ. Β ΣΙΛΕΙΑΣ. ΑΣΟΝΤΟΣ. ΚΑΙ. ΚΟΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ. ΤΩΝ. ΘΕΟΦΙΛΩΝ. ΚΑΙ. ΤΩΝ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΣΕΜΝΩΣ. ΒΙΩΣΑΣ. ΕΝ. ΤΕ. ΠΙΣΤΗ. ΚΑΙ. ΤΡΟΠΩ. ΕΚΤΟ. ΜΕΝΣΕ. ΟΚΤΟΒΡΙΟΥ. ΕΝΘΑΔΕ. ΒΙΩΣ Σ. ΧΡΙΣΤΩ. ΕΤΙ. Γ. ΚΑΙ. Σ.

Theodorus Conſul & Dux a fundamentis templum ædificavit, & Diaconiam ex novo perfecit Indit. quarta Regni Aſontis & Conſtantini Dei amatorum & Regum, qui reverenter vixit in fide & converſione. ſex. Mens. Octob. Hic vivens Chriſto annos XL. Oportuerat dicere, *Vixerunt.*

Novum etiam illud Regnum *Aſontis & Conſtantini*, omnia turbat. Quis enim *Aſontem* regnantem cum *Conſtantino* inveniet? Ad primos, hunc Ducem, *Conſtantinos*, ut referam efficiunt verba, quæ *Dei amatores* eos Imperatores dicunt. Primi enim illi pietate & religione viguerunt. In aliis pravitatem, aliquando hæreſim reperies. His additur, *Fides*, *& Converſio*, quæ primi *Conſtantini* temporibus celebrantur. Qui arbitrantur, hunc *Theodorum* illum eſſe *Calliopam*, qui *Exarchus* fuit in *Italia*, meminerint a *Conſtante* II. miſſum; & cùm bellum intuliſſet *Longobardis*, qui amplius XX. annis quieverant, fuiſſe revocatum anno 650. Qui verò cenſent hunc fuiſſe *Theodorum* qui *Protoſpatharius* dictus eſt, ſciant illum *Conſtantino* & *Irene* regnantibus vixiſ-

xisse, & annum longè alium esse, cùm regnare cœperint anno 786. Quapropter sufficiat Ducem habere & *Græcum* Ducem, ut a primis temporibus, quibus Duces instituti sunt, non recedamus. Mendosum exemplar judiciosis examinandum relinquimus.

Anonymus Dux. II.

Absque nomine Ducem invenimus in S. PATRITIÆ vita, quæ ex Imperiali orta progenie sub *Constantino*, vel *Constante*, e *Constantinopoli* cum *Aglaja* nutrice, & aliquot Eunuchis atque Virginibus anno 361. navi profecta Religionis causa, ut mihi persuadeo, *Neapolim* appulit. Cùm Civitatem perlustraret, in Monasterium Sanctorum *Nicandri* & *Marciani* ingressa est, quod a monachis incolebatur. Ibi cum Abbate loquuta prædixit in loco ejus Monasterii, ubi suis manibus crucis signum reliquisset, ejus corpus esse sepeliendum, & monachos aliò profecturos. *Romam* deinde cum sociis petiit, & in D. *Petri* sancto Religionis velamine indutæ, *Constantinopolim* rediere. Ibi vendito patrimonio, ut omnia condendis templis, juvandisque pauperibus erogaret, navim iterum conscendit, & divinitus *Neapolim* advecta in *Insulam Salvatoris*, vel *Castrum Lucullanum* appellens obdormivit in Domino. In somnis *Aglajæ* nutrici Angelus apparuit monens, ut quod gestum fuerat civitatis Duci illico referret, & ab eo duos tauros peteret & carrucam (sic in ejus vita a *Leone* Monacho conscripta, quæ apud *Bartholomæum Chioccarellum* rerum sacrarum *Campaniæ* scriptorem servatur) in qua posito *sanctæ Virginis* venerando corpore, dimitteret tauros quò procurrerint, atque ubi steterint, corpus sepultura honestarent. Cum primùm somnus abiit, ad Ducem se contulit *Aglaja*, & quæ in somnis viderat fideliter detulit. Summo gaudio affectus Dux laudavit *Aglajam*, tauros reperiendos jussit, corpus carrucæ est impositum; & dum tauri per mediam civitatem currerent, populus frequens cum facibus, & thure, & hymnis prosequutus est, ut quæ dicta fuerunt vera experiretur. Ad Monasterium Sanctorum *Nicandri*, & *Marciani* cursum tauri retardarunt. A Duce, & *Neapolitanis* ibi Patritiæ corpus est sepultum. At cùm ob reverentiam locus Virginibus frequens esset effectus, sic enim omnes Virginis sanctitas invitabat, monachi alium locum, quem incolerent petiêre, quem Dux extra civitatis muros concessit, ubi Monasterium S. *Sebastiani* situm est. Utque Ducis illius nomen est incognitum, ita divino illo miraculo quod ejus ætate contigit, præclarum est existimandum.

Anonymus Dux. III.

S. Severus Episcopus Neap.

Eandem gloriam innominatus Dux assequutus est, miraculo quo *Severus Neapolitanus* claruit Antistes. Quamobrem in annum 381. quo id accidisse narrant, errorem irrepsisse indicat *Valentiniani* junioris Imperium, qui cum *Theodosio* septem regnavit annis usque ad annum 394. cujus Imperatoris ætate *Severus* vixit. E *Balneo* cuidam egredienti, *Balneator* compater jussit, ut pretium solveret (ovum ejus Acta pretium fuisse narrant, velut etiam antiqui vile pretium Quadrantem poscebant) quod cùm promptè solvere nequiret, domo afferre pollicitus est. Debiti tamen oblitus, non post multum temporis mortuus est. Balneator Ducem adiit, & centum solidorum debitorem mortuum appellavit, quamobrem uxor in judicium rapta est. Flentem mulierem, & negantem Dux debiti judicio damnavit; quod nisi illico solveret, ipsa cum liberis creditori servitia præstaret. Sed cùm se injustè damnari animadverteret, ad *Severum* Episcopum confugiens rem omnem narravit, & adjutorem in tanta calamitate poposcit. Miseratus optimus, sanctusque Antistes viduæ infelicitatem, divino confisus auxilio ad cryptam extra urbem, quam sibi paraverat cives convocavit. Qui cùm audita rei novitate frequentissimi convenissent, orantes, flentes ab Episcopi voluntate pendebant. Is fusis ad Deum precibus, Dominicæ Crucis symbolo fretus, aperto sepulcro, cadaver evocavit, a quo cùm percunctatus esset: an centum solidos compatri deberet, ac respondisset: nihil nisi *ovum* pro balneo debere. quamobrem cum lapidibus petere iniquum hominem populus voluisset, omnem sævitiam atque furorem placido sermone conpescuit, mortuum quem ad tempus de sepulcro excitavit, ut legitur in Martyrologio in pace requiescere jussit, & mulierem lætissimam domum dimisit, & mendacem creditorem falsitatis accusavit.

Miraculum.

Maurentius. Dux. IIII.

593.

Ad *Maurentium* Ducem *Neapolitanum* scribit Gregorius Magnus Pontifex Theodorum commendans, quem alibi, *Priorem Neapolitani populi appellat.* Atque ut ex ejusdem verbis liquet, Fortunati *Neapolitani* Episcopi ætate vixit, cujus acta usque ad annum 600. extant. Ejus verba hæc sunt [1]; *Gregorius Maurentio Magistro militum, Theodorum commendat oppressum. Valde mirati sumus, quòd vobis in Neapolitana civitate positis, venire ad nos pro quibusdam causis Theodorus vir memorandus præsentium portitor cogeretur, maximè dum in illa se re contra antiquum morem a fratre Coëpiscopo nostro Fortunato queratur præjudicium pertulisse; quam ad curam dispositionemque patroni civitatis ejusdem, Gloria vestra teste, asserit sine dubio pertinere. Quod si ita se res habet. omnino contristamur, cur in ejus vos defensione veritas non permovit: ut & liberè quod esset ratio diceretis, & reservari quod longa sibi consuetudo jure vendicat, faceretis. Quia ergo grave nimis est, contra veterem usum Sacerdotes sibi quicquam arripere, unde in laicorum videntur actus incidere, prædicto fratri Coëpiscopóque nostro scribere, quæ nobis sunt visa curavimus, ipsorumque ad vos scriptorum exemplar transmisimus, ut ex eis quid debeat quàm citius scrutari, Gloria vestra cognoscat. Præterea indicavit nobis supradictus portitor, Vectano qui Comes fuit in Missinati Castello, propterea quòd eum nobilem fuisse noverat, & paupertate nimia laborabat, viginti urnas vini per duos annos de Insula Prochyta, quæ ei vicina erat, misericordiæ intuitu se fuisse largitum, & nunc eas de eadem Insula successorem ipsius tanquam debitas violenter exigere. Et quoniam hoc ne de cetero tentari debeat, postulat prohiberi, Gloria vestra curat addiscere. Et si hoc quod quæritur veritate subsistit, & hæc antè consuetudo non fuit, hujusmodi gravamen justitia suadente compescat, & studeat, ut pietatis administratio in præfata Insula onus præjudicii non imponat. Quia verò privilegia civitatis suæ, vel causas insulæ illius a nobis Gloria vestra petit commendandas, hortamur ut vestram ejus tuitionem impendere servata æquitate quocunque necesse fuerit, debeatis; & si qua in re utilitas populi, cui præest, contra rationis (sicut ait) ordinem prægravatur, imposita onera usque ad modum justitiæ vobis suffragantibus releventur, nec privilegia eorum quolibet modo calcentur, sed omnia quæ usus antiquitatis statuit, in omnibus intemerata serventur. Ita ergo in his Gloria*

Prior populi Neapolitani. Fortunatus Episc. Neap.

Vectanus Comes Miseni.

Pronhytæ.

E

[1] Lib. 7. Ep. 72.

ria vestra se decenter exhibeat, ut & ipsa partes fovere justitiæ comprobetur, & hi qui commendati sunt, bona nobis vestra, quæ de vobis cupimus semper audire, renuncient.

Curiosa quidem nimis hæc est Epistola, multis rebus referta, quæ ad *Neapolitanam* historiam pertinent. Primùm, ejus Pontificis temporibus *Neapolitanum* Demarchum viguisse, quem sub Ducibus quoque cognoscimus habuisse Præfecturam. *Priorem populi*, ipse nominat; eundemque dicit alia Epistola [1], *Magnificum Virum, Majorem Populi:* quem etiam dum memorandum virum appellat, ejus Magistratus auctoritatem videtur extollere. Secundò, in rebus arduis ac difficilibus, *Neapolitanum* populum ad Summos Pontifices confugere solitum, qui etiam in Duces auctoritatem exercebant, eosque confirmabant electos, ut infra in Epistola *Joannis* VIII. quasi verò in ea re Imperatores maximè assentirent, qui Pontificibus civitates suas commendant. Nec vereor Ducum auctoritatem Pontificum jussu fuisse coercitam, cùm opus esset, ne plurimum sibi sumerent, & ne populi viderentur quodammodo destituti, cùm difficile esset semper ad Imperatores urgente necessitate confugere. Ideoque Pontifices civitatis privilegiorum fuerunt defensores; & Episcopos suam tantùm jurisdictionem exercere jusserunt, & ne ea sibi vindicarent, quæ aliquo pacto antiquæ urbis consuetudini derogare viderentur, id quod si a laicis aliquando factum est, a Sacerdotibus semper debet esse alienum. Tertiò; Comites per ea tempora vicinis oppidis destinari solitos, quos haud vereor judiciis fuisse præpositos, eosque annuos Magistratus gessisse, cùm *Vectano Misenatis* Castelli Comiti per duos annos in insula *Prochyta Theodorus* aliquid fuerit elargitus, & successor eidem fuerit datus. Quibus etiam liquet eam insulam in *Neapolitanorum* potestate fuisse, & ad populum pertinuisse, quando Major populi *Theodorus Vectano* vini urnas concesserat. Ad eundem *Maurentium* idem Pontifex scribens [2] commendat *Theodosium* Abbatem Monasterii, quod a *Liberio* quondam *Patritio* in *Campania* fuerat ædificatum.

Demarchus.

Neapolitani ad Summos Pontifices confugiebant.

Comites.

Prochyta in Neapolitanorum potestate.

GUNDUINUS. DUX. V.

602.

Eos qui *Gunduinum* Ducem inter *Neapolitanos* recensuerunt ad eam opinionem antiquum Gregorii exemplar adduxit, in cujus lib. 12. epist. 5. legebatur; *Gregorius Gunduino Duci Neapolitano.* Cùm verò in novis exemplaribus ad *Demetrium* Episcopum *Galliæ* ea scribatur epistola, *De milite qui ancillam Dei de Monasterio rapuit*, nec alibi aut apud eundem, aut apud alios ejus mentionem factam legerim, vetera exemplaria sic emendata censeo, quippe in manuscriptis ea verba non reperiuntur; aut eum Ducem *Neapolitanos* amisisse.

JOANNES CANSINIUS. DUX. VI.

Memorabilia in Italia.

Tria eodem tempore sub *Heraclio* in *Italia* memorabilia acciderunt, *Forojuliensis* Ducatus clades, *Joannis* Exarchi *Ravennæ* cædes, & *Joannis Cansinii Neapolitanorum* Ducis occisio. Quæ omnia veluti catena quadam connectuntur. Cùm enim *Longobardorum* vires essent perfractæ, & e *Pannonia Hunni* prædandi cupiditate, cum *Cacano* eorum Duce adolescente in *Italiam* irruptione facta, *Forojuliensem* Ducatum occupassent, *Gisulfus* Dux coacto exercitu, barbarorum tempestati occurrens, cum omnibus suis occisus est. Et cùm *Romildæ* uxoris perfidia, quæ e muris adolescentem conspicata & ejus amore illecta, *Forum Julium* hostibus traditum esset, pollicitus enim fuerat *Cacanus* conjugem sibi illam acce-

Cacanus Dux Hunnorum Forum Julium occupat.

Romilda Gisulfi uxor.

[1] Lib. 7. Ep. 108. Lib. 8. Ep. 14. [2] Lib. 7. Ep. 74.

A

pturum, non servata fide una nocte uxoris loco habitam *Hunnis* ad libidinem & prostravit, & supplicii causa erecto palo suffixit, inquit *Sigonius*. Reversus in *Pannoniam* captivos *Longobardos*, quos prædam abduxerat, in ejus regionis finibus crudelissimè trucidavit. Ex hisce tumultibus, *Ravennates* alios excitarunt. Propterea quòd *Joannem* Exarchum ob insolentiam in omnium maximam invidiam adductum, arreptis armis, in Regiam concursu Populi facto (quem impetum facientem vis ulla coercere potest) adductis ad jus dicendum Judicibus trucidarunt. Ex eo rerum motu Joannes *Cansinius* vel *Campsinus*, *Neapolitanorum* Dux, fide Imperatori violata, *Neapolim* tyrannide occupavit, cum cæso *Joanne* Exarcho id quod erat Imperii reliquum in Occidente nutare cœpisset *Heraclii* anno VI. Quibus rebus in *Græciam* nunciatis, ab *Heraclio* ad motus sedandos missus est in *Italiam Eleutherius*. Qui quòd sciret Imperatorem cum *Persis* bellum gerere in Oriente, neque ob eam rem satis de *Italia* cogitare, aliquam Imperii partem usurpare ausus est; atque se *Joannis* Exarchi cædem ulcisci velle minitans, *Romam*, deinde ad *Neapolim* profectus est urbem & tyrannum oppugnaturus. Turbæ *Neapoli* ea tempestate maximæ coortæ sunt. Illudque maximè credendum, plures ex *Neapolitanis Cansinio* amicos & obæratos, ejusdem partes sequutos, contra *Eleutherium* arma sumpsisse, & eundem multorum, qui & tyrannidem oderant, & Imperatorem metuebant auxilio fuisse destitutum. Tandem ad arma ventum est, atque acriter utrinque pugnatum. *Cansinium* fortiter manus conserentem *Eleutherius* jugulavit, victorque *Neapolim* est ingressus. Omnibus ibi rebus pacatis, vel aliorum exemplo ductus, vel quòd regionis deliciæ mentem ab Imperatoris obsequio averterant, majorem tyrannidem molitus, facta pace cum *Theudelinda Longobardorum* Regina, Regem se *Italiæ* appellavit; & antequam *Ravennam* proficisceretur, alium Ducem *Neapoli* constituisse affirmat *Sigonius*; nomen ignoramus. Hunc Patricium & Cubicularium dicit *Anastasius Bibliothecarius*, asseritque ab eo omnes fuisse occisos, qui Exarchi necis participes fuerant. Sed ob tyrannidem ab ipso excogitatam, a militibus interfectus est, caputque amputatum *Constantinopolim* ad *Heraclium* missum anno 619. Qui in *Eleutherii* locum *Isaacium* Patricium Exarchum ad gubernandam *Italiam* destinavit.

Ioannes Exarchus occiditur.

B

Ioannes Cansiuius Neapolim occupat.

C

Eleutherius jugulat Cansinium.

Eleutherius se Regem appellat.

D

E

JOANNES CUMANUS. DUX. VII.

710.

Joannem hunc *Cumani* cognomine appellare libet, quem *Gregorius* II. Summus Pontifex occupato per dolum *Cumano* oppido a *Romualdo* II. Duce *Beneventanorum*, monitus est atque impulit, ut illud recuperaret. Primùm precibus, deinde pretio cum *Romualdo* Pontifex egit, ut oppidum restitueret. Quod cùm impetrare non potuisset, grave in eum anathema contorsit. Ubi verò etiam anathema contemni animadvertit, ad *Joannem Neapolitanorum* Ducem confugit, promisitque soluturum LXX. auri pondo, si *Cumanum* castrum recuperasset. *Joannes*, nescio precibusne magis, an Pontificis hortatu allectus, firma militum parata manu additis *Romanis* militibus quos Pontifex miserat, noctu *Neapoli* profectus *Cumas* obsedit. Aliquot ibi præliis confectis, & oppido recuperato, *Longobardos* qui præsidio erant, fugavit. Trecentos cum suo *Castaldeo* (ductorem dicimus) trucidavit. Vivos ad quingentos *Neapolim* duxit. Misit Pontifex quod pollicitus Duci fuerat. In ea pugna

Cumæ occupatæ a Romualdo.

F

Cumæ a Ioanne Duce recuperantur.

Pontifex pecuniam solvit cum Ioan.

cum *Joanne* fuisse *Theodimum* Subdiaconum Correctorem *Campaniæ*, qui Diaconiam S. *Andreæ* *Neapoli* regebat, scribit *Anastasius*. A Ducibus aliquando Episcopos *Neapoli* fuisse electos, sub hoc Duce cognoscimus. Cùm enim is ad *Cumanum* oppidum proficisceretur, & ab aliquo Sacerdote benedictionem exoptaret, *Sergius* ei occurrit, atque orationem obtulit. Quapropter cùm reverteretur ab eo Episcopum esse deligendum juravit (obierat enim *Laurentius* Episcopus) atque promissa observavit. *Stephanum* vero XL. & *Tiberium* XLIII. Episcopos, a populo fuisse electos, ex eorum Actis patet.

Duces eligebant Episcopos Neapoli.

Laurentius Episc. Neap.

EXHILARATUS. DUX. VIII.

726. Leo Imperator damnabat imagines.

Sub eodem Pontifice, & *Leone Isaurio*, anno 726. *Exhilaratum* Ducem recenset *Anastasius*, citatque locum Illustrissimus *Baronius*[1]. Fluctuabat tunc maximè *Romana* Ecclesia, quando a sacrarum Imaginum cultu abhorrens, non modò Pontificis περὶ τῶν ἁγίων εἰκόνων edictum sprevit, sed etiam Legatos quos ad ejus animum demulcendum miserat, exilio in carceribus damnatos mori coëgit; atque plures in Pontificem conjurationes molitus est. In prima, convenere *Basilius* Dux, *Joannes Chartularius*, *Joannes* Subdiaconus, quorum consilium *Mauritius Spatharius*, qui *Romanorum* Ducatum obtinebat, quòd Imperator jusserat, ut Pontificem occiderent, probavit. Fuit autem conjuratio per ministros Regios provocata. In secunda, missus est in *Italiam Paulus* Patricius, & Exarchus, qui cum iisdem scelus perficere conatus est. Qua tamen detecta *Romani* ob peculiarem in *Romanum* Pontificem observantiam, captis armis, *Jordanem*, & *Joannem* Subdiaconum interfecerunt. *Basilius* cùm salvus evasisset in Monasterium se abdidit, ibique vitæ finem dedit, cùm ultimus fuerit eorum Ducum, qui ab Imperatoribus *Romam* mitti solebant, ut urbem, & ad eam spectantes civitates curarent. Atque ita scimus Duces & a populis electos, & ab Imperatoribus missos. In tertia *Paulus* Exarchus multas tentavit artes, ut ex Pontificis nece alium substitueret. Mox alter *Spatharius* ab Imperatore missus est. Denuo *Paulus* ex *Ravenna* milites cum suo Comite *Romam* proficisci jussit. Sed *Romanis* & *Longobardis* (qui tamen antea *Romanam* Urbem cladibus afficere non desierant) Pontificem defendentibus, tantum scelus est impeditum. Tandem *Exhilaratus* quoque *Neapolitanorum* Dux diabolica instigatione impulsus, ut fortasse Imperatorem sibi conciliaret, cum *Andriano* filio, in *Campaniam* profectus (vereor ne tunc *Constantinopoli* esset) populum hortatus est, ut occiso Pontifice, Imperatori obediret. Id quod cùm ægrè tulissent *Romani*, maxima ira commoti, insequuti sunt Ducem & comprehensum unà cum filio occiderunt. Mira eo tempore divina providentia cognita est, quæ Beatissimi *Petri* limina nunquam deserit, semperque orbis arcem, Ecclesiæ caput tuetur. Cùm enim nefarius Orientalis Ecclesiæ moderator, Catholicæ Ecclesiæ adversarium se publicis profitebatur edictis, ex *Britannia* Rex in Urbem missus est, qui Catholicam fidem defendebat. Hunc, *Ceudullam* nominat *Beda*; cui successit *Huu*, qui cùm XXXVII. annis imperium tenuisset, relicto Regno, *Romam* petiit. Quò etiam *Theudo Bojariorum* Dux profectus, Apostolicæ Sedis auctoritatem tutatus est.

Conjurationes in Pontificem.

Secunda conjuratio.

Paulus Patricius.

Tertia conjuratio.

Exhilaratus Dux conspirat in Pontificem.

Exhilaratus a Romanis occiditur.

Theudo.

PETRUS. DUX. IX.

726.

Occiso *Exhilarato*, *Petrum* Ducem *Neapoli* constitutum conjicimus ex Anastasii verbis, qui ait; *Ipsis interea diebus Exhilaratus Neapolis Dux deceptus diabolica instigatione, cum suo filio Andriano Campaniæ partes tenuit, seducens populum, ut obediret Imperatori, & occideret Pontificem. Tunc Romani omnes eum insequuti comprehenderunt, & cum suo filio occiderunt. Post hæc & Petrum, Ducem, dicentes turbati, quòd contra Pontificem quoque scripsisset. Petrum Exhilarato* successisse, eundemque *Romanorum* a se animos abalienasse, hæc indicant. In ea dissensione, *Paulum Patricium Ravennates* occiderunt, quòd Imperatoris pravitatem defenderet.

Paulus Patricius occiditur.

[1] Tom. IX.

EUTYCHIUS, vel EUTICIUS. DUX, X.

Eutychium Patricium Eunuchum, qui dudum Exarchus fuerat, post aliquod tempus *Leo* Imperator in *Italiam* misit, ut quod *Paulus* & *Spatharii* contra Pontificem efficere non potuerunt, ipse perficeret. Misit *Romam* ministrum cum literis (inquit *Anastasius*) quibus præcipiebat, ut Pontifex, proceresque *Romani* interficerentur. At verò neque crudelis hæc insania, Deo jubente, hujusmodi latuit, ut non omni conatu illi potuisset occurri. Detectus dolus est; detectum scelus, quo omnia subvertere iniquus homo sibi proposuerat. *Romani* ipsum quoque occidere statuerunt, ut eandem pœnam cum *Exhilarato*, & *Petro* nefandis machinatoribus lueret. Quod a pientissimo Pontifice non fuit permissum. Hunc inter *Neapolitanos* Duces ea tantùm de causa recenseo, quòd in ea urbe fuerit, ut quod *Exhilarato* & *Petro* Imperator commiserat, ipse infectam rem exequeretur. Ideoque tutiùs credendum, quod alium Ducem ea tempestate *Neapolis* non haberet. Is est qui *Ravennam* petiit, & *Ravennates* Imperii studiosos facilè in fide retinuit. *Romam* postea cum *Luitprando* Rege *Longobardorum* obsedit. anno 729. Sed petitus bello a *Luitprando*, Pontificis auxilium imploravit, cujus opera lis composita est, & obsidio soluta anno 744. & a Pontifice *Zacharia* contra *Rachim Longobardorum* Regem defensus est anno 752. *Ravennam* deseruit, quam *Aristulfus* cum reliquis Exarchatus oppidis occupavit; atque ita hic Magistratus in *Italia* desiit. Hos numerato Exarchos, quando *Eutychius* hanc nobis præbet occasionem, ut a Ducibus eos secludere sciamus. *Longinus*, missus a *Justino* juniore anno 569. *Zmaragdus*, qui a *Mauritio Constantinopolim* revocatus est anno 587. *Romanus*, a *Mauritio* successor *Zmaragdo* datus. Obiit anno 598. *Callinicus*, obiit anno 602. *Zmaragdus*, iterum a *Mauritio* missus, præfuit sub *Phoca* usque ad annum 612. *Joannes Lamigius*, a *Phoca* missus, præfuit sub *Heraclio*; trucidatus anno 615. *Eleutherius* Patricius, ab *Heraclio* anno 616. caput ei amputatum anno 619. *Isaacius* ab *Heraclio* anno 619. subita morte correptus anno 642. *Theodorus Calliopa* Patricius missus a *Constante* II. revocatus, anno 650. *Olympius*, ab eodem Imperatore. Hic anno 650. die Natalis Domini Spathario suo jussit, ut *Martinum* Pontificem occideret; qui districto gladio cæcus evasit. Obiit anno 653. *Theodorus Calliopa* iterum ab eodem *Constante*. Captum Pontificem *Martinum*, ad Imperatorem *Neapolim* misit. obiit anno 687. *Joannes Platina*, vel *Platon*, a *Justiniano*. obiit anno 702. *Theophylactus*, vel *Theophylacius* Patricius, a *Tiberio Absimaro* anno 702. obiit occisus, anno 712. Eo mortuo absque Exarcho fuit *Italia* annos duos & menses decem. Interea *Philippicus Bardanes*, *Petrum* quendam in *Italiam* misit,

Adhuc contra Pontificem conspirant.

Pontifex pietatem exercet.

Exarchi Italiæ.

ſit, qui Ducis nomine Urbem *Romam* regeret. Ubi tandem luminibus captus eſt, anno 726. Sed decimum quinctum Exarchum ab *Anaſtaſio Italia* habuit *Anaſtaſium* II. *Arthemium* anno 715. revocatus eſt a *Leone* III. anno 723. *Paulum* miſit *Leo* II. ut *Gregorium* occideret. *Ravennæ* occiſus anno 726. *Eutychium*, idem Imperator anno 727. *Neapolim* profectus ea geſſit, quæ ſuprà commemoravimus. A *Longino* ad *Eutychium*, anni 183. interceſſerunt.

STEPHANUS. DUX. XI.

Sub *Conſtantino* VI. *Copronymo Porphyrogeniti* avo, qui a *Conſtantino Magno* XL. *Romanorum* Imperator numeratur, & qui *Copronymus* dictus eſt, quòd infans Baptiſmi lavacro admotus media cæremonia ſacram aquam ventris ſolutione fœdavit, vel quòd ſtercus tractans dum ab amita lavaretur, quaſi *Sterquinomius* appellatus eſt, & a *Germano Conſtantinopolitano* Patriarcha coronatus eſt anno 720. qui ea tempeſtate ſanctiſſimus puerum hunc omnia contaminaturum præſagivit. Tumultus *Neapolitani*, & totius regionis quæ *Græco* Imperatori ſubjecta erat, excitati ſunt. Quippe poſt patris *Leonis* III. *Iſauri* obitum regnans, totum ſe libidinibus, dæmonum invocationibus, ludis, ſceleribus tradens, ſacrilegus effectus, ut nec *Græcus*, nec *Chriſtianus*, nec *Hebræus* eſſet, Concilium anno 754. contra ſacras Imagines celebravit, licet Synodus fuerit *Conſtantinopolitana*, quam Oecunemicam ipſe appellavit, cui ſub *Stephano* Pontifice *Lateranenſi* conventu eſt abrogatum. Antiſtitem habebat tunc *Neapolis* PAULUM, cui *Secundi* cognomen erat, qui cum Imperatori adverſaretur, & hæreticæ opinioni contradiceret, Sanctæ *Romanæ* Eccleſiæ auctoritatem defendens, ut bonum Epiſcopum decebat, in ſummam Imperialium invidiam adductus, *Neapoli* tutus commorari non poterat. At quoniam maximam omnium civium ſibi benevolentiam comparaverat, in D. *Januarii* æde extra civitatem abſconditum remanuerunt. Poſt biennium quo ibi latuerat, Paſtore diutius carere nolentes *Neapolitani*, propenſione in Apoſtolicam ſedem permoti, *Paulum* nulla Imperatoris habita ratione in civitatem & Baſilicam ſolemni pompa introduxerunt, idque a Nobilitate factum Hiſtorici ſcribunt. Qui ſchiſmaticam eo tempore *Neapolim* damnant, dicant neceſſe eſt potuiſſe fieri, ut aliquibus ſolum ea nota potuiſſet inuri, qui Imperatoribus adhæreſcere velle videri cupiebant. Idque docet *Sergius Neapolitanus* Epiſcopus, qui anno 730. monitus a *Gregorio* III. Pont. ut ſe a Patriarcha *Conſtantinopolitano* alienaret, & Eccleſiæ Catholicæ adhæreret, in omnibus deinceps Pontificiis præceptis obedivit. Et tamen *Sergii* hujus dignitas Epiſcopalis a Beato *Laurentio* Epiſcopo prædeceſſore prædicta fuerat. Ob eam contra ſacras imagines impietatem, ab orthodoxis in Imperatoris ludibrium *Artabaſdus* obſcuri generis homo, *Auguſtus* appellatus eſt anno 742. ab *Anaſtaſio* Patriarcha coronatus. Qui conjecto in fugam Imperatore, Imaginum cultum reſtituit, licet a *Conſtantino* Imperatoris affine, ex *Chalcedone* trajiciens, oculis & filiis, reſtituto *Copronymo*, fuerit privatus, anno 744. Indigna tamen poſtea *Paulum* infelicem *Neapoli* paſſum fuiſſe, verba *Joannis* Diaconi in Epiſcoporum *Neapolitanorum* Chronicis aliqua ex parte innuunt, quibus didicimus poſt ejus Epiſcopi obitum, irati Dei vindictam in *Neapolitanos* irruiſſe, tanta omnium internecione, ut reliquus quiſquam non eſſet, qui mortuorum ſepulturas honeſtaret. Ait enim; *Stephanus Epiſcopus XL.*

Paulus Epiſcopus Neap.

Paulus abſconditur.

Sergius Epiſ. Neap.

Artabaſdus.

Neapolitani a Deo caſtigantur.

A *ſedit annos* XXXIII. *menſ.* V. *dies* XX. *In eo ſiquidem anno quo Paulus Epiſcopus defunctus eſt, irato Deo tanta deſævit clades Neapoli, quæ a medicis Inguinaria vocatur, ut patris interitum mors ſubſequeretur filiorum, & ad ſepeliendum rarus ſuperſtes inveniretur, unde & omnes propè Clerici ejuſdem Epiſcopii vitam finirent.* Quocirca *Neapolitani* deligendo novo Paſtori ſtudentes, cùm eſſet Dux *Stephanus*, & duodecim annos civitati præfuiſſet, virumque prudentia & integritate amabilem cognoviſſent, mortua conjuge, illud ei perſuadere conati ſunt, ut electus jam Epiſcopus, quamvis laicus, electioni annueret, & B *Romam* proficiſcens peteret a Pontifice confirmari. Subdit enim idem auctor; *Ac per hoc omnes Neapolites ad prædictum accedentes Præſulem, magnis poſtularunt precibus, ut Eccleſiæ providus Paſtor acceleret. Quorum petitiones non renuens, Romanam ſedem laicus, & adhuc Conſul adiit; nam Parthenopenſem Ducatum laudabili quiete duodecim rexit annis. Cùm autem Dominus Stephanus ſuus Apoſtolicus tantam populi devotionem in eum cerneret, tonſum ibidem abſque regulari promotione Epiſcopum conſecravit. Qui mox ab eo benedictione dimiſſus ſuam repedavit ad urbem, in qua honorificè ſuſceptus eſt. Sic de divinis cœpit ſtudere re-* C *bus, acſi parvulus in eis fuiſſet educatus. Uxor quoque ejus illo Conſule ex multis obierat annis,* &c. Hunc ex laico in Epiſcopum fuiſſe electum, *Anaſtaſius*, & *Platina* confirmant. Et *Stephanus* III. Pontifex natione *Siculus* anno 768. Concilium, indixit in quo *Conſtantini Nepeſini* Epiſcopi *Romani* in ſchiſmate IX. acta proponeret, miſitque ad *Pipinum* Regem, de cujus obitu nondum renunciatum fuerat, Legatos, ut Concilio aliquos e Clero probaret. Atque paternæ ille pietatis æmulus (ut loquitur *Nauclerus*) duodecim miſit *Galliæ* Epiſcopos. Et cùm accuſatus eſſet *Conſtantinus*, quod nullis ſacris initiatus ad D Epiſcopatum evectus eſſet; oſtendit majorum exemplo id factum, nam *Sergius Ravennatium*, & *Stephanus Neapolitanorum* Epiſcopi ex laicis fuerunt electi. Quam impudentiam Patres, qui Concilio aderant, minimè ferentes, indignati eum expulerunt. In Diſtinctione tamen LXI. cap. *Statuimus*, legitur; *Cùm ergo quilibet laicus merito ſuæ perfectionis clericalem vitam tranſcendit, exemplo B. Nicolai, & Severi, & Ambroſii, ejus electio poteſt rata haberi.* *Eupraxiam* filiam habuit *Stephanus Theophilo* Duci in matrimonium collocatam, de qua in *Theophilo*; & *Cæſarium* filium, Ducem, quem ſibi collegam cooptavit, E & vivens tumulavit. Epiſcopatus munus tot laudibus proſequutus eſt, ut ad omnium Epiſcoporum bonitatem acceſſerit. Templa in urbe condidit, Monaſteria ædificavit S. *Feſti* præcipuè, quod patrum noſtrorum diebus dirutum ſcimus, & S. *Marcellini* monialium cœnobio unitum; S. *Pantaleonis* præterea, cujus nullum nunc extat veſtigium, cœnobium præterea S. *Gaudioſi* intra urbis mœnia, in quod e Patriæ oppido prope *Cumas* a *Vandalis*, & *Sarracenis* everſo ſanctorum martyrum *Fortunatæ* atqne ejus fratrum *Carponii*, *Evariſti*, *Priſciani* reliquias E tranſtulit, qui *Cæſareæ* iu *Palæſtina* martyrii palmam ſub *Diocletiano* conſequuti fuerant. Ab eodem Sanctarum reliquiarum amatore *Neapolim Puteolis* ſumma cum ſolemnitate. *Eutychetis*, & *Acutii* quoque corpora tranſlata ſcribit *Raynerius* quidam, ejus temporis ſcriptor; atque addidit ad *Stephaniam* fuiſſe delata ea corpora Sanctorum, & condita in aſylo integri marmoris, bifidoque Sarcophago in imo telluris ſolo defoſſo, *Cujus clauſtri prominens pulcritudinem decenti faſtigium columnis ambitum purpureis ſculptarum*

Stephanus ex laico in Epiſcopum eligitur.

Conſtantinus Nepeſinus Epiſcopus.

Eupraxia Stephani filia.

Monaſteria Neapoli ædificata: S. Feſti. S. Marcellini. S. Pantaleonis. S. Gaudioſi.

rum vario schemate figurarum insignitum argenteum bajulat, quòd vulgò ciborium dicitur nitens pyraterium, sub cujus umbraculo altare similiter argenteis undique redimitum tabulis, quod mundi Salvatoris gratia & vocabulo simul dedicatum, multorum corporali solamine Sanctorum se gaudet esse refertum; sacris vasis ornavit, sanctorum monumentis decoravit, multaque alia præclara gessit. *Stephani*, & *Adriani* Pontificum ætate floruit. Septuagenarius obiit, & in monasterio S. *Januarii* sepultus est, intus absidam (antiquis verbis utor) S. *Stephani* Protomartyris.

CÆSARIUS. DUX. XII.

Dum Præsul atque Dux esset *Stephanus*, *Cæsarium* filium sibi collegam adscivit. Obiit tamen vivente Patre. Ejusque elogia marmoreus servat lapis, quem in D. *Januarii* superioribus annis positum, nescio quæ temporis, vel hominum injuria perdiderit. Carminum acrosticha in Hexametris, nomen & dignitatem referunt, legitur enim; CÆSARIUS CONSUL.

CAESARIVS CONSVL TENERIS SVBLATVS IN ANNIS
HIC RECVBAT MORIENS, VAE TIBI PARTHENOPE.
AETERNVM MEDIO GESTAT IN PECTORE VVLNVS.
MILITIBVS PERIIT MVRVS, ET ARMA TVIS.
ET MEA QVI HVNC GENVI NOS VVLNERA FLETE PARENTES
QVI SOBOLVM CVPITIS TAM BENE SORTE FRVI.
SORS MEA DETERIOR DVLCIS IN FVNERE NATI,
CVIVS FLAMMA MEVM PECTVS VBIQVE CREMAT:
APTVS ERAT CVNCTIS IN VERBIS, PROMPTVS IN APTV,
CONSILIO SOLERS, FORTIS AD ARMA SIMVL.
REX ROMAE PRAECELSA NOVO QVO SCEPTRA REGVNTVR
PRAETVLIT HAC NOSTRA CIVIBVS VRBE SVIS.
ISTIVS AVXILIO LONGAEVA PATERNA SENECTVS
TVTA REGEBATVR, IAMQVE QVIETVS ERAM.
VIRTVS, INGENIVM, PIETAS, SAPIENTIA MVLTA,
VAE CVI CVM GENITO TOT PERIERE BONA.
SIC BLANDVS BARDIS ERAT VT FOEDERA GRATIS
SERVARET SAPIENS INVIOLATA TAMEN.
CONSVL, POST PRAESVL, GENITOR MONVMENTA PARAVI
CVI FVERAT CVRAE CONDERE MEMBRA PATRIS.
O MIHI NON PROLES TANTVM, SED COLLEGA FIDVS
CVI TANTOS LINQVIS QVOS TVVS ARSIT AMOR.
NVTRITVS OBSES ARICHIS MODERAMINE SANCTO
SALVASTI PATRIAM PERMEMORANDE TVAM.
SEX QVATER, ET BINOS HIC IAM TRANSCENDERAT ANNOS
CVM FLAMEN CHRISTO CREDIDIT ESSE SVVM.
VITA SENIS TENVIS. POST NATI FVNVS ACERBVM
POST ILLVM PAVCIS CREDO DIEBVS EAM.
LVX TE PRAECEDAT CHRISTI CHARISSIME FILI,
SANCTE IANVARI QVOD PETO POSCE DEVM.
DEPOSITVS EST XII. KAL. OCT. IMPERANTE NOVO CONSTANTINO ET IRENE AVG. ANNO XIII. IND. XII.

Neapolitani & Longobardi.

Ergo sub hoc Duce tumultus *Neapolitani* cum *Longobardis*, qui *Beneventi* erant, commemorantur. Ictum quoque fœdus inter eos novimus, dato obside *Cæsario* filio, *Arichi Beneventanorum* Duci, qui primus se Principem appellari jussit (sic loquitur *Leo Ostiensis*[1]) cùm eatenus, qui *Benevento* præfuerant, Duces vocati fuerint. Quod verò laudis pater filio præcipuè tribuit, ex eo fœdere natum explicat, quo *Arichis* sancto moderamine nutritus, sancti viri vestigia, dum viveret, sequi videbatur. *Arichis* bonitatem & religionem multa profectò gesta extollunt, at ea maximè quòd ab Episcopis ungi voluit, in Sacratissimo Palatio subscriptiones dandas jussit, Sanctæ *Sophiæ* templum ornatissimè ædificavit, virginesque ibi statuit, quas germanæ suæ instituendas dedit, *duodecim sanctorum Martyrum* corpora primum, deinde cum Martyre *Mercurio* aliorum Martyrum & Confessorum ad xxx. transtulit, ibidemque ipse Abbas obiit anno 787. Quamobrem ejus sanctitatem antiquitas venerata est, & inter *Longobardos* neminem *Arichi* laudabiliorem existimavit. In ejus sepulcro verba leguntur, quibus tum Philosophiæ fuisse peritissimum cognoscimus (& quis bonus Princeps appellandus est, qui doctrinis non fuerit imbutus?) tum rebus divinis adeo fuisse addictum, ut noctes integras orando cum lacrymis transigeret. Optimum igitur *Cæsarius* habuit institutorem, qui non magis laudandus est, quòd *Neapolim* datus obses servavit, & *Longobardorum* furorem avertit, quàm quòd ex *Arichis* officina multa bona ad Reipublicæ commoda deprompserat. Cùm verò in extremo lapide legatur: IMPERANTE NOVO CONSTANTINO ET IRENE, tempus non ad *Constantinum Copronymum*, sed ad *Constantinum Porphyrogenitum* refero, qui mortuo Patre *Leone* IV. cum *Irene* matre *Attica* imperavit anno 780. ætatis suæ anno decimo; ex qua ætate fortasse *novum* pro, puero, & juniore dixerunt. Nullos singularis fæmina labores subterfugit, ut filio imperium reservaret. at ipse ex pubertate egressus, matrem Imperio dejecit, omnia crudeliter subvertit; Imagines patris exemplo, & Sanctorum Reliquias sprevit, & conculcavit. Sed eo mortuo, *Irenem* expulsam, quacum decem annos regnaverat, cives in pristinam dignitatem restituerunt; cujus opera veteri religioni & pietati suus nitor redditus est; modusque additus quo sacræ Imagines coli debuissent, duobus carminibus quæ ex *Græco* hujusmodi in *Latinum* sunt conversa:

Arichis Beneventanorum Dux.

S. Sophiæ templum.

Irene Attica Imperatrix Neapolitana.

> *Nam Deus est quod imago docet, sed non Deus ipsa.*
> *Hanc videas; sed mente colas quod cernis in ipsa.*

Hæc etiam *Constantini* soceri corpus, *Theodori* monitu, effossum publicè cremari jussit, & cineres in mare jactari, ut ipse Sanctorum ossa jactaverat, nullam ejus habendam esse memoriam existimans, qui Lerna malorum, & fera bestia erat judicandus. Habetis in hac Imperatrice, *Neapolitani*, maximam religionem, quæ fortasse vos ipsos levavit, qui ea molestia ob hæreticorum Imperatorum insolentiam laborabatis; & nescio an *Stephanus* Præsul & Dux eadem de causa qua *Paulus*, aliqua pertulerit. Vestram hanc Imperatricem religione tantùm æmulamini. Præter eam, tragica in suos exempla edidit, & crudelitatem in suos exercuit, Duces enim muneribus oneravit, petiitque ut filium jugularent, qui paratis insidiis eum capiunt, oculos effodiunt, eodem die quo ipse patruos excæcaverat, & in carcerem conjiciunt, & cum eo *Leonem* filium excæcatum, quem ex *Theodora* susceperat; ipse præ mœrore expiravit. Quibus omnibus, & muliebri Imperio commotus *Nicephorus* in *Lesbum* insulam exulem, eam ejecit, in qua decessit anno 803. Aliam quoque *Irenem Copronymus* uxorem habuit *Chazaram Cagani Bulgarorum* Regis filiam, piissimam item fæminam, ex qua *Leo* III. ortus est.

Aliæ Irenes.

THEOPHILUS, vel THEOPHYLACTUS. Dux. XIII.

Theophilum hunc Ducem nominat *Joannes Villanus* in *Neapolitanis* Chronicis, quem *Sarracenorum* incursus anno 788. memorabilem fecit. Hi siquidem sub *Adriano* I. Summo Pontifice, & ejus anno xv. regnantibus in *Italia Desiderio*, ejusque filio *Aldegisio*, ex *Africæ*, *Hispaniæ*que littoribus multis navibus solventes, quò sub *Solimano Ægypti Sultano* anno 721. *Theodosio Anastasii* successore, & *Gregorio* II. Pontifice imperantibus, appulerant, in *Campaniæ* oram impetum facientes, *Neapolim* ejusque vicinos agros sunt depopulati. Pridie tandem Calendas *Julii* cùm D. *Pauli* Apostoli dies festus celebraretur, in urbem per portam quæ *Donursa* dicebatur ingressi, cladem & necem civibus inferentes, ea regione potiti sunt, quæ a porta ad Forum (Imperatoris Regiam ibi fuisse scribit *Villanus*) perti-

Sarraceni Neapolim incendunt. Porta Donursa. Forum Neapolitanum.

[1] Lib. 1. C. 10.

tinebat. Forum ibi antiquitus, quod ad *Castoris* ædem erat constitutum, velut apud eadem Numina aliæ civitates Forum habere consueverunt. Et Forum vetus nostra ætate dicitur; estque area ad D. *Laurentii* valvas, in qua omnia singulis diebus venalia habentur. *Theophilus* (quem a *Desiderio* præfectum Ducem idem auctor asserit) urbis, & civium saluti consulens, comparata armatorum civium lecta manu, audacter hostibus obviam prodiit, & fortiter dimicans hastæ ictu occubuit. *Neapolitani* tamen pugnam non deserentes, ipsorummet corpora confertissimi veluti propugnaculum telis objicientes, omnem in virtute spem victoriæ posuerunt. Faciebat etiam ipsis animos *Aldegisii* diligentia, qui cùm hostium adventum prævidisset, ad *Carolum Magnum* opem petiturus discesserat. Neque spes eòs fefellit; *Neapoli* enim opem ferens, castra ad *Thorum* posuit, qui locus etiam *Caroli Campus* dicebatur. Inde *Aimone* & *Bernardo* Ducibus missis cum duobus millibus equitum, & decem millibus peditum (hic numerus nimis est amplificatus) & a civibus introductis, mirum in modum *Neapolitanorum* mœror est sublevatus. Tunc repentè hostes, qui eam urbis partem occupaverant adorti manus viriliter conseruere. Atrox quidem pugna fuit, atque diutius incerta. Sed ad *Neapolitanos* victoria inclinavit, & *Sarraceni* cedere & terga vertere coacti sunt. Qui nihilominus castris ad *Malaczanum* positis (locus extra urbem est) sex mensium & eo ampliùs spatio, *Neapolim* obsederant. Machinis ligneis mœnia subruere conati sunt, quamobrem multis utrinque prœliis factis, multi cecidere. Interim cùm *Apuli Calabri*que subsidio *Neapolitanis* venissent, inito consilio, in hostem agros vastantem impetum facere decreverunt. Quamobrem *Januario* mense eo die, quo Conversionis D. *Pauli* Apostoli celebritas honoratur, eductis copiis, albente cœlo, confertissima acie, in barbaros eruptione e civitate facta, tanta alacritate pugnârunt, atque hostem sunt insequuti, ut usque ad eorum navigia ad mare profligarint, multos cum ipsis navigiis combusserint. Numerat idem auctor, in prima pugna ex *Neapolitanis* quingentos & viginti septem interiisse, & ad sexcentos esse vulneratos; ad tria millia ex auxiliariis occubuisse, ex *Gallis* equitibus quingentos; ex peditibus sexcentos & quadraginta; ex hostibus ad quadraginta duo millia, inter quos *Fontanam Africæ*, *Exdronem Boeotiæ*, *Marchinatum Syriæ* Reges. In secunda, quadraginta sex *Gallos* equites, *Aimonem* & quatuor ejus filios, *Aldegisium*que *Desiderii* filium, cecidisse. In D. *Januarii* fuisse sepultos, sed *Aldegisium* in *Galliam Cisalpinam* esse transmissum. *Neapolitanorum* equitum ad ducentos, peditum ad duo millia fuisse occisos. Ideoque veluti etiam *Belisarii* ætate acciderat, ex vicinis oppidis incolas *Neapolim* accersivisse, & auxisse civium numerum matrimoniis. Narrat etiam tantæ victoriæ memores, Templum *Castori* & *Polluci* dicatum, ob duas hasce victorias quas *Pauli* Apostoli festivitatibus, adepti fuerant, eidem Apostolo summa cum solemnitate dicâsse. Miror antiquos scriptores illustris hujus pugnæ nunquam mentionem fecisse. Non fuerat factum id maximè memorabile prætermittendum. *Sarracenos* sæpius eam vastâsse oram & regionem, & variis temporibus, non est verendum. Sed tot viros ex *Græcia*, ex *Scotia*, ex *Gallia* huc advenisse, nemo meminit. Tantus utrinque militum numerus historiæ fidem derogat. Et tamen facti memoriam servat *Neapolis*. In Divi *Angeli* ad *Signum* loci & facti monumentum est reliquum. Usque enim ad eum locum cum *Sarraceni* progressi essent, & in fugam postea conversi, clavum æreum *Neapolitani* in marmore fixerunt. A Divo *Archangelo Anellum* Abbatem scribunt fuisse monitum *Neapolitanos* in ea pugna victores evasuros, ideoque *Archangelo* ædem condidisse, & *Anello* in patrocinium suscepto, insignia *Neapolitana* esse tributa. Æris usus ad monumentorum perpetuitatem jampridem translatus est apud *Plinium* [1], ideoque in æreis tabulis leges incisæ, qui mos ad *Romanos* a *Græcis* traductus est, inter quos *Minos* singulis annis leges æneis tabulis incisas per populos circumferendas curabat, ut sanctiùs observarentur. *Theodosius*, & *Valentinianus* idem observarunt. *Livius* [2] ad pestem sedandam antiquos figere clavum ad alicujus templi fores solitos scribit; idque factum in æde *Jovis*, ad quam rem solemnem peragendam *Dictatores* creatos esse affirmat. Ad pellendos tonitrus clavum humi figebant rustici; & venatores clavum æneum prædæ quoque figebant, ne computresceret. Superstitiones quis antiquitus *Neapoli* fuisse neget? *Theophylactum* alii hunc Ducem dixerunt, & *Stephani* superioris Ducis gener in Episcoporum Chronicis reperitur, qui vel avaritia ductus, vel *Eupraxiæ* conjugis hortationibus, quæ ægrè tulerat *Neapolitanum* clerum *Stephani* Episcopi Patris obitu fuisse lætatum, quoniam non ex Clero, sed ex Laicis Episcopi eligerentur, id quod ejus auctoritati plurimùm derogabat, ipso invito, *Paulum* laicum uxore orbatum, Episcopum civitatis obtulit. Hæc ibi leguntur: *Defuncto igitur Domino Stephano, Theophylactus gener ejus Consulatum gerebat Parthenopensem* (mortuo *Cæsario*) *qui obstinatus avaritia nolebat quempiam ex Clericali officio promovere ad sacrum ordinem, dicens; Nequeo exinde amaricari Eupraxiam meam uxorem. Illa quoque quasi comperta occasione referebat; Lætati estis de morte genitoris mei; mihi credite, nullus ex vobis ad Episcopatum ascendet. Divina ista vertentes cœperunt omnes acclamare; Date nobis quem vultis; quia sine Pastore esse non possumus. Tunc illa fœmineis flammis accensa, hunc Paulum popularem, & laicum licet uxore orbatum comprehendens tradidit illis. Sed cùm reniti nemo auderet, illico tonsum electum sibi fecerunt. Non post multos dies ad sedem Romuleam a Domino Apostolico Episcopus est effectus.* Subdidit, eandem *Eupraxiam* religiosam fœminam Monasterium in regione *Albinensi* condidisse, quod *S. Dei genitricis* ædi conjunxit, in quo a prædicto Episcopo Abbatissa est ordinata. B. *Maria* quoque ex *Albino*, nostra ætate dicitur.

Theophilus occiditur. | Aldegisius ad Carolum Magnum. | Aimo, & Bernardus Neapoli opem ferunt. | Apuli & Calabri Neapolim. | D. Angelus ad Signum. | Clavus qui figebatur. | Theophylactus Stephani gener. | Monasterium S. Mariæ Albinæ.

ANTHIMUS. DUX. XIV.

Virum uxoremque in hoc Ducatu pientissimos habemus. *Anthimus* enim quem *Leonis* III. Pontificis seculum cognovit, tanta bonitate & & religione claruit, ut templis monasteriisque ædificandis totum se dederit, peregrinos hospitio acceperit, Sanctorum Reliquias undique exquisiverit, semperque sacris operibus obeundis vacaverit. Viri pium animum, *Theodonandæ* uxoris pietas mirum in modum auxit; atque inter se de Religionis honore & cultu contendere videbantur. Viventes, S. *Pauli* templum, Monasteria S. *Andreæ*, & S. *Cyrici* & *Julittæ* ædificârunt. Post viri obitum, *Theodonanda* S. *Marcellini* monasterium extruxit: *Ipsis igitur diebus Anthimus Neapolitanus Consul ad honorem S. Pauli amplam construxit Ecclesiam, quam pulcriori decoravit pictura, ubi res multas, multosque obtulit servos. Et propter Episcopatum Leonis Ro-*

S. Paulus.

[1] Lib. 34. C. 9. [2] Lib. 7.

Romulei Papæ, cujus tunc juris erat Manaſterium S. Andreæ quod Cella nova dicitur, connectit. Fabricavit & idem Conſul cum Conjuge ſua, Monaſterium S. Cyrici, & Julittæ, in quo duodecim ſtatuit cellullas, quas hoſpitibus peregriniſque cenſuit habitari, qui ex ipſius Eccleſiæ alerentur rebus. In iſtis atque duabus Baſilicis prædictus Epiſcopus ſacras collocavit Reliquias. Cyrici, & *Julittæ* monaſteriorum loca ignoramus. *Andreæ* in *Cella nova*, quoniam cum Pontificis jure connectit, illud eſſe templum affirmamus, quod ad *Nili* ſedile poſitum cernimus ad Diaconiam dictum, & obſervatione dignum eſt, ut notat Illuſtriſſimus *Baronius* [1], in illis locis, ubi *Romana* Eccleſia patrimonia poſſidebat, conſtitutas eſſe Diaconias ſicut in Urbe, in quibus eleemoſynæ a Subdiacono Rectore patrimonii & diſpenſatore erogari ſolerent. Eorum namque miniſteriorum fuiſſe munus curam gerere pauperum, ex pluribus Sancti *Gregorii* litteris edocemur, datis ad *Anthemium* Subdiaconum, eo tempore *Neapoli*, eodem munere fungentem. *Theotimi* S. R. E. Subdiaconi, & Correctoris *Campaniæ* extat ibi Epitaphium in tabula marmorea ante altare his verbis exaratum:

[S. Cyricus. S. Julitta.] [S. Andreæ templum.] [Diaconiæ quæ.] [Theotimi Subdiaconi Corrector Campaniæ.]

CONFVGIENTIS AD TVVM SVFFRAGIVM LÆTVS AMPLECTERE OSSA PVTRIDA, TABEFACTA, APOSTOLE SANCTE, QVI OB TVI MERITI DESIDERIVM AVLÆ TVÆ MOENIA MIRA FECIT PVLCRITVDINE CORVSCARE. VT TVIS ADIVTVS AVXILIIS, DISRVPTIS VINCVLIS INFERNI HINC RESVRGERE CARO MISERA POSSIT, ET IN DIE EXAMINATIONIS, CALCATIS FACINOROSIS PECCATIS, GAVDIA DIVINA PERCIPIAT TE INTERPRECANTE MARTYR ANDREA. HIC IN PACE MEMBRA SVNT POSITA THEODIMI SVB. REG. ET RECT. SEDIS APOST. ET DISP. HVIVS DIAC. BEATI ANDREÆ. SI QVIS PRÆSVMPSERIT HVNC TVMVLVM VIOLARE, ERIT ANATHEMATIS VINCVLIS INNODATVS.

[S. Candidæ ſepulcrum.] Sed *Candidæ* quoque ſepulcrum ibi extat, cujus memoria viget in Martyrologio unà cum S. *Candida* Seniore B. *Petri* Apoſtoli diſcipula:

MORS QVAE PERPETVO CVNCTOS ABSORBET HIATV
PARCERE DVM NESCIT SAEPIVS IPSA FAVET.
FELIX QVI AFFECTVS POTVIT DEMITTERE TVTOS.
MORTALEM MORIENS NON TIMET ILLE VIAM.
CANDIDA PRAESENTI TEGITVR PATRONA SEPVLCRO
MORIBVS, INGENIO, ET GRAVITATE NITENS.
CVI DVLCIS REMANENS CONIVX, NATVSQVE SVPERSTES
EX FRVCTV MATER NOSCITVR IN SOBOLE.
HOC PRECIBVS SEMPER LACRIMOSA, HOC VOCE PETEBAT,
CVIVS NVNC MERITVM VOTA SECVTA PROBANT.
QVAMVIS CVNCTA DOMVS NVNQVAM TE FLERE QVIESCAT,
FELICEM FATEOR SIC MERVISSE MORI.

HIC REQVIESCIT IN PACE CANDIDA C. F. QVAE VIXIT P. M. AN. L. DIE IIII. ID. SEPTEM. IMP. D. N. MAVRICIO PP. AVGVSTO. ANNO IIIO. P. C. EIVSDEM ANN. II. IND. QVARTA.

Tradunt hanc claruiſſe miraculis, dignamque habitam, quæ referretur in Sanctorum numerum. Et in Altàri majori:

HEV QVANTOS LVCTVS RENOVAS GRATISSIME FILI
BONITE MORIENS, O DECVS ATQVE DOLOR
QVI BENE CVM INGENIO FLOREBAS BARBVLA GRATA,
MORIBVS ORNATVS, PVLCHER ET ACER ERAS.
O MIHI QVAM SVBITO REQVIESCIS NATE SVAVIS,
HEV SPES CLARA MIHI, TE SINE VITA GRAVIS.
HOC GENITOR CECINIT TAVRVS LACRIMABILE CARMEN,
CVIVS FLAMMA VRIT PECTVS AMORE PIO

HIC REQVIESCIT BONITVS QVI VIXIT ANN. XXIII. DEPOSITVS ID. AVG. IND. VII.
PAVLO TASSO NEAPOLITANO CANONICO PERSVADENTE, FRANCISCVS CARRAFA RECTOR ALTARE RESTAVRAVIT ANNO 1570.

Quòd ad ſervorum oblationem attinet, neminem latere arbitror, a præcipuis Principibus & ſummis viris fundorum Eccleſiarum ſervitio ſervos fuiſſe adſcriptos. Et paulo poſt: *In ipſis denique diebus Theodonanda uxor Anthimi quondam Ducis, in ſuo Prætorio fecit Monaſterium S. Marcellini, in quo Abbatiſſam ſuam neptem cum ancillis Dei poſuit.* Hæc habentur in Epiſcoporum Chronicis. Si hic *Anthimus* alius eſt ab *Anthemio*, alius *Neapolitanus* Dux *Anthemius* dictus, objicitur, quin etiam plures *Anthemii*, cum in antiquo lapide in D. *Reſtitutæ*, tertium *Anthemium* legamus:

HIC REQVIESCIT IN PA. SANCTVS ABBAS HABET DEVS POSITVS VII. ID. MAIAS ANTHEMIO III. COS.

THEOCTISTUS, vel THERECTISTUS. DUX. XV.

Anthimi obitus de Ducatu adipiſcendo, multas turbas *Neapoli* concitavit, multorum enim ambitio animos elatos fecerat, ut eum Magiſtratum mereri poſſe ſibi perſuaderet. Sed ne concitatiores orirentur ſeditiones, & ne quiſquam queri poſſet, ſi ex *Neapolitanis* Dux eligeretur, aliunde eum evocare decreverunt. Ex *Sicilia* itaque accerſivere. Sic Chronica: *Cùm autem hæc gererentur, defunctus eſt Anthimus Conſul, & Neapoleos Conſulatus orta eſt ſeditio, cupientibus quidem multis honorem Ducatus arripere. Tunc Neapolitani cupientes magis extraneis, quàm ſuis ſubeſſe, miſerunt Siciliam, & indè adductum quendam Theoctiſtum, ſibi Magiſtrum militum ſtatuerunt. Cui aliquantis decurſis temporibus, ut Græcorum moris eſt, ſucceſſit Theodorus Protoſpatharius.* Hæc verba aliquo pacto innuunt aliquando populum *Neapolitanum* elegiſſe Ducem, aliquando Imperatorem. Mos enim *Græcorum* videtur, ut Duci *Neapolitano* aliquis ex *Conſtantinopolitano* Palatio ſuccederet, veluti hic *Theodorus* Duci a *Neapolitanis* electo ſucceſſit. Hic olim, ὁ Πριμμικήριος τῆς αὐλῆς, &, ὁ μέγας Ἄρχων, dicebatur. Hujuſmodi Officiales, & Patricios, in Ducibus *Amalfitanis* habebimus.

[Dux ex Sicilia eligitur.]

THEODORUS. DUX. XVI.

Theoctiſto ſucceſſit *Theodorus*, quem diximus, *Protoſpatharius*, quem pravis moribus imbutum *Neapolitani* e Ducatu dejecerunt.

[Protoſpatharius.]

STEPHANUS. DUX. XVII.

[816. Sico Neapolim obſidere decernit.]

Ejecto *Theodoro*, *Stephanum* Ducis & Epiſcopi *Stephani* nepotem, in ejus locum hujuſmodi ſuffecerunt. *Sico* Beneventanorum Dux, antequam ejus Ducatus inſignia accepiſſet. *Theodoro* familiariſſimè utebatur; quapropter illatam a *Neapolitanis* in eum virum injuriam ægrè tulit, animoque concepit amici contumeliam aliquando vindicare. Cum primùm igitur ad Ducatum evectus eſt, nihil ſibi fuit antiquius, quàm *Neapolitanis* bellum inferre, & diuturna obſidione affligere, ut ait Leo *Oſtienſis* [2], & igni omnia tradere, ut ait *Herempertus*. In ea obſidione quod charius *Neapolitani* habebant amiſere, Corpus ſcilicet *B. Januarii* martyris & Epiſcopi, quod in æde a *Severo* Epiſcopo condita, ab eodem eò *Puteolis* tranſlatum ſepultum fuerat. Etenim, vel quod indè decedere voluerit *Januarius* ob perjuria quæ in eo templo fieri audiebat, in illud enim templum conveniebant *Neapolitani* teſtimonium facturi, an quæ jurejurando dixiſſent, vera fuiſſent, ut etiam alibi fieri conſueverat, ut explicabimus cùm de eo templo agemus; vel quod a *Bono Stephani* ſucceſſore fuerit *Siconi* permiſſum, ut beati corpus abriperet, vel quod nemine permittente abſtulerit: corpus *Beneventum* tranſlatum eſt, & cum Sanctis *Feſto* & *Deſiderio* in majori Eccleſia, maximo cum honore conditum. Et cùm *Longobardorum* vires diutius ſuſtinere non valerent, nec ab obſidione *Sico* recederet, nihil utilius rati ſunt, quàm conditionibus propoſitis agere de pace. *Sico* per eos, qui-

[1] Tomo 9.

[2] Lib. I. C. 22.

quibus pacis negotium commissum erat, promissis præmiis, egit, ut *Stephanum* occiderent, hoc enim pacto *Theodori* dedecus ulciscebatur, idque absque mora efficere conarentur. Morem gessere clientes, atque *Stephanum* ante fores *Stephaniæ* trucidârunt, & novus Dux cui nomen *Bonus*, tumultuariè, ac turbatis ordinibus creatus est. Erat *Stephania* Episcopi sedes atque *Basilica*, sic dicta a coronarum oblationibus, quæ in antiqua illa pictura Salvatori fiunt. In *Aspremi* vita legitur id templum ob prolem susceptam intercessionibus dicti Episcopi a quodam fuisse ædificatum, & parvas ibi ædes eum habuisse, in quibus cum Sancta *Candida* habitabat. In vita *Athanasii*, Major Ecclesia *Stephania* vocatur, & legitur; *Basilicam ad nomen Salvatoris copulatam cum Episcopio, quæ usitato nomine Stephania vocatur.* A coronarum igitur muneribus, quæ pro votis susceptis offerebantur, non a *Stephano*, nomen duxit. *Leo* Imperator *Basilii* filius inter quatuor uxores *Theophaniam* primam habuit *Martinacii* Patricii filiam, quæ *Stephanium* dicta est. Huic in honorem B. *Stephani* templum *Constantinopoli* pretiosum ædificavit prope *ædem* Sanctorum *Apostolorum*, in quo & corpus ejus deposuit. Sic de eo tumultu, Chronica; *Eodemque in tempore Neapolitani Theodorum successorem Theophylacti* (is horum Ducum tempora interturbat, quare, *Theoctisti*, potiùs aliqui legendum arbitrati sunt) *Ducis perpellentes, Stephanum nepotem præscripti Stephani Præsulis Consulem levaverunt. Cujus invidia commotus Sico Beneventanorum Princeps multa mala nunc obsidendo, nunc deprædando Parthenopensium irrogavit civitati, cupiens eam aliquo modo suo pessimo dominatui subjugare. Sed cùm exinde non valeret ad effectum sui venire, impios cives ejusdem urbis, datis multis muneribus, misit in lethale consilium ipsius Ducis. Quid multa? æstivo tempore quando segetes reponuntur, eidem Duci pacem petenti suos transmisit Legatos, dante eis in præceptum, ut dolosè loquerentur Neapolitanis. Illi quoque venientes, ut conceptum irato Deo perficerent malum, simulaverunt se in ipsius Episcopii ædibus applicare. Postera igitur die Stephanus Consul cupiens desideratam pacem sancire, junxit se cum eis ante fores Ecclesiæ Stephaniæ. Tunc fautores Siconis impetum facientes peremerunt suum Consulem coram Legatis ejus.* Id quidem non *Neapolitanis* tribuendum, quibus nullo unquam tempore proditionis nota inusta est; sed iis facinoris civibus (semper enim in cadis fæx reliqua est) qui *Siconi* obæerati, tantum scelus in Ducem immeritò perpetrarunt. Deus tamen proditionis præcipuus vindex, inultum facinus non reliquit, nam *Bonus*, qui ab ipsis electus fuerat, proditorum alios in exilium egit, alios lumine privavit, quæ pœna apud *Græcos* usui erat. Ideoque eadem subdunt; *Et Dominus justus redditor, qui nihil finit abire inultum, permisit unum ex his interfectoribus Bonum nomine, Ducatum arripere Parthenopensem, qui mox ut Consul factus est, ex suis complicibus alios lumine privavit, alios perpetuo relegavit exilio.* Hanc memorabilem cædem, antiquum Epigramma quod in D. *Januarii* templo fuerat repertum ostendit, in cujus acrostichis primis & extremis legitur, STEPHANVS CONSVL:

Stephano paratur cædes. — Stephania. — Stephanium. — Stephanus Dux occiditur. — Bonus in occisores animadvertit.

S SEBAE CVM FACINORIBVS INVASIT ME HORROR MORTIS S
T TELLVS IN PVLVEREM REDACTA CARO MEA QVIEVIT T
E EXPECTANS VENTVRVM MEVM DE COELIS FACTOREM CVM FIDE E
P PROMISSIONIS, RESVRRECTIONISQVE SVSTINENS DIEM, VT IOSEP P
H HAEC CHRISTI MARTYR IANVARI DEPOSCO H
VT PER TE MEIS DELICTIS IGNOSCAT SABAOTH
A ATTENDITE QVID MVNDI MIHI PROFVIT MISERO GLORIA A
N NVNC DORMIENS SILEO BAPTISMI HABENS FIDVCIAM TAMEN N
V VEHEMENTER CONIVX DEFLET, ET MOERENS LVGET ME DIV V
S SODALES ETENIM MEI CVNCTI ME SVNT OBLITI VIVENTES S
C CVM EX ILLIS SIT NVLLVS QVI SENTENTIAM EVADAT HANC C
O OMNIS ERGO MALEDICTVS CVIVS COR RECEDIT A DEO, O
N NEC VLLVS SALVABITVR VIVENS NISI DEI CREBRO INVOCAVERIT NOMEN N
S SED DEI GENITRIX VIRGO MERITIS ME TVERE TVIS S
V VT AETERNI EXAMINIS DIE A PERPETVO ERIPIAR INTERITV; V
L LAETARIQVE CVM SANCTIS MEREAR DVM AD IVDICANDVM VENERIT EMANVEL L.

REQVIESCIT HIC STEPHANVS DVX ET CONSVL. VIX. ANN. XXXIIII.
OBIIT XVI. MENS. MAII. IND. VIII. SED ET EIVS CONIVX NON VIT.
THEODORI NE. P. DVCIS F. PONITVR HIC. IMPERANTE D. CONSTANTINO AN. VI. ET LEONE ANN. XVIII.

BONUS. DUX. XVIII.

Longobardorum calamitates sub hoc Duce quoque viguerunt, quorum incursiones non tantùm *Neapolim* penetrârunt, sed omnes vicinos agros vastâsse cognoscimus. Sed ab eo hostium quoque oppida *Acerras*, *Atellas*, *Sarnum*, ut etiam ad *Caudinas Furcas* pecurrerit, subscriptum Epigramma innuit. Hic *Stephani* necis particeps, certam pecuniam jurejurando *Siconi* soluturum pollicitus est, omnia enim tunc venalia habebantur, & pecunia in omnibus principatum agere videbatur. At fortasse *Bonus* promissis cum *Longobardis* non respondebat. Hinc bella. Maximam verò virtutem esset ostensurus, nisi brevi Ducatu functus esset, qui annum cum dimidio imperavit, hoc enim, METIVM & ANNVM infrà significat. Ceterum cùm *Neapolitanos* insolenter tractaret, & *Boni* nomen e contrario ostenderet, se habere, a *Tiberio* Episcopo qui bonos mores in Principe desiderabat, verbis quæ bonum Præsulem decebant argui cæpit. Quibus commotus Dux, eò temeritatis perductus est, ut in carcerem Episcopum conjecerit, alio suffecto in ejus locum Episcopo, quem *Joannem Aquarolum* vocabant; qui quòd sanctissimè vivebat, quódque nihil commune cum hominibus habere cupiebat, eam dignitatem recusavit. *Tiberius* quoniam *Joannis* operam sibi maximo adjumento futuram in sua calamitate sperabat, vehementer ab eo contendit, ut Episcopatum non renueret; libenter eam dignitatem acciperet, sic enim sperabat irati Ducis sævitiam sedare. Quæ cum cognovisset *Joannes*, amici miseriam aliquô pactô sublevaturus, ad opem *Tiberio* ferendam, subiit Episcopatus onus. Chronica hæc hujusmodi narrant: *Præfatus igitur Bonus Stephani Ducis necator, in eo anno quo Neapo-*

Longobardi a Neapolitanis vincuntur. — Bonus promissa non observat. — Bonus Tiberium Episcopum in carcerem detrudit. — Ioannes Aquarolus Episcopus.

politanorum Consulatum regere ortus est, contra Sanctam Ecclesiam ad cumulum suæ perditionis multa cœpit mala peragere. Cui cùm hic idem Antistes (Tiberius) *in quantum virium erat, obsistere non dubitavit, eligens terreni quàm cœlestis iram incurrere Judicis, & jugiter examen comminabatur Divinum. Sed ille antiquæ aspidis cauda aurem cordis obtusus adhuc quia spernebat monita salutis, insuper & funes peccatorum ad suum prolongaret interitum, lictorum verbositates magis attendebat. Quid multis moror? ad ultimum injecit ad eum manus, & comprehendit eum, atque carceralibus tenebris religatum arctè in pane & aqua macerabat.* Et paulò post; *Cùm prædictus Bonus Tiberium tenebroso carcere, & execrabili fame affligeret, jussit cunctos terque quaterque aggregari clericos, ut illis Electum præberet. Hic autem solus, nonnullis conatibus assumere, imò invadere eandem sedem absens & contrarius ibat. Ad ultimum verò multis affectus convitiis adductus est ante Bonum Consulem, cui feroci pectore, ore garrulo comminari cœpit. Post paulùm furiis actus, juravit non alium nisi ipsum facere Electum. At ille clamabat; Præsule meo vivo, non ero Sedis invasor. Unde Dux valde iratus dixit, eundem jugulare Tiberium, & totius Episcopii servos, possessionesque infiscari. Tum ille undique angustiatus mentem per varia ducebat, hinc formidans de Præsulis nece, Pontificatusque clade cœleste examen, illinc Apostolicam sententiam, & populi infamationem. Sed ubi respectu misericordiæ maluit humanum, quàm Divinum subire detrimentum, ait ad Consulem; Si jurejurando sancire volueris, ut licentiam habeam ingrediendi ad Tiberium Episcopum, & nullatenus eum produces ex ipso Episcopio, nec quamlibet maculam facies in corpore ejus, licet ad periculum capitis mei, præbebo consensum. Hac illico provisione percepta Electus est sublimatus* &c. Eadem confirmantur in ejusdem Aquaroli vita. Lapis habet *Acrosticha*, BONVS CONSVL ET DVX. Barbariem tempora *Longobardorum* ferebant:

B BARDORVM BELLA INVIDA HINC INDE VETVSTA
AD LACRIMAS PARTHENOPE COGIT SÆPE TVOS.
O ORTVS ET OCCASVS NOBIT QVO SICO REGNAVIT
SVADENDO POPVLOS MVNERA MVLTA DABAT.
N NAM MOX HIC RECVBANS VT PRINCIPATV REFVLSIT
EOSQVE PERDOMVIT BELLIS, TRIVMPHIS SVBDIDIT.
V VT REM AFFATIM, NVLLVSQVE REFERRE DISERTVS
ENVMERANDO VIRI FACTA DECORA POTEST.
S SIC VBI BARDOS AGNOBIT ÆDIFICASSE CASTELLOS
ACERRÆ, ATELLÆ DIRVIT CVSTODESQVE FVGAVIT,
C CONCVSSA LOCA SARNENSIS, INCENDIT FVRCHLAS,
CVNCTA LAETVS DEPREDANS CVM SVIS INGREDITVR VRBEM.
O OMNIBVS EXCLVSIS ISTO TANTVM RETINEBITVR ANTRO
METIVM ET ANNVM BREBE DVCATV GERENS.
N NAM MORIENTE EO TELLVS MAGNO CONCVSSA DOLORE
INDE VEL INDE PAVPER LVXIT, ET IPSE SENEX.
S SIBI O QVAM DVRIS VXOR CÆDIT PECTORA PALMIS
SVBTILI CLAMITANS VOCE MORI PARATA SATIS.
V VLVLATV POTIVS COMMVNIA DAMNA GEMENTES,
PAX QVIA NOSTRA CADIT, SEDE COR IPSE SIMVL.
L LOQVAX, VIGIL TANTVS IS HABEBATVR AB OMNI
VT MORIENS POPVLI CORDA CREMARET IDEM.
E EHEV TENERI QVAM LACRIMAS PATIVNTVR INFANTVM
CLAMITAT, HIC NOBIS PAXQVE PABORQVE FVIT.
T TVRMATIM PROPERANT DIBERSI SEXVS ET ÆTAS
FVNERA DE TANTO VOCES VBIQVE GEMVNT.
D DAPSILIS, ET FORTIS, SAPIENS, FACVNDVS, ET AVDAX.
PVLCHER ERAT SPECIE, DEFENSOR VBIQVE TOTVS.
V VIRGO PRÆCIPVA MATER DOMINI POSCE BENIGNA
VT SOCIARE DIGNETVR BEATORVM AMOENIS LOCIS.
X XLVIII. HIC VIXIT ANNOS, OBIIT DIE NONA
MENSIS IANVARII PER INDITIONEM DVODECIMAM.

LEO, DUX. XIX.

834.

Bono Duci, *Leo* filius successit; *Bonus interea Consul expleto unius anni & sex mensium circulo defunctus est. Cui successit Leo filius ejus. Hunc Leonem post sex menses socer ejus Andreas expulit; & factus est ipse Consul*, &c.

ANDREAS, DUX. XX.

835.

Andreas Leonem socerum post sex menses expulit, & Ducatum accepit precibus *Joannis* Episcopi *Neapolitani Tiberium* in carceres a *Bono* detrusum liberavit, & sub custodia posuit in cubiculo ante Ecclesiam S. *Januarii* Martyris. *Sicardum Siconis* filium & *Beneventanorum* Principem habuit *Andreas* hostem acerrimum; quòd cùm *Neapolitani* vectigal Patri promissum pendere recusarent, crebras irruptiones in agrum *Neapolitanum* moliebatur. At viribus tantummodo suis niti tutum non existimans, ad *Sarracenos* confugit, missoque Apocrisario, ut parata classe *Neapolim* contenderent hortatus est. Quod illico factum. *Sicardus* eorum adventu perterritus, inito fœdere, captivisque redditis, aliquot firmandæ pacis proposuit conditiones, de quibus Herempertus: *In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, & Beatæ gloriosæ Dei genitricis B. Virginis Mariæ. Dum ea quæ Dei præcepta sunt partes obaudiunt, tunc ipsius adimplere probantur mandata, & ad pacis concordiam pro salute Christianorum animarum pervenisse monstrantur; pro quo promittimus nos Dominus vir gloriosissimus Sicardus Longobardorum gentis Princeps, vobis Joanni Electo Sanctæ Ecclesiæ Neapolitanæ, & Andreæ Magistro militum, vel populo vobis subjecto Ducatus Neapolitani, Surrentini, & Amalfitani, & ceteris castellis, vel locis in quibus dominium tenetis, terra marique pacem veram, & gratiam nostram, vobis daturos, ab hac quarta die mensis Julii Ind.* XIIII. *usque ad annos quinque expletos*; & quæ sequuntur. Hanc pacis conditionem idem Auctor *Rofrito* a *Sicardo* ad *Neapolitanos* misso tribuit, qui *Neapolim* ingressus cùm terræ aggerem in media civitate vidisset, ex quo undique frumenti spicæ eruperunt, a quodam cive percunctatus est, quî fieri poterat, ut ibi frumentum enasceretur? At civis nactus occasionem, callidè respondit: Tantam in civitate frumenti esse copiam, ut plenis ubique horreis, locum in quo illud conderent, non haberent; ideoque ejus quod supererat ibi aliquam partem reliquisse, & imbribus tabefactum pullulâsse. Quod cùm *Sicardo Rofritus* renunciâsset, & intelligerent adeo munitam esse *Neapolim*, ut quamlibet posset obsidionem sustinere, a conatu destitêre, & ad pacem accedere deliberârunt. Fidem tamen a *Sicardo* non servatam illud maximè declarat, quod in eadem calamitate constitutus *Andreas* in *Galliam* ad *Lotharium* Legatos misit, qui vel auxilium ab Imperatore peterent, vel efficerent, ut aliquo pacto *Sicardi* vesania ejusdem auctoritate reprimeretur. *Lotharius Contardum* quendam (bellica eum virtute fuisse insignem arbitror) *Neapolim* misit, qui cum *Sicardo* ageret, ut a *Neapolitanorum* injuria abstineret. Quod si id cum non esse facturum animadvertisset, & *Neapolim* vexare perseveraret, ejus ipse furori & audaciæ resisteret. *Contardus* licet celeriter venisset, *Sicardum* nihilominus mortuum reperit. Is enim ob insolentem imperandi libidinem omnibus erat invisus. Accedit eò, quòd *Naningonis Beneventani* uxorem stuprare tentaverat, quapropter injuria viri animum, ejusdemque apud plebem querelæ, civium animos contra *Sicardum* sublevârunt. Fuerant præterea *Beneventanæ* mulieres maxima injuria ab ejus uxore *Adelchisia* affectæ. Etenim quòd eam quidam in tentorio casu nudam viderat, convocatis omnibus mulieribus quasi ludum editura, vestes ad crura concidit, ut nudas eas quilibet conspiceret. Tanta exarsit universus populus ira, ut *Sicardum* occiderint, suos omnes si licuisset, occisuri.

Tiberius Episcopus liberatur.

Fœdus inter Neapolitanos & Longobardos.

Neapolitanorum astutia.

Sicardus fidem non servat.

Contardus a Lothario Neapolim mittitur.

Sicardus occiditur a Beneventanis.

ſuri. Ea cùm comperiſſet *Contardus*, ad Imperatorem ſibi redeundum ſtatuit. *Andreas* verò *Longobardos* obſtinatè *Neapolitanos* inſequentes pertimeſcens, ne civitatem ferro atque igni traditam lugeret, *Contardum* cujus præſentia hoſtibus terrori fuerat, multis precibus apud ſe retinere ſtuduit, utque libentiori animo *Neapoli* conquieſceret, *Eupraxiam* filiam, quæ *Leoni* antea nupſerat, ſpopondit. At quoniam quos nobis amicos adſciſcimus, hoſtes ſæpenumero retinemus, *Contardus* regnandi cupiditate accenſus, nulla *Andreæ* benevolentiæ habita ratione, factâ cum ſoceri æmulis conjuratione, ad S. *Laurentii* baſilicam eum trucidavit, & *Eupraxiam* uxorem accepit. Atque hujuſmodi pœnas ipſe luere viſus eſt, qui ſocero *Leoni* Conſulatum vi eripuerat. Id cùm aliis *Neapolitanis*, qui *Andream* amabant, vehementer diſplicuiſſet, triduò poſt ejus necem impetu facto in *Contardi* domum, ipſum, conjugem, & familiares occiderunt; & *Sergium Marini* & *Eupraxiæ* filium elegêre. Ex genere *Amalfitanorum* Ducum hunc exiſtimo, atque hoc tempore Ducatum *Neapolitanum* cum *Amalfitano* conjunctum arbitror tum ex pacis verbis quæ ſuprà *Sicardus* dixerat, tum quod in illorum chronicis, *Leonem*, *Marinum*, *Sergium*que habemus. Erat tunc *Sergius Cumis*, nam mortuo *Andrea*, ad *Sichenolphum Salernitanorum* Principem Legatus miſſus eſt, & e *Sueſſulano* agro *Cumas* advenerat, ut vera de *Andreæ* morte reſciret. Quæ ita in *Neapolitanorum* veteribus fragmentis explicantur: *Mox autem Andreas Conſul Franciam direxit deprecans Dominum Lotharium, ut ſaltem ejus præceptione a tantis malis ſopiretur Sicardus, quapropter miſit ille Contardum fidelem ſuum, ut ſi nollet ceſſare perſequi Parthenopenſem populum, veſanum ejus furorem ipſe medicaretur. Hic autem Contardus cùm Neapolim perveniſſet, audiens Sicardum peremptum a ſuis concivibus, ad ſuum ſeniorem reverti voluit, quem Andreas Magiſter militum propter ingruentem Longobardorum inimicitiam tenere curavit, promittens ei Eupraxiam filiam ſuam dare in matrimonium, quæ uxor fuerat prædicti Leonis filii Boni Ducis. Qua ſponſione accepta, conſiſtens repedare contempſit. Sed ubi cognovit idem Contardus hujuſmodi copulam illudendo prolatari, conjuravit cum inimicis Andreæ Conſulis, & eum in loco baſilicæ S. Laurentii qui ad Fontes dicitur, gladio percuſſit, & Conſulatu ſuſcepto, eandem duxit Eupraxiam. Neapolitani ſiquidem commoti de morte turpiſſima ſui Ducis, poſt tres dies unanimes irruunt Epiſcopium, quo ipſe manebat, & confecto feroci bello, Contardum ſuamque conjugem, & homines ejus trucidaverunt, ac deinde inito conſilio, Sergium filium Marini & Eupraxiæ libenti animo Ducem ſtatuentes, beredarios Cumas præmiſerunt, qui eum feſtinarent Conſulem fieri profiguum. Nam diluculo ipſius diei quo peremptus eſt Andreas Dux, direxerat eum legatum ad Sichenolphum Salernitanum Principem obſidentem tunc Beneventum (enimvero in ipſis diebus diviſus eſt Principatus Longobardorum) qui cùm reverteretur, in Sueſſulano territorio audivit occiſum Contardum. Ut autem exinde veritatem reſciret, perrexit ad Cumanum caſtellum. Hinc ergo revocato illo, Magiſtrum militum præfecerunt. Interim Tiberius Epiſcopus moriens ſermonem habuit, quo Joannem Epiſcopum Neapolitanis commendavit.*

(Anno 839. Contardus Andream occidit. — Eupraxia filia Andreæ. — Sergius Dux eligitur. — S. Laurentius ad Fontes. — Sichenolphus Salernitanorum Princeps. — Tiberius Epiſcopus moritur.)

CONTARDUS, DUX. XXI.

(836.) Meritas pœnas rependere viſus eſt ſceleſtus homo, qui *Andream* de ſe optimè meritum occidere voluit, ut Ducatus inſignibus decoraretur, & violatâ fide amico evaſit hoſtis. Neque *Gallus* Dux, inter *Græcos* debuerat adnumerari.

SERGIUS, DUX. XXII.

Longobardorum ingruens furor in *Italicas* urbes, in *Neapolitanos* præcipuè ſæviebat, quamobrem multis præliis laceſſiti, belli & fortunæ viciſſitudines pro viribus perferebant. Emicuit belli fulmen inter eos *Sergius* nobiliſſimo loco natus, qui tantum ſibi gloriæ pugnando comparavit, ut hoſtibus maximo terrori eſſet; & adeo metuebatur, ut in eum ſolum inter pugnandum tela contorquerent, eo enim mortuo facilem ſibi victoriam fore ſperabant. Quocirca ſummo Pontifici *Gregorio* IIII. & Imperatoribus *Ludovico*, & *Lothario* charus, & *Neapolitanis* maximè acceptus, quòd litterarum ſtudia vehementer ſectaretur, quòd viribus animi & corporis maximè polleret, quòdque Patriæ miſeriis neminem opportuniùs providere poſſe exiſtimabant, mortuis *Andrea* & *Contardo*, ex Legato ad *Siconolphum*, Ducem ſibi elegerunt. Ejus elogia, ſic ſunt explicata: *Anno igitur Incarnationis Jeſu Chriſti Domini noſtri octingenteſimo trigeſimo quincto Ind.* XIII. *Sergius quidam vir per omnia ſtrenuus Neapolitum de proſapia procerum ortus, ab ipſis cunabulis gemino de germine nobilis, ſed longè nobiliori mente, gratus parentibus, ſed Deo non ingratus. Quo videlicet tempore ſuſtinebat ſæpe dicta urbs a Bardorum agminibus perſequutionem, ita ut ſingularis hic quæreretur ab his interimendus, veluti Moyſes famulus Dei ab Ægyptiis, metuentes procul dubio ne ſicut ille illis ad ruinam, ita iſte iſtis ad perniciem daretur aliquo modo, ideoque innumerabilia probra, diſpendiaque non parva pertulit pro ſua ſuorumque optata civium commoditate. Cùm autem ad virilem perveniſſet ætatem, litteris tam Græcis quàm Latinis favorabiliter eruditus eſt, ita ut ſi caſu librum Græcis exaratum elementis in manibus ſumeret, Latinè hunc inoffenſè curſimque legeret; & Latinos libros Græco expedito ſermone rimaret. Tantæ namque prudentiæ & modeſtiæ, tantæque patientiæ bonitate decoratus eſt, ut penes Gregorium Romanæ ſedis Pontificem, ergaque ſereniſſimos viros Ludovicum piiſſimum cognomento Almum, ejuſque Sobolem Lotharium invictiſſimos Cæſares familiariſſimus eſſet, maximumque obtineret honoris locum, quoniam frequentiùs eorum jura Regalia adibat ob infeſtationem jam dictarum gentium ſuam gentem urbemque impugnantium. Hinc ergo non ab re ſalvator propriæ gentis nuncupari poteſt, per quem populus & civitas ab obſeſſione immunis efficitur. Hujus rei gratia etiam ſuæ gentis primas tum obtineri promeruit. Nam Rectore obeunte jam dictæ civitatis, dum hic abſens eſſet, cives affineſque illius omnes Ducem ſibi illum ſtatuerunt pari conſenſu & petitione. Mox Dei opitulante miſericordia quievit perſequutio ſiniſtræ immiſſionis. Accepit conjugem dignam generis ſui Droſu nomine principali propagine ſatam, quibus conjunctis turba ſobolum proſequuta eſt Domino largiente, ex quibus unus ex illis adhuc Gregorius nomine Militum magiſter conſtituitur, vir per omnia ſtrenuus ut genitor, & in Græca Latinaque lingua peritiſſimus.* Ejus filios commemorat Herempertus, *Gregorium*, *Athanaſium* Epiſcopum, *Stephanum* Epiſcopum *Surrentinum*, atque *Cæſarium*. Ejus Ducis ætate maxima *Neapolitanorum* fides atque obſervantia cognita eſt erga ſummos Pontifices, maximaque in Religionem pietas, qua ſemper floruêre; & jam cognita fuerat *Adriano* Pontifici, cùm inter alios *Campanos Neapolitani* ad Urbis præſidium accerſiti, *Deſiderio Longobardorum* Regi Urbis aditum intercluſerunt. Et ſub *Leone* IV. Pontifice, & *Lothario* & *Michaele* III. Imperatoribus, *Sarraceni* diabolico hortatu Eccle-ſia-

(Sergius bello clarus. — Droſu uxor Sergii. — Sergii filii. — Neapolitanorum ſumma fides in Pontifices. — Leo IV. — Sarraceni.)

siarum caput Romam sanguine obruere delibera- runt; & ad eam rem perficiendam ex *Africa* in *Sardiniam*, inde *Ostiam* navigantes, tantum timoris *Romanorum* animis intulerunt, ut in maximam omnium rerum miseriam se adductos viderent, cùm interim incredibili celeritate intra urbem acies ordinesque constituerint, & sese Pontificis verbis, atque orationibus confirmârint. Ea re permoti *Neapolitani*, & ægre ferentes *Romam*, & Pontificem in summis esse positos angustiis, junctis suis cum *Amalfitanorum* & *Cajetanorum* navibus, iisque optimo milite instructis, cum *Cæsario Sergii* filio classis Præfecto, *Romam* navigârunt, dum interim *Sarraceni* per maria illa vagarentur. Verebatur Pontifex appulsu navium audito, ne *Sarracenorum* partes sequutæ Urbem fuissent invasuræ, non quòd *Neapolitanos* amicos & socios, hostes haberet; sed quòd barbarorum metu saltem illis favere velle viderentur. Aliquot igitur ex iis *Romam* accersivit, ut ancipitis opinionis timorem abjiceret. Profectus est ad Pontificem *Cæsarius*. Ex quo cum amicorum benevolentiam, & studium, navium numerum, militum multitudinem atque alacritatem ad hostium insolentiam opprimendam cognovisset, & addidisset *Cæsarius Neapolitanos* sociosque paratissimo animo, majorum instituto ad Sedis Apostolicæ decus & Majestatem tuendam, pro Pontificis & *Romanæ* urbis commodo sanguinem libentissimè profusuros venisse, a lacrymis bonus Pontifex, *Romani* militesque non abstinuêre. Summis laudibus *Cæsarium Sergiumque* Patrem, & commilitones omnes summus Pontifex prosequutus est, mox hilariter summa cum benignitate in æde *Lateranensi* eos accepit. *Ostiam* deinde cum omnibus copiis properantes, alios qui naves custodiebant ad solemnia evocârunt. Tanta utrinque lætitia coorta est, tantusque piorum animorum plausus, ut omnis oppressorum timor sublatus videretur. Pontifex *Romani* Præsulis clementia usus est. *Cæsarius* militesque humi prostrati, pedes tanti Pastoris deosculantes certam sibi victoriam pollicebantur. Et multis precibus contendentes, ut Sacra eos Communione cibaret, cum hymnis & canticis ad Ecclesiam Beatæ *Aureæ* profecti, ut Anastasii Bibliothecarii [1] verbis utar: *Quibus ore suo Missam in Ecclesia beatæ Aureæ decantavit, atque universi ex illius (ut dictum est) manibus Communionem sumpserunt.* & paullo post: *super quos etiam multis cum lacrymis hanc Orationem obtulit dicens: Deus cujus dextera B. Petrum Apostolum ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit, & Coapostolum ejus Paulum tertiò naufragantem de profundo pelago liberavit, exaudi nos propitius, & concede, ut amborum meritis horum fidelium vestrorum brachia contra inimicos sanctæ Ecclesiæ tuæ dimicantia, omnipotenti dextera tua corroborentur, & convalescant, ut de recepto triumpho, nomen sanctum tuum in cunctis gentibus appareat gloriosum. Per Dominum nostrum, &c.* Quid gloriosius unquam *Neapolitani* adipisci potuêre, quàm pro tantæ victoriæ trophæo, hujus orationis memoria in Ecclesia Dei celebrari? Postera die Pontifex *Romam* reversus est, milites naves conscenderunt. Utque in conspectum hostium venêre, tanto impetu invecti sunt, ut Victoriam, non arma pugnâsse visum fuerit; Deum ipsum, inquam, pugnâsse crediderim. Inita enim pugna tanta ventorum exorta est tempestas, ut subitò hostium naves dissipârit, quæ miserabili naufragio pereuntes, Divinæ potentiæ virtutem sunt expertæ. Plerique qui in vicina littora sunt dejecti, aut fame, aut gladio perierunt. Captivi etiam *Romam* ducti, quos ad *Ostiam* mala cruce suspendi jusserunt. Vix memorari potest res vel eventu, vel exemplo in tota antiquitate nobilior, inquit *Sigonius*. *Gregorius* quoque Pontifex de salute civitatis solicitus in *Agilulfi* persecutione, dimissa expositione templi *Ezechielis*, sacro missarum canoni addidit: *Ut dies nostros in tua pace disponas.*

Neapolitani, Amalfitani, & Cajetani. Cæsarius Sergii filius.

Ad Ostiam Pontifex descendit. Celebrantur solemnia.

Pontificis oratio pro Neapolitanis & sociis.

Neapolitani vincunt Sarracenos.

[1] Anastas. Biblioth. Vit. Leonis IV. pag. 185.

GREGORIUS, DUX. XXIII.

844. *

Sergio Patri de *Neapoli*, & *Romana* Ecclesia tam benemerito, *Gregorius* filius successit. Generis in eo summa nobilitas, qui longam Ducum secum duceret seriem, & animi notatur splendor, cùm bonas amaverit litteras, & sacrarum rerum fuerit studiosus. Sic enim *Bonitus* Subdiaconus Ecclesiæ *Neapolitanæ* in Actis (ipse *Passionem* appellat) *Theodori* Martyris sub *Licinio*, & *Galerio* quam puriori stylo *Gregorii* hujus monitu, ab ipso conscriptam testatur his verbis: *Quidam inertes Sanctorum Martyrum passiones describentes tanta eas absurditate, tantaque obscuritate sensuum replevere, ut nec tempora passionis, agonumque constantiam, vel contra impios eorum victoriæ intelligi queant. Veruntamen cùm a solertissimis Chachigetis* (sic in antiquo exemplari) *talium figmenta fuerint deprehensa, cultro suæ sententiæ detruncantes solummodo ex ipsis ceu reliquias de naufragio sententias colligentes, ad liquidum ea convertere student ingenium. Ex quibus igitur solertissimis ac studiosissimis viris Gregorius Parthenopensis loci servator, non solum industriam, verùm etiam originem trahens, videlicet nepos ac proles, frater ac patruus extans Parthenopensium Ducum, cùm quorundam passiones Sanctorum Martyrum rustico Archivorum stylo digestas legi in Ecclesia comperisset, & ex his populus audiens ridiculum potiùs quàm imitationem acquireret, Christi æmulatione permotus, non est passus Dei opus ludibrium fieri populorum. Quapropter me Bonitum indignum Subdiaconum Ecclesiæ Neapoleos compulit, quatenus S. Theodori gesta potiori serie pertractarem*, &c. Duos hic habuit filios, *Sergium*, & *Athanasium*. *Sergium* ipse vivens ad Ducatum evexit; sic enim Chronica: *Interea Gregorius Dux habito cum suis germanis consilio, præsertim cum Domino Athanasio Episcopo, statuit Consulem Sergium filium suum, nec multò post diuturnitate ægritudinis spiritum exhalavit.* Sed quoniam puer cum fratre relictus fuerat, *Athanasii* fratris tutelæ commisit, sperabat enim sanctis illius viri moribus instituti, fore ut majorum exempla sectarentur; idcirco, *Gregorius dux* (in vita *Athanasii* legitur) *ægritudine captus, Sergium filium suum dudum jam Ducem constitutum, huic sancto viro tradere curavit.* Sed quàm diversa successerunt.

Bonitus Subdiaconus Neapol.

Athanasius Episcopus.

Sergius traditur Athanasio Episcopo.

SERGIUS, DUX. XXIV.

Quidquid sibi Majores pietatis & gloriæ tum in administranda Republica, tum etiam in observantia erga summos Pontifices comparaverunt, duo *Gregorii* filii *Sergius*, & *Athanasius* turpiter amiserunt. *Sergius* quem natura malorum morum lue infecerat, mortuo Patre, paternis legibus solutus, sancto viro non feroci quo opus erat commissus, solutam quoque stultitiam & intemperantiam exercens *Neapolitanorum* pacem, & tranquillitatem, in dissensiones atque tumultus, consilio, & exemplo convertit. Et tales sub ejus Consulatu redditi sunt, ut qui nunquam a *Romana* Ecclesia desciverunt, & malos Duces superioribus temporibus ejecerunt, *Sergio* perfido viro adhærentes, cum *Sarracenis* fœdus ferirent, Pontificum comminationes aliquando par-

Sergius malis moribus imbutus.

Sergius & Neapolitani Sarracenis adhærent.

* Illustrissimo Baronio 871.

parvipenderent, & pulcram omnium oculis *Neapolim* deformarent. Hinc planè intelligimus quantum intererit bonum Reipublicæ Rectorem habere, cùm sæpe Principum ad exemplar cives instituantur. Idcirco a *Joanne* VIII. in Epistolis Decretalibus *Neapolitani* eo tempore cæci appellati sunt, & *Sergius* Dux cæcorum. Cùm igitur *Sergius* haberet S. *Athanasium* commonitorem, & manifestorum scelerum testes continuò deprehenderentur, admonitiones, atque preces detestari non verebatur. Perfida conjux (socera in vita *Athanasii*) hortabatur eum ad odia atque dissidia, nam ambitiosiùs illud inprimis optabat, ut solus vir principem locum in civitate obtineret, alios non haberet in administranda Rep. consortes. Quamobrem crebris solicitabat *Sergium* illecebris, tum muliebribus minis, ut Episcopum aliquò ablegaret. Qui tandem conjugis verbis adductus, non ex urbe ejicere, sed in carceres cum fratribus detrudere deliberavit. Jactabant tota urbe querimonias *Neapolitani* qui a Duce non erant, *Sergii* & conjugis indignitatem accusantes; maximisque contendebant precibus, ut Pastorem suis redderet ovibus; non decere justum piumque Præsulem hisce malis affligi; non decere Ducem, *Neapolitanæ* civitatis Rectorem, Ecclesiasticum virum, sanctum Antistitem injuriis sine causa afficere; id quod clamitans *Antonius* Abbas (ex S. *Benedicti* monasterio) clero ad *Prætorium* comitatus diris execrationibus comminabatur. At *Sergius* eos qui ejus partibus non favebant metuens, simulatam ostentans pietatem, Episcopum tantùm post octo dies cum S. *Salvatoris* Abbate, retentis fratribus, liberavit. Ita verò Ducis crevit invidia, quod profusam omnium hilaritatem ob eam rem cognoverat, ut omnibus ad sanctum virum prohibuerit aditum. Et quamvis novum *Saulem* mitissimus hic *David* humilitate placare studeret, de ejus tamen commiseratione desperans, signato annuli sui symbolo Ecclesiæ thesauro, atque his scriptis appositis: *Anathema sit quid si fecerit, vel jusserit absque mea præsentia, vel jussione, hanc januam aperire, vel aliquid hic contingere*, in insulam *Salvatoris*, vel Castrum *Lucullanum*, in monasterium se abdidit, quod ipse condiderat. Sed a persequutione non decedens *Sergius*, cum *Neapolitanis*, qui sibi favebant, & *Sarracenorum* copiis, ibi etiam eum obsidione tentavit, illud præsertim petens, ut Episcopatu se abdicaret, & monachalem habitum indueret, ipse interim Ecclesiam ordinaret. *Ludovicus* Imperator qui *Beneventi* hæc impia resciverat, *Marinum* Præfectum *Amalfitanum* cum viginti *Sagenis* (sic scribit *Petrus Diaconus*; erat vero navigii genus) misit, qui Episcopum ex insula educeret. *Neapolitani* & *Sarraceni* navibus *Marinum* insequuti, Divina tandem providentia profligati sunt, & occisi. Episcopus *Beneventum* ad *Ludovicum* incolumis ductus est. *Adrianus* Pontifex de recipiendo Episcopo ad clerum & populum *Neapolitanum* scripsit. Quibus renuentibus, *Anastasius Bibliothecarius*, & *Bertharius* Abbas Pontificis & Imperatoris nomine *Neapolim* missi sunt, qui Anathemate civitatem obstrinxerunt. *Romam* deinde proficiscenti Episcopo, venenum ferox *Dalila*, *Sergii* inquam uxor, per nefarios homines molita est. Quod cum animadvertisset *Athanasius*, *Surrentum* divertit, & cum fratre *Stephano Surrentinæ* civitatis Episcopo commoratus, suarum miseriarum oblitus, Anathematis indignationem contra patriam deplorabat. Dum hæc gererentur, mortuo *Adriano Joannes* VIII. successit, qui ægrè ferens *Neapolitanos*, *Cajetanos*, *Salernitanos* cum *Sarracenis* familiariter vivere, a quibus occupato *Tarento* & *Barulo*, ager quoque *Romanus* vastabatur, cum Duce *Lamberto*, & *Guidone* fratre, quos *Carolus* II. cognomento *Calvus* miserat, *Neapolim*, deinde *Salernum* se contulit. A *Guaiferio Salernitano* facilè impetravit, ut fœdus dissolveret, & sumeret arma contra *Sarracenos*. *Sergium Neapolitanum* Ducem nunquam a sententia potuit dimovere, quocirca excommunicatione eum percussit, *Romam*que reversus est. *Athanasius Romam* petiit, tantumque precibus apud Pontificem valuit, ut indignationem a civitate *Neapolitana* averterit, curante id *Dominico* Episcopo, a *Joanne* misso. *Neapolim* repetens, post Missæ sacrificium in itinere febre correptus est, & in Oratorio S. *Quirici*, quod non longè a *Casinati* Monasterio abest, ad beatiores sedes evolavit idib. Julii, Ind. V. sub *Basilio Constantinopolitano*. Sedit annos XXII. In monte *Casino* summa cum veneratione sepultus est, ibique multis miraculis claruit. Fœdus noluisse *Sergium* dissolvere, his verbis exprobat Joannes Pontifex [1]; *Semel te tuosque admonere non abnuo, ut ab infidelium consortio declinetis, & a tam prophano tandem aliquando fœdere recedatis. Quod si nos audieritis, non solum bona quæ capitis affluentiùs ex nobis habebitis, sed & magna præmia cœlitus assequemini. Sin autem, non solum nos spirituali vos iterato gladio percellemus, sed & hi qui non sine causa materiales gladios portant, cùm sint sanctæ Ecclesiæ validi defensores, & fervidi zelatores, cunctis adversis & prosperis conculcatis adversus vos protinus arma corripient, & vindices contra vos impugnatores ejus celeriùs properabunt.* Atque ut ostenderet quantum detrimenti in eo fœdere intulerint, quasi ingemiscens ait; *Ceterùm miramur quando vos in litteris vestris, quas in Paschali festivitate suscepimus, inculpabiles tentetis astruere, cùm piaculum vestrum totus qui desertus est mundus, & sanguis qui de terra effusus est, clamet.*

Athanasius a Sergio ejicitur. — Antonius Abbas. — Athanasius in Insulam Salvatoris se abdit. — Ludovicus Imperator. — Marinus Dux Amalfitanus. — Athanasius Beneventum incolumis ducitur. — Neapolitani excommunicantur. — Stephanus Ep. Surrentinorum. — Ioannes VIII. Neapolim venit. — Dux excommunicatur. — Athanasius Pontificem placat, — moritur; — in Monte Casino sepelitur. — Pontificis querela.

Athanasius, Dux. XXV.

Neapolitani cùm ad se rediissent, Pontificis comminationibus perterriti, qui & facinorosi Ducis insaniam diutius perferre noluerunt, ejecto *Sergio Athanasii* Episcopi fratris opera, ipsum Episcopum Ducem sobrogârunt. Hic quietam initio vitam ducere cupiens regnante *Ludovico* III. quem *Carolus* habuit successorem, & *Salerni* commorabatur, sibi ipsi potiùs quàm fratri consulens, cujus vindex a Deo electus videbatur, ut ait *Leo Ostiensis Sergium* captum excæcavit, & *Romam* ad Pontificem misit. Laudatus idcirco est a *Joanne* VIII. hac epistola; *Reverendissimo ac sanctissimo Athanasio Episcopo sanctæ Ecclesiæ Neapolitanæ confratri nostro Joannes, &c. Innumeras gratiarum actiones vestræ Deo dilectæ agimus Almitati, dignisque Apostolico vos ore laudibus præ ceteris meritò collaudamus, quoniam secundum Domini vocem dicentis: Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice a te, fratrem tuum erga Ecclesiam Dei impiè agentem, & circa Dominum non recto itinere gradientem velut secundum Holofernem sancta Christi Dei nostri ausu temerario impugnantem, & hæreditatem patriam more sacrilego persequentem, tanti honoris regimine indignum judicans ultionis divinæ percutere jaculo studuisti, nec pepercisti carni tuæ propter Dominum dicentem: Qui diligit patrem, aut matrem, aut fratrem plusquàm me, non est me dignus. In quo nimirum vos Deo per omnia dignos fore cognoscimus, quia membrum corporis sui multo contagio fœtens libenter abscindere, proculque abjicere Sanctitas tua fideli devotione curavit. Et quia nunc usque viris secundum se, non secundum Deum in urbe Neapolitana principantibus mul-*

880. Athanasius Dux eligitur. — Sergium fratrem excæcat.

[1] Decret. Tom. 3.

multa scandala, & perturbationes multas, homicidia, & oculorum erutiones, intra eam & foris peragentibus dignum Deo de his justè judicante peractum est, ut iniqua jam cessent dominatio, finem haberet peccatum, & cognosceret vir de domo Domini, qui timorem Dei prae oculis habens regat populum Christi in omni justitia & sanctitate, in omni veritate & mansuetudine, & pastor idoneus, non velut mercenarius deserat & disperdat. Et ideo ad ea quae vestrae dignitati, vel honori congrua & necessaria sunt, perpetua nihilominus stabilitate confirmamus, tanto ampliori nunc studio curaque multiplici pro defensione sanctae Ecclesiae Dei tibi commissae stare ac desudare quatenus salva securaque consistat, ut procures his nostris Apostolicis prudentiam vestram exhortamur apicibus. Nos namque aliis omnibus Mancosis datis (pecuniae genus) *mille quadringentos vobis dare debemus, quos vestrae dilectioni aut initio Quadragesimae, aut in die sanctae Resurrectionis vobis procul dubio dirigemus. Porrò hunc Petrum venerabilem Diaconum vestrum, quia eum vestrae Ecclesiae & civitati Neapolitanae in omnibus fidelem cognoscimus, vobis in omnibus commendamus, ut pro nostro eum amore benignè semper retinere dignemini. Data ut suprà mense Novemb. Ind.* XI.

Mancosi pecuniae genus.

Non esse accusandum Pontificem scribit Illustrissimus *Baronius*, quòd indecens Episcopo factum laudaverit, quippe & *Moses Levitas* laudavit, qui a caede fratrum & filiorum revertebantur. Et *Petrus* spiritu oris sui *Ananiam* & *Sapphiram* interemit. Zelus praecipuus est contra Ecclesiam Dei vexantes. Scripsit etiam idem Pontifex ad *Neapolitanos*, quòd *Athanasio* tanquam justissimè operanti cooperati etiam ipsi fuerint, monens, ut quem Pastorem elegerunt, veneratione amplecterentur. Appellatque *Sergium*, Hominem peccati, Dei inimicum, populi sui Tyrannum, atque *Romanae* Ecclesiae perduellem. *Landulfus Capuanus* Episcopus Pontificis monitu *Athanasium* in ea re maximè innuit.

Athanasius ob fratris excaecationem non est incusandus.

Rerum deinde vicissitudo cuncta permutavit. Quid? mala mens, malus animus semper mala cogitat. *Athanasius* Episcopus & Dux, Tyrannus est effectus. Quis credat, omnes Pontificis laudes, in anathemata esse conversas? Siquidem avaritiâ ductus, firmatâ cum *Sarracenis* pace, prope *Neapolim* iis sedes concessit, nec tantùm ab hostili praeda contra *Beneventanos*, *Capuanos*, *Salernitanos*, sed etiam contra *Romanos* ipsos voluit abstinere. Hortatur eum Pontifex, ut pactum cum *Sarracenis* frangat; *Quod sive ruperint Amalfitani pactum cum Sarracenis, sive non, vos omnino frangatis; volumus, ut indesinenter vos id agere studeatis*; & subdit *Dominicum* Episcopum misisse, ut eos sententiam cogeret mutare. Denuo ut animarum saluti consuleret ad eundem Ducem scribit *lactantium* sanctae Matris Ecclesiae uberum esse oblitum, cùm tot damna *Christianis* inferre conetur; meminerit quaeso quid sit; quid si non resipuerit, sit futurus. Monet ut judiciorum Domini sit memor, nec pro iis rationem Deo reddere cogatur, qui per ejus desidiam interempti fuere, & captivi ducti varias angustias atque mortes sustinuere, & ut majori studio commoveat, inquit; *De quorum crudelitate quid dicere possumus? cùm tanta hic flenda sint, & lugenda, ut si scribere velimus, & lacrymarum rivuli crescent, & primùm charta quàm verba deficient.*

Athanasius Tyrannus efficitur. Sarraceni Neapoli. Pontifex monet Athanasium.

Miserat tamen *Athanasius* Legatos ad Pontificem, per quos pollicebatur, triginta dierum spatio, & cum *Agarenis* foedus soluturum, & captivos *Romam* transmissurum. Quae promissa cùm nec certa, nec rata haberentur, optimus Pontifex avari animi cupidus explere voracitatem, qua omnia infesta reddebantur, *Neapolim* se contulit cum argenti pondere, quo odiosam illam cupiditatem satiaret, rogans ut tandem aliquando resipisceret, ut animae lucrum mundanis divitiis anteponeret; non decere Episcopum & Ducem, cui *Romana* semper favit Ecclesia, eidem esse inimicum; non decere bonum virum humano sanguine delectari; sumeret exemplum ab aliis *Neapolitanorum* Ducibus, quos semper sedes Apostolica habuit auxiliatores; sumeret exemplum ab *Athanasio* patruo, qui tanta sanctitate gloriam decusque familiae adjunxit. Tantum Pontificis verba apud *Athanasium* valuerunt, ut se poenitentem subjecerit, & quae vellet facturum pollicitus fuerit; sin autem, sacerdotio privari & anathemati subjacere voluisset. Videbatur Pontifici rem difficilem perfecisse, ejusque sibi animum conciliâsse, hac de causa *Romam* sibi redeundum. At cum primùm *Neapoli* discessit, *Athanasius* rerum, quae promiserat oblitus, ad pristina facinora mentem convertit. Quod ubi intellexit Pontifex, convocata Synodo, anathemati eum obligavit. Hoc verò fuit excommunicationis exemplar, quod omnibus circùm Episcopis scriptum est; *Athanasium Neapolitanum Episcopum saepissime admonitionibus, & multis argenti ponderibus datis, ut pactum cum Sarracenis habitum disrumperet, admonuimus. Ille autem idem pactum se omnimodo soluturum, & ab eorum societate separaturum esse promittens, sub ea conditione, ut si denuo cum illis quolibet modo foedus habuisset, omni esset Sacerdotali honore privatus, & anathematizatus. Sed haec omnia parvipendentem, & ad perditionem Christianorum cum eis pactum habentem, & nos saepissime deludentem, & de praeda eorum partem recipientem, judicio & auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, simul & nostrâ, cum omnibus sequacibus suis, & omni Ecclesiastica communione privamus, & quousque ab ipsis Sarracenis penitus separaverit, vel totius Christianitatis inimicum anathematizamus. Datum mense Aprili. Ind.* XIIII. Divini postea Spiritus fulgore tenebris discussis, ne diuturniùs devius fieret, & Sacerdotale decus ex quo deciderat nequiter amisisse judicaretur, excommunicationis iram timens, *Petro Diacono* deprecatore ad Pontificem confugit, petiitque ut Apostolicam ipsi restitueret benedictionem, quam optimus Pastor non denegavit, hac tamen conditione, ut pactum cum barbaris perfringeret, & *Marino* Sanctae Sedis Arcario, & *Sicone* egregio viro praesentibus, majores *Sarracenorum* quos nominaret ad eum misisset, aliis jugulatis. Quae sequuta fuerint ignoramus. Pietatem amplexum esse ex ea re arbitror, quòd *Athanasii* patrui corpus ex *Monte Casino* in *Neapolitanam* Ecclesiam transferendum curavit, & sepulcro prope *Laurentii Neapolitani* quoque Episcopi tumulum honestavit. Ad hos *Gregorios* atque *Athanasios* & *Stephanos* refero *Euphemiam*, quae in D. *Joannis Majoris* condita est, in cujus sepulcro haec leguntur:

Athanasius Legatos pollicetur foedus Sarracenorum soluturum. Pontifex Neapolim venit. Athanasius ad vomitum redit. Excommunicationis in Athanasium Exemplar. Athanasius ad se redit. Marinus Arcarius. S. Athanasii corpus Neapolim transfertur. Euphemiae.

QVISQVIS AD HAEC SANCTI FESTINAS TEMPLA IOANNIS
OBSECRO SVBSISTENS CARMINA CERNE MEA.
HIC QVOQVE COGNOSCES PEREANT QVOD REGNA POTENTVM,
PRAEDIA, DIVITIAE, VMBRA VELVT TENVIS.
HIC EVPHEMIAE REQVIESCVNT MEMBRA BENIGNAE
NVRVS GREGORII QVAE DVCIS ALTA FVIT.
NAMQVE VIRO IVNCTA STEPHANO DVM VIXIT IN ORBE
SEMPER AMANDO DEVM AD BONA PROMPTA FVIT.
ORPHANVS ET PAVPER HVIVS SOLAMINE VIXIT,
TRISTIS ET AFFLICTVS COMMODA SENTIT OVANS.
SEMPER ERAT VIGILANS MEDITANDO GAVDIA CHRISTI,
QVALITER IN COELO POSSIT HABERE LOCVM.
TANDEM POST MVLTVM FAMVLANDO RITE TONANTI
DEBITA PERSOLVENS PERGIT AD ASTRA POLI.
INCLITE PRAECVRSOR DOMINI ET BAPTISTA IOANNES
DIGITO DEVOTE SAEPE PREBENDO DEVM.
CHRISTE SALVS MVNDI, HOMINVM PLASMATOR OPIMVS
DONA EVPHEMIAE GAVDIA SANCTA TVAE.
HAEC NOS GREGORIVS PRAEFECTVS, ATHANASIVSQVE LEVITA TRISTES MATER AMANDA.

GREGORIUS, DUX. XXVI.

Gregorio, quem *Hieronymum* miror ab *Ammirato* appellari, plurimum debet *Neapolis*, tota *Campania*, ipsa inquam *Italia*, cùm ejus ætate *Sarracenorum* pestis, quæ plurimorum animos infecerat, fuerit aversa. Is cum *Atenolfo Capuano Gastaldeo*; deinde Comite, mox Principe, & cum *Amalfitanis* inito fœdere, non esse diutius *Sarracenos* ferendos deliberavit. Copiis navigiisque conjunctis ad *Lirim* amnem profecti ad cujus ripas hostes consederant, constructo ex navibus ponte prope *Minturnas*, castrisque positis acies instruebant. Barbari in nostros cùm eorum adventum animadvertissent noctu repentè impetu facto, tam ferociter adorti sunt, ut hæsitare aliquô pactô coacti fuerint, & se interclusos esse fuerint arbitrati. Tandem nostri sumptis animis, & indecorum existimantes a tam illustri conatu desistere, pugnantes ita exceperunt ut illico submoverint, & anceps reddiderint prælium. Augebatur in *Neapolitanis* atque sociis vincendi cupido, cum præcipuè in sua domo dimicantes omnium auxilio juvari posse confiderent. Quamobrem confertis signis impetu facto hujusmodi barbaros perterritos egerunt, ut in fugam conjecerint. Ea omnia gerebantur consilio *Symbaticii* Patricii a *Leone* Imperatore missi (*Leo* VI. is erat *Philosophus* a studiis cognominatus, qui *Basilio Macedoni* successit, filiumque habuit *Constantinum Porphyrogenitum*) qui & *Beneventano* Ducatu potitus fuerat, quamobrem *Græci* florere videbantur. Viribûs verò majoribûs opus esse intelligens *Atenolfus* ad *Sarracenos* expellendos, *Landolfum* unum ex filiis ad *Constantinum* misit, qui peteret, ut *Campaniam* tot malis & incommodis vexatam pro sua clementia conservaret. Nollet optimus Imperator ferre, ut ejus felicis provinciæ incolæ durissima servitute, & cruciatibus affligerentur; opem aliquam ferret qua luctu & miseria levari potuissent. Dum filius ab Imperatore copias impetrat, pater *Capuæ* decedit anno 914. Tunc *Nicolaus* Patricius, cui cognomen *Pacilio* erat, cum maximo *Græcorum* numero in *Campaniam* venit, atque Imperatoris jussu Duces *Gregorium Neapolitanum*, & *Joannem Cajetanum* Patriciatu insignivit. Auxêre exercitum *Atenolfi* & *Landolfi*, qui Principatum *Beneventanum* obtinebant, & *Guajamiri Salernitanorum* Principis copiæ, & *Græci Apuli*, *Calabri*que & alii, qui ultro se cuique fortunæ obtulerant. Castra simul ad *Lirim* posuere. Idem ex altera fluminis ripa a *Joanne* x. summo Pontifice factum, qui suos cum *Alberici* Marchionis militibus conjunxerat; atque ita tribus mensibus hostes interclusos tenuere. Qui omnibus auxiliis destituti, de salute prorsus desperantes, in proximas sylvas sese abdiderunt, ubi a nostris omnium internecio facta est; & *Campania* anno 915. *Augusto* mense, restincta crudelitatis flamma, pristinam tranquillitatem & quietem recuperavit. Antequam id contingeret, *Sarraceni* classe *Neapolim* occupare velle minabantur. At *Neapolitani* ne hostes arcem paratam haberent, castrum scilicet *Lucullanum*, illud destituere ac dejicere cum *Gregorio* Duce, & *Stephano* Episcopo statuerunt. Id cùm rescisset *Joannes* Abbas Monasterii S. *Severini Neapolitani* Episcopi, petiit ut corpus alterius *Severini* quod *Barbara* illustris fæmina ex *Pannonia*, annuente Pontifice transtulerat, ex eo Castro *Neapolim* traducere liceret, ne in barbarorum manus deveniret; quod facilè impetravit. Quo translato etiam S. *Sosii* corpore ex *Miseni* promontorio, inscriptum est hoc Epigramma:

Atenolfus Capuanus Princeps. | Neapolitani contra Sarracenos. | Symbaticius Patricius. | Atenolfus ab Imperatore auxilium petit. | Nicolaus Pacilius. | Ioannes x. Neapolitanis fert opem. | Neapolitani vincunt & ejiciunt Sarracenos. | Sancti Sosius & Severinus.

A HIC DVO SANCTA SIMVL DIVINAQVE CORPORA IACENT,
SOSIVS VNANIMES ET SEVERINVS HABENT

JOANNES, DUX. XXVII.

Hunc Ducem *Leo Ostiensis* commemorat, qui *Adelperto* Abbati *Casinensi* Ecclesiam S. *Cæciliæ Neapoli* confirmavit. Pertinuerat olim is locus (qui & *Palmarum* dicitur, hodie S. *Palma*) ad *Casinense* Monasterium. Præcepit etiam ne ejus familiæ Monachi vectigal aliquod *Neapoli* solverent. Et quoniam ab eodem Duce Sancti *Severi* ædes *Surrenti* iisdem permissa est, *Surrentini* ei Duci paruisse visi sunt. Leonis verba habemus[1] B *Huic Abbati Johannes Consul & Dux Neapolitanorum suo præcepto confirmavit, atque concessit Ecclesiam S. Cæciliæ intra Neapolim sitam, in platea, quæ cognominatur Palmarum, antiquitus huic nostro monasterio pertinentem, cum omnibus omnino pertinentiis ejus. Nec non & Cellam S. Severi in Surrento, cum omni pariter substantia & pertinentia ipsius*; Et paulò post; *Et ut in tota civitate Neapoli nullum plateaticum sive portaticum nostri monachi aliquando darent.* Et quoniam hujus Religionis amatorem hunc *Joannem* reperio, hic fortasse est qui *Petro* Abbati S. *Severini* molendinum quoddam concedit, ut ex diplomate cognoscimus, C quod libenter adscribam, ut sciant *Neapolitani* aliqua ex parte, qua utebantur Duces auctoritate. *Barbariem* illorum temporum, atque inscitiam relinquamus. Sic igitur scriptum est: *In nomine Domini Dei Salvatoris nostri JESU CHRISTI, Imperante Constantino Magno Imperatore anno* XLI. *sedente Romano Magno Imperatore ejus filio* (vide quàm Magni epithetum omnibus tribuebant) *anno* IV. *Die octava decima mensis Julii Ind. septima Neapoli. Visus namque fui ego Joannes Domini gratia Consul & Dux, facere chartulam concessionis vobis Petro Presbytero & Abbati Monasterii Sanctorum Severini & Sossii*, D *ubi eorum venerabilia quiescunt corpora, situm in Vico missi; ut aqua quæ pertinet ex jure publici nostri decurrisse per terram vestram positam in Tertium; & faceretis ibidem molina ad possessionem supradicti Monasterii vestri, ad habendum in sempiternum quantum volueritis, sicut ipsa firmissima concessio vestra continet quam vos exinde habetis.* Deinde subsequitur; *Iterum præcastis nos, ut darem & redderem vobis ipsum molinum cum sua pertinentia, & vos daretis nobis campum vestrum positum ad Arcora, pro eum in vicem & in cambium, & a præsenti die & tempore, promptissima voluntate commutavimus;* E *& tradidimus nos supradictus Joannes Domini gratia Consul & Dux vobis denique supradicto Petro humili Præsbytero, & Abbati supradicti monasterii, & in cuncta congregatione monachorum.* & paulo post; *De quibus nihil nobis exinde aliquod remansit, aut reservavimus in integrum sicut superiùs legitur, a nobis vobis sit commutatum, & traditum in vestra, posterisque vestris sanctique vestri Monasterii sit potestate, quæcunque exinde facere volueritis, liberam semper habeatis potestatem, absque cujuslibet anteparatione, aut invasione, etiam si vos & ipsum Monasterium ibidem plus molina facere voluerit, licentiam & potestatem habere, & neque a* F *nobis supradicto Joanne Domini gratia Consule & Duce, neque a nostris heredibus, nec a nobis personis submissis nullo tempore unquam*, & quæ sequuntur; quæ omnia commutationis inter ipsos mentionem faciunt. Quod extremum est, notatu profectò dignum existimavi, subscribit enim *Græco* charactere prægrandi, Latino idiomate loquutus sic: ΙΟΑΝΝΕC ΚΟΝCΟΥΛ ΕΤ ΔΟΥΞ СΟΥΒ. *Joannes Consul & Dux subscripsi.* Alii quoque, ΕΓΟ ΓΡΕΓΟΡΙΟΥC ΔΟΙCΙC ΦΙΛΙΟΥC ΔΝΙ. ΙΩ. ΔΟΥCΙ PO-

944. | Ædes S. Palmæ Neapoli. | S. Severi ædes Surrenti. | Ædes S. Cæciliæ. | Dux molendinum concedit monasterio S. Severini. | Diploma Ioannis Ducis. | Duces subscribunt Græco charactere.

[1] Lib. 1. Cap. 53.

ΡΟΓΑΤΟΥϹ Α ϹϹΤΟ. ΑΝΩ ΔΟΥΙϹΙ ΤΕϹΤΙϹ ϹΟΥΒ. *Ego Gregorius Loisis filius Domini Joannis Ducis rogatus a supradicto Domino testis subscripsi.*

OLIGAMUS, STELLA. DUX. XXVIII.

Nullam hujus Ducis memoriam haberemus, nisi *Ælius Marchesius* in familia *Capiciorum* servâsset; ait enim hujusmodi se Diploma a *Pomponio Læto* habuisse: *Nos Oligamus Stella Dux, Ginellus Capicius, Baldaxar Juuanus, & Burrus Brancacius Consules Magnificæ Civitatis Neapolis; Quæ in præsentia est in magna penuria tritici, olei, casei, & hordei; promittimus quibuscunque salmariis Vallis Beneventanæ, Avellini; & aliorum locorum, qui venerabili in CHRISTO patri Mundo Præsuli Beneventano subjecti sunt, pro qualibet salma farinæ, vel tritici, tarenos duos; pro qualibet salma hordei, tarenum unum; pro qualibet salma olei, & casei tarenos tres; qui ipsis introitu portarum solventur ultra pretium, quod pro illis rebus accipient. Et ideo vobis venerabili Antistiti præsentes scripsimus, ut civitati nostræ gratum faciatis; ad vocem præconis bandire faciatis per omnes terras nobis obedientes, quod vobis promittimus & ratum habebimus. Data Neap. Die* XI. *Maji tert. Ind. sedente Sanctiss. Papa nostro Sergio Quarto.* Quod scriptum, si Diploma est, miror aliorum Diplomatum stylum prætermisisse, in quibus Dux initio cum ejus ætatis Imperatoris anno ponitur, atque iis in extremis Consules subscribunt. Et si anno 1009. commemoratur, quid de Ducum meorum serie dicam, quam ferè perpetuam habeo, & quæ inter Patres & filios ferè semper intercedit, cùm præcipuè anno 1014. *Joannes* ille recenseatur, quo *Puteolos* occupante, *Severus* Episcopus miraculo claruit, quando ex *Capuani* militis oculo sagittam illico extrusit? Sed quòd *Marchesium* vera produxisse mihi persuadeo; ne docto viro adversari velle videar, hoc tempore hujusmodi hunc Ducem colloco, ut & *Marchesius* me docuit.

(Mundus Episcopus Beneventanus.)

SERGIUS, DUX. XXIX.

(1015. Pandolfus Guaimarius.)

Henrico Imperatore mortuo *Conradus* filius ad Imperii fastigium evectus est. *Pandolfus Capuanus* Princeps qui apud *Germanos* carceribus detinebatur, *Guaimarii Salernitani* Principis opera liberatus in *Italiam* veniens, *Nortmannorum*, *Marsorum* Comitum (*Rainolfi* scilicet & *Arnolini*) & Imperatoris Ducis *Bojani* (vel *Bojanò*, qui etiam *Catapanus* dicebatur, quoniam super omnia constitutus fuerat, id enim κατὰ πᾶν) ope & auxilio excitatus, *Capuam* obsedit. Et dum eam oppugnare contendit, *Pandolfus Theani* Princeps, in quem *Capuæ* Principatum *Henricus* transtulerat, *Bojano* curante, *Neapolim* se incolumem recepit. Sequenti anno ab eodem *Capuano* Principe *Neapolis* capta est, *Sergio* Duce indè expulso. Tunc *Pandolfus Romam* aufugit. Trium annorum spatio a *Capuano* Principe *Neapolis* possessa est. *Sergius* tandem ea recuperata, *Rainolfum* sibi affinitate conjunxit, *Aversæ* Comitem creavit, & tunc primùm cum sociis *Nortmannis Aversa* habitari cœpta est.

(Bojanus Bojanò, Catapanus. Neapolis capitur a Capuæ Principe. Neapolis recuperatur. Aversa habitatur. Theobaldus Abbas.)

Cum *Theobaldus* Abbas in *Capuano* Monasterio quasi captivus haberetur, nec liceret extra urbem absque custodia progredi, idque quadriennio passus esset, cum *Sergio* Duce per internuncios clàm egit, ut ad diem locumque constitutum cum militibus accederet, & ab ea servitute miserum liberaret. Profectus est *Sergius* ad S. *Agathæ* montis radices; is locus destinatus fuerat, ibi S. *Marci* Ecclesia est, ad quam cùm divertisset Abbas animi causa, intelligens *Neapolitanos* venisse, ad eos confugit, & *Neapolim* ductus est, plurimum *Sergio* se debere ratus. Animadvertuntur hæc a *Leone* Cardinali [1], qui sub hoc Duce rem profectò dignam narrat. Cùm ad venationem *Paschali* Sabbato Sylvam esset ingressus, capta præda domum rediens, uni ex pueris, cui nomen *Protagoras* retia colligenda jussit. Is tardior dominum est insequutus. In itinere obviam habuit spectra quædam, a quibus percunctatus, *quinam gentium essent? Ne metueret*, responderunt, sed *hilari animo eos sequeretur.* Per sylvæ calles ductus, in cœnoso & fœtido quodam lacu atque visu horrendo *Pandolfum Capuanum* Principem ostenderunt, qui paulò antè obierat ferreis nexibus vinctum, & in lacu miserrimè demersum, ligato gutture a spiritibus extractum. Rogavit puer, ut diceret: *cur in tanta calamitate jaceret?* Hæc respondentem audivit; *Licet ob multa scelera maximi sibi cruciatus imminerent, nullam sibi tamen majorem pœnam luendam, quàm ob sacrilegium, quod commiserat quando aureum calicem ex Monasterio S. Benedicti abstulit.* Quamobrem obtestatus puerum est, ut ad uxorem *Capuam* pergeret, ejusque proposita miseria obsecraret, *ut calicem restitueret.* Tantum timoris ex ea re accepit, ut cum primùm domum pervenerit, morbo correptus decesserit. Ante verò ejus obitum *Pandolfus Gualæ* filius, qui calicem pignoris loco a *Pandolfo* Principe acceperat, *Neapolim* venit, atque ex *Protagoræ* ore omnia accepisse retulit *Leoni* Cardinali, ut ipse in *Chronicis* scribit. Quibus uxori communicatis, neque calicem, neque pretium restituit viri cruciatibus nullo pacto consulens. Regnabat tunc *Basilius* II. *Porphyrogenitus*, cum *Constantino* X. fratre, exactus a *Nicephoro*, restitutus a *Joanne Zimisce*, coronatus ab *Antonio Studite* Patriarcha. Idcirco ejus anno quinquagesimo, qui extremus erat Imperii, *Sergius* cœnobium S. *Gregorii Mariæ* Abbatissæ concedit, his verbis: *In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu CHRISTI Imperante Domino nostro Basilio Magno Imperatore anno quinquagesimo, sed & Constantino fratre ejus Magno Imperatore anno quadragesimo septimo, die secunda mensis Septemb. Ind. octava Neapoli. Nos Sergius in Dei nomine eminentissimus Consul & Dux, concessimus & tradidimus tibi, Maria Vener. Abbatissa, filia quondam Stephani parentis nostri, id est, integrum Monasterium & cœnobium, vocabulo beatissimi Gregorii & Sebastiani, atque Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, & beati Pantaleonis Christi Martyris, quæ in unum aggregavimus, & copulavimus constitutum intus Parthenope & ad protecta nostræ civitatis Neapolis, in platea quæ Nustriana, cum omnibus Casalibus, Ecclesiis, & domibus & habitationibus, seu hortuis, & cum omnibus casalibus & terris cultis, & incultis, intus & foris montibus & collibus, rivis, aquis, pratis, pascuis, seu olivetis, & cerquetis, seu castanietis, & padulis & excatoriis, & infusarias quamque, & omnibus hospitibus & commenditis fundatis & exfundatis, vivorum & mortuorum, omnia cum celpitibus & consuetudinibus, & regulis, vel omnibus adiacentibus & pertinentibus eis simul & cum omnibus servis, ancillis, & desisis de intus & foris, & omnibus mobilibus rebus, mobilium & immobilium sesque moventibus omnibus ad supradictum Monasterium quod in unum aggregavimus, & copulavimus, ut superiùs diximus generaliter, & integro pertinentibus omnia, & in omnibus quantum & quomodo ibidem pertinuit, & pertinet, vel pertinens fuerit. .... christianissimis viris & mulieribus offertum, aut datum, vel sublugatum est aut fuerit per qualem-*

(Sergius Theobaldum liberat. Narratur res memorabilis. Pandulfus Capuanus Princeps. Diploma Sergii Ducis. Monasterium S. Gregorii & Sebastiani & Pantaleonis. Platea Nustriana.)

[1] Lib. 2. Cap. 60.

lemcumque modum, ut diximus intus & foris in integro a nobis tibi jam dicta Maria Ven. Abbatissa sit concessum & traditum, hac videlicet ratione quatenus a nunc, & omnibus diebus vitæ tuæ in tua sit potestate tenendi, & dominandi, seu frugiandi, & de ipsis refrugiis faciendi omnia quæ volueritis, & sanctam ejus congregationem Monachorum cum Dei adjutorio & timore regulariter regere, & gubernare debeatis sub castitate & Monachili disciplina, ut regula Beati Benedicti docet; & incessanter vos, & prædicta vestra Congregatio Monacharum die noctuque ibidem Vesperos & Matutinos, seu Missarum sollemnia, & oris laudibus, & luminariorum concinnatione sine mora regulariter offerre, siquidem ex hoc ordine prædicto Monasterio quæ in unum aggregavimus, & copulavimus ab omni servitutis conditione pro Dei amore, & Beati Benedicti, cujus regulam tenere videmini, ita solvere curavimus, ut a modo & deinceps, & semper, tu præfata Maria Abb. in vita tua quam & vestra Congregatio post tuum obitum licentiam & potestatem habeatis absque omni contradictione Abbatissam ibidem eligere, & ordinare secundum Dominum, & secundum regulam S. Benedicti; & neque a nobis supradictus Sergius Domini gratia Consul & Dux, neque a nostris successoribus liceat ex rebus præfati Monasterii &c. ubi quomodolibet subtrahere, aut populari, nec alterius ordinis Monachas, aut Sacerdotes ibidem eligere aut ordinare, vel pro tali ordine pretium, aut munus suscipere, &c. Ideo hoc fieri decrevimus, ut a modo & deinceps, & semper prædicta Congregatio in Dei laudibus alacrior & devotior existat quatenus pro vita nostra, & salute patriæ liberiori animo omnipotenti Domino sedulam offerant precem. Et post alia quæ hujusmodi etiam connectuntur, subscribit, *Ego Sergius Consul & Dux subscripsi.* In quibus quàm religiosi nostri Duces fuerint facilè cognoscimus, quibus hæc Monialium præcipuè Monasteria plurimùm se debere existiment, eorumque memoriam piis orationibus esse celebrandam.

Regula Beati Benedicti.

JOANNES, DUX. XXX.

1010.

Magistrum militum recenset *Petrus Damianus* ad *Dominicum Loricatum* scribens [1], & commemorat visionem, quam a *Desiderio* Abbate *Cassinensi* acceperat, qui Pontifex postea effectus *Urbanus* II. dictus est; Dei scilicet servum cùm vidisset veluti nigros *Æthiopes* jumentorum pabula portantes, & sarcinariis comminantes, interrogâsse *quidnam rei illud esset quodve genus hominum, & quò pergerent?* eosque respondisse, *Malignos esse spiritus, qui ad Principem Capuæ Pandolfum, & Joannem Neapolitanæ civitatis Magistrum militum properarent; fomenta ignium ferre hominibus comburendis.* Hæc enim inter alia scribit; *Præstolamur in proximo Principem Capuæ Pandolfum, qui jam decumbit, & Joannem Magistrum militum Neapolitanæ civitatis, qui adhuc vivit incolumis.* Quæ cùm audisset *Joannes*, ait; *Modò necesse est nos Imperatori occurrere, & cum eo simul de hujus terræ statu provida consideratione tractare. Porrò post Imperatoris abscessum spondeo, quia & sæculum deseram, & monachicum habitum sumam. Ut autem probaret utrum verum esset quod ille narrabat, nuntium protinus ad Capuana mœnia direxit. Qui veniens Pandolfum jam mortuum reperit. Ipse quoque Magister militum Joannes, antequam Imperator istas partes attingeret, vix quindecim dies supervixit.* Eoque mortuo, *Vesuvius* mons in flammas erupit (inquit *Leo Ostiensis* [2]) tantaque resinæ sulphureæ congeries ex eo protinus fluxit, ut torrentem faceret, atque decurrente impetu in mare descenderet.

Visio Desiderii Abbatis.

Pandolfus Capuanus Princeps.

Pandolfus & Ioannes moriuntur.

Vesuvius.

[1] Epist. 5. Cap. 13. [2] Lib. 2. C. 84.

A

SERGIUS. DUX, XXXI.

1071. Cassinensis Ecclesiæ dedicatio.

Desiderius Abbas summa celebritate *Cassinensem* Ecclesiam dedicavit. Convenêre cum *Alexandro* Pontifice *Hildebrandus Romanus* Archidiaconus, aliique Cardinales, multi prætérea ex *Romanis* proceribus, tum *Campaniæ*, *Apuliæ*, & *Calabriæ* Episcopi, qui cum ceteris qui aliunde convenerant ad XLIII. numerati fuerunt. Adfuere *Riccardus Capuanus*, *Gisulfus Salernitanus*, *Landulfus Beneventanus* Principes, & *Sergius* Dux *Neapolitanus*, cum *Sergio* Duce *Surrentino*.

B

SERGIUS, DUX. XXXII.

1090.

Sub *Alexio* Imperatore administravit Rempublicam hic *Sergius*. Placet plerisque eundem esse cum superiore, atque ita oportuit eum diutius vixisse. Hic denuo concedit *Stephaniæ*, vel *Stephanæ* sibi affinitate conjunctæ Abbatissæ cœnobiorum S. *Gregorii*, S. *Sebastiani*, & S. *Pantaleonis* ædes, bona, privilegia quibus superioris *Sergii* gratia utebatur; qui *Joannem* filium Ducem constituit, sic enim ait; *In nomine Dei Salvatoris nostri JESU CHRISTI, Imperante Domino nostro Alexio magno Imperante anno* IX. *die* 15. *Mensis Maji, ind.* 23. *Neapoli. Nos Sergius in Dei nomine eminentissimus Consul & Dux, atque Domini gratia Magister militum. Nos autem pro vice nostra, & pro vice Joannis Ducis filii nostri, qui infra ætatem esse videtur*; & reliqua, quæ cum superiori diplomate ferè ad verbum conveniunt. Et subscribit: *Ego Sergius Consul & Dux Protosebastos subscripsi.* Is fortasse est, qui in aliis Diplomatibus subscribit: *Sergius olim Consul, nunc autem Monachus.* Qui *Satimalis* filium dicunt, & *Satimalem* etiam Ducem faciunt, velim scripta ostendant, quæ negari non possint.

Alia concessio Monasterii S. Gregorii.

C

D

JOANNES DUX, XXXIII.

Hic patri succedens, Abbati S. *Salvatoris* in Castro *Lucullano*, agrum ad mare concedit, in quo *Mariæ Magdalenæ* templum ædificatum fuit extra civitatem. Ejus jura ad D. *Petri* ad Castellum translata fuerunt, quod cœnobium ante Arcem novam erat positum, cum D. *Sebastiani* cœnobio deinde conjunctum. Hujus uxorem *Ebam* reperio *Losfridi Cajetanum* Ducis filiam, ut in Diplomate sub *Joanne* & *Alexio Porphyrogenitis*.

Ædes D. Mariæ Magdalenæ. S. Petri ad Castellum.

Eba Ducissa.

E

SERGIUS, DUX. XXXIV.

1130.

Calamitoso *Neapolitanæ* Reip. tempore quæ jam senescens amissis Imperatorum viribus barbaris Regibus obtemperare cogebatur, multas fortunæ vicissitudines postremus hic *Sergius* pertulit. De *Apuliæ* dominatu certabatur inter *Innocentium* II. Pontificem, qui *Ranulfo* Comiti favebat, & *Rogerium Rogerii Siciliæ* Comitis filium. Pontifex *Pisis* ubi Concilium convocaverat egressus, *Lotharium Saxonem* Imperatorem convenit, cui ob dominandi cupiditatem *Rogerius* erat invisus, qui *Henricum* generum cum tribus millibus equitum apud Pontificem destinavit, ut *Romanos* fines tueretur, & *Roberto Capuanum* Principatum restitueret. *Cæsariani* in *Apuliam* ingressi eam provinciam in suam potestatem redegerunt, dum Pontifex subacta S. *Germani* civitate *Capuam* profectus *Robertum* in pristinum locum restituit. Interim cum *Beneventanis* a Pontifice & *Henrico* Duce pugnatum est. *Beneventanis* victis multa

Rogerius Siciliæ Rex.

F

ta Pontifex condonavit. Arcem *Barensem* a *Rogerio* ædificatam expugnârunt, & *Melfim* ceperunt. *Pisanorum* classis ab Imperatore accersita *Neapolim* venit, & ejusdem jussu *Amalfiam* missa, ut eam igne ferroque absumerent; cives tamen accepta pecunia in Imperatoris & *Pisanorum* fide perstiterunt, cùm aliis in eo maris tractu *Scalensibus*, & *Ravellensibus* magnam cladem intulissent. Devicta quoque *Apulia* est. *Pisanos* ad *Salernum* obsidendum Imperator misit, *Roberto* Principi *Capuano*, & *Sergio* Magistro militum *Neapolitanorum* præcipiens, ut *Pisanos* ad eam rem perficiendam junctis copiis adjuvarent. Captum est *Salernum* xv. Calend. Aug. cùm cives pactis deditionem fecissent, multis *Siculis Rogerii* militibus occisis. Erat Orientis Imperator *Joannes Porphyrogenitus* qui *Calojoannes* dicebatur, qui ad *Lotharium* gratulatum misit quòd *Rogerium* ex *Apulia* expulisset. *Abellinum* quoque captum est, itemque *Beneventum* quod iterum defecerat. *Romam* deinde profecti sunt. Haud multò post redintegratis viribus *Rogerius Salernum* & *Nuceriam* occupavit, æquavit solo *Capuam*, *Abellino* potitus est, *Beneventum* obtinuit. In quo cum & vires & animos crevisse animadverteret *Sergius*, Imperatoriæ fidei oblitus, ultrò *Rogerium* adiit, atque seipsum & *Neapolim* dedidit; cujus vel amore, vel timore (quod potius credo) indignum facinus perpetrare non contempsit, ut a legitimo Pontifice deficeret ad *Petrum Leonem* qui *Anacletus* dictus est, & qui schismate Ecclesiam Dei turbaverat. Pravæ fidei hominem hunc fuisse illud etiam ostendit, quòd cum primùm *Ranulfus Apuliæ* Comes aliquid roboris sumpsit, & ad *Vallem Caudinam* contra *Rogerium* equites peditesque conscripsit, & a *Neapolitanis*, ipsoque auxilium petiit, nullam de libera deditione quam fecerat rationem habuit. Quapropter in *Neapolitanos* Regis indignationem concitavit, qui devicta *Apulia*, *Beneventum*, *Capuam*, Comitem *Apuliæ Ranulfum*, & *Neapolim* subigere cupiebat. Devictis aliis, *Sergium* minis perterruit, affirmans, nisi continuò deditionem faceret, *Neapolim* invasurum, & in ipsum graviter animadversurum. At perfidus mox iterum flexis genibus deditione facta, *Neapolim* ejus imperio subjecit, atque hujusmodi ea civitas quæ a *Græcis* condita, post liberum Reipublicæ statum, post *Romanorum* juga, *Græcorum* Imperatorum leges, atque interim barbararum nationum Imperia, tandem ad *Nortmannos* pervenit. Ingravescente eodem anno morbo *Alberiæ*, vel *Albiræ Rogerii* uxoris, tanto dolore affectus est, ut cùm sese per multos dies in cubiculum abdidisset, fama percrebuit Uxorem atque Virum esse mortuos. Quapropter *Robertus Capuæ* Princeps, qui *Pisas* aufugerat, a clientibus obæratisque solicitatus, cum *Pisanorum* navigiis a *Neapolitanis* exceptus est favente *Sergio*, qui jam antea contra Regem conspiraverat, & accersito *Ranulfo* Comite, inter ipsum, & *Robertum*, *Sergiumque* fœdus ictum est, ut cuique sua restituerentur post victoriam. Cum *Pisano* exercitu in quo ad octo millia militum erant, fœderati *Aversam* oppugnarunt, & in *Capuam* moventes, famis necessitate revocati *Neapolim* rediêre, *Aversæ* custodiæ Præfectò *Ranulfo*. *Rogerius* verò contra omnium opinionem vivens ex improviso adortus hostium copias, perduellibus non esse ignoscendum deliberavit. *Aversam* capit, & diruit. *Neapolitanum* agrum incendit. Perterriti fœderati, nec ex porta quidam egredi ausi sunt; & cùm iræ ardorem quavis injuria *Rogerius* non posset extinguere, quicquid agri inter *Aversam* & *Neapolim* esset, comburendum jussit, ut frugibus omnino vacuum esset solum. Relicto apud *Capuam* exercitu, *Neapolim* obsidet, erecta super aggerem turri; quam cùm paulatim labantem cerneret, propterea quòd ex arido cœmento terra labilis facta esset; cùmque ob calorum molestias morbus in exercitu invalesceret, taboque correpti ex cadaverum fœtore milites caderent, obsidionem solvit, ita tamen, ut in statione non longiùs a civitate dispositi milites explorarent, quo pacto *Sergius* & factionis principes in ejus manus devenirent. Quòd cùm iidem intelligerent, seque annona interclusos ægrè ferrent, & a militibus se jam deseri conspicerent, in *Pisanorum* auxilio spem reliquam habuere. *Pisas* ad implorandam opem *Robertus* missus est. Qui comparata classe antequam *Neapolim* accederent, *Amalfiam*, & *Scalam* oppida expugnârunt. Sed a *Rogerio* circumventi, magnâ acceptâ clade relictis aliquot *Pisanis Neapoli Pisas Robertus* reversus est. *Rogerius* in *Neapolitanum* agrum irrupit, dum civitati defendendæ *Sergius*, & *Ranulfus* præerant, & succisis arboribus, vitibusque *Aversam* contendit. *Sergius* fame obsessus, timens ne *Rogerius* obsidionem repeteret, omni spe destitutus, *Pisas* quoque profectus est. Nulla hujus Ducis alia fit mentio. Scribunt aliqui cum *Rogerio* contra Imperatorem pugnâsse, atque ita occubuisse.

Pisani evocantur. Pisani Salernum obsident. Calojoannes. Abellinum capitur. Salernum & Nuceria occupantur. Petrus Leo Pontifex, Anacletus. Vallis Caudina. Neapolis ad Nortmannos pervenit. Albira. Robertus Pisas aufugit. Pisani occupant Aversam. Pisani vastant Amalfiam.

ROGERIUS, DUX. XXXV.

1130.

Ad *Neapolitanorum* Ducum gloriam amplificandam, Ducatus excellentia cum Regio dominatu in *Rogerio* primo *Neapolis* Rege fuit conjuncta. Accuratè enim Petri Diaconi verba in *Chronicis* Cassinensibus [1] consideravi, qui ait: *Honorio vita decedente electi sunt Gregorius Diaconus Cardinalis S. Angeli in Papam Innocentium II. & Petrus Presbyter Cardinalis S. Calixti in Anacletum.* Dein subdidit; *Petrus præterea Cardinalis Rogerio Duci Apuliæ coronam tribuens, & per privilegium Capuanum Principatum, & Ducatum Neapolitanum cum Apulia, Calabria & Sicilia illi confirmans.* Sed de *Rogerio*, in suo loco.

Quamvis in *Rogerio* Ducatus *Neapolitanæ* Reipublicæ finem conspiciamus, posterioribus tamen temporibus anno 1190. objicit se nobis *Aliernus* ille, qui nobilissimum *Amalfitanis*; & *Scalensibus* privilegium concessit, cujusque diploma in Actis *Neapolitanis* habemus, qui cum Consulibus, Comestabulis, militibus, & populo *Neapolitano* recensetur. Quid de eo statuam, prorsus ignoro. Ducem, superiorum instituto non judico. Et si Dux erit judicandus, quo pacto post tot annos quibus *Rogerio* regnum est adeptum, & *Tancredus* regnabat Duces *Neapoli* commemorabuntur? Dices fortasse aliquam post *Rogerium* per aliquot annos *Neapoli* antiquæ administrationis imaginem reliquam fuisse, cùm præcipuè *Siciliæ* Reges *Panhormi* ad *Sarracenorum* audaciam compescendam resederint cùm tumultus sub *Tancredo* excitati, antiquam administrationem aliqua ex parte retinuerint? An verò aliud administrationis genus eo tempore permittentibus Regibus *Neapolitanos* fuisse amplexos, quod a primis illis Reipublicæ generibus, & a Republica sub Ducibus esset alienum, & ut hodie *Beneventum*, eo Consulum genere gubernaretur? Quid in tanta temporum calamitate decernemus? Hoc unum non negabimus, esse *Alierni* diploma adeo verum ac sincerum, ut ejus auctoritate plurimùm nitantur *Amalfitani*. Multa indè elicimus quæ ad Res *Neapolitanas* faciunt. Illud est hujusmodi;

Aliernus Curonus. 1190.

In nomine Dei æterni. Anno Incarn. Dominicæ

G M.

[1] Cap. 97.

M. C. XC. die nono mensis Maji VIII. *Ind. Quia gloria & corona illustrium civitatum est diversorum officiorum concors populi multitudo, & quanto in diversis mercimoniis, & variis utilitatibus vivendi sibi invicem, & aliis hominibus quorum frequentatur accessus, justiùs copiosiúsque ministratur, eò celebrioris nominis civitates ipsæ, & majoris opinionis divulgatione clarescunt. Idcirco nos Aliernus Cutonus, Consules, Comestabuli, Milites, & universus Populus egregiæ Civitatis Neapolis, provida & salubri deliberatione Concilii, attendentes quid honoris, quid commodi nobilissimæ Civitati vos viri prudentissimi Scalenses, Ravellenses, & ceteri negotiatores, & campsores de Ducatu Amalfiæ conferatis, nobis vestrisque hæredibus & successoribus in prædicta civitate Neapoli habitantibus, salvo in omnibus generali privilegio Neapolis, quod est inter Nobiles, & Populum ejusdem civitatis, concedimus, auctorizamus, & in perpetuum hoc speciali privilegio confirmamus, ut sicut ista Civitas Neapolis privilegiò libertatis præfulget, ita & vos negotiatores, campsores, sive apothecarii de præfato Ducatu Amalfiæ, ut negotiatores exerceant in hac eadem civitate ad habitandum, seu ad apothecas tenendum venerit, eadem omnino libertate in perpetuum gaudeatis, ut nulla conditio de personis; vel rebus vestris, sive hæredum, vel successorum vestrorum negotiatorum in Neapoli habitantium requiratur, sicut non requiritur de civibus Neapolitanis salvo honore ipsius civitatis in libero & franco usu vestrorum negotiorum.*

Scalenses, Ravellenses.

Habes *Amalfitanorum* privilegium qui civitate donati videbantur, semper enim inter *Neapolitanos*, & *Amalfitanos*, ut ex superiorum Ducum gestis conjicere licet, jura necessitudinis intercesserant. Libertas etiam *Neapolitana* proponitur, quæ ab ædificationis primordiis secum vixit. Habes commune Nobilium & Populi Concilium. Sed Consules præficiendi potestas hoc pacto conceditur:

Insuper hoc eodem privilegio concedimus & confirmamus vobis vestrisque hæredibus & successoribus, negotiatoribus, campsoribus, apothecariis de memorato Ducatu Amalfiæ in Neapoli habitantibus, vel habitaturis ad negotiationes exercendas, ut liceat vobis, vel eis in perpetuum de gente vestra inter vos Consules statuere, ac mutare in civitate Neapoli, de illis qui Neapoli manserint, sicut vobis vestrisque hæredibus & successoribus in civitate ista negotiationes exercentibus paruerit expedire, quorum arbitrio & judicio secundum veteres bonos usus, vestras causas sive lites, quæ inter vos, vel eos emerserint, terminentur, nec liceat civitati, vel alteri pro ea vobis seu hæredibus, & successoribus vestris, vos seu hæredes, vel successores vestros de prædicto Ducatu Amalfiæ in civitate ista manentes, sua negotia exercentes, de veteri & bono usu vestro, seu consuetudine trahere, vel mutare; sed debeamus nos in omnibus bonis usibus vestris in Consulatu vestro in perpetuum conservare, & vos gubernatione & judicio vestrorum Consulum tantùm in perpetuum vivere debeatis, Et hoc privilegium nostræ concessionis, omnimodo, & perpetua firmitate signetur sigillo Civitatis, & Consulum, & subscriptione plurium de nobis communi Concilio, & voluntate civitatis Neapolis est roboratum, ac tum Neapoli per Maurum Clericum Sanctæ Neapolitanæ Ecclesiæ Notarium Domini Sergii venerabilis Neapolitani Archiepiscopi. Anno, die, mense, & Inditione superiùs prænotatis. Sic deinde subscribunt. *Ego Aliernus Cutonus subscripsi. Ego Joannes de Griffis subscripsi. Jacobus Falconarius Consul. B. Domini boni Cos. Joannes Crispanus Cos. M. de Licio Cos. Joannes Baccatortus Cos. Dovodeus Mermil Cos. Stephanus Stelmarius Cos. Joannes Pignatellus Cos. Joannes Comina Cos. Joannes Theophilus Cos. Sergius Matula Cos. Petrus Francossa Petrus Arbata Cos. Bernardus Gizzo Cos. Jordanus Imperator Cos. Gregorius Bais Cos. Stephanus Spada Cos. Joannes Joannis Radicelli Cos.* Consules igitur in *Neapolitana* Republica, qui & Duces. Consules, qui & Decuriones, & Consules qui iisdem ferè comparabantur, quos eadem Respublica privilegio eligebat. Ab Innocentio III. Pontifice Epistola ad *Anselmum Neapolitanum* Archiepiscopum [1], *de pluritate beneficiorum restringenda*, hic *Aliernus*, Comes appellatur, ait enim: *Unde Joannes filius quondam Comitis Alierni Ecclesiæ tuæ clericus, plus potentia patris sui, quàm prædecessoris tui spontanea voluntate ultra viginti Ecclesias in civitate Neapolitana, & in majori Ecclesia beneficium maximum proponitur obtinere.*

CAP. XIV.

De Ducibus Amalfitanis.

ABSURDUM fortasse aliquibus videbitur in *Neapolitanis* rebus *Amalfitanas* admiscere. Sed qui historiarum curiositate detinentur, nec omnia prorsus ex re tam curiosa quàm Ducum seriem arbitramur, hujusmodi elicere queunt, ut exactam habeant temporum, locorum, dignitatum cognitionem, ex aliquo saltem vestigio aliqua posse cognoscere sibi persuadent. Quamobrem nec vanos nostros labores proponimus, nec omnino aspernendos. Multa in his Ducibus enunciamus, quæ ad *Neapolitanos* pertinere judicabuntur. Displicet verò quòd in iis quoque laterna opus est, tenebras enim inopia scriptorum obduxit; sed non erat *Amalfitanorum* amplitudo prætermittenda, qui eandem fortunam cum *Neapolitanis* pertulerunt, cùm præcipuè inter se *Neapolitani*, & *Amalfitani* Duces affines semper fuerint, & cùm aliquando *Amalfitanos Neapolitanus* etiam Dux gubernârit.

Antiqua *Amalfitanorum* Chronica narrant, cùm a *Constantino nova Roma Byzantium* fuit appellatum anno 339. *Romanos* Proceres urbis novitate, & Imperatoris muneribus allectos, comparatis navibus, uxoribus, liberisque & supellectili impositis, eò profectos esse, sed tempestate coorta, ex naufragio duas tantum naves incolumes evasisse, & *Ragusium* appulisse, eorumque calamitate & squalore permotos accolas, concessisse iis agrum, quem incolerent, iisdemque uterentur legibus, *Romano* nomini se plurimùm debere dictitantes. Paucos post annos *Romanos*, cùm intelligerent se in *Ragusianorum* invidiam adductos, vel quòd angustis finibus interclusi latiùs eos patere desiderarent, vel quòd *Romanus* animus servitutis insolitus dominandi cupiditate accendebatur, naves conscendisse, petiisse *Italiam*, in loco qui *Melfetus* dicebatur consedisse, *Melfim* ædificâsse, & *Romano* nomine relicto *Melfitanos* (vel *Amalfitanos*) esse dictos. Indè aliquorum Principum bella metuentes, *Ebulum*, postea *Scalam*, & Vallem, quæ non longiùs abest & maritimo littori ad Occidentem subjacet, incoluisse, ibique condidisse *Amalfiam*. Loci habitationem describunt, usque ad *Sicardi* Principis *Beneventi* & *Salerni*, filii *Siconis* tempora: nondum enim *Beneventanus* Principatus a *Salernitano* divisus fuerat. Mixtum eo temporis spatio fuisse *Amalfitanorum* genus cum *Longobardis* & *Neapolitanis*, quapropter tantùm crevit, ut *Sicardo* eorum vires timorem incuterent. Egisse ideo *Principem* cum aliquibus ex ea civitate, ut occupatam *Amalfiam* diriperent atque vastarent; multosque largitionibus corruptos per litteras affinibus illud persuadere conatos esse. Eos

[1] Decret. Epist. 1.

Eos tamen ne locorum delicias desererent, & ne impietatis in patriam accusarentur, recusasse. Interea Principem constantes eorum animos animadvertentem, cum *Longobardis*, & iis *Amalfitanis*, quos apud se aluerat in *Amalfiam* nocte quadam irruisse, & omnes ferè cives *Salernum* duxisse captivos. Sed clàm initô consiliô *Amalfitanos*, ut illatam injuriam ulciscerentur, *Salernitanos* fuisse adortos, vineas, domos incendisse, & *Amalfiam* summo cum honore esse reversos anno salutis 829. divisis *Salerni*, & *Beneventi* Principatibus, cùm *Siginolfo Beneventum*, *Rodulfo Salernum* obtigisset. Ea ætate *Bartholomæi* Apostoli corpus ex *Lipara* insula *Beneventum* fuisse translatum anno 925. & Virginis & Martyris *Thriphomeæ* corpus ex Minorum Religione in *Amalfiam*, indè *Beneventum*. Aliqua in iis profectò aprocrypha videntur; sed quemnam ea de re veriora scribentem legimus?

Cùm igitur *Salerno Amalfiam Amalfitani* regressi sunt, instituendam urbis administrationem curârunt, Præfectos præficientes, ne sine capite viverent; & Calendis Decemb. III. Ind. primum Præfectum elegerunt, *Petrum*. Sequenti anno *Scripum Constantii* Comitis filium; deinde, *Maurum*. Post hos singulis annis binos sibi Præfectos creârunt, quorum seriem ignoramus. Mox ad unum Præfectum ventum est. & habuere *Marinum*, post quem, *Ursum*. Rediere bini Præfecti, habueruntque *Ursum* Comitem & *Sergium* Comitem, quos subsequuti sunt, *Leo* Comes, & *Taurus* Comes. Adlecti anno proximo, *Lupinus* Comes, &....... Comes. Iterum *Ursus* Comes, & *Sergius* Comes qui *de Marina* dicebatur. Duos deinceps reliquisse videntur, & uni tantùm Præfecto adhæsisse. *Sergium* enim elegerunt *Gregorii* Magistri militum filium. Ecce tibi *Neapolitanos* Duces. Post multos annos iidem *Amalfitani* cum *Atranensibus Marinum Luciani Pulcharii* filii filium (quem *Seniorem* dixere) elegerunt, regnavitque cum *Sergio* filio annos 14. quem excæcatum *Amalfitanus* Populus de Magistratu dejecit, & *Neapolim* extrusit. Habes adhuc eorum Ducum affinitates. Habes præterea populi potentiam, qui facilè cogebat Præfectos, ut se Magistratu abdicarent; nam idem evenit post *Sergium Mauro Marii* filio *Cunnacii Marci* nepoti, & *Sergio Petri* Comitis filio, *Marci Antiocheni* Vicarii nepoti, (ad *Græcos* clariùs accessimus) qui in suo Magistratu, ejecto *Sergio*, quinque annis præfuit. *Marinus* item quatuor annos Rempublicam administravit, & ejectus est. Subrogatum *Ursum* filium *Marini* Comitis *de Pantaleone* Comite, filio *Cunnacii Marci*, post sex menses quoque ejecerunt. Successit *Ursus Galastantis*, *Joannis Salvi Romani Vitalis* filius. Post sex menses item ejectus. Rediit *Marinus*, cæcusque cum filio *Pulcharo* septem annos administravit. Cui mortuo successor datus est *Sergius* filius *Sergii* de *Leonato*, unà cum *Petro* Episcopo *Ursi* filio; & uno tantùm anno præterito, *Petro* dimisso, *Sergius* solus annis quinque præfuit. Quàm similiter cum Ducibus *Neapolitanis*, Episcopi quoque præficiuntur? Creatus deinde *Mansus* ejus nepos, *Lupini* filius, qui *Marci Vicarii Antiochensis* nepos erat, & post decem annos & octo dies depositus est. Præfecerunt sibi *Leonem Neapolitanum Marini* filium, *Leonis* nepotem (en tibi *Neapolitanorum* Ducum seriem) qui navali prœlio a *Surrentinis* captivus ductus est. Nullum huc usque perpetuum ordinem reperio. Subdunt eadem *Chronica* annos, & Duces a Nobilitate & Populo electos. Anno 892. *Mansum Fusulum* commemorant, *Ursi* filium, qui Ducatum 16. annos obtinuit; & post eam administrationem Monachalem habitum induit *Benedictinorum de Monte*. Anno 908. successit *Mastalus Mansonis Fusuli* filius, Excellentissimus Imperialis (nota titulum) & Magistratu functus est XL. annos. Anno 948. *Mastalus* minor ejus filius, post quatuor administrationis annos cum *Androsa* matre occisus est. Anno 952. Dux eligitur *Sergius*, Imperialis Patricius, filius D. Comitis, qui post septem annos & sex menses obiit. Anno 959. *Manso* Imperialis Patricius, & Antipatus, Gloriosus & Perfectissimus Dux appellatus est, & viginti quatuor annos præfuit; qui in carcerem ab *Alfeno* fratre conjectus, obiit; & *Manso* qui ejectus fuerat, dominio recuperato, 16. annos Magistratu potitus est. Anno 1001. successit *Ioannes Perella Mansonis* filius, in quem Imperator Patriciatum contulit, decessitque post annos tres. Anno 1004. *Sergius Ioannis* filius, & cum *Ioanne* filio 13. annos Ducatum obtinuit. Anno 1019. alterum *Sergium* reperio, sed adeo confusè cum superiori, ut nihil certi elicere possim. Anno 1035. *Manso Sergii* filius, cum *Maria* matre quam Ducissam & Patricissam in diplomatibus dictam reperio; regnavitque annis 4. & mens. 3. Quo regnante, *Joannes* frater *Neapoli* quò ejectus fuerat, *Amalfiam* rediit, & Ducatu recuperato *Mansonem* fratrem ad *Syrenusas* insulas (*Gallos* vocant) duxit, atque oculis privavit, & *Constantinopolim* profectus est. Anno 1039. *Guaimarius Salernitanorum* Princeps mense Aprili Ind. VII. *Amalfitanus* Dux creatus est; & quinque annorum, & sex mensium spatio peracto, *Manso* Ducatum obtinuit, atque hujusmodi cæcus alios decem annos imperavit. Sed anno 1054. cùm *Joannes Constantinopoli* rediisset, *Amalfitani*, & *Atranenses* debellantes, *Mansonem* expulerunt, & mense Octob. VI. Ind. *Joannes* in pristinam dignitatem evectus est, regnavitque 16. annos. Quo mortuo, ejus filius *Sergius* anno 1070. electus est, vixitque annos quinque. Successit *Joannes* filius, qui antequam dominium exerceret, modico interjecto intervallo Ducatu spoliatus est, & adscriptus anno 1075. *Robertus Guiscardus Nortmannus*, qui undecim præfuit annos, & menses octo, obiitque anno 1086. Cal. Aug. VIII. Ind. Neque pacificè Ducatum obtinere visus est quando anno 1080. *Amalfiam* occupavit, & *Gandalonem* nepotem captum oculis perduellem accusavit.

In Ducatu Patres cum filiis fuisse positos, hæc item nobis declarant. Aliquando *Joannem* & *Sergium* legimus. *In nomine Domini*, &c. *Temporibus Domini Joannis gloriosi Ducis & Imperialis Patricii, Antipati, & Vasti, & Domini Sergii gloriosi Ducis filii ejus anno septimo post eorum recuperationem, &c.* Aliquando *Sergium* & *Joannem*; *Temporibus Domini Sergii gloriosi Ducis & Imperialis Patricii anno octabodecimo, & sexto anno Domini Joannis gloriosi Ducis filii ejus.* *Sæpe* Mansonem & Joannem: *Temporibus Domini Mansonis gloriosi Ducis & Imperialis Patricii, anno trigesimo quarto, & sextodecimo anno Domini Joannis gloriosi Ducis filii ejus.* Mansonis affinitates hujusmodi explicatas reperi; *In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, anno ab Incarnatione ejus millesimo nonagesimo, temporibus Domini Rogerii gloriosi Ducis anno secundo Ducatus illius Amalfiæ die 5. mensis Octobris. Ind. 14. Amalfi. Certum est, me Joannes fili, quod bonæ recordationis Domini Sergii filii, bonæ memoriæ Domini Mansonis gloriosi Ducis & Imperialis Patricii Antipati istius civitatis, a præsenti die promptissima voluntate scribere & firmare pro redemptionis unione nostræ, & de supradicto Domino Sergio germano*

Monda. *mano nostro, quàm & de Domna Monda genitrice mea, & de domino Mansone vero germano meo, trado, & firmo atque offero, visus sum in Monasterio puellarum beati Laurentii, qui constructus est & dedicatus intus præfata civitate Amalfiæ, &c.* Monaster. S. Laurentii. Hæc quoque cum nostris Ducibus conveniunt. qui Virginum Monasteria summa cum voluntate ædificabant. Alibi seriem habemus ampliorem, sed ferè inextricabilem: Gaytelgrima. *Gaytelgrima relicta domini Mansonis, filia domini Mansonis filia bonæ memoriæ domini Mansonis gloriosi Ducis, & Joannis filii supradicti domini Mansonis Comite, distributoris testamenti dicti domini Mansonis viri dictæ Gaytelgrimæ, spoponderunt dominæ Mariæ Abbatissæ Monasterii S. Laurentii de Amalfia modia sex de leguminibus, &c.* Ubi etiam hæc leguntur: *Nos Gaytelgrima relicta domini Mansonis filii bonæ memoriæ domini Mansonis gloriosi Ducis & Imperialis Patricii, Antipati, & Joannis filii supradicti domini Mansonis filii bonæ memoriæ supradicti domini Mansonis Ducis & Antipati, Patricii qui sumus ambo vere cognati; & nos Manso filius domini Mastali, filii domini Mansonis de Leone, de Mansone Comite qui sumus distributores, &c.* Et sub *Tancredo* anno ejus 2. Ind. 10. Neap. diploma; Antica / Advisa. *Antica & Advisa genitrix & filia; filia naturalis seu nepote quondam Domini Malfreda filii quondam domini Bernardi, qui fuit filius quondam domini Joannis, qui fuit filius quondam domini Sergii olim Dux civitatis Amalfiæ, & relicta & filia quondam Gregorii qui nominatur Stoscimilitum, &c.* In qua barbara & abstrusa rerum memoria, quamvis quæ volumus distincta & plana cognoscere non licet, nihil tamen est etsi inconditum & insulsum, ex quo aliquid non gustemus. Dictionem quæ legitur, *Vasti* corruptam esse non dubitamus a σεβαστ. Et quemadmodum Duces *Amalfitani*, Imperiales Patricii, & *Vasti*, sic *Neapolitani*, Protosebasti dicebantur. Sed inter eos Duces affinitatem in hac etiam summa barbarie consideremus: *Temporibus domini Mastali Imperialis Patricii, & domini Joannis ejus filii anno tricesimo nono, &c. Certum est nos Sergius Comes, filius quondam Joannis Comes Neapolitanus, seu & Drosu Comes jugalium unà cum præsente nobiscum stante Marino filio & filiastro nostro, quàm & Leone seu Sergio, & Marino germanis nepotibus nostris fili Joan. Comes, filio & filiastro nostro, seu & cum adstante nobiscum Joanna Comes Norua, &c.* Sergius deinde *Amalfitanus Pardi* filius *Neapoli* obiturus testamentum condidit in quo cavit, ut bona quæ *Neapoli*, & extra eam urbem possideret, distribuerentur a *Sergio* filio quondam *Marini Surrentini*, & *Sergii Hypati*, ejus patruis, & *Leone* ejus filio, etsi *Mansonem* & *Manalum* alios filios habuerit. Monasterium Donnæ Romatæ. Legavit Monasterio *S. Mariæ de Donna Romata* solidum unum; Monasterio & Cœnobio S. *Gregorii* majoris solidum unum; Monasterio S. *Sumonæ* Tarenos duos; Monasterio S. *Martini* Tarenos duos; Ecclesiæ majori S. *Joannis* Catholicæ majoris, Tarenos duos; Ecclesiæ S. *Mariæ a Præsepe*, Tarenos duos. Idque factum *Basilio Magno* Imperatore, anno sexagesimo quincto, & *Constantino Magno* fratre anno sexagesimo secundo. Exemplum ejus testamenti datum *Joanni* filio *Leonis*, *Romano* & *Michaele*, seu *Andronico* & *Constantio Porphyrogenito*.

Duces Amalfitani Iuniores. Ducatus *Amalfitanus* ab Imperiali Patriciatu ad Regulos deductus est. Siquidem *Alfonsi* Regis anno 1437. adventus in hoc Regnum, abdicata libertate, oppida Regulis subjugavit. Ducatus *Amalfia* honorem non amisit. *Raimundo Ursino Salernitanorum* Principi in feudum concessit. Quem *Ferdinandus Alfonsi* filius, in *Antonium Picolomineum Pii* Pontificis II. nepotem contulit, quòd Regi in *Sicilia* contra Ducem *Joannem* fuit auxilio, eidemque in matrimonium dedit *Mariam* ejus naturalem filiam, ex quibus ortæ sunt, *Victoria Plumbini* Domino nupta; & *Isabella Bitonti* Marchioni collocata; & altera *Maria*, cujus mater in partu obiit, ideoque ejus nomine appellata, quæ *Gravinensium* Duci e familia *Ursina* nupsit. Qua mortua uxorem duxit *Mariam Marizanam Rossani* Principis filiam, & *Ferdinandi* Regis neptem. Ex iis *Alfonsus* natus est, qui mortuo Patre *Amalfiæ* Dux effectus est, *Joannes* Marchio *de Licito*, *Franciscus* Episcopus *Bisignani*, *Ferdinandus* qui puerili ætate decessit, *Eleonora Bisignani* Princeps, & *Joanna Nicastri* Comes. *Alfonsus Picolomineus de Aragonia* Dux *Amalfiæ* duxit uxorem *Mariam de Aragonia*, *Henrici Ferdinandi* primi naturalis filii filiam, ex quibus orta fuit *Catherina*, quæ octavo ætatis anno obiit. Decessit deinde *Alfonsus* Pater anno 1498. relicta uxore quæ uterum ferebat; ex qua postumus natus est *Alfonsus* II. *Amalfiæ* Dux, qui octavo ætatis anno matrimonio conjunctus est cum *Constantia Davala de Aquino* Marchionis *Vasti* filia anno 1503. Quantò *Neapolitanorum* Ducatus nobilior extitit, qui ad Reges devenit?

CAP. XV.

De Neapolitanorum Antiqua Religione.

NIHIL superstitiosæ Religionis a superstitiosa, & secreta urbe alienum fuisse mihi persuadeo, quando & ejus rei monumenta plurima testantur, & *Græcum* ipsum nomen ostentat, quo *Neapolitani Græcis* oriundi, *Græcanicæ* vivendi rationi studentes, vigere inter alios mortales sacrificiorum ritibus, Numinum varietate, Idolorum cultus conabantur. Et quamvis conjectura consequi possimus, quosnam Deos peculiares coluerint, cùm *Græcorum* Reipublicæ moribus instituti, recondita potuerint habuisse sacraria, & omnium Deorum quos in Theatro, in Foro, in Gymnasiis, in Templis omnibus curiosa nimis *Græcia* habuit, religionem esse veneratos; quis tamen in planè diruta, & igne consumpta, tot bellorum ac dominorum calamitate afflicta urbe, reperiet *Apollines* illos *Acritas*, *Agræos*, *Parnopios*; quis *Joves* illos *Epidotas*, *Servatores*, *Ambulios*? quis *Herculis* stadia & spectra, *Junonis* Equestris aras, *Minervæ Apaturiæ* lucos, *Neptuni* aut Regis aut Equestris delubra, *Nympharum* antra & speluncas, quis *Bacchum Patroum*, *Cererem Chaminam*, *Dioscuros* hospites, *Martem Gynæcothœnam*, *Hermatenas*, *Mercurios*, Deos *Terminales* quibus *Græcorum* civitates ornabantur, quibusque *Neapolim* celeberrimam Civitatem, doctissimorum hominum consuetudine, Imperatornm præsentia florentem, studiorum matrem, spectaculorum assiduam spectatricem ornatam fuisse non dubitamus? An verò inter maximas jacturas quas *Neapolis* fecit, non una hæc maxima est judicanda, quod civitatûm ornamenta, Statuas omnes amisit, quibus veluti in antiqua illa ætate decorabatur, hac recenti antiquitatis nobilitate contenderet, quemadmodum aliis in rebus nihil cuique cedit Civitati? Quod si in multis *Græciæ* Civitatibus ob ludorum agones gymnici certaminis victorum statuæ, doctissimorum sculptorum industria elaboratæ commemorantur, quàm maximus in Xystis, & Gymnasiis *Neapolitanis* in quibus certamen illud nobilissimum erat, Athletarum, qui vicissent, numerus esse debebat? An

TAB. II.


Fig. 1.
ΝΕΟΠΟΛ
ΝΕΟΠΟΛΙΤ
ΝΕΟΠΟΛΙΤ
ΤΩΝ ΝΕΟΠΟΛΙ
ΝΕΟΠΟ
ΝΕΟΠΟΛΙΤ
ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ
ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ
ΝΕΟΠΟ ΛΙΤΩΝ
Fig. 2.
Fig. 3.
ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ
ΝΕΟΠΟΛΙΤ

An verò cuique Numini quæ plurima *Neapolitani* colebant, cuique Reipublicæ patrono, ut moris erat, cuique singulari viro statuas non fuisse dedicatas dicemus? Nonne id obloquuntur passim marmorei cippi, in quibus nomina tantummodo reliqua sunt signis ablatis? Quicquid præclaræ urbes sibi gloriæ comparârunt, ex Religione veluti fonte emanavit, magisque *Romam Joves Herculesque*, quàm *Augustorum* extulit potentia; & magis floruit in *Lupercis* ac *Potitiis*, quàm in *Furiis* & *Camillis*, cùm ipsi maximi Duces, labores, itinera, exercitus, omnem dignitatem ad Religionem retulerint. Elicere pauca licuit e tenebris, quæ ad antiquæ hujus urbis Religionis ordinem pertinent, eaque ex lapidibus atque Nummis, qui *Neapolitanæ* amplitudinis fragmenta aliquot servârunt. Lapides qui inter petrarum obstrnctiones ignoti sordescebant in lucem revocavimus. Nummorum copiam, præter eam quam ipse congesseram, obtulit *Joannes Baptista Macedonius Neapolitanus* Eques, qui semper juvandæ patriæ incumbens, bonarum artium studia sectatus est, & omnem antiquitatem perlustravit. Idcirco antiquitas ipsa inter officinas & rusticorum operas qui ex terræ glebis hos thesauros a nobis plurimi faciendos promunt, impense elaborantem eum veneratur; ut quicquid ferè indè eruere poterimus, illi viro curiosissimo referamus. Obtulit præterea *Joannes Simon Moccia* qui nobilitatis insignibus, virtutis ornamentis, antiquarum rerum & picturæ studio præclarissimo nemini hac ætate cedit, dum majorum splendores sua virtute illustravit. Alios ejus generis homines habere, majori *Neapolitanis* esset gloriæ & emolumento, quàm aliis divitiarum generibus abundare. Eos enim qui Reipublicæ memoriæ prodesse conantur, demortuæ Reipublicæ vitam afferre velle non dubitamus.

Joannes Baptista Macedonius.

Joannes Simon Moccia.

APOLLO.*

Apollinis præcipuè Religioni *Neapolitanos* fuisse addictos, Simulacrum illud ostendit, quod ex *Papinii* auctoritate *Abantiæ* Classis adventum in has regiones ex *Græcia* demonstravit, columbam enim in humero habebat, cujus volatum *Euboeorum* classis sequuta fuerat:

Tu ductor populi longè emigrantis Apollo.

Et Nummi * in quibus *Apollinis* caput, & Tripus. Quod confirmat *Cumis Apollinis* templum quod in Arce erat collocatum de quo Virgilius, *Arces quibus altus Apollo Præsidet*, quam profectò illam existimo, quæ a vulgo dicitur, *Arcus felix*, a quo ad *Cumanorum* securitatem duo montes circumcluduntur, tanta altitudine, ut admirationem aspicientibus afferat.

* Vide Tab. I. Fig. 8.

Abantes.

* Vide Tab. I. Fig. 9.

Quem, cum Sol esset, aliis quoque nominibus quæ Soli tribuuntur colere voluerunt, idcirco enim *Hebonem Mithram*, & *Serapidem* in nostris lapidibus habemus.

HEBO.

Hic Deus ille *Neapolitanorum* est, cui *Junius Aquila* Demarchus Civitatis voverat; cujus hæc memoria extabat in ædibus *Sanctinorum*, in lapide quem jam ablatum cerno:

ΗΒΟΝΙ. ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΩΙ. ΘΕΩΙ
Γ. ΙΟΥΝΙΟΣ ΑΚΥΛΑΣ. ΝΕΩΤΕΡΟΣ.
ΣΤΡΑΤΕΥΣΑΜΕΝΟΣ. ΕΠΙΤΡΟΠΕΥΣΑΣ.
ΔΗΜΑΡΧΗΣΑΣ. ΛΑΥΚΕΛΑΡΧΗΣΑΣ.

Heboni Clarissimo Deo L. Junius Aquila Junior, miles, procurator, Tribunus plebis.

Vocem, λαυκελαρχήσας, nemo quod sciam interpretabitur. Corruptè legi arbitrarer nisi diligentissimè ipse descripsissem. *Hebonem* verò barbatum, demissa & longiore barba, humana facie, sed taurino corpore depictum videmus in argenteis æreisque Nummis quam plurimis, quos in eo debet *Neapolis* pretio habere, quo suos habuit *Roma* Imperatores; atque is erat hujusmodi. Quem etiam dimidium sic pingebant.* Ubi stellam *Castoribus* tribuo.

* Vide Tab. II. Fig. 1.

Barba * ad Solem referenda est, quem hujusmodi *Hieropolitani* apud *Assyrios* depingebant, ut prolixa in acutum barba pingeretur, eminente super caput calatho (ut inquit *Macrobius* [1]) qui tamen dextera hastam teneret, florem sinistra porrigeret, *Gorgoneo* velamento indutus. Fœmineam habebat ante pedes imaginem, quam flexuoso volumine Draco cingebat. Demissa barba radios significabat; Calathus, ætheris fumum; Hasta, eundem cum Marte esse Solem innuebat; Floris species, res omnes quas Sol progenerat; Fœminea imago, Terram ipsam quæ fœcundatur a Sole; *Gorgonea* vestis, Solis virtutem, quam *Minervam Porphyrius* esse testatur? Draconis verò effigies, flexuosum Solis iter quo terram cœlumque circumplectitur. Eandem Solis efficaciam & virtutem *Neapolitani* in suis *Hebone*, *Mithra*, & *Serapide*, non vulgares & communes disciplinarum locos, sed reconditos sequuti, & *Ægyptios* in rebus *arcanis imitati* a *Pythagora* edocti, variis symbolis demonstrare conati sunt. *Hebo* quidem *Neapolitanorum* tutelaris, ac unus ex Penatibus, & præcipuus censebatur, sic enim Macrobius [2]: *Præterea barbatâ specie senili quoque, uti Græci ejus, quem Bacchapœam, item quem Brissea appellant, & ut in Campania Neapolitani celebrant, Hebona cognominantes*; qui cùm quatuor effigiebus figuretur, puer scilicet, adolescens, juvenis & senex, puerum hyemali Solstitio *Ægyptii* proferunt, ubi infans ob diei brevitatem cernitur? Adolescentem vernali æquinoctio, augeri quodammodo & vires acquirere cognoscimus, hinc *Hebo*, quasi hebes, prima lanugine decoratus; Juvenem ætate plenissima, æstivum Solstitium quo viribus valet, in medium profert, & tunc sic in *Vrania* ejus meminit Pontanus, ut Dei *Neapolitani*:

* Vide Tab. II. Fig. 2.

Solis barba.

Draco cum Sole.

Hæc annis florentem, oculisque & crine decentem
HEBONEM venerata suos ritus patriumque
Instituit morem, & sacris jam ritè peractis.
Urbs HEBONA salutat, agrique HEBONA frequentant,
HEBONA & referunt simul antra, & littora, & amnes;

Et Senem veluti senescenti quarta forma, ejus diminutiones constituunt, quem *Brissea*, ut *Liberum* Patrem antiqui appellabant, ita *Neapolitani* venerabantur, quem eundem cum Sole esse declarat Euripides in *Licinio*:

Δέσποτα φιλόδαφνε Βάκχε Παιὰν Ἀπόλλον εὔλυρε

Qua ratione etiam *Ceres Luna* dicitur, cùm pariter fertilitatibus terræ, & maturandis frugibus, vel nocturno temperamento, vel diurno moderentur. ideoque sic conjungit Virgilius. [3]

——— *vestro si munere tellus*
Chaoniam pingui glandem mutavit aristâ.

Atque hæc de *Hebonis* barba dicta sint. Quod verò ad taurinam, vel vaccinam formam spectat, aut majorum stemma, *Thesęum* scilicet *Neapolitani* illam referent, cujus animal illud erat insigne, atque *Neapolitani* eo uti poterant, ut *Chalcidenses* Euboicique referebant *Thesei* Bovem ad Minotaurum ab eo occisum, aut ad Taurum *Marathonium* ab eo superatum,

G 3

[1] Lib. 1. Saturn. [2] Saturnal. 1. C. 20. De Libero Patre. pag. 19. b. [3] Georg. Lib. 1. v. 7.

tum, vel, ut inquit *Plutarchus*, ad agriculturam quam suis civibus persuadere cupiebat, ideoque *Pollux* monetæ meminit, quæ Bos dicebatur apud *Athenienses*, quoniam Bovem sculptum habebat. Alii Bovem populare animal dixerunt, quoniam *Theseus* Democratiam *Atheniensibus* dedit, apud quos ita depictus erat, (inquit *Pausanias*[1]) ut popularem haberet Civitatis statum, & Populum; θησεύς ἐςι γεγραμμένος, καὶ δημοκρατία τε καὶ δῆμος, æquabilem enim Reip. administrationem iis constituit, aut ad *Campanos* labores deducamus, ut meritò laboris terra dicatur, quam Sol hujusmodi fœcundat, ut nihil illo solo uberius esse cognoscamus; quapropter insigni corona decoratur *Hebo*, & fertilitatis monumenta, aut Copiæ Cornu, aut frumenti spicis hujusmodi patefaciunt: *

Moneta Bos.

* Vide Tab. II. Fig. 3.

Hebo variarum gentium.

Et ea quoque de causa ob agrorum fertilitatem eundem *Hebonem* invenimus *Puteolanorum* Πετεολιτῶν, *Atellanorum* Ατελλάνων, *Nolanorum* Νωλαίων inveniuntur etiam, Καλεντίνων. Nec excludo *Suessanos*, *Theanenses*, *Capuanos*. Quid autem *Campaniam* commemoro? tanta erat *Hebonis* Religio, ut etiam in *Sicilia* viguerit, *Hebo* enim Γέλας est. Nisi malimus dicere Bovem multiplici ratione ad *Solem* referri. Vel quia *Heliopolitani*, taurum *Soli* consecratum, quem *Netrion* dicebant, venerabantur. Vel quia *Apis* apud *Memphiticos* Solis instar accipiebatur. Vel quia in oppido *Herminthi*, taurum *Bacchim* nomine, in *Apollinis* templo dicaverant, quem per singulas horas colores mutare affirmabant. Et ab *Ægyptiis* Græcos mutuatos ea forma *Apollinem* coluisse.

Sed ut sciamus quàm variè *Hebo* ad Solem significandum a *Neapolitanis* fuerit depictus, non tantùm ejus imaginem, sed Hieroglyphica etiam quibus Solares ostendere virtutes conabantur, ut rem valde curiosam, & novam Studiosis proponere volui, ut ex doctis rerum involucris, antiquorum *Neapolitanorum* ingenia cognoscant. Sunt autem hujusmodi: *

* Vide Tab. III. Fig. 1.

Citharam, non tam ad Musicos ludos *Neapoli* receptos, quam ad cœlestium sphærarum motum & harmoniam quam Princeps *Sol* moderatur, referendam existimarem. GALLUM solare dicimus animal; norunt enim sidera (inquit *Plinius*) & ternas distinguunt horas interdiu cantu. Cum Sole eunt cubitum, quartaque castrensi vigilia ad curas laboremque revocant. Nunquam *Sol* oriens *Gallum* fallit. Lucretius[2]:

Gallus.

Quin etiam Gallum nocte explaudentibus alis
Auroram clara consuetum voce vocare.

Et Plutarchus de *Pythiæ* oraculis ἑωθινῶ (inquit) ὑπεδήλωσε ὥραν καὶ καιρὸν ἐπιούσης ἀνατολῆς *Matutinum tempus, & Solis ortum instantem significasse eum qui in manu Apollinis pinxit Gallum.* SERPENTEM maximè Soli convenire illud prædicat, quòd totius Orbis moles eo symbolo ab Ægyptiis demonstratur, inter circulum aëreum & igneum circumducto, ut scribit *Petrus Crinitus*, quod etiam Θ *Græcus* character repræsentat, & in antiquo lapide Serpens est cum hac Inscriptione: DEO INVICTO MITHRAE SECVNDINVS DAT. *Mithram Solem* esse, infra dicemus. Hinc Sol, *Loxias* dictus, qui obliquum circulum ab Occasu ad Orientem pergit, vel qui transversos ad nos mittit radios, ut ait *Cleantes*. CADUCEUS aut eloquentiam denotat, qua *Neapolitani* ceteris antecellere existimabantur; aut Gymnasiarcharum potestatem qua in Athletas animadvertebant. Sed ne a Sole discedamus, *Apollinem*, & *Mercurium* eundem esse *Macrobius* hoc argumento ostendit, quòd apud multas Gentes stella *Mercurii* ad *Apollinis*

Serpens.

Caduceus.

Mercurius idem cum Apolline.

[1] In Atticis, Cap. 3. [2] Lib. 4. Fol. 95. b.

nomen refertur, quódque *Apollo Musis* præsidet, dum sermonem, hoc est Musarum munus Mercurius impartit. Nec aliud in *Mercurio* alarum pennæ significare videntur, quam Solis velocitatem, quæ & Menti tribuitur, *Mercurius*que ἀπὸ τοῦ ἑρμηνεύειν dicitur, quod est *interpretari* (idque Mentis munus est) & Solem mundi esse mentem *Platonici* dixerunt. Quod si *Mercurius* ad superos inferosque Deos mittitur, inferi nomen *Soli* datur, cùm superiori hemisphærio cursum peragit signis hyemalibus; superi autem, cùm Zodiaci partem ambit æstivam, quocirca cœruleo & claro colore *Ægyptios Solem* pinxisse, idem Auctor affirmat. Neque *Mercurii* simulacrum quadrato statu, solo capite insignitum, & virilibus erectis, aliud quàm *Solem* ostendebat, mundi caput, rerumque satorem, cui quatuor tribuuntur latera, quasi quatuor mundi plagas custodienti, qua ratione & *Mercurio* & *Soli* tetrachordum creditur attributum, qui numerus etiam quatuor temporis vices, quatuorque solstitia poterat significare, id quod in nostris nummis, cithara, vel tetrachordum significare non vereor. Sed cùm *Mercurium* ita describit Homerus[3], ut sapientem & excitantem oculos dicat:

Solis tetrachordum.

Εἵλετο δὲ ῥάβδον τῇ τ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει
Ὧν ἐθέλει τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει.

Cepit autem virgam qua virorum oculos demulcet
Quorumcunque vult; eos autem ipsos sopitos excitat.

Quid nisi *Solem* exprimit qui mortalium oculos noctu sopit ad somnum, manè verò excitat ad labores? Eccuinam nisi *Soli* conveniunt καλὰ πέδιλα, ἀμβρόσια, χρύσεια, pulchra talaria, immortalia, aurea? cujus radii aurum, & omnem pulcritudinem præ se ferunt? Consideranda item sunt, quæ idem *Homerus* scripsit in Hymno in *Mercurium*, in quo *Apollo* neminem sibi in concordia & amicitia chariorem *Mercurio* asserit, ideoque virgam tribuit felicitatis, & divitiarum symbolum:

Virga Mercurii.

Ὄλβου καὶ πλούτου δώσω περικαλλέα ῥάβδον


Trium foliorum virga erat, τριπέτηλος, propterea quod Solaris radius, calorem, lucem, rerumque habet incrementum. Divitiarum prætera procreatrix, cùm *Plutus* in terræ viscerum mineris vigeat Solis virtute qua procreantur. In Caduceo præterea Dracones marem & fœminam constituebant Mystæ, quo symbolo hominum genituram *Ægyptii* significare voluerunt quatuor Deos homini nascenti adesse contendentes, Δαίμονα, Τύχην, Ἔρωτα, Ανάγκην, *Dæmonem*, *Fortunam*, *Amorem*, *Necessitatem*, quorum duo priores *Lunam* & *Solem* denotabant; *Solem*, quòd caloris auctor & genitor, & custos, ideoque Δαίμων; *Lunam*, ut corporibus præsidentem, quæ fortuitorum varietate jactari arbitrabantur. *Dracones* mutuo se accipientes osculo, Ἔρωτα; *Nodus*, quo circumplexi erant, *Necessitatis* vinculum explicarunt, quam melior lex ablegavit. Non prætermittendum *Mercurium Argi* occisorem fuisse dictum, *Argum*que cœlum esse oculorum multiplici varietate, quibus cœlum ipsum tunc carere videtur, cùm Oriens Solis lumine illustratur. Quod si *Inachi* filia, in Bovis formam conversa est, Sol terram desuper videtur observare, & cùm Terram *Ægyptii* voluissent significare, *Bovem* pinxisse leges, quæ etiam ad *Hebonem* mirificè faciunt. Si quis tamen *Caduceum*, ad pacem & ad Religionem traduxerit, quas duas res *Neapolitani* maximè profitebantur, non improbarem. Et *Apollini* pacem & Religionem fuisse tributas, antiquus lapis docet:

DEO,

[3] Odyss. ε.

TAB. III.


Fig. 1.
ΝΕΟΠΟΛΙΤ
ΝΕΟΠΟ
ΝΕΟΠΟ
ΝΕΟΠΟ
ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ
ΝΕΟΠΟ
ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ
ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ
Fig. 2.
ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ
ΝΕΟΠΟΛΙΤ
ΤΥΧ
ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ
ΝΕΟΠΟΛΙ
ΝΕΟΠΟΛΙΤΩ
ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ
ΕΡΙ
Fig. 3
ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ
ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ
Fig. 4.




TAB. IV.
Fig. 1.
OMNIPOTENTI· DEO. MITHRAE
APPIVS. CLAVDIVS. TERRONIVS. DEXTER
V.C. DICAVIT.
Fig. 2.
ΝΕΟΠΟ
Fig. 3.
Fig. 4.
ΝΕΟΠΟΛ
ΝΕΑΠΟΛΙΤΩΝ
ΧΑΡΙ
Fig. 5.
ΝΕΟΠΟΛ
ΝΕΟΠΟΛΙΤ
ΑΡΤΕΜΙΣ
Fig. 6.
ΧΑΡΙ
Fig. 7.
Fig. 8.
Fig. 9.

DEO. SANCTO. APOLLINI. PACIFERO. C. AELIVS......
COHORT. X. PRAEF. CENTVRIA. BASILIBES.
VOTVM. REDDIDIT.

Vas. Sed Religionem VAS illud supra *Hebonem* significare, quis dubitabit? Atque fortasse unum ex 360. Vasis denotabat, quæ quotidie *Osiridis* Sacerdotes lacte implebant, per quæ totidem dies intelligebant, in quos annus dividitur per Zodiaci gradus, quos permeat *Sol*, qui *Osiris* quoque dicitur, de quibus Vasis libro primo loquitur *Diodorus Siculus*. Eandem significat Religionem TRIPOS, ex quo Oracula *Apollo* reddebat, Ὁς θεσπιωδεῖ τρίποδος ἐκ χρυσηλάτου, *Qui ex aureo Tripode vaticinatur*. In TRIDENTE *Neptunum* cognoscimus, in eoque *Solem*, cùm significet apud *Platonicos* eam virtutem quæ generationibus præest, ut scribit in *Heptalo Picus Mirandulanus*; licet illud symbolum ad ludos *Neapolitanos* rejiciam; de quibus infrà agemus. Quid verò propiùs ad *Solem* accedit, quàm LOCUSTA? hæc siquidem, vel in imo jacet, vel saltu cœlum petere videtur. Quod si eam ad agriculturam retuleris, in qua noctu illud animal excitat ad labores, & interdiu fessis agricolis quietem cantu pronunciat, a *Campaniæ* operibus non recedes. Et quid apertius quàm DELPHINUS *Solem* denotat, cùm *Apollo* in *Delphinum* mutatus adnaverit *Delphos*? Sed maritimæ rei *Neapolitanæ* feracitatem etiam significare non nego. En tibi secretiora Solis symbola explicata, ut nummos *Neapolitanos* posthac majori honore custodiendos curemus. Sæpissime cum hisce symbolis * eosdem insculptos cernimus.

Tripos. *Tridens.* *Locusta.* *Delphinus.* * *Vide Tab. III. Fig. 2.*

In quibus Cithara, ad *Apollinem* & ad Musica *Neapolitana* certamina refertur, quæ aliquando coronæ subjacet, denotatque ea re *Neapolitanos* plurimùm excelluisse, ideoque *Bacchum* eundem esse cum *Apolline* dicebant, & *Bacchum* canentem eadem de causa *Athenienses* dicebant, apud *Pausaniam* in *Atticis*, qua Musarum ducem *Apollinem*. Aliud illud quod adpingitur, rete aliquando existimavi, quo athleticis ludis utebantur, ut infrà dicemus, quod ut crederem effecit fuscina, vel tridens qui etiam in multis pictus est, gymnica enim ea erant instrumenta. Sed cum sæpe in iis pictura a reti videatur recedere, & *Pileum* * significare, sic enim differre a reti cognoscimus:

* *Vide Tab. III. Fig. 3.*

Castorum Pileum significare mihi persuadeo; Pileati enim *Dioscuri* dicebantur. Catullus [1]:

A pileatis nona fratribus pila.

dum Contubernales alloquitur, qui tabernam haberent ad pilam nonam a *Castorum* templo. Et *Pileati* appellabantur, quoniam eis veluti Laconibus statuæ ponebantur, & pilea arundineis foliis septa fuisse scribunt. *Pausaniasque* in *Laconicis* apud *Brasios* in promontorio quodam duo Sigilla pileata ex ære describit; dubitat verò fuerintne *Castorum* an *Corybantum*. Sigilla verò nihilo pedalibus majora dicit, & tria in ea figura esse, quartumque accedere *Minervæ* simulacrum. *Castores* præcipuè stellas supra *Pileum* ostendere non vereor, licet alio pileorum genere ornentur, & cum lorica, & hasta, equos tenentes in urna quam *Joannes Baptista Macedonius* servat in ea *Castorum* regione inventa, quo etiam infrà ornavimus in eorum imaginibus.

Quòd si aliquando supra *Hebonem* Stellam & *Lunam* * invenerimus, in *Augusti* honorem positas non dubitarem, ut *Luna Octaviam* sororem, vel *Serviliam* uxorem, & Stella *Julium* ostenderet; multa enim *Neapolitanos* in *Augusti* honorem instituisse, non est quod multis exemplis probem; & servant hoc tempore cippum ad *Pelliones*, in quo hæ notæ leguntur: AVGVSTO. SACRVM. Vidi alium *Neapolitanum* nummum in quo Sphinx est, quam ad *Augustum* rejicio, & *Sphinges* Triumviri Monetales in nummis figurabant. Reperi quoque in ejus armato pectore *Medusam*, nuper in agro *Cumano* ubi ejus Statua, cum aliis Deorum statuis in templo ab *Agrippa* erecto inventa sunt, de quibus in *Puteolanis* fusiùs agam.

* *Vide Tab. III. Fig. 4.*

[1] Epigr. 38.

MITHRAS.

Mithram Neapolitanum (eo nomine voce *Persica Solem* appellabant) in media crypta *Pausilypana*, dum instauraretur, fuisse inventum dictitant. Ipse nunquam tantæ religioni me addixi, ut omnia credam. Illud certè scio, Patrium Mithram a Statio [2] fuisse celebratum:

Adsis ô memor hospitii, Junoniaque arva
Dexter ames; seu te roseum Titana vocari
Gentis Achemeniæ ritu, seu præstat Osirim
Frugiferum, seu Persei sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua Mithram.

Quibus verbis eundem *Mithram*, & *Titana*, & *Osirim* dicit. Scio etiam duos a *Neapolitanis* custodiri lapides, in quibus *Mithras* conspicitur; sed ubinam reperti fuerint, non audeo affirmare. In antris tamen eum Deum fuisse cultum, multa declarant. In altero nostro lapide, qui ante *D. Antonii* fores extra urbem cernitur, hoc est scriptum Epigramma *:

* *Vide Tab. IV. Fig. 1.*

Et quoniam Statius dixit, *Dexter ames*; & Claudianus de *Mithra* etiam loquens [3]:

———————— *Rex ipse micantem*
Inclinat dextrâ pateram, secretaque Beli,
Et vaga testatur volventem sidera Mithram.

Arbitrati aliqui sunt, *Terronium Dextrum* in lapide dictum, quasi dextris auspiciis *Mithræ* antrum dicantem. Sed ecce tibi alium lapidem:

SIVE. DEO. SIVE. DEAE
C. TER. DEXTER. EX. VOTO

Quis *Dextri* cognomen negabit? Sed cur in Crypta *Pausilypana*, & non alibi in antro ei dicato constitutus debuit *Mithras Neapoli* honorari? In locis subterraneis fuisse cultum, *Julius Firmicus* confirmat; confirmat etiam ejus figura, quæ semper sub antro depingitur. Nonnulli secretam Solis vim eo Hieroglyphico significant, quòd radiis in terram penetrans in ejus visceribus omnia generat.

Μίθρας quidem & Μίθρος, Sol a *Persis* dicebatur (EL quoque dictus) & eorum primus Deus, ut ait *Hesychius*, quem ex spermate in terram dejecto, natum fabulantur. Equus ei albus & sacer offerebatur. Ejus currus albis equis, aureo jugo coronatus Regi sacrificaturo præmittebatur. Ejus imago chrystallo incensa supra tabernaculum Regis fulgebat. Sed ejus simulacrum sic depingitur a Lactantio Grammatico: *Colebatur in antro, fingebaturque Leonis vultu, habitu Persico, cum tiara, & ambabus manibus reluctantis bovis cornua retentare. Quo simulacro innuebant, Lunam ab eo lumen accipere cùm incipit ab ejus radiis segregari; ipsa enim indignata sequi fratrem occurrit illi, & lumen subtexit obscuratque ideoque in antro esse dicitur, quia Eclipsim patitur, id est Mithras. Ideo Leonis vultu, quia Sol Leonem signum principale habet; vel quòd ut Leo inter animalia, ita Sol sidera excellit. Luna verò quòd tauro propiùs adhæreat, Vacca, idest Bove figurabatur.* In montibus *Persidis* a *Zoroastre* antrum templi loco constitutum fuerat. *Porphyrius* omnium rerum auctorem & parentem *Mithram* nominat, & per speluncam mundum a Deo fabri-

Mithras in Perside.

[2] Lib. 1. Theb. [3] Carm. 18. in prim. Conf. Stiliconis. v. 61. 62. 63.

bricatum intelligit, & Arietis gladio qui *Martium* animal est, armatum, invehentem tauro Venereo asserere voluit, quòd scilicet ut taurus, sic *Mithra* generationis dominus est. *Xenophon* in *Oeconomico* inducit *Cyrum* jurantem per *Mithram*, quem omnium Deorum maximum habebat. *Mithriacûm* sacrorum in vita *Commodi* meminit *Lampridius*. Et *Suidas* addit multas victimas huic Persas immolasse, & neminem initiari potuisse, qui per quosdam suppliciorum gradus se sanctum non probasset. Tertullianus idem significare videtur, scribens [1]: *Mithræ miles cùm initiatur in spelæo, in castris verè tenebrarum, coronam interposito gladio sibi oblatam, quasi mimum martyrii.* & quæ sequuntur. *Gregorius Nazianzenus* duodecim dicit esse hæc supplicia, sed verbera, calorem, & frigus tantùm nominat. Apud Athenæum *Persarum* Regibus uno solùm die permittitur ut ebrii fiant, quo *Mithræ* Deo sacra faciunt; παρὰ δὲ Πέρσαις τῷ βασιλεῖ ἀφίεται μεθύσκεσθαι μιᾷ ἡμέρᾳ, ἐν ᾗ θύουσι τῷ Μίθρᾳ; contrà apud *Indos* non esse permissam temulentiam scribit *Ctesias*. Ex *Epicharmo* colligimus non modò a *Persis*, sed ab aliis quoque nationibus fuisse cultum, nam *Cretenses* etiam *mendaces* appellat, quoniam *Mithræ* sacerdotes haberent. Hinc, apud *Græcos* omnes. In antiquis lapidibus cum variis encomiis *Mithræ* mentio fit:

Mithriaca sacra.

Ebrietas Persarum.

ΗΛΙΩ. ΜΙΘΡΑ ΑΝΙΚΗΤΩ.

Item:

DEO. SOLI. INVICTO. MITHRAE
FL. SEPTIMIVS. ZOSIMVS. V. P.
SACERDOS. DEI. BRONTONTIS
ET. HECATE. HOC. SPELEVM. CONSTITVIT.

Alibi, Ordo Sacerdotum dedicat Deo soli invicto *Mithræ*; & præter sacerdotium quod floruisse apud antiquos ex his cognoscimus, sacrificia etiam habemus:

PETRONIVS. APOLLODORVS. V. C. PONTIF. MAIOR.
XV. VIR. SAC. FAC. PATER. SACRORVM. DEI. INVICTI
MITHRAE. TAVROBOLIO. CRIOBOLIOQ. PERCEPTO
VNA. CVM. RVF. VOLVSIANA. C. F. CONIVGE. &c.

Et sunt *Romæ Græci* versus hæc sacrificia significantes, quos sic transtulêre:

Cunctorum Cybele genitrici hominumque Deûmque
Excelsoque Atti quem nihil orbe latet;
Qui facit ut pura celebremus mente quotannis
Crioboli festos Taurobolique dies.
Qui cognomen habet de munere Apollinis, aram
Sacrorum Antistes marmoream hanc statuit.

Criobolium & Taurobolium.

Ideoque *Attidem*, *Mithram* arbitror, qui excelsus in iis carminibus dicitur, & quem nihil latet, quoniam Sol ex alto omnia intuetur. In aliis lapidibus *Tauropolium*, & *Tauripolium* legitur. In ea tamen pulcra antiquitate sacrificia *Cybeli*, *Attidi*, *Hecati*, *Libero*, & *Mithræ* dicata, hoc nos docet Epigramma, quod tamen non integrum recitabimus:

PATER. PATRVM. DEI. SOLIS. INVICTI
MITHRAE. HIEROPHANTA. HECATE. DEI
LIBERI. ARCHIBVCOLVS. TAVROBOLIO. CRIOBOLIOQ.
IN. AETERNVM. RENATVS.

Quæ sub *Valente*, & *Valentiniano* commemorantur. Habes *Patrem Patrum*, *Mithræ* sacerdotem, qui *Pater Sacrorum*, superiori lapide dictus est. Habes Hierophantam, quo nomine sacrorum *Ægyptiorum* peritus dicebatur, & *Serapidis* Sacerdos. Habes item *Archibucolum*, bubulcorum principem, ut mactandis bobus Sacerdos haberet imperium. *Tauropolia*, Dianæ sacrificia dicebantur, quamobrem *Tauropolos* ipsa dicta est, & *Taurobolos* apud *Suidam* & *Eustathium*, a taurorum sacrificiis. Sic enim in argenteo nummo *:

Hierophanta.

Archibucolus.

* *Vide Tab. IV. Fig. 2.*

[1] De Corona circ. fin.

In cujus altera facie, *Dianæ* caput est. *Taurobolium*, *Tauropolum*, & *Tauropobulum*, idem fuere. Lapis *Romæ* extat in quo *Cybele* est turrita, Leonibus advecta, cum tympano & spicis (Crotalum & tympanum *Catullus Cybeli* tribuit, cymbala *Lucretius*; Fistulæ, & Peda quoque reperiuntur) qua cum *Attis* pinui adnixus *Cybeli* sacro, quo arbore mons *Ida* abundat, in quo illi Numini sacra faciunt, in eoque Taurobolium & Criobolium reperitur. In altero *Cybele*, *Mithras*, *Minotaurus* in iis mysteriis conjunguntur;

M. D. M. IDAE. ATTIDI. MINOTAVRO.

ANTIQVA GENEROSE DOMO CVI REGIA VESTAE
PONTIFICI FELIX SACRATO MILITAT IGNE,
IDEM AVGVR TRIPLICIS CVLTOR VENERANDE DIANAE
PERSIDICIQVE MITHRAE ANTISTES BABILONIE TEMPLI
TAVROBOLIQVE SIMVL MAGNI DVX MYSTICE SACRI.

Alibi, *Ideæ Matri.* alibi, *Matri Deum Tauropolium.* Nec erit inutile *Minotaurum* ad *Hebonem*, & *Mithram* adjicere, & Tauropolium ad eorum imagines. Sed legendus est *Gyraldus* in Syntagmatibus. De *Atys*, vel *Actis*, aut *Attidis* pastoris castratione, *Diodorus*, *Eusebius*, & *Augustinus*. De ejus lacte hircino (nam *Phryges* hircos *Atagos* dixere) disputat *Arnobius*. A *Macrobio Attines* dictus, idcirco in lapidibus M. D. M. I. ET ATTINIS. Taurobolitam quoque Deam, cum *Isiaca* conjunctam in antiquo lapide *Beneventi* legimus. Quæ omnia ad *Mithræ* arcana referuntur. Nec omittendum Tauropolium fieri solitum pro salute domus Imperatorum, & pro civitatum statu, ut pro *Gordiano* factum scribunt; & pro salute ordinis *Lectoratensium*, in lapidibus. *Narbone* Tauropolium fit pro *Septimo Severo*, & pro *Aureliano*, & Tauropolium accepisse dicebatur hostiis suis, qui sacra fecisset.

At quàm variè *Mithræ* simulacrum insculpserint, quatuor *Romanæ* tabulæ, duæ *Neapolitanæ* patefaciunt. In uno *Romano*, in rupe excavata *Mithras* est dextra qui dum cultrum monstrat, nescio quid sinistra proferat. Taurum substratum calcat, dextro pede inter cornua posito, sinistro autem in tergo. Sub tauro serpens, aliudque animal cani simile. Ad dextram *Sol* sub Leo, Palma, Corvus, Scorpius, & puer mithratus facem erectam tenens. Ad sinistram *Luna* cornua in humeris gerens, sub qua Gallus, Palma, Aquila fulmen tenens, & virgo cubito innixa, in antro dormiens.

In alio *Mithras* tauri utrique genu innititur quem naribus tenet, cultrum scapulæ manu dextra infigens. Cancer tauri testiculos apprehendit, cui adest Scorpio. Animal cani non absimile adsilit. Serpens, Leoque subjacent. Tauri cauda in aristas desinit. Corvus adsidet. *Sol* Oriens a dextra juvenili facie, sub quo puer facem erigit. Ad latus Natura rerum stat ejus comes. A sinistra *Luna*, additis fronti cornibus, sub qua puer facem demissam tenet, & rerum Natura alata, *Lunæ* præcipitis comes. Duæ adsunt arbores, altera diurna cum bovis capite, & face; altera nocturna cum Scorpione.

In tertio, in ea *Capitolii* parte quæ Aquilonem spectat, templum subterraneum est in quo *Mithræ* simulacrum perelegans. Stant utrinque duo viri supra quos stellæ singulæ Oriens, & Occidens; & in tauri collo hæc leguntur, NAMA SEBESIO, lingua Persica. in ventre, DEO SOLI INVICTO MITHRAE.

In quarto, *Mithras* fusa chlamyde, succinctus veste breviori, curva tiara, corvum respiciens, taurum cultro figit; altera manu nares tenet, cum hoc Epigrammate:

D.

D. DEO. INVICTO. D. MARCI. MATTI
FORTVNATVS. ET. ALEXANDER
ET PARDVS. ET. EFFICAX
LIB. FLA. ALEXANDRO. PATR.

Neapoli, præter tabulam *Terronii*, quam hoc tempore in D. *Antonii* habemus, ut diximus, altera quoque est in regione D. *Annunciatæ*, quæ hoc tantùm ab ea differt, quod Inscriptione caret. *Romanis* lapidibus similes. Ea tamen simulacra quæ in iis extant, nullo pacto sacrificia sunt, sed *Solis* symbola, & agriculturæ Hieroglyphica. Siquidem sacrificia sic describit Petrus Crinitus [1]; *Mithriaca verò sacra, ita ferè habita sunt, ut in sacrum antrum Sacerdotes convenirent, atque Apollinem magna veneratione prosequentes, Mithram appellarent. Tum bovem ex antro correptis cornibus educerent, eumque sacerdotes veluti Mithræ victimam immolarent, simul & hymnos aliaque cantica decantarent.* Quid ergo ea symbolorum varietas ad hæc sacrificia? Mystæ sic ea interpretati sunt, ut Taurus terram, Gladius laborem, Scorpius generationem, Cancer creationem, Canis agricolarum fidem, Serpens providentiam, Corvus diligentiam, Arbor nocturna quoque generationem; diurna cum bovis capite assiduitatem, Leo in sustinendo labore fortitudinem & robur; Faces diem ac noctem significarent; quamobrem tandem cauda in aristas definit, quòd terra fœcunda Sole fructuum producat ubertatem. Corvus mediis æstivis caloribus *Solis* beneficio pullos excludit, itaque aliquid peculiare cum *Sole* habere docti voluerunt. Petronius:

Si contra rerum Naturæ munera notæ
Corvus maturis frugibus ova refert.

Nam *Græci* rectè loquuntur, & sentiunt (inquit Plutarchus [2]) sacram *Veneri* animantem esse Columbam, Draconem *Minervæ*, Corvum *Apollini*, Canem *Dianæ*; quamobrem quæ de Canis fide diximus, ad venationes etiam quæ in terra fiunt possunt referri. Palma verò in *Romano* lapide, *Solem* & annum maximè decet, cùm sola omnium arborum per ortus *Lunæ* singulos, ramos singulos progeneret; totidemqne menses per Palmæ surculos observarunt. Apud Homerum in *Apollinis* hymno *Diana* mensis & anni arbitros paritura Palmam amplexata describitur:

Palma Soli tribuitur.

Ἀμφὶ δὲ φοίνικι βάλε πήχεε, γοῦνα δ᾽ ἔρεισε,
Circa autem Palmam ejecit manus, genua fixit.

Præterquam quòd in *Plutarcho* [3], tercentas & sexaginta utilitates mortalibus elargitur, ex *Babyloniorum* doctrina, qui numerus anni dierum est, ideoque Palma *Mithræ* dicata; qui totidem circulos ambit in Zodiaco. In eodem Auctore, *Apollini* ea arbor sacra est, quippe plurimum is Deus ad vincendum & superandum confert, quamobrem Manubiarum dedicationes in ejus templo *Delphis* conspiciuntur. Vitæ quoque symbolum dicemus esse Palmam, & vitam Soli præter generationem tribui. Hinc Orpheus:

Palmæ utilitates.

Ζῶον δ᾽ ἴσον ἀκροκόμοισι φοινίκων ἔρνεσι.
Ramis animans Palmarum æqnalis editis.

Quid quod *Apollinis* oracula in Palmarum foliis *Sibylla* pronunciabat? Nostis *Avernales* voces, *Tantùm foliis ne carmina manda.* Sunt qui in *Mithræ* symbolis Taurum fœcunditatem portendere dicant; idque ex tumulo *Zethi* & *Amphionis*, cujus in *Bœoticis* meminit *Pausanias*; cùm enim Sol Taurum permeat si ex tumulo terram surreptam ad *Antiopes* monimentum adjecissent *Tithorenses*, eorum ager fœcundior redditus esset quàm *Thebanorum* ager. Quare ad fertilitatis & sterilitatis vaticinium Taurum retulere ex fatidicis Bacidis carminibus:

Sibylla oracula canebat in foliis palmarum.

Tauri vaticinium.

Inferias quando a Tithorensi plebe, precesque
Et vota accipiet cum fratre Amphione Zethus,
Phœbus Agenoreum irradiat cum lumine Taurum,
Tum noxam ingentem vitato quæ ingruit urbi;
Namque suos fœtus olim terra ægra negabit,
Et Phoci donec scindatur gleba sepulcro.

Cum omnibus tamen hisce mysteriis *Campanos* boves admisce. Eos tantùm dicam terræ generationi prodesse, & Terræ laboris titulo videntur præclaro encomio insigniri. Felixque *Hebo* in *Campanis* bobus quibuscum suæ virtutis in *Mithra* ostendit fœcunditatem. Cedant laude *Campanis* bobus *Epirotici*, antecellit enim Solis virtus, quibus nostri vigent boves, *Pyrrhi* Regis industriæ. Cedant *Carici* tubere super armos in *Asia* armati, fœdi enim sunt visu, quorum forma nunquam *Hebo*, *Mitrasve* fuisset indutus; nihilque *Campano* bove pulchrius *Ceres* ullo in campo prospexit, si quando in *Campania* nitidos, robustos, prægrandes, corollis floribusque ornatos acclives celeri cursu vias subeuntes, jugo veluti coronæ submissos.

Campani boves.

SERAPIS.

Quæ in barbato *Hebone*, in *Mithrato* bove occultiùs demonstrarunt, in *Serapi* simpliciùs demonstrantes, ab *Ægyptiorum* arcanis recedere non potuerunt. *Neapolitanum Serapim Græcum* testatur Epigramma, ΔΙΙ ΜΕΓΑΛΩ ΣΑΡΑΠΙΔΙ. testatur tabula marmorea in qua perbellè depictus est in ædibus Ducis *Matalunensium* *, quam tamen aliqui sibi persuaserunt *Neapolim Puteolis* advectam, ubi ejus templi dicatio legitur. testatur etiam Sannazarii auctoritas in Eclogis:

Serapis templum Neapoli.

* Vide Tab. IV. Fig. 3.

Æquoreus Platamon, sacrumque Serapidis antrum
Cum fonte & nymphis adsultavere marinis.

Et licet extra pomœrium ad *Platamonias* ejus ædem constituat, nam extra pomœrium *Isidem* & *Serapim* antiqui collocarunt, ubi *Embem* Prophetam colebant, ut in antiquo lapide:

Embes propheta.

Ἱερὰ τάξις τῶν Παιανιστῶν τῶν ἐν Ῥώμῃ Διὸς Ἡλίου μεγάλου
Σεραπίδος καὶ θεῶν σεβαστῶν ἐτίμησαν Ἔμβην Προφήτην.
Sacer ordo Pæanistarum Romæ Dei magni Solis Serapidis,
Et Deorum Augustorum honorarunt Embem Prophetam.

In eo tamen antro fuisse cultum quem innuit *Sannazarius*, & quem in *Cappellæ* hortis conspicimus, in quo nec templi, nec cultioris Religionis imago est, sed potiùs ad eruendos lapides ad ædificationes rupes accommodata, prorsus rejicio. Quamvis enim antequam templa fuissent excogitata in antris Dii colerentur, nihilominus non in eo antiquissimæ vetustatis ordine *Neapolis* posita est, ut templorum loco antra coluerit, quæ *Græcorum* cultu instituta, omni pulchritudinis amplitudine templa decorabat, veluti & omnis vicinia a *Græcis* ædificata, ædificiorum undique vestigiis præclarissimè ostentat. Quin etiam illud in primis affirmare audeo; *Mithram* non in antris subterraneis, sed in antris in marmore sculptis coluisse. Quod si *Mithræ* aliquo pacto antra convenisse dicemus, non potuisse *Serapi* convenire illud ostendit, quòd magnificentissima templa fuerint *Serapea*. Sic describit Ammianus Marcellinus: *Altis suffulta vestigiis templa inter quæ eminet Serapeum, atriis columnarum amplissimis, & spirantibus Signorum figmentis, & reliqua operum multitudine, ita est exornatum, ut post Capitolium quo se venerabilis Roma in æternum attollit, nihil orbis terrarum ambitiosius cernat.* Et *Dio* affirmat anno ab V. C.

Serapeum magnificum templum.

H DCCVII.

[1] Lib. 5. C. ult. [2] Lib. de Iside & Osiride [3] Quæst. Comm. Lib. 8. C. 4.

DCCVII. Aruſpices juſſiſſe omnia templa (non ſpecus) *Iſidis* & *Serapis* demoliri. *Iſium & Serapium* (inquit Lampridius) *decenter ornavit, additis Signis & Deliacis, & omnibus myſticis.* Et clariſſimum ejus Numinis templum apud *Alexandrinos* nominat *Pauſanias* in *Atticis*, aitque *Athenienſes* a *Ptolemæo Serapis* religionem accepiſſe, & *Memphiticos* antiquiſſimum Fanum habuiſſe, quo neque exteris hominibus, neque Sacerdotibus ipſis aditus pateret priuſquam *Apim* bovem humarent. *Romæ* in ædibus *Colotianis* columna eſt, cujus *Græcam* inſcriptionem his verbis verterunt:

Sublimi imperio miranda Serapidis alti
Deque auro miris templa ſuperba modis;
Ædituus ſtatuêre Dioſcurus, atque Cyrilli
Conjux, quæ memori numina mente colit.
Ambo ætate pares, concordi lege tuentur,
Fana pii ſummo ſemper honore Deum.

Neque minore cultu hoc Numen apud *Neapolitanos* in honore fuiſſe, quàm apud *Puteolanos*, antiquiſſimus lapis oſtendit in quo ædificii lex deſcripta eſt, quem *Puteolos* rejecimus. A *Platamoniis* id templum excludo, licet enim extra pomœrium ſæpe reperies, prope Theatrum tamen ſemper *Serapi* templa condita fuere, & prope *Dioſcuros* ut in ſuperioribus carminibus; idcirco *Vitruvius Serapi* & *Iſidi* in Foro templa ædificanda docet, & in *Meſſeniis* hujuſmodi condita ſeſe obtulere *Pauſaniæ*.

Serapis templum in Foro.

Serapis & Sol.

Fuiſſe *Serapim* eundem cum *Sole*, ſic docet Macrobius [1]; *Eidem Ægypto adjacens civitas, quæ conditorem Alexandrum Macedonem gloriatur. Serapim atque Iſim cultu penè attonitæ venerationis obſervat.* Omnem illam venerationem *Soli* ſe ſub illius nomine teſtatur impendere. Calatho inſigniri quoque dixit, ut *Mithras*; quo altitudinem ſiderum & potentiam capacitatis oſtenderent. Bovis quoque *Serapi* imago eſt, nam fabulantur *Apim* ex *Niobe* filium *Phoronei* fuiſſe, quam primo omnium mortalium inivit Rex *Argivorum*. Hic relicto in regno *Ægialeo* fratre in *Ægyptum* conceſſit, ibique vini uſum patefecit, & *Io* vel *Iſidem* uxorem duxit, ac *Memphim* condidit. Mortuus ibidem eſt, dictuſque *Serapis*, quaſi *divinus Apis*, ut ait *Auguſtinus* [2]. Poſt mortem ſub forma bovis vivi ejus numen eſt honoratum, nam hoc animal humano generi ceterorum omnium eſt utiliſſimum. Varro *Serapim* dictum ait ab arca, in qua poſt mortem collocatus eſt, quam Sarcophagum vocant; & Græci σορὸν, unde *Sorapis* antea dicebatur. Idolum *Ægyptiorum Serapim* ſub *Theodoſio* deſtructum eſſe narrat *Hiſtoria Eccleſiaſtica*.

Apis.

Sarcophagus

BACCHUS.

Bacchus & Sol, idem.

En tibi itidem *Solem*. Vini uſus *Serapis* apud *Ægyptios* illuſtravit, hinc Solare numen habitum. Eadem *Bacchum* decent, cujus religionem *Neapoli* nummus oſtendit, in quo poſt *Bacchi* vel *Apollinis* caput (iidem enim cenſentur) uvæ botrus pendet, & Pampinus * in alio ſupra *Hebonem*, quem etiam *Solem* dicimus, nom modò quòd *Bacchapæam* ſuum *Hebonem Neapolitani* dixerunt, ſed etiam quòd *Herodotus* in *Euterpe Apollinem* & *Dianam* ex *Iſide* & *Oſiride*, quem *Liberum* Patrem dicunt, natos eſſe ſcribit. Tum quod ſcribit *Ariſtoteles* apud *Ligyræos* in *Thracia* adytum *Libero* Patri conſecratum, ex quo Oracula reddebantur. Apud *Lacedæmonios* etiam in ſacris quæ *Apollini* celebrant *Hyacinthia* vocantes, hedera coronantur *Bacchico* ritu, quo factum ut pampinum hederæ frondem arbitrentur, ut utrumque ſignificent. Et in *Bœotiis* in *Parnaſſo* monte *Apollini* & *Baccho* ſpeluncas conſecrarunt. Orpheus in *Apollinis* hymno inter alia epitheta hæc collocat:

* Vide Tab. IV. Fig. 4.

Sacra Hyacinthia.

Βάκχιε καὶ διδυμεῦ --- --- ---

Et πυρίσπορον, *ſeminum vivificatorem*, & πυρφόρον. & ut *Bacchum* vel *Solem* cum *Hebone* conjungeret, ταυρομέτωπον dixit, *taurina facie decorum.* Sed *Solis* curſum & ſplendorem de *Baccho* περιλκιονίῳ ſic explicat:

Ἠνίκα πυρφόρος αὐγὴ ἐνίκησε χθόνα πᾶσαν.

Cùm ignifer ſplendor vicit terram omnem.

Reliqua ſunt, Ταυρόκερως, πυρίπολος, & πυριφεγγής. Prima illa ad taurum referuntur, ut *Hebo* & *Bacchus* iidem ſint. *Orgia* idcirco *Neapoli* decernimus, qualia *Puteolis* cum *Orgiophantis* Sacerdotibus. Erat id feſtum *Bacchi* triumphus qui ſic exprimitur, in *Trajani* nummo; Sublimi currui *Bacchus* inſidet hedera coronatus, ſeminudus, dextra thyrſum, ſiniſtra velamenti genus ſupra caput tenet. Victoria advolans eum corona donat; currus a duabus tigribus trahitur; pompa varia currum præcedit; *Silenus* & *Satyrus* belluas ad Deum adducunt; cyathi præcipuè conſpiciuntur. Quod ſi ob vini uſum *Neapolis Campaniæ* caput coluit *Bacchum*, *Hebonem*, *Solem*que celebremus neceſſe eſt, cujus virtus in amœniſſimo illo ſolo hujuſmodi viget, ut ſemper præſtantiora vina profuderit. Novimus celeberrima *Cæcuba* in ſinu *Amyclano*, & cum *Falernis Fauſtiana* a vico prope *Cedias*, qui a *Sinueſſa* ſex millia paſſuum aberat, auſtera, vel dulcia, & tenuia fuerint. Novimus *Surrentina* ad confirmandam ſalutem convaleſcentibus probata, tanta in iis commendabatur tenuitas & ſalubritas. Novimus *Maſſica*, & *Statana*, quæ ad principatum venerant, & *Calena*, & *Fundana*. Excitaverat præterea, ut ait Plinius [3], *Campania* novis nominibus auctoritatem, ad IV. a *Neapoli* lapidem *Trebellicis*, juxta *Capuam Caulinis*, & in ſuo agro *Trebulanis*, alioqui ſemper inter plebeja, & *Trifolinis* gloriata. Quæ verò deinceps ex *Campaniæ* agro vina promuntur, non tantùm principatum obtinere dicam, ſed laudatiſſimis *Thaſio*, *Chio*, *Lesbio*, *Clazomenio*, *Tyrio*, *Sebennitico* aliiſque a *Græcis* vinoſis celebratis antecellere audaciùs affirmabo. Et ſi *Græci* hoc tempore generoſiſſimos liquores in *Campania* deguſtarent, *Bacchum* ibi triumphare oxiſtimarent. Quid *Campania?* ſola ipſa *Neapolis Baccho* triumphat. *Pauſilypana* quantùm ad animi corporiſque lætitiam conferunt? Quantùm *Antiniana* deſiderantur? Sed ne ad *Veſuvina* aliquanto longius progrediaris, quid vinis quæ in proximis collibus promuntur poterit tota Italia amabilius judicari? In ipſis vina pergulis quæ in ſuburbiis; quæ ante fores ex pendentibus pampinis eliciuntur, omnem cujuſcunque vini ſuavitatem, ſalubritatemque ſuperant.

Vina Campana.

Alia vina.

Pauſilypana. Antiniana. Veſuvina.

APOLLO SANATOR.

Apollinem Sanatorem tota ferè *Græcia* coluit, ut ex *Pauſaniæ* pluribus locis colligimus. In Magna *Græcia Hyeletani*, & *Mamertini* coluere. At *Neapolitani* præcipuè in *Italia*, ut ex *Pentagono* * quod cum *Hebone* pinxerunt, & aliquando cum *Diana*:

Pentagonus.

* Vide Tab. IV. Fig. 5.

Triplici eo triangulo mutuo nexu conjuncto *Pythagoras* cum amicis utebatur, & Sanitatem nuncupabat, ut ait *Cœlius Calcagninus* [4]: Qui & quaternarium numerum principium quoque ſanitatis dictum a *Pythagoricis* dicit. Idem Symbolum pro Teſſera militibus datum eſt ab *Antiocho*, ut ſcribit *Dio* [5], cùm adverſus *Galatas* pugnaret, eratque in triplici nexu ſcriptum ὑγίεια, quam

[1] Lib. 1. C. 25. [2] De Civit. Dei.

[3] Lib. 14. C. 6. [4] Tract. de ſalute. [5] Lib. 34.

Apollo Sanator & Medicus.

quam vocem in *Antiochi* nummo scriptam reperimus. De *Apolline* Sanatore, & Medico, hæc Strabo [1]: Ἰατικὸς γὰρ ὁ Ἀπόλλων, καὶ ἡ Ἄρτεμις, ἀπὸ τοῦ ἀρτεμέας ποιεῖν. *Sanator quidem Apollo est, & Artemis quod integros partus facit.*

Hospitalem idcirco dictum & Medicum, ait *Macrobius*, & in sacris virgines *Vestales* ita indignitare solitas, *Apollo Medice*, *Apollo Pæan*; dictumque ἰήϊον ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι, *a sanando*; & quòd salubribus causis præstaret, ἥλιον, Sanitatis auctorem. Hinc qui sanitatem precabantur dicebant, *Medere Pæan.* quam vocem regnante *Theseo Athenienses* docuit Oraculum contra *Amazones.* Hinc etiam pro salute *Apollini* immolabant, & reddebant vota, quod fecisse *Milesios* scribit *Menandrus*, & multi lapides ostendunt:

SOLI. SACR.
PRO. SALVTE. CL. IVLIANI. P. V. PRAEF. ANNONAE
TI. IVLIVS. BARBILIVS. S. SOLI. DED. ANNIO. FABIANO
M. NONNIO. MVCIANO. COS.

item:

SERAPI. PRO. SALVTE. HERENN....

aliud:

SERAPI. SERVATORI. D. IVNIVS. D. F. PAPIR.
VAEGLAENVS. AENEATOR. LEG. VII. C. L. GEM. P. FIDEL
NVMINI. TVO. VOTO. SVSCEPTO. D. D.

præterea:

SOLI. IVVANTI
L. VOLVMNIVS. MVNATIANVS
SODAL. AVG. PRAEF. VRBI.

Theseus vovit Apollini.

Habes Servatorem, Juvantemque *Solem.* Et refertur a *Pherecide*, *Thesea* cùm in *Cretam* ad *Minotaurum* duceretur, pro salute & reditu vovisse Ἀπόλλωνι ἑλίῳ, καὶ Ἀρτέμιδι ἑλίᾳ. Quapropter Plautus:

Apollo quæso subveni mihi, atque adjuva.

Et Horatius:

——————— *sic me servavit Apollo.*

Ad cujus auxilia idem respexit cùm ait [2]:

Hic bellum lacrymosum, hic miseram famem,
Pestemque a populo, & principe Cæsare, in
Persas atque Britannos
Vestra motus aget prece.

Illud etiam *Horatianum* de *Apolline* Servatore jam inde ab *Ilii* temporibus non rejiciam, *Apollinis* ope *Æneam* hostibus ereptum fuisse. Opinio viguit, ejus Dei officium, inquit *Turnebus*, averruncandis & depellendis malis mortales juvare. Hinc malorum depulsor dictus est, & ἀλεξίκακος. Inde *Asclepii* & *Hygiæ* religio apud *Neapolitanos Neapoli* ab Appiano citatur lapis:

Asclepius & Hygia.

AELIA. NICE. ET. CALLISTVS. MEDICVS
ASCLEPIO. ET. HYGIAE. DONVM. POSVER.

Et ubique apud *Græcos* eidem (quem cum *Æsculapio* eundem faciunt) & *Hygiæ* templa condita reperies; *Apollinis* tamen Sanatoris nomen illud aperte ostendit; & *Æsculapium* aërem existimabant, ex quo, Bona valetudo, ὑγίεια, & homini, & cunctis animantibus esset. Ideo *Titano Sicyoniorum* oppido *Æsculapii* signum, Salubritatis, Salubritatis dicebatur. Et *Apollinem* idcirco *Æsculapii* filium appellabant. Et apud *Arcades Æsculapius* & *Salus* conjungebantur, tum *Proserpina* Sospita (quam *Artemidem* esse non vereor) & *Sol* cognomine Servator. *Hygiæ* numen *Pausanias* in Corinthiacis velatum undique describit partim comis, partim *Babylonicæ* vestis laciniis. *Hippocratem* ab *Asclepio* natum *Pætus* ad *Artaxerxem* scribens confirmat, & ab *Atheniensibus Herculem* & *Asclepium* iisdem honoribus dignum fuisse habitum. Salutem ab *Apolline Neapolitani* precabantur, sed & saluberrimam semper regionem incoluerunt.

Æsculapius.

[1] Lib. 14. pag. 942. [2] Lib. 1. Od. 21.

A

ARTEMIS.

Diana sanatrix.

Artemidem Οὐλίαν, *Dianam* Sanatricem, Servatricem, vel *Lucinam* cum *Apolline* coluisse *Neapolitanos*, eorum Nummus argenteus demonstrat cum salutis signo, præter alios qui ad *Dianam Apollinem*que pertinent, quos mihi *Goltzius* in sua *Campania* proposuit: In Salutis Nummo legitur, APTEM. Quas notas, Artemisiam, aliqui legunt, quoniam Ἀρτεμίσιον templum *Dianæ* dictum est apud Ephesios, in *Hispania* quoque summa religione cultum, quo *Sertorius* ad res maximas usus est. In alio tamen planè legitur, APTEMIΣ*. atque ita omnis dubitatio tollitur; cùm præterea alium habeant nummum in quo *Dianæ* caput & pharetra, tum Tripos & Elephas, qui *Lunam* veneratur, cum *Apolline* Medico a *Strabone* conjungitur. ΣΩΤΕΙΡΑΝ Dianam *Siculi* venerabantur, & *Agathocli* Regi nummus cusus est, in quo *Dianæ* caput cum his notis, ΣΩΤΕΙΡΑ, in altera facie *Iovis* fulmen. De *Dianæ* salute sic Orpheus in Hymnis:

* Vide Tab. IV. Fig. 6.

B

Ἔλθὲ θεὰ σώτειρα --- ---

Et ut ad Salutis signum in *Pentagono* cum *Apolline* accederet:

Εἰρήνην τ' ἐρατὴν καλλιπλόκαμόν θ' ὑγίειαν.

C

Junonem quoque eandem dixere *Lucinam*, quæ puerperiis proderat, ut inquit *Catullus*, cui adstipulatur *Horatius* apud quem maturos *Ilithia*, & *Lucina* aperit partus, id enim, *Artemidem* suprà significare diximus. Plutarchus in Αἰτίοις [3], hæc de *Artemide* scribit, ἐπὶ πᾶσι δ' Ἀρτέμιδος ἐν ταῖς λοχίαις καὶ ταῖς ὠδῖσιν αἱ γυναῖκες ἐπικαλοῦνται· eademque de *Lucina* subjungit & Macrobius; *Dianam quæ Luna est*, *Lucina a parturientibus invocatur*, *quod proprium munus ejus est*, *distendere rimas corporis*, *& meatibus viam dare.* Ἥραν φωσφόρον, dicit appellari *Halicarnassæus*; sed apud *Macrobium Nigidius*, *Ianam Dianam* interpretatur. *Solis* & *Lunæ* simul numina in antiqua *Neapolitana* religione, adhuc vicus ostendit, qui ea nomina retinet. *Artemisios* tamen tribules quoque in nostris lapidibus legimus, quod ad *Artemisios Rhodios* posse referri non negamus, qui *Neapoli* cum aliis exteris habitarunt.

Cur Diana in partibus invocabatur.

D

CERES.

In *Cereris* cultu & religione, *Neapolitana* civitas redundat. Testis nummus* in quo *Parthenopes* caput (fortasse etiam alicujus ex *Gratiis*) & parva *Ceres* cum falce conspicitur. Testis *Papinius* qui de patriis rebus loquens, cum *Apolline* & *Castoribus* Diis patriis conjunxit:

* Vide Tab. IV. Fig. 7.

Tuque Actæa Ceres cursu cui semper anhelo
Votivam taciti quassamus lampada mystæ.

E

Fiebant enim sacra *Eleusinia* (quippe quæ in ea regione ab *Eumolpo* initium habuere, in quibus facibus, & tædis accensis mysteria peragebantur) *Cererem* repræsentantes, & cum ea *Bacchum*, quæ raptam filiam *Proserpinam* facibus per orbem quæsisset accensis, imposito Calatho cum sacris abditis in curru, *Cistophoris*, vel *Canistriphoris* simul virginibus prodeuntibus, quæ in *Neapolitanis* tabulis marmoreis significantur, altera in ædibus *Matalunensibus*, altera in altiori parte turris sacræ D. *Joannis Evangelistæ*, quæ inter præcipua antiquitatis *Neapolitanæ* monumenta sunt recensenda. Utraque verò hæc continet, Sacerdotes in eo festo, inter quos se adnumerat *Statius*, luto & furfure obliti (inquit *Brodæus*) faces gestabant, & lymphatico cursu debacchabantur. **Crinagoras* Epigrammatarius eam celebritatem, Δήμητρος μεγάλας νύκτας, *Cereris magnas noctes*, appellat· Et nocturna fuisse sacra declarat *Euripides*, quoniam reverentiam nox habet. Adeas tamen *Plutarchum* [4] & *Tertul-*

Sacra Eleusinia.

Cistophori.

F

* Vide Tab. IV. Fig. 8.

[3] Lib. C. ult. [4] Lib. de Iside & Osiride.

tullianum[1] Tædifera ea de causa, Δαδοῦχος, *Ceres* appellata est, unde Lampadum dies ipsi dicatus, ea scilicet ratione ut ait *Fulgentius*[2] quod cum *Solis* fervore seges ad metendum cum gaudio requiratnr. Virgilius:

Lampadum dies sacer Cereri.

Et per tædiferæ mystica sacra Deæ.

Faces in nuptiis.

Et facem in nuptiis in *Cereris* honorem prælatam scribit *Servius*, & aqua aspersam novam nuptam, ut aquam & ignem cum viro communicaret. Sed Actæa ἀπὸ τῦ ἄχυς *Ceres* dicta est, ab ebrietate quâ fuit imbuta, dum *Proserpinam* quæreret. Cistiferas eas dicimus, quas *Græci Canæphoras* dixerunt, de quibus Propertius:

Pars obscura canis celebrabant Orgia cistis.

Nummus Cistophorus.

Hinc *Cistophorum* habebant antiqui nummum, in quo depictæ imagines erant cistas arcanorum ferentes. *Cistigeros* appellat Martialis[3], qui pro contemptissimis habebantur:

Dum te posse negas nisi lato Gellia clavo
Nubere, nupsisti Gellia Cistigero.

Sacra hujusmodi describit Claudianus:

Jam mihi cernuntur trepidis delubra moveri
Sedibus, & claram dispergere lumine lucem
Adventum testata Dei, jam magnus ab imis
Auditor fremitus terris, templumque remugit
Cecropidum, sanctasque faces extollit Eleusis.

Et sacra dicebantur mysteria, quoniam ea publicare nefas erat, ut in *Pythagoræ* symbolis invenimus, ideoque *Aristophanes* in Nebulis *Græco* epitheto ἀῤῥητὰ ἱερὰ dicit, & *Justinus* Historicus, Mysteria *Cereris* Actica, nulla re

A magis quàm silentio sacra constare scribit. *Pausanias* sibi in somnis vulgata asserit. In agone hisce sacris celebrato victores corona hordeacea coronabantur; pinea quoque & laurea, scribit Papinius[4]:

——————— *quid Achea mereri*
Præmia nunc ramis Phœbi, nunc germine Lernæ,
Nunc Atamantæa protectum tempora pinu.

Et dum *Græcorum* insaniam irridet *Arnobius*[5], in his sacris *Baubonis* obscœnitatem detestatur, quæ *Eleusini* pagi incola fuerat, quæ quoniam *Cereri* quam hospitio acceperat sitienti aggerit potionem (ut ipse loquitur) *Cynum*, *Cyceonem*, quam

B nuncupat *Gravia*, arcana *Eleusiniorum* mysteriorum patefecit. Hæc esse ille scribit: *Eleusiniorum vestrorum notas & origines producunt turpes, antiquarum elogia literarum; ipsa denique symbola, quæ rogati sacrorum in acceptionibus, respondetis; Jejunavi atque ebibi Cyceonem, ex cista sumpsi, & in Calathum misi; accepi rursus, in cistulam transtuli*, &c. Idem *Cereris* & *Proserpinæ* fabulam sic dilucidat; *Sic & ille qui rapiam Dite a patre Proserpinam dicit, non, ut reris in turpissimos appetitus viraginem dicit raptam, sed quia glebis occulimus femina, ipse sub terras Deam, & cum Orco significat fœdera genitalis conciliare fœturæ.*

C *Ithyophallos* quoque lascivientes cum *Cerere* ostendisse turpissimum sacri genus, idem auctor commemorat.

Ithyophalli.

Sacerdotium *Cereris* in fœminis, *Neapolitanus* lapis objicit, quem ex sordium calamitate aliquis pius vir antiquitatis amator in pariete quodam ad D. Pauli servavit: * *

Fœminæ Sacerdotes.

** ΚΟΜΙΝΙΑΙ. ΠΛΟΥΤΟΓΕΝΙΑΙ. ΙΕΡΙΑΙ ΔΗΜΗΤΡΟΣ ΘΕΣΜΟΦΟΡΟΥΣΑ
ΘΥΓΑΤΡΙ. ΓΥΝΑΙΚΙ. ΠΑΚΚΙΟΥΚΑ. ΑΗΔΙΑΝΟΥ ΑΡΧΟΝΤΙΚΟΥ ΚΑΙ ΜΗΤΡΙ
ΠΑΚΚΙΟΥΚΑ. ΑΗΔΙΑΝΟΥ. ΑΓΟΡΑΝΟΜΙΚΟΥ ΜΑΜΜΗ. ΚΑΣΤΡΙΚΙΟΥ
ΠΟΛΑΙΩΝΟΣ ΑΡΧΟΝΤΙΚΟΥ. ΕΙ. ΚΑΣΤΡΙΚΙΟΣ. ΚΑΛΗΔΙΑΝΟΣ. ΔΗ
ΜΑΡΧΗΣΑΣ. ΤΗ. ΠΡΟΜΑΜΜΗ. ΕΥΣΕΒΕΙΑΣ. ΕΝΕΚΑ
ΔΟΓΜΑΤΙ. ΣΥΓΚΛΗΤΟΥ.

Cominiæ Plutogeniæ Sacerdoti Cereris Legislatricis filiæ optimæ Pacciuca Aëdiani viri Archontici, & matri, Pacciuca Aëdiani Ædilitii Avæ Castricii Polæonis Archontici, & Castricius Calædianus Tribunus plebis Proavæ, pietatis ergo. Ex Senatus consulto.

Ut Magistratus *Neapolitanos* in Sacerdotiis versatos, & Archontes, Demarchos, & Ædiles affinitate aliquando conjunctos sciamus. Omnes *Cereris* cæremonias e *Græcia* assumptas asserit *Cicero* in oratione pro M. *Cælio*, & per *Græcas* semper curatas esse Sacerdotes, & *Græca* nomina imposita (*Claudius* quoque Imperator *sacra ex Eleusinia etiam transferre Attica Romam conatus est*, ut scribit Suetonius[6]) easque Sacerdotes aut *Neapolitanas*, aut *Velienses* fuisse fœderatarum civitatum (erat autem *Velia* in sinu *Pæstano*) & de Sacerdote *Calliphana Veliense* C. *Valerium Flaccum* Prætorem Urbanum tulisse ad populum, ut ea civis *Romana* esset. Ideoque *Neapolitanas* & *Velienses* dicit, ne quis de *Sicula Neapoli* loquutum alioquin arbitraretur. Habeant hoc laudis *Neapolitani*, quòd in antiqua religione religiosissimis *Romanis* in honore fuerint. In *Sicula Neapoli*, *Cereris* quoque religio maxima erat, ait[7] enim: *Quarta autem est urbs quæ quia postrema ædificata est, Neapolis nominatur, quam ad summam Theatrum est maximum; præterea duo templa sunt egregia, Cereris unum, alterum Liberi, signumque Apollinis, qui Tinnites vocatur, pulcherrimum & maximum.* Sacerdotium hujusmodi ibidem explicat; *Sacrarium Cereris est apud*

Sacerdotes Neapolitani.

D *Catinenses, eadem religione qua Romæ, qua in ceteris locis, qua propè in toto orbe terrarum. In eo sacrario intimo fuit Signum Cereris perantiquum quod viri non modo cujusmodi esset, sed ne esse quidem sciebant. Aditus enim in id sacrarium non est viris. Sacra per mulieres ac virgines confici solent.* *Dionysius Halicarnasseus* scribit ab *Arcadibus* templum *Cereri* ædificatum, ipsosque per fœminas Sacerdotes sacra abstemia fecisse more *Græco*, in quorum ritu ejus ætate nihil mutâsse confirmat. Et *Pausanias* scribit apud *Sicyonios* in luco, cui nomen *Piræa* esset, templum *Cereris* & *Proserpinæ* fuisse, in quo viri seorsum a fœminis festos

E dies agitarent, æde *Nympharum* concessa fœminis, quam *Nymphonem* appellabant, ibique *Liberi* patris, *Cereris* & *Proserpinæ* signa fuisse os tantùm ostendentia. In ædibus *Matalunensibus*, *Neapoli* statua prægrandis cernitur *Cereris* Sacerdotem referens *Augusto* a plerisque tributa. *Cereris* signum *Puteolis* repertum habet *Fabricius Sanctafides* illustris *Neapolitanus* pictor, in cujus sinistra cornucopiæ * est, optimi sculptoris opus.


* Vide Tab. IV. Fig. 9.

Quod verò ad nostram *Cominiam* spectat, scimus cum *Cerere Liberam* quoque fuisse cultam, quam eandem cum *Proserpina* esse *Cicero*[8] scribit, & nuptias *Cereris* (ut *Servius* & *Macrobius*

F tradunt) sine viro celebrantes, *Orci* nuptias dixis-

[1] Adversus Valentinianos [2] In Mythologico. [3] Lib. 5. Epig. 17. [4] Lib. 5. [5] Lib. 4. adversus Gentes pag. 481. & paullo pòst [6] Vita Claudii Cap. 25. [7] Actr. 6. in Ver.

[8] In Verrem Orat. IX. pag. 278. Edit. Gruter. Londin.


Fig. 1.
ΝΕΟΠΟΛ
ΝΕΟΠΟΛΙΤ
Fig. 2.
Fig. 3.
ΝΕΟΠΟ
Fig. 5.
ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ
Fig. 4.
Fig. 6.
Fig. 7.

xisse. Ideoque ΠΛΟΥΤΟΓΕΝΕΙΑΝ, habet lapis. Vel sic dicta, quòd nigra uterentur veste Sacerdotes, cùm festus *Cereris* dies diceretur Δήμητρος μελένης: ob indignationem contra *Jovem* de rapta *Proserpina*. Narratque *Pausanias* in *Arcadicis* eo festo singulis annis a *Phigalensibus* cultam ad aram, quæ ante speluncam extructa erat, positis hortensibus fructibus, uvis, & apum favis, lanis quoque adhuc sordibus plenis, oleo perfusis, tribus adhibitis Sacerdotibus e civium numero. Idem in *Atticis* commemorat apud *Halimusios*, *Cereris* Legiferæ, & *Proserpinæ* fanum. Hinc θεσμοφορῦσαν legimus, proprium *Cereris* epithetum, nam invento frumento, prima leges invenisse, & dedisse mortalibus legitur. Hinc sacra etiam θεσμοφόρια vocantur, quæ a *Plutarcho* dicta sunt Ἀδώνια. Et si quid fortasse ad *Cominiam* confert, quod *Pausanias* [1] refert, ædes condita est *Cereri Chamynæ*, subdiditque aliquos putasse priscum id nomen esse, cùm in eo aggere, in quo Deæ templum describit, putaverit terram discessisse, & ad se statim rediisse recepto *Plutonis* curru. Ibidem tamen eam portam describens, quæ *Occulta* ab *Eleis* dicebatur, ait in Stadio ludis Præfectorum sessionem fuisse constructam, & e regione aram e candido lapide fuisse eminentem, & in ea sedentem *Olympicos* ludos spectâsse mulierem Sacerdotem *Cereris* cognomento *Chamynem*. *Cereris* templum *Neapoli* non longè a theatro fuisse dicerem. sic *Græcis* erat, & sic describit *Pausanias*; mox Forum. Sæpe existimavi illud fuisse, in quo D. *Gregorii Armeniæ* Episcopi templum hoc tempore conditum est, cujus ædiculæ nulla ferè antiquitatis formam immutarunt, in quo adhuc antiquum in foveis conspicitur pavimentum, murus adhuc integer. Statuas ibi plurimas repertas, nescio, quò transtulerint.

Ceres Legifera.

Cereris templum Neapoli.

CASTOR ET POLLUX.

Licet *Castoris* & *Pollucis* templum non inter antiquissima *Neapolitana* monumenta se offerant, cùm *Augusti* ætate a *Tiberio Julio Tarso* Liberto ex inscriptione liqueat, eorum tamen religionem cum ipsius *Neapolis* primordiis viguisse non vereor, semper enim *Græcis Castores* penates habiti sunt, & cum theatris & Circis ob decursiones, & pugilatus eorum templa conjunxerunt. Præter nummos, in quibus pileus *Castorum* cum Stella depictus est, quos suprà retulimus, alios hujusmodi habemus, in quibus decursionem & Stellam * cernimus. Statius Deos Penates *Neapolitanorum* facit:

Castores Dii penates.

** Vide Tab. V. Fig. 1.*

Et vos Tyndaridæ, quos non horrenda Lycurgi
Taygeta, umbrosæque magis coluere Therapne,
Hos cum plebe sua patrii servate Penates.

Atqui, cùm perantiquum sit *Neapoli* Theatrum, perantiqua *Castorum* religio existimanda est, templumque a *Tiberio* potius restitutum, cùm Dii illi Circo & ludis propriè vocentur, tum quòd in ea civitate *Græcorum* erat institutum, & *Athenis* templum commemorat *Pausanias*, & *Castorum* res gestas, quas *Polygnotus* pinxerat. Hos veteres præstanti forma Juvenes apparere solitos boni auspicii causa arbitrabantur; neque bonum auspicium absque *Castore* & *Polluce*; ideo enim *Helena* apud *Euripidem* variis de rebus conquesta, eos abesse dicit, & idcirco calamitates irruisse. Apparuêre *Romano* equitatui præcedentes bello *Latino* A. *Postumio* Dictatore anno ab V. C. 257. quo admonente ea de re Senatum, in *Foro Romano* templum iis est ædificatum. Fortasse ea de causa a *Tarso* in Foro *Neapoli* conditum. Et *Cicero* [2]: *Captum est Forum anno superiore, æde Castoris tanquam arce aliqua a fugitivis occupata.* Et addidit, cùm arma ad ædem *Castoris* essent comportata, Forum etiam ab armatis teneri. In medio Colle ferè arx id templum conditum conspicimus, quod quamquam temporum ac barbarorum injuria labefactaverit, ea tamen vestigia quæ supersunt, & loci magnitudinem, & operis splendorem ostendunt, & quantum *Corinthiæ* structuræ ornamentum valeat prospectu, imposito columnis fastigio, declarant. In ejus triangulari tympano plura sunt Deorum simulacra, optimi sculptoris opus. *Apollinis* imago stat ad tripodem. *Tellus* ad dexteram copiæ cornu tenet. Aquæ elementum dolio incumbit. Adsunt in angulis *Vertumni* buccinis concinentes; cujusmodi in antiqua templi parte (πρόναον appellant) quod in Isthmo fuerat *Neptuno* dicatum, in quo maris etiam collocatum fuerat simulacrum, & cellam (quod penetrale appellabant) ad quam aditus erat subterraneus, quæ hujusmodi in *Neapolitano* templo cernitur. de quibus omnibus agemus in Circo. Jacent in solo *Castoris* & *Pollucis* busta ex ejusdem templi aggessionibus eruta anno 1591. nuda & chlamydata *, in quibus ejus loci dignitas inest.

Vestigia templi Castorum Neapoli.

Castorum imagines.

** Vide Tab. V. Fig. 2.*

In templi trabeatione *Græca* hæc inscriptio pulcherrimis characteribus legitur:

ΤΙΒΕΡΙΟΣ. ΙΟΥΛΙΟΣ. ΤΑΡΣΟΣ. ΔΙΟΣΚΟΥΡΟΙΣ. ΚΑΙ. ΤΗ. ΠΟΛΕΙ ΤΟΝ. ΝΑΟΝ. ΚΑΙ. ΤΑ. ΕΝ. ΤΩΙ. ΝΑΩΙ. ΠΕΛΑΓΩΝ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΣ. ΚΑΙ. ΕΠΙΤΡΟΠΟΣ. ΣΥΝΤΕΛΕΣΑΣ. ΕΚ. ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ. ΚΑΘΙΕΡΩΣΕΝ.

Tiberius Julius Tarsus Jovis filiis & Civitati templum, & quæ sunt in templo marium Augusti libertus & procurator ex propriis condidit.

Sunt qui ita legunt, ut, *Marium Augusti procuratorem*, contendant esse legendum. Quis tamen legendi modus apud *Græcos*: *Marium Augusti libertus & procurator?* ἐπίτροπος, hoc modo præcedere debuerat ἀπελεύθερος. Sic enim Præfectos oræ maritimæ legimus, *Procuratores Augusti*, Lapis in *Tarracone*, L. CORNELIO. PRAEFECTO ORAE MARITIMAE. PROCVRATORI AVGVSTI. Et quamvis Cæsarum Procuratores passim habeamus, & servorum erat procuratio in domo *Augusta*, hinc *Procurator Bibliothecæ*, *Procurator prægustatorum*, *servus & Procurator balnei*, *Procurator patrimonii*, *Procurator Aurariarum*, *Procurator monimentûm terræ imaginum*, & *Procurator Augusti*, habemus tamen *Libertum Procuratorem Augusti*. ideóque legerem, ἐν τῷ ναῷ Πελάγων, *In templo marium*; omnis enim navigatio illis credebatur Numinibus. Horâtius [3]:

Cæsarum Procuratores.

Sic te Diva potens Cypri,
Sic fratres Helenæ lucida sidera,
Ventorumque regat pater
Obstrictis aliis, præter Iapyga,
Navis ——————

Idemque alibi albam eorum stellam nautis refulgere dixit, quorum alter nobilis erat equis, alter superando pugnis. Quocirca φωσφόρον, *Castorem* appellat *Oppianus* in *Cynegeticis*, quippe sidus nautis amicissimum est & salutare. *Anachæ* quoque, & *Anaces* appellati sunt fratres, quoniam tempestates depellunt, & stellæ illæ apparentes ἄνω καὶ ἑκάς, *suprà & longè*, navigantes servare credebantur. Σωτῆρες ideo appellati, ad quod allusit Horatius:

Castorum epitheta.

—————— *Tyndaridæ sidus ab infimis*
Quassas eripiunt æquoribus rates.

& Orpheus:

Καὶ μεγάλους σωτῆρας ὁμοῦ Διὸς ἄφθιτα τέκνα.
Et magnos Servatores, Jovis optima proles.

Diodorus Siculus [4] scribit *Orpheum*, cùm maris æstu agitaretur unà cum aliis Argonautis Sa-

[1] In Eliacis. [2] Oratione pro P. Sextio. [3] Od. 3. Lib. 1. [4] Lib. 4.

Samothracibus vota pro ſalute feciſſe; mox tranquillo mari ſupra *Pollucis* & *Caſtoris* capita ſtellam cecidiſſe, quô factum ut eorum ſe prudentia ſervatos exiſtimarent. Licet *Orpheus* in *Argonauticis* ſcribat, cùm procellis *Argonautæ* jactarentur, arrepta lyra eum canere cœpiſſe, & cantu placatos eſſe fluctus, igneumque ſplendorem in *Caſtore* & *Polluce* effulſiſſe. Quod Valerius Flaccus hujuſmodi tranſtulit:

Dixit, & ingenii flammantem nubila Julio
Direxit per inane facem, quæ puppe propinqua
In bifidum diſceſſit iter, fratreſque petivit
Tyndareos, placida & mediis in frontibus hæſit
Protinus amborum, lumenque innoxia fudit
Purpureum, miſeris olim implorabile nautis.

Theocritus [1] multa de iis cecinit: *Servatores*, *auxiliatores*, *amicos*, *equites*, *cithariſtas*, *athletas*, *Poëtas* nominat; & ἱππῆας vocat, quoniam iis equos diſtributos a *Mercurio* docet *Steſichorus* citatus a *Tertulliano* [2]. Sed ad ſalutem pertinet lapis qui *Murciæ* eſt in *Hiſpania:*

CASTORI. ET. POLLVCI. DIS. MAGNIS. SVLPICIAE. Q. SVLPICI. F.
VOTVM. OB. FILIVM. SALVTI. RESTITVTVM.

Et ob ſalutem in terris ea numina detineri videtur innuere Homerus [3].

Κάστορά θ' ἱππόδαμον, καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα,
Τοὺς ἄμφω ζωοὺς κατέχει φυσίζωος αἶα.

Caſtoremque equorum domitorem, & pugnis valentem Pollucem, Hos ambos viventes detinet fertilis terra.

Dioſcuri.

A *Græcis Dioſcuri* dicuntur, *Jovis filii*, de quibus ſic Cicero [4] *Dioſcuri apud Grajos multis modis nominantur. Primi tres, qui appellantur Anaces, Athenis ex Jove, Rege antiquiſſimo, & Proſerpina nati, Tritopatreus, Eubuleus, Dionyſius. Secundi, Jove tertio nati ex Leda, Caſtor & Pollux. Tertii dicuntur a nonnullis Aleo, Melampus, & Eumolus, Atrei filii, qui Pelope natus fuit.* Apollonius [5] eos perperiſſe ait *Ledam* in ædibus *Tyndari*, quare *Tyndarides* dicti. Plerique *Pollucem* & *Helenam* ex *Jove*, *Caſtorem* & *Clytemneſtram* ex *Tyndaro* eſſe dicunt. *Pauſanias* [6] *Caſtorum* templum deſcribens, præter ipſorum ibi ſimulacra poſita, liberorum quoque *Anaxidis*, & *Mnaſinoi*, tum eorum matrum *Hilairæ* & *Phebes Dipœni* & *Scyllidis* arte facta e ligno ebeni aſſerit. Sed *Hilairam* & *Phebem Caſtoris*, *Dipœnum* & *Scyllidem Pollucis* matres facit. Omnes in ea re conveniunt, *Caſtorem* equorum domitorem, *Pollucem* pugilem fuiſſe. Et *Caſtoris* equum *Cyllarum* dictum ſcribit Suidas [7] παρὰ τὸ κέλλειν. ὁ ταχύς, ideoque Seneca *Hippolyto:*

Tyndarides.

Sic dorſo libeat cornipedis vehi
Frenis Caſtorea nobilior manu
Spartanum poteris flectere Cyllarum.

Et Claudianus:

—— *ſervietque tuis, contempto Caſtore, frenis*
Cyllarus —— —— —— —— ——

Deridet eos Deos *Arnobius* [8], vocatque *Deaſtores*, equos unum domitare conſuetum, alterum pugillatorem bonum, & erudiendo inexuperabilem *Ceſtutiſianem*, & *Bucurem Mauri*, & ovorum progeniem. A *Varrone* dicuntur, θεοὶ δυνατοί, & Divipotes; & hi, mas, & fœmina. Qui verò *Divus Fidius* dicebatur, *Caſtor* ſcilicet, Sanctum quoque dici *Sabina* lingua, & *Herculem Græca* ſcribit. Magnos tamen dictos a *Cephalenſibus*, ſcribit *Pauſanias*. Pileatos ſuprà diximus dictos a *Catullo*. Idcirco dum *Lacedæmonii* per feſtos *Caſtoris* & *Pollucis* dies poſt ſolemne epulum in ipſis caſtris compotationibus & luſibus ſe oble-

Divipotes.

Divus Fidius.

Caſtorum ſimulacra.

[1] Idylliô 27. [2] Libro de ſpectac. [3] Iliad γ. verſus poſterior num. 38. ita habetur.
Αὐτοκασιγνήτω, τώ μοι μία γείνατο μήτηρ.
[4] de Natur. Decr. Lib. 3. Cap. 21. [5] Lib. 1. Argonaut. [6] In Corinthiacis. [7] Voce κύλλαρος. [8] Lib. 1. contra Gentes.

A

ctarent, *Gonippus* & *Panhormus* in albis tunicis, & purpureis lacernis, equis pulcherrimis inſidentes, pilea capite geſtantes, haſtas manibus tenentes, de improviſo ſe *Lacedæmoniis* oſtendere; quapropter illi *Caſtores* rati, eorum ſibi numen precibus implorabant. Habes *Caſtorum* ſimulacra. *Ælianus* adoleſcentes prægrandes deſcribit, imberbes, forma ſimiles chlamydibus ſupra humeros ornatos, & chlamydes alibi pendentes dicit, & enſes ferre alligatos. Licuit mihi de ea re ſcribenti ejus ſimulacrum videre inter multa *Cumanorum* vetera ſigna & monumenta, quæ in *Hiſpaniam* mittere cogitat *Alfonſus Pigmentellus* Regni Vicarius, cui fortunatiſſimum illud obtigit, ut ad viginti ſtatuas uno loco hoc anno repererit, in quibus tota antiquorum religio elucet. *Caſtor* ibi nudus, humero chlamydatus, pileum capite geſtans, quod quidem ſimplex, non pictum & reticulatum eſt, quale in noſtris nummis propoſuimus. per mentum barbula floret, ſub naſo nulli pili conſpiciuntur.

B

Pindarus in *Olympicis* vocat φιλοξένους, *hoſpitum amantes.* in *Pythiis*, χρυσάρματον *Caſtorem* dicit, *Currum aureum habentem:* & in *Nemeis*, χαλκομίτρην, æreo baltheo cinctum. *Theocritus* alibi, βοηθόους *opem ferentes*, & αἰολοπώλους, *multos pullos equuleos habentes.* Iidem *Gemini* dicti ſunt, & δίδυμοι. *Ambulii* a *Laconicis. Laperſæ* a *Sophocle. Amyclei* ab *Amyclis* notiſſimo *Laconiæ* oppido. *Apherethrii* etiam dicuntur, quòd quaſi in carceribus templum haberent. Locus ſubterraneus ſub eorum templi columnis *Neapoli* reliquus eſt, in quo eorum duo ſigna reperta ſunt. Per gradus tamen antea aſcendebatur ad templum. Et dum eo pacto mirabar templum conditum, obtulit ſeſe mihi *Ciceronis* locus oratione pro P. *Sextio*, [9] qui ejuſmodi ea templa ædificata fuiſſe declarat; ait enim: *Arma in templum Caſtoris palàm comportabantur; gradus ejuſdem templi tollebantur, armati homines forum & conciones tenebant. Caſtorum* Ova reperiuntur in Circis; reperiuntur etiam in nummis *, & ex ovo natos fabulantur, qui *Phœnicum* Theologiam non aſſequuntur, quæ a *Saturno* & *Salecco* apud *Philonem* & *Euſebium* natos prædicat. Sed triplex ovum narrat Auſonius:

Alia Caſtorum epitheta.

C

Gradus in templo Caſtorum.

D

Ova Caſtorum.

* Vide Tab. V. Fig. 1

—— *triplex Helenæ cum fratribus ovum.*

Et,

Iſtos tergemino quos naſci cernis ab ovo.

Locum fabulæ dare potuit vocis ſignificatio. ὠὸν enim, Ovum & ſuperiorem domus partem ſignificat. Et ὦια, a veteribus nuncupata ſuperiora ædium tabulata ſcribit *Athenæus*, quæ ipſos ὑπερῷα appellare affirmat. Aitque *Clearchum* in Amatoriis narrare, quoniam *Helena* in hujuſmodi cœnaculis educata fuit, exiſtimaſſe multos illam ex Ovo natam. Sunt itaque hac de cauſa Ova *Caſtorum* in Circo, ut in antiquis lapidibus cernimus. Nautæ numen illud tempeſtatibus ſalutare *Caſtores* vocant; *Hermi* lucem, vulgus. *Naharvali* a *Tacito* commemorati antiquæ religionis lucum habent; præſidet Sacerdos muliebri ornatu. Deos *Romani*, *Caſtorem Pollucem*que nominant. Numinis nomen, *Alcis.* Habent *Neapolitani* in hujuſce templi reliquiis illuſtre antiquitatis, & religionis teſtimonium. Servandum ſibi ſtudeant; quid enim nobilius exteris oſtendunt? optiméque factum, ut in novi templi ædificio antiqua facies reliqua ſit, & maximè accuſandi, qui abolendam eam memoriam impiè cenſebant.

E

F

HERCULES. *

* Vide Tab. V. Fig. 4

E *Samothracibus Herculis* numen *Neapoli* fuiſſe aſ-

[9] Fol. 430. lit. a.

affirmarem, quòd pro *Sole* aliquando est habitum, ut *Neapolitanos* totos *Soli* traditos dicamus: *Herculis ea est potestas* (inquit Macrobius) *quæ humano generi virtutem quæ ad similitudinem præstat Deorum.* Atque hunc esse aiunt τὸν ἐν πᾶσι καὶ διὰ πάντων Ἥλιον, *in omnibus & per omnia Solem.* ut cum *Hebone*, *Mithras Serapi*, *Baccho Hercules* quoque veluti Sol coleretur. Sed hujusmodi nummi *Neapolitani Herculem* ostendunt. Vidi *Herculem Cumanum* non tantùm clavam, sed etiam coronam ex clava gestantem *, nihilque frequentius in agro *Neapolitano* quàm *Hercules* vel ex ære, vel ex marmore reperitur. sic etiam in tota vicinia. In *Herculanio* frequentissimè. *Surrenti*, a *Novio* Vindice *Statius* cœna exceptus inter alia vasa ex ære *Herculem* reperit a *Leucippo* effictum, dextera pateram tenentem, sinistra clavam, ipsumque sedentem supino ore in cœlum, substrata *Leonis* pelle, isque appellabantur *Epitrapezius*, quippe qui mensis erat ordinatus. *Jam Vindicis nostri Herculem Epitrapezion*, (inquit [1]) *secundum honorem quem de me & de ipsis studiis meretur, imputare etiam tibi possum.* *Diodorus* aliquos *Herculis* filios profectos in *Campaniam* juxta *Cumas* consedisse scribit, dum *Sardus*, *Cyrnus*, & *Thespiades* ejusdem filii *Sardiniam* occupâssent. *Pontanus* scribit transeuntem in *Italiam Herculem* post *Cacum* impotentem hominem in *Latio* domitum, liberatamque ab ejus dominatu regionem, *Campani* maris oram cùm pervagaretur, reliquisse monumenta perpetua ad *Avernum* lacum sita, & *Neapolim* venisse paulo supra *Palæpolim*, qui sua quoque ætate locus *Hercules* dicebatur, hinc *Echiam* dictum ἀπὸ τοῦ Ἡρακλέος, affirmavit *Falcus*, qui *Græcam* linguam non callebat; qui tamen cùm dixerit *Ircim* appellatum, confirmat quæ invenimus in Diplomatibus in quibus est, Ecclesia *S. Mariæ* ad *Herculem.* Regionis *Herculensis Neapoli*, meminit *D. Gregorius* ad *Fortunatum* Episcopum *Neapolitanum* scribens, iisdemqae litteris vicum describit in quo a *Lampadio* Virginibus servandis cœnobium fuerat institutum. Nec ejus rei memoriam temporum vicissitudo valuit evertere, quando reliquus locus est qui Diva *Maria* ad *Herculem* dicitur, & *Herculeum* compitum est ad *D. Augustini* ædem, licet alii *Herculis* familiæ, quæ sub *Rogerio* floruit, tribuant, a qua ædes condita est. Vidi in *Loffredorum* ædibus supra *Eglam Herculis* signum tanta artis & gratiæ venustate effictum, ut *Græcos* omnes artifex in eo opere superaverit; quòd cùm se obtulisset *Joanni Austriaco* dum ea loca inviseret, imposito pileo dixit: *Loquere*; quasi verò vox tantùm statuæ deesset. In *Hispanias* translatum est. Vidi in *Alfonsi Pigmentelli* Proregis Muséo sexcentos parvos *Hercules* ex ære, quos cum aliis qnoque rebus ad antiquitatem spectantibus cum maximo splendore coëgit.

* Vide Tab. V. Fig. 5.

Hercules Epitrapezius.

Hercules filii ad Cumas.

Hercules Neapolim venit.

ORION.

Antiqui *Neapolitani* portus, sive navium stationis locum, ut vocat *Pontanus*, præter ipsius nominis significationem, quæ vulgò retinetur, *Ormum* enim dicunt, & ὅρμον *portum* significare diximus, tabula marmorea præcipuè notat, quam *Portus Sedilis* equites in pariete collocandam decreverunt, & qua ferè proprio symbolo utuntur. *Orionis* in ea imago sculpta est a qua quòd pilis horrida videatur, & ensem gerat, silvestris cujuspiam hominis effigiem repræsentari vulgus credidit, nec quod sciam antea ab aliquo cognita est. Ibi lapis repertus est, ibi navium statio (ad cujus rei memoriam cymba singulis annis *Dominicæ* nativitatis nocte comburitur, ejusque loci Magistratus maritimarum rerum custodiam ad se spectare contendunt) ibi templum illi Deo conditum facilè existimo. Et huic Numini nautæ vota suscipiebant, cùm tempestates atque æstus illud excitare crederent. Quamobrem *Polybius* [2] commemorans maximam illam calamitatem, qua *Romanorum* classis affecta est, cùm ex quatuor & sexaginta supra trecentas naves vix octuaginta superfuere, scribit id factum temeritate Consulum; nautæ enim sæpe monuerant vitandum esse extremum *Siciliæ* latus quòd importuosum & infestum esset, eo præsertim tempore quo inter *Orionis* & *Canis* signa navigabant. Hæc Stella penitus occidit v. *Cal. Novembres* tum enim aëris tumultus est, ut docet *Aristoteles*, *Aphrodisæus*, & *Theophrastus* περὶ ἀνέμων. *Hesiodus Hygini* auctoritate, *Orionem Neptuni* filium dicit, & *Euryales Minois* filiæ. *Ister* apud eundem hanc fabulam narrat, *Oriona* a *Diana* esse dilectum, & penè factum ut ei nupsisse existimaretur. Quod cùm *Apollo* ægrè ferret, & sæpe eam frustra objurgasset, *Orionis* longiùs caput conspicatus, cum *Diana* contendit eam non posse ad id quod nigrum in mari videretur, sagittam mittere; quæ ut in sagittando peritissimam se ostenderet, missa sagitta, caput *Orionis* trajecit. Et ad littus ferè moriens ejectus, plurimum cum *Diana* conquestus est, quæ multis ejus obitum prosequuta lacrymis inter sidera eum statuisse existimatur. Sic igitur depictus cernitur *:

Cymba comburitur Neapoli.

Nautæ Orioni vovebant.

Classis Romanorum calamitas.

Pilos aliquando radios, pluvias aliquando significasse *Hieroglyphicorum* scriptores docent. Ensem hujusmodi tribuunt. Aratus in Phænomenis:

> *Subtrahit obliquo quà sese circulus orbe*
> *Signifer, in Boream australes egerit umbras;*
> *Ut medii jam mole polifera pectora Tauri*
> *Suscipit Orion; neque quisquam nocte serena*
> *Transierit, celso latè se cardine pandit,*
> *Auratumque rubens demittit baltheus ensem.*

* Vide Tab. V. Fig. 6.

Quem sic etiam describit Manilius [3]:

> *Cernere vicinum Geminis licet Oriona*
> *In magnam cœli tendentem brachia partem,*
> *Nec minus extento surgentem ad sidera passu;*
> *Singula fulgentes humeros cui lumina signant,*
> *Et tribus obliquis demissus ducitur ensis.*

Petrarcha idcirco lyricis suis lusibus, *Armatum* appellat.

FORTUNA. PANTHEUM.

Inter publicas *Fortunas* quas in Fastis veteres collocarunt *Neapolitana Fortuna* * elucet, cujus religionem duo ostendunt lapides, *Latinus* alter in promontorio *Pausilypano* inventus, ubi & *Fortunæ templum* fuisse commemorant in Villa nobilis cujusdam viri *Græci*, quem *Græcorum Fortunam* lugentem, coëmpta villa, inter *Græcorum* reliquias libentissimè commorantem, & antiqua ædificia instaurantem, sæpe sum admiratus; in quo hæc leguntur:

* Vide Tab. V. Fig. 7.

VESORIVS. ZELOIVS
POST. ASSIGNATIONEM. AEDIS
FORTVNAE. SIGNVM. PANTHEVM. SVA
PECVNIA. DD.

Alter *Græcus* in quo *Fortunam Neapolitanam* tutelarem habes in ædibus *Marii Altimaris* Jurisconsulti rerum antiquarum studiosi, & de omnibus litterarum generibus optimè meriti:

M.

[1] Lib. 4. Sylv. Epist. ad Marcellum.

[2] Lib. 1. [3] Lib. 5.

M. ΜΑΡΙΟΣ. ΕΠΙΚΤΗΤΟΣ
ΤΗΙ ΤΥΧΗΙ
ΝΕΑΣΠΟΛΕΟΣ
ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ
ΑΝΕΘΗΚΕΝ.

M. Marius Epictetus, Fortunæ Neapolis gratias agens donum dicavit. Exemplum χαριστήριον, quod Fortunæ fiebat habemus in lapidea basi *Præneste:*

TV QVOQVE TARPEIO COLERIS VICINA TONANTI
VOTORVM VINDEX SEMPER, FORTVNA, MEORVM,
ACCIPE QVAE PIETAS DONAT TIBI VOTA MERENTI
EFFIGIEM NOSTRI CONSERVATVRA PARENTIS,
CVIVS NE TACEAT MEMORANDVM LITTERA NOMEN
CAESIVS HIC IDEMQVE TITVS, PRIMVSQVE VOCATVR,
QVI LARGAE CERERIS MESSES FRVCTVSQVE RENATOS
DIGERIT IN PRETIVM, CVI CONSTAT FAMA FIDESQVE
ET QVI DIVITIAS VINCIT PVDOR IRE PER ILLOS
CONSVETOS PORTVS, CVRA STVDIOQVE LABORIS
LITTORA QVI PRAESTANT FESSIS TVTIISSIMA NAVTIS.
NOTVS IN VRBE SACRA, NOTVS QVOQVE FINIBVS ILLIS
QVOS VMBER SVLCARE SOLET, QVOS TVSCVS ARATOR.
OMNIBVS HIC ANNIS VOTORVM MORE SVORVM
CENTENAS ADDICIT NVMERO CRESCENTE CORONAS,
FORTVNAE SIMVLACRA COLENS, ET APOLLINIS ARAS,
AEGERIVMQVE LOCVM, QVORVM CONSENTIT IN ILLO
MAIESTAS, LONGAE PROMITTENS TEMPORA VITAE.
ACCIPE POSTERITAS QVOD POST TVA SAECVLA NARRES,
TAVRINVS CHARI IVSSVS PIETATE PARENTIS
HOC POSVIT DONVM, QVOD NEC SENTENTIA MORTIS
VINCERE, NEC POTERIT FATORVM SVMMA POTESTAS,
SED POPVLI SALVO SEMPER RVMORE MANEBIT.

Dona siquidem dicebantur quæcunque placandorum Deorum causa inferebantur Aris. Hinc Cicero [1], *Impius ne audeto placare donis iram Deorum.* & Plautus:

Jovem se placare posse donis, hostiis.

Et Virgilius:

——————— *hæc dona Sacerdos*
Contulit ———————————

quæ etiam munera dicta sunt:

——— *pingues centum cum matribus agnas*
Munera, lætitiamque Dei.

Herculis quoque donum, ANNEVS. PLACIDIVS. HERCVLI DONVM. DEDI. Et *Asclepii* atque *Salutis*, ASCLEPIO. ET SALVTI. COMMILITONVM. ALEXANDER. MEDICVS DONVM. DEDIT.

Athenienſium Feſtum. Erant quoque Χαριστήρια Festum *Athenienſibus* duodecima dies *Boëdromionis*, quod agendarum gratiarum causam ob receptam libertatem significarent, *Plutarcho* teste *lib. Bellone an pace clariores fuerint Athenienſes.* Et Χαριστήλια, Festum *Romanorum*, quod XI. *Cal. Martias* celebrabatur, quo cognati & affines conveniebant ad mutum servandnm amorem. Ovidius [2]:

Proxima cognati dixere Chariſtia chari,
Et venit ad socios turba propinqua Deos.

Χαριστήριον vocabulo usus est Theophanes Confessor in sacris Hymnis:

Χαριστήριον ᾠδὴν τῷ εὐεργέτῃ θεῷ τῶν ὅλων.
Canamus o fideles cantum pro gratiarum actione universorum Deo.

Fortunæ templa. Omnis ora maritima *Fortunæ* templis ab *Antio* ad Magnam *Græciam* colebatur. At *Campaniæ Felicis* proprium videbatur Numen. Et *Strabo* in ejus descriptione *Caletum* & *Theanum Sidicinum* duabus *Fortunis* distingui scribit, quarum templa in utraque *Viæ Latinæ* parte erant posita. Et quemadmodum τύχην Νεαπόλεως legimus, sic περὶ τύχης Ῥωμαίων scribit *Plutarchus*, quæ *Fortuna Publica* dicebatur, de qua Ovidius:

Fortuna Publica.

Nec te prætereo populi Fortuna potentis
Publica, cui templum luce sequente datum est.

Et *Pausanias* in *Messenicis Pindarum* de Fortuna scripsisse versus ait, eamque appellâsse φερέπολιν, *Civitatum tutricem.* Parum abfuit quin hæc *Fortuna Neapolitana* efficeret, ut crederem a *Cumanis* primo *Neapolim* conditam in ea *Pausilypi* parte quæ ad *Euplœam* sita est, ubi dirutæ civitatis apparent vestigia, & in eo colle qui *D. Basilii* dicitur *Circi* ruinæ extant, numerusque templorum, cum in iis locis Fortunæ fuerit templum, *Pantheumque* dicatum, aliusque lapis Fortunam nominet *Neapolitanam.* Equidem non ædificia tantùm ibi habitantium animi causa cernuntur, sed benè constitutæ civitatis ambitum, quæ me intuentem in admirationem semper adducit.

Pantheum ſignum omnium Deorum. PANTHEVM, signum erat ea fortasse imaginis specie, qua *Veneris* & *Martis* Imagines in *Pantheo* Romano templo (quod maximè cum Pacis templo ab *Ammiano Marcellino* laudatur) erant collocatæ, in quibus omnium Deorum simulacra erant effincta, ut scribit Dio Cassius [3]; τό τε Πάνθειον ὠνομασμένον ἐξετέλεσε, προσαγορεύεται δὲ οὕτω, τάχα μὲν ὅτι πολλῶν θεῶν εἰκόνας ἐν τοῖς ἀγάλμασι, τῷ τε τοῦ Ἄρεως καὶ τῷ τῆς Ἀφροδίτης ἔλαβεν· *Pantheum quoque perfecit* (de *Agrippa* loquitur) *id sic dicitur fortassis, quod in simulacris Martis & Veneris multas Deûm imagines acciperet. Suidas* Πάνθειον dicit locum in *Romanorum Campo*, templum commune fuisse omnium Deorum. *Dio* aliam quoque tradidit nominis rationem, quòd scilicet rotundum, & ad cœli imaginem fuerit fastigatum. Apud alios ejus generis signum erat, ut Deos omnes, vel omnes Deas continere videretur. Potuit & sic dici ex communi Deorum sacro, de quo Festus: *Pandicularis dies dicebatur, & Communicarius, in quo omnibus Diis communiter sacrificabatur.*

Cum *Hercule*, *Mercurio*, & *Silvano Mediolani* illud signum est conjunctum:

HERCVLI. MERCVRIO. ET. SILVANO. SACRVM
ET. DIVO. PANTHEO.

Argenteum *Pantheum* in *Hispania* erectum *Astigi* inter *Hispalim* & *Cordubam* hoc Epigramma ostendit:

P. NVMERIVS. MARTIALIS. ASTIGITANVS
SEVIRALIS. SIGNVM. PANTHEI
TESTAM. FIERI. PONIQ. EX. ARGENTI. LIBRIS. C.
SINE. VLLA. DEDVCTIONE. IVSSIT.

Ex quibus apparet *Pantheum*, unam tantùm fuisse Statuam omnibus Diis dicatam: Sed *Fortunæ* & *Panthei* simul ædes construi solitas fuisse, innuit Pausanias [4]. ἔστι δὲ καὶ τύχης ναός, ἄγαλμα ὀρθὸν Παρίου λίθου. παρὰ δὲ αὐτὸν θεοῖς πᾶσιν ἐστὶν ἱερόν. *Est præterea Fortunæ ædes cujus signum recto statu e pario marmore. Templum adjunctum est Diis omnibus dicatum.* Apud *Ausonium*, *Pantheus*, *Bacchus* est.

Pantheus Bacchus.

GENIUS.

Cujusque loci aut rei Deus GENIUS * erat, ideoque in lapidibus antiquis: Genio Coloniæ legimus, Genio Numinis fontis, Genio Centuriæ, Genio Municipi, Genio horreorum, Genio exercitus, Genio loci, Genio conventus, Genio lavacrorum, Genio Theatri, & *Sosipolim* patrium *Eleorum* Genium certis celebratum honoribus scribit *Pausanias* in *Eliacis*; & Viperas quoque *Arabes Balsami* Genios existimarunt. Genium Coloniæ *Puteolani* habuere. *Neapolitanos* quoque habuisse certum est. Et Genio *Augustorum* dicationem habemus in lapide in *Teducia* villa reperto, in quo palmares characteres:

* Vide Tab. VI. Fig. 1.

Genii variarum rerum.

Genius Puteolanus.

GENIO. CAESARVM
DIOGNETVS. VILLICVS. FECIT.

Villicorum proprium videbatur esse munus rem hortorum rusticam dominis sacrare, sic etiam *Romæ:*

GENIO.

[1] Lib. 2. de Legib. [2] Lib. 2. Fast.

[3] Lib. 54. [4] In Corinthiacis.

TAB. VI.


Fig. 1.
Fig. 2.
ΝΕΟΠΟΛ
ΧΑΡΙ
Fig. 3.
Fig. 4.
Fig. 5.
Fig. 6.
ΝΕΟΠΟΛΙΤ
Fig. 7.
ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ

GENIO. CAEL. HERODIAN. PRAEGVSTATOR
DIVI. AVG. IDEM. POSTEA. VILLICVS
IN. HORTIS. SALLVSTIANIS
DECESSIT. NON. AVG.
M. COCCEIO. NERVA. C. VIBIO. RVFINO. COSS.

Hoc Numen vel nascentibus dari credebant veteres, ut ait *Servius*; vel rerum gerendarum vim obtinere, ut ait *Festus*; vel ut ait Prudentius[1]:

Quanquam cur Genium Romæ mihi fingitis unum?
Cum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
Assignare suos Genios, perque omnia membra
Urbis, perque locos Geniorum millia multa
Fingere. ———————

Genii, Dæmones, Lares.

Hominum parentem vocat *Aufustius*, & hominum tutelam *Plutarchus*. *Apulejus* eosdem & Genios, & Dæmones, & Lares esse scribit. Genium in vitam introeuntibus præcipere, ut bono sint animo, & Fortunæ fidem non esse adhibendam, scribit *Cebes Thebanus*, vocatque Δαιμόνιον. Virorum bonorum Genio primos dicasse *Athenienses* scribit *Pausanias*, & *Chemarchum* Atheniensium primum *Anteroti* aram dedicâsse, eundemque Genium esse effectum, & *Timagoræ* amoris vindicem. *Censorinus* Genium nobis assiduum observatorem datum dicit. *Philo* apud *Suidam* Genios dicit animæ facultates, easque salutarem, & perniciosam constituit. *Servius* duos item Genios dicit, unum qui ad bona, alterum qui ad mala hortatur. Medioximos *Latini* hos Dæmones dixerunt, quippe minus lucidæ naturæ sunt quàm cœlestes. Genialis deinde lectus dictus, quòd Genius Naturæ Deus fingebatur; & in lectis generandis liberis opera datur. In *Adriani* & *Diocletiani* nummis, legitur GEN. P. R. & militaris viri imago est cum veste ad crura circumvoluta, dextera pateram porrigens quasi sacrificatura, & sinistra Copiæ cornu amplectens. In eum qui per Genium Principis pejeraret, fustibus animadvertebant. A *Genio Ingenium* separat *Isidorus*, quippe Genium vigorem, potentiam, opinionem, honorem vel ordinationem dicit, quibus homines inter se pares esse possunt; Ingenium verò in studiorum & actionum similitudine & dissimilitudine constituit. Hinc Sidonius in carminibus:

Genii animæ facultates.

Medioximi.

Genialis lectus.

Genii imago.

Qui non ingenio, fors placuit Genii.

& Rutilius[2].

Sive loci Genio, seu domini ingenio.

Qui *Diognetum* in superiori lapide eum fuisse putant, qui proscriptus dixit, (ut refert *Appianus*,) *Albanum* meum me prosequitur, quòd fundum optimum possideret, & a *Cæsare* desideratum, non longiùs aberrare videtur ab historia, eundemque villis delectatum, aliam quoque ad *Neapolim* ad Cæsarum lætitiam extruxisse.

GRATIÆ.

Vrbis *Neapolitanæ* felicitatem *Gratiæ* referunt, quas a *Sirenibus* divellere nefas est. Eas nobis nummi & lapides proponunt. In nummis *Hebo* est, & ex alia facie ex aliqua Gratiarum caput cum Inscriptione ΧΑΡΙΤΕΣ *, quas hujusmodi appellatas esse ait *Phurnutus* ἀπὸ τῆς χαρᾶς, a lætitia; & *Græcorum* adagio dicitur, ταῖς χάρισι σπένδειν, *Gratiis sacrificare*; quod facere dicuntur ii qui tristes & soliciti sunt. In marmorea tabula in ædibus *Matalunensibus*, trium *Gratiarum* simulacrum habemus veluti antiqui effinxerunt, nudas * scilicet. Cujus rei *Pausanias* rationem reddere nequit, & nusquam comperisse ait, quis primus *Gratias* vel finxerit nudas, vel pingendo nudas ostenderit, cùm apud priscos homines vestitu

* Vide Tab. VI. Fig. 2. Charites, undè dictæ.

* Vide Tab. VI. Fig. 3.

[1] Cont. Symm. Lib. 2. [2] Itiner.

A pictas noverit in *Smyrnæis* in *Nemesium* fano, ubi *Gratiæ* aureæ dicatæ fuerant, quas *Bupalus* fecerat; in Cantorum statione, *Apellis* opus; *Pergami* Gratias, quas pinxit *Pythagoras Parius*; & *Athenis Gratias* e marmore, quas *Socrates Sophronici* filius fecit, veste circumductas. Quod autem nuditatem ad beneficiorum promptitudinem & simplicitatem referant, non ex antiquitate, sed ex aliquorum ingeniis habemus. *Bœotos* primos omnium *Gratiis* sacrificâsse, idem refert. *Lacedæmonii* duas tantùm coluêre, *Clitam* & *Phaënnam*. *Athenienses*, *Auxo*, & *Hegemonem*. Iidem postea ab *Orchomenio Eteocle* accepto ritu, tribus *Gratiis* sacrificarunt. B *Pasitheam Gratiam* nominavit *Homerus*. *Euphrosynem*, *Aglajam*, & *Thaliam Hesiodus*, & *Onomacritus* in carminibus de *Gratiis*. *Hermesianactes*, *Pitho*, *Suadelam*.

Gratiarum simulacrum.

Gratiarum nomina.

DII TRIBVLES, SODALITIUM, DAEMON.

Phratriorum Deorum, & Sodalitatis ritus religionem in *Græcis* lapidibus *Neapoli* celebrem fuisse cognoscimus. In antiquo lapide hæc scripta sunt:

C
ΘΕΟΙΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΙΣ. ΚΑΙ
ΘΕΟΙΣ. ΦΡΗΤΡΙΟΙΣ. ΘΕΩΤΕ. ΔΑΙΜ.

Diis Augustis, Diis tribulibus, & Deo Dæmoni. Augustos veluti Deos venerabantur; & Deum perpetuò *Ovidius* nominat *Augustum*. & Virgilius:

Namque erit ille mihi semper Deus ——

Et a *Neapolitanis* id non fuisse alienum docet Statius[3]: *Eatenus præterea Germanici Dei nostri libertus scit, quamdiu desiderium ejus moratus sim.* Post mortem Deo Dæmoni, vel Genio vovit. Ipse ad Deorum religionem deduco, nam ut scribit *Halicarnasseus*[4], sacra cuique Curiæ *Ro*-D *mulus* partitus est, assignatis in singulas Diis & Dæmonibus, quos semper colerent. Deos profectò TRIBVLES & PATRIOS eosdem esse scimus, nam *Jovem* φράτριον reperio, qui φρήτριος dicitur; veluti & φρήτρη pro φρατρία; cujus dies celebris a *Suida* habetur secunda *Apaturiorum*, quæ ab effluxu cruoris bestiarum Ἀνάρρυσις dicebatur. Trium autem dierum erat Festum publicum, quod mense *Pyanepsione* (vel *Julio*, vel *Octobri*) triduo fiebat ab *Atheniensibus*, quo in civitatem fuit adscriptus *Sitalcæ Thracum* Regis filius. Primus dies Δόρπια erat, quòd Curiales unà vesperi convivarentur; secundus ἀνάρρυσις, a sacrificando, E nam Jovi *Sodali* & *Palladi* sacra fiebant; tertius, κουρεῶτις, *Puellaris*; quoniam pueros & puellas κόρους & κόρας sodalitati adscribebant. Quartus etiam a multis additur, ἐπίβδα nuncupatus. Historiam idem *Suidas* narrat, *Xanthum Bœotium* ad singulare certamen *Thymœtem Atheniensium* Regem provocâsse; cumque ille recusaret, *Melanthium Messenium*, qui aderat, pugnæ conditionem accepisse. Et cùm inter se dimicarent, apparuisse *Melanthio* post *Xanthi* tergus quendam virum nigra caprina pelle indutum, eumque injustè facere dixisse, qui comitatus ad contentionem veniret; atque ita dum *Xanthus* larvam respiceret, ab eo interfectum. *Phavorinus* F eundem facit φράτριον & πάτρῳον Δία. *Plato*, non item. Nam in Eutydemo (non in *Eutyphone* ut a *Giraldo* citatur) ait. Ζεὺς δ' ἡμῖν πατρῷος μὲν οὐ καλεῖται, Ἑρκεῖος δὲ καὶ φράτριος, καὶ Ἀθηνᾶ φρατρία. *Jupiter verò nobis minimè vocatur Patrius, sed Hercæus, & Phratrius, & Minerva Phratria.* Intelligebant Phratrium *Jovem*, Urbis septorem, tribuumque Præsidem. Apud *Athenæum Jupiter* est *Etæaridius*, quem *Socialem* & *Sodalitium*, di-

Dii Tribules & Patrii.

Iupiter Phratrius.

Festum Apaturiorum.

Iupiter Sodalis.

Iupiter Socialis.

I

[3] Epist. ad librum tert. Sylv. ad Pollium. [4] Lib. 2.

dicunt, cui sacrificâsse ait *Jasonem* collectis *Argonautis*. Et ut Phratriorum Deorum sacrificia *Neapoli* cognoscamus, *Surrentina* etiam affero, hæc enim leguntur in ejus Civitatis quodam lapide: ΚΙΔΙΜΙΑ .... ΘΗΓΑΘΡ. ΦΡΗΤΟΡΣΙ. ΘΕΟΙΣ. Sed Sodalitatis sacrificium ob oculos ponam, in lapide pervetusto, qui antea in ædibus *Adriani Spataphori* locatus fuerat, in quo *Aristæorum* Phratria, quæ *Neapoli* florebat, epulum hujusmodi constituit:

Epulum cognationum.

.... ΑΡΙΣΤΩΝΟΣ ..... ΟΥΑΛΕΡΙΑΣ ΜΟΥΣΗΣ ΤΗΣ ΕΑΥΤΟΥ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΜΗ ΕΞΟΥΣΙΑΝ ΔΕ ΕΧΕΤΩΣΑΝ Ο ΦΡΗΤΑΡΧΟΣ Η ΟΙ ΧΑΛΚΟΛΟΓΟΙ Η Ο ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΣ Η ΟΙ ΔΙΟΙΚΗΤΑΙ, Η ΑΛΛΟΣ ΤΙΣ ΤΗΣ ΦΡΗΤΡΙΑΣ ΤΗΣ ΑΡΙΣΤΑΙΩΝ ΤΗΝ ΘΥΣΙΑΝ Η ΤΟ ΔΕΙΠΝΟΝ ΥΠΕΡΤΙΘΕΣΘΑΙ ΠΑΡΑ ΤΑΣ ΤΕΤΑΓΜΕΝΑΣ ΗΜΕΡΑΣ ΚΑΙ ΤΑ ΧΙΛΙΑ ΚΑΙ ΔΙΑΚΟΣΙΑ ΔΗΝΑΡΙΑ ΔΑΝΕΙΖΕΣΘΩ ΜΗΔΕΝΙ Ο ΦΡΗΤΑΡΧΟΣ ΕΙ ΜΗ, ΥΠΕΡ ΤΩΝ ΟΝΟΜΑΤΩΝ ΔΗΝΑΡΙΑ ΔΙΑΚΟΣΙΑ ΠΕΝΤΗΚΟΝΤΑ ΚΑΙ ΤΗ ΠΟΛΕΙ ΜΗ ΕΞΟΥΣΙΑΝ ΕΧΕΤΩ Ο ΦΡΗΤΑΡΧΟΣ Η ΟΙ ΧΑΛΚΟΛΟΓΟΙ, & quæ sequuntur, quæ corrupta & mutila legi non possunt. Habes eos Magistratus, quos in Republica proposui; habes epulandi in cognationibus modum. Simile quoddam est in tabula marmorea, quæ *Venetiis* a *Jano Grutero* citatur, in qua in communitate cognationis tria millia drachmarum impenduntur; Sacrificium fit Musis & Heroibus; cœna præterea exhibetur. Quod si quis ad Festum non conveniat, mulctæ nomine det cætui drachmas centum. Sic *Græci* hujusmodi solemnibus incumbebant. *Romani* morem ex *Græcis* accepere. Sacra cuique Curiæ Romulus partitus est, sumptusque ex ærario publico decrevit. Sacris aderant Curiæ suis vicibus, epulumque diebus festis præbebatur Curialibus in aula cuique Curiæ propria. *Halicarnasseus* a *Græcis* illud *Romulum* institutum accepisse tradit, a *Lacedæmoniis* præcipuè, quorum disciplina eo tempore florebat in Sodalitiis, quam ipse *Lycurgus* a *Cretensibus* edoctus introduxit, quod Reipublicæ plurimum profuisse visum est; nam pacis tempore cives ad frugalitatem & temperantiam quotidiani victus assuefecit, & in bello unicuique pudorem injecit, ne socium desereret, cum quo libasset, & sacra fecisset. Lex tamen *Licinia* adversus Sodalitia lata est ad vitandam popularium suffragiorum corruptelam. Et *Tertullianus*[1] de mulierum periculo:

Epulum Romanorum ex Græcis.

Discumbit cum marito sæpe in Sodalitiis, sæpe in popinis.

Ius epulandi.

Apud *Plutarchum* de decem Oratorum vitis *Lycophron Lycurgus Butades* promulgatione proscripta postulat sibi jus epulandi in *Prytaneo* sciscí, quod donatum populo fuit a *Lycurgo Butade*, *Anaxicrate Archonte* ex tribu *Antiochide*. Hac de causa singulis Curiis cœnaculum erat extructum (ut apud alios, *Prytanea*) domus communis omnibus Curiis, ipsaque Cœnacula Curiæ vocabantur. Interdum Epulum populo a defuncti hæredibus dabatur, & dicebatur Visceratio, cruda carne. *Plutoni* & *Proserpinæ* idem Epulum sacrum; ut omittam Epulum natalitium, quale *Iulum Antonii* filium dedicâsse in natali *Augusti*, scribit *Dio*[2], & de quo scripsit Cornelius Tacitus de *Cotta Messalino*: *Et cùm die Natali Augustus inter Sacerdotes epularetur, Novendialem eam cœnam dixit.* De qua cùm scripserit *Justinianus* in Novella quadam, in nonum diem fieri μνήμας defunctorum, Glossa ait: ἔννατα ἐπὶ νεκρῷ ἀγόρδμα. Eam vocat Apulejus *Cœnam Feralem*. Et Juvenalis:

Cœnaculum.

Visceratio.

—— *dimidio constrictus Gammarus ovo*
Ponitur, exigua feralis cœna patella.

Silicernium.

Nonius Marcellus, *Festus*, & *Tertullianus*, *Silicernium* hanc cœnam vocant. *Nonius* verò senibus exhiberi ait; citatque *Varronem Meleagris*. *Tertullianus*[3] Silicernium non differre a *Jovis* epulo (de quo infra) scribit, cùm gentes simulatè Deos credere arguit, propterea quòd eximiam Dei naturam non aliis prosequantur honoribus, quàm quibus defunctis parentare soleant. Quæ omnia ad *Neapolitanorum* epulum maximè conferunt, qui ut alii *Italiæ Græci* convivia exercebant. Constat enim ex *Theopompo*[4] (citatur ab *Athenæo*[5]) *Tarentinorum* civitatem singulis mensibus boves immolasse, & convivia populo exhibuisse, dum coiret, turmatim vulgus & assiduè compotaret, & dictitare solitos *Tarentinos*, alios quidem homines industria & laboriosa sedulitate in posterum sibi vitam comparare; se verò, quia convenirent, & voluptatem indè perciperent, jam vivere, nec expectare dum olim vivant. Id quod *Epecureum* sapit.

Tarentinorum convivia.

LECTISTERNIA.

In *D. Joannis* Majoris æde, Urna marmorea, quæ Archiepiscopi cujusdam *Neapolitani* sepultura est, Lectisternia sculpta servat. Erat quidem *Jovis* epulum, quod in publicis ludis edebatur, Natalitiis & *Circensibus* quotannis *Idib. Novembris.* licet & convivia, quæ in aliorum Deorum ædibus habebantur, *Lectisternii* nomen consequuta fuissent. Hinc *Dapalis Jupiter* dictus, & a Græcis εἰλαπιναςής, quòd Dapali epulo ei sacra fierent. Hujus Epuli meminit *Livius*, & cum epulo *Jovem* irridet *Arnobius*. Erant siquidem *Lectisternia*, convivia ex victimis immolatis in Deorum templo, a stratis lectis, quibus ordine discumbebatur. Cùm pestis urbem invaderet, *Lectisterniis* Deos placabant. Octo diebus *Romani* & Duumviri sacris faciendis *Apollinem*, *Dianam*, *Herculem*, *Mercurium* & *Neptunum* Lectisternio placaverunt. Ad eam rem primo loco tres Epulones creati bello *Macedonico*. Duo postea tribus additi. ultimo loco, Septemviri epulonum appellati. Nihil commune cum hoc Epulo habebant φαγήσια, & *Phagesiposia*, Festa in quibus ad societatem cibo exhilarabantur. Citat *Athenæus* locum ex *Clearcho*, in quo indicat *Græcos* hoc festum excoluisse.

Iupiter Dapalis.

VESTA.

D. *Mariæ Rotundæ* templum in *Nili* regione, *Vestæ* antiquitus fuisse dicatum duas ob causas docti viri existimârunt. Primum ob monumenta marmorea *, quæ hoc quoque tempore ibi cernuntur, alterum in quo mactabantur hostiæ, & quod quasi bestiarum cruore suffusum, quotidie incruentum sacrificium prospicit *Christianorum*, quando ex ea Parochia Eucharistiæ Sacramentum ad cives reficiendos prodit; & in quo fervet ferè sanguis, quo superstitiosa *Neapolis* delectabatur, & animalium vestigia ob frequentem sacrificiorum usum in cavato marmore conspiciuntur; alterum quod vel tripos est, vel in quo *Vestalibus* ignis fuerat custoditus. Aquæ lustralis commodo, in eo templo est positum. Deinde ob rotunditatem, quam aliquot præclaræ columnæ suffulciunt. In antiquis profectò nummis *Vestæ* templum rotundum est, quòd scilicet terram, quæ rotunda est, *Vesta* significat. Sed *Plutarchus* de *Numa* loquens, ait rotundum ab eo conditum templum non ut terræ, sed ut universi figuram explicaret, in cujus medio ignem collocatum *Pythagorici* arbitrantur, quem *Vestam*, & *Unitatem* appellabant. Et *Festus* scribit rotundum esse ædificatum, ut sui simi-

* Vide Tab. VI. Fig. 4.

Cur Vestæ templum rotundum.

[1] Lib. 2. ad Vxorem. [2] Lib. 54.

[3] Apologetico adversus Gentes. [4] Lib. 10. Philippicorum. [5] Lib. 4.

ſimili templo Dea coleretur. Vittatum ibi ſignum repertum fuiſſe aſſerebat *Adrianus Spataphorus*, quod ad *Veſtalium* ſacrificium pertinebat, de quo hæc Alexander ab Alexandro [1]; *Veſtæ ſi quando Veſtales Virgines ſacra libarent, vel rem divinam facerent, eo cultu ornatuque ut erant, & Vittatæ peragebant. Album tamen præterea veſtimentum quod ſuffibulum vocabatur, oblongum, & prætextum, & quadrangulum in capite ſumebant, fibulaque ſubnectebant; tum caſta mola, & ſale tuſo in ollam fictilem miſſo, mox in aquam injecto, ſacra faciebant, calicibuſque fictilibus, quos Culullos dicebant Veſtæ & Diis libabant.*

Simulacrum Veſtæ Puteolis.

Pulcrum *Veſtæ* ſimulacrum *Puteolis* repertum in hortis *Scipionis Loffredi Æquam* tranſtulit *Matthæus* e *Capua Conchanorum* Princeps, illudque Virginis formam habet puerulum in ſinu fovens*; is *Jupiter* eſt. de quo Albricus Philoſophus [2] *Supra pinnaculum templi depicta erat ipſa Veſta in formam Virginis infantem ipſum Jovem in ſinu fovens. Jovis nutricem fuiſſe antiqui dixerunt.* At verò Vittatæ *Veſtæ* ſimulacrum inter *Cumana* ſigna nuper reperta vidimus.

* Vide Tab. VI. Fig. 5.

JUPITER EIAZIUS.

Jovis Eiazii religionem *Neapolitanus* lapis proponit, in quo hæc leguntur:

T. FLAVIVS. ANTIPATER.
VNA. CVM. FLAVIA. ARTEMISIA. VXORE
ET. ALCIDE. LIB.
ASCLEPIVM. ET HYGIAM. IOVI. EIAZIO. VOTVM.

& in altera ejuſdem baſis parte:

T. FLAVIVS. ANTIPATER
VNA. CVM FLAVIA. ARTEMISIA. VXORE
IOVI. EIAZIO. VOTVM. LIBENS. SOLVIT.

Quis tamen *Jupiter* hic ſit *Eiazius*, licet omnem antiquitatem perluſtraverim, ſcire haud potui. *Græcæ* linguæ periti corruptam vocem arbitrantur, & *Sabazium*, fortaſſe legendum. in *Romanis* enim lapidibus: DONVM DEDIT IOVI SABAZIO, quo nomine *Bacchum* appellârunt Veteres a tripudiis & ſaltationibus quæ a *Bacchantibus* fieri ſolebant in ſacris. Id ſignificat σαβάζειν. Vel legendum ἀβάζω, Taciturno. Sacra *Abazea* commemorantur a *Cicerone*, a taciturnitate qua ſacra colebantur, a *Dionyſio* Rege inſtituta. Fortaſſe, *Jovi Permittenti*, παρὰ τοῦ ἐάω; vel *Stabilienti*, παρὰ τοῦ ἑδράζειν. In incertis rebus divinamus.

Jupiter Sabazius.

PRIAPUS.

Ejus religionem *Ithyphalli* oſtendunt, qui laſcivientes cum *Cerere* in ejus Feſto perferebantur, & tabella plumbea quam *Joannes Vincentius Porta* antiquarum rerum obſervator ad D. *Antonii* teſtabatur inventam, in qua *Græca* hæc legebantur: ΑΦΡΟΝΤΙΣ ΚΑΙ ΦΙΛΟΤΙΜΙΑΣ ΑΝΕΥ Ο ΕΝ ΥΛΑΙΣ ΒΙΟΣ ΕΝ ΤΑΙΣ ΥΛΑΙΣ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ ΠΕΡΙΠΟΙΗΤΑΙ ΚΑΙ ΑΝΑΠΑΥΛΑ ΕΤΟΜΑΖΕΤΑΙ. ex quibus intelligimus ruſticam vitam abſque curis & ambitione degi, & in ea libertatem atque quietem comparari. Ara in media tabella eſt, additâ Falce. Vas ſub Ara, quod *Baccho* tribuitur. A *Græcis* hoc fœdiſſimum *Romani* quoque mutuati ſunt, qui, φαλλαγωγίαν, vel περιφαλλίαν (apud *Heſychium*) habebant, matronarum Feſtum *Auguſto* menſe. In pompa *Bacchanalium* ultimo loco *Phallum* portabant. *Melampum* fuiſſe auctorem ſcribit *Herodotus* narrandi *Phallum Dionyſio* miſſum. φαλλοφόροι portatores dicebantur. Ea tamen mihi tabula ſuſpecta eſt. Cum *Cerere* quidem *Phallum* accipio; & de *Cerere Neapolitana* quis dubitat? Quæ inſulſiſſima ab imperitis habentur, ſumma ſapientia in honorem venerunt. Turpe ac fœdum Religionis genus, *Ithyphalli*, ſed ob fœcunditatem memorabile. Et quoniam inter culta, fœcundiores horti exiſtimantur, ideo hortorum Deus vocatus. Extat apud me antiquus nummus, in quo *Panos* numen inter quatuor elementa, fœdum illud ex altera facie cum epigrammate ſe rerum factorem affirmante. Apud *Sanctafidem Priapus* marmoreus extat perbellè effictus, cujus crinitum caput faſcia cingit, ſupra faſciam rotunda corolla ex floribus eſt, quam altera faſcia ambit. longa barba, laſcivienti affectu pudenda reſpiciens. Hæc fere habui quæ de antiqua *Neapolitanorum* religione narrarem. Ea addenda arbitror, quæ cum omnibus *Græcorum* ritibus convenire arbitrabimur. Multa quoque addenda quæ *Neapoli* reperta variis in locis ignoramus. Quantum enim religionis inerat in ædibus *Cæſaris Frezzæ* Regii Conſiliarii, in qua excavanda plura marmoris genera, quæ ipſe quotidie ſecanda curat, plures quoque invenit ſtatuas & *Cereris*, & *Mercurii*, cui verò templum dicatum fuerit non novimus? Quantum in aliis quoque locis quorum memoriam non ſervarunt poſſeſſores!

Joannes Vincentius Porta.

Phallogogia feſtum.

CAP. XVI.

De Antiquis Neapolitanorum ludis.

QUINQUENNALES.

ORATORIUM, Muſicum, Gymnicum certamina illis æmula quæ in *Græcia* fuerant, *Neapolis* ſumma cum laude celebravit. Verſu, proſa, oratione, dicendi arte, *Græcè Latinèque* tum Muſica per Citharædos ac Chithariſtas, lucta & pancratio certabatur, quæ ludicra *Nero Cæſar* primus ad morem *Græci* certaminis e *Græcia Romam* antea deduxerat, *Jovique Capitolino* dicârat jam intermiſſa cc. annis a *L. Memmii* triumpho, qui primus hoc ſpectaculi genus in Urbe præſtiterat, inquit *Alexander ab Alex.*[3] *Quinquennales ludi* dicti ſunt ab *Olympiade*, extrema ætate celebrari ſoliti, & ineunte Autumno, initium conſtituebatur ſimul anni & *Olympiadum*. Ideo *Quinquennale* & *Luſtrum* idem exiſtimarunt, etſi in Luſtris *Suovetaurilia* fierent, & in *Quinquennalibus* omnia quæ a *Græcis* fiebant in *Olympiadibus*. Diciturque *Luſtrum* a delectu, & luſtratione civium *Romæ* habita, & *Quinquennalia* a temporis ſpatio. Statius ſic confundit:

Luſtrum.

Huc me poſt patrii lætum Quinquennia luſtri.

&,

Cum ſtata laudato cerneret Quinquennia verſu.

alio tamen modo Luſtrum a Lucano dicitur:

Mox jubet ut totam pavidis a civibus urbem
Ambiri, & feſto purgantes mœnia luſtro
Longa per extremos pomœria cingere fines.

Cujus auctorem primum fuiſſe Servium Tullum ſcribit *Cenſorinus*, ut habito civium cenſu, quincto quoque anno Luſtrum conderetur. Ergo luſtrum quoque a temporis ſpatio.

Quinquennales ludi in Auguſti honorem dicati fuerunt. Sic enim Suetonius; *Mox Neapolim trajecit, quamquam & tum infirmis inteſtinis morbo variante, tamen & Quinquennale certamen honori ſuo inſtitutum perſpectavit.* Et Strabo [4] qui illuſtriſſimis *Græcorum* ludis comparat: Νυνὶ δὲ πεντετηρικὸς ἱερὸς ἀγὼν συντελεῖται (de *Neapolitanis* loquitur) Μουσικός τε καὶ Γυμνικὸς ἐπὶ πλείους ἡμέρας, ἐνάμιλλος τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα. *Nunc autem Quinquennale ſacrum certamen apud eos celebratur Muſicum*

Ludi in Auguſti honorem.

[1] Lib. 5. C. 12. [2] Lib. de Imaginibus Deorum.

[3] Lib. 6. C. 19. [4] Lib. 2.

cum, & Gymnicum in plures dies, quod æmulum esse potest illustrissimis Græcorum ludis. Et Paterculus; *Prosequens eum simul interfuturus, Athletarum certaminis ludicro, quod ejus honori sacratum a Neapolitanis est, processit in Campaniam.* Nec tantùm *Neapoli*, sed oppidatim eosdem ludos dicatos tanquam Heroi, scribit *Suetonius*; & de *Julio* notat *Dio* [1] qui in provinciis etiam, & *Pergami* celebratos asserit, quos imitatus *Herodes Hierosolymis* etiam eundem summo Imperatori honorem tribuit, ut affirmat *Josephus* [2] Sed *Neapoli* ludis peractis *Augustus Nolæ* mortuus est *Sex. Asculejo* & *Sex. Pompejo* Coss. Qui tamen ut *Actiacæ* victoriæ memoria celebratior esset, urbem *Nicopolim* apud *Actium* condidit, ludosque illic *Quinquennales* instituit, & ampliatô vetere *Apollinis* templô locum castrorum, quibus fuerat usus exornatum navalibus spoliis *Neptuno* & *Marti* consecravit. Auctor is qui de Spectaculis scripsit *Quinquennalia Neapoli* in *Actiis* celebrat, cùm *Nicopolis* eum deceperit. *Actium*, *Quinquennale* sacrum in ea victoria dictum est. De *Claudio* sic scribit Suetonius [3]: *Ad fratris memoriam per omnem occasionem celebratam Comœdiam quoque Græcam Neapolitano certamine docuit, ac de sententia Judicum coronavit.* Ubi docere Comœdiam dixit more *Græco*, διδάσκειν δρᾶμα; idcirco Horatius:

Quinquennales variis in provinciis. — *Nicopolis.* — *Quinquennale, Actium sacrum* — *Docere Comœdiam.*

Et qui prætextas, & qui docuêre togatas.

Idem, quod edere. Et *coronavit*, novo dicendi genere, pro, *Coronatus est.* Ideoque privatus *Neapoli* vivens, in musicis ludis pallium, & Soleas, in Gymnicis purpuram, & auream coronam ferebat, ut scribit *Dio.* Eloquentiam præcipuè profitebantur, ut quantum quisque facundiâ & ingeniô enituisset, facilè appareret. Ideo *Pausanias* in *Eliacis* scribit *Gorgiam Leontinum* in *Quinquennali Olympiæ* celebritate, magnum eloquentiæ specimen dedisse, atque hac de causa dedicatum ab *Eumolpo Dejeratis* pronepote. *C. Caligula* horum ludorum instar Miscellos *Lugduni* fecit, qui ferè miscellanei ad nullam ludendi certam normam erant inventi, *Græcæ* tantùm & *Latinæ* facundiæ experimento. Idque in hoc certamine lege sancitum erat, ut victi victoribus hoc primum darent, ut ipsorum laudes jam victi scriberent, & carmine celebrarent. Eos qui maximè displicuissent, scribunt spongia sua scripta linguave delere jussos, nisi ferulis objurgari, aut flumine proximo mergi maluissent. Pallebant hac de causa dicturi, quod innuit Juvenalis [4]:

Miscelli ludi. — *Ludorum Quinquennalium lex.*

Palleat ut nudis pressit qui calcibus anguem,
Ad Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.

Quid mirum si tunc litterarum studia floruerint? Deinceps a *Domitiano* triplex *Quinquennale* effectum, *Musicum*, *Equestre*, *Gymnicum.* Proprium tamen ludicri genus *Neapolitanis* tribuitur, & Agon *Neapolitanus* dicebatur, de quo Philostratus. [5] ἦν μὲν ὁ παρὰ τοῖς Νεαπολίταις ἀγών. veluti, ἀγῶνα τῶν μεγάλων Καπιτολέιων, appellârunt. Fortasse Agonis signum habebant quale in *Eliacis* inter *Smycithi* dona recensetur, Halteres portans. sunt autem *Halteres* Athletarum libramenta circuli oblongiore figurâ, & qua parte manibus prensantur, ansulas habent, intra quas digiti immittuntur. *Quinquetria* autem, vel *Quinquatria* qui cum *Quinquennalibus* eadem faciunt, non fortasse memoria tenuerunt Suetonium, qui in *Domitiano* scribit [6]; *Celebrata in Albano quotannis Quinquetria Minervæ, cui collegium instituerat.* Et licet subdat: *Sorte ducti magisteriô fungerentur ederentque eximias venationes, & scenicos ludos, superque Oratorum & Poëtarum certamina*; quod in *Albano* Festum celebrabatur a *Domitiano* jussum, ad quod allusit Statius [7]:

Agon Neapolitanus. — *Agonis signum, Halteres.* — *Quinquatria.*

Lux mihi Romanæ qualis sub collibus Albæ
Cùm modo Germanas acies, modo Daca sonantem
Prælia, Palladio tua me manus induit auro.

Ceteros in eo certamine Poëtas innuens superâsse; nihilominus ad *Quinquennales* ludos accedere non poterant, quamvis Oratores quoque & Poëtæ ibi certarent, & *Munus Minerval* dictum. *Quinquennales* præterea quinctô quoque anno celebrabantur, & Quinquatria quæ a quinque dierum numero nomen habent, singulis annis XIII. *Cal. Aprilis.* Nisi cum Suidæ auctoritate dicere maluerimus *Panathenæa* (sic enim *Quinquennales* & *Olympiades* nuncupatæ sunt) duplicia fuisse, altera singulis annis celebrata, altera lustris peractis quæ Magna vocabantur; διττὰ Παναθήναια ἤγετο Ἀθήνησι. τὰ μὲν καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, τὰ δὲ διὰ πενταετηρίδος, ἃ καὶ μεγάλα ἐκάλουν. Suprà dixerat: ἄγεται δὲ ὁ ἀγὼν διὰ πέντε ἐτῶν. *celebrantur hi ludi quincto quoque anno.* Et in argumento *Demosthenicæ* Orationis contra *Midam* indicantur solita τελεῖσθαι κατὰ πενταετηρίδα, annuis longè celebriora, & propterea μεγάλα nuncupata. Parva autem, μικρὰ (alii ludi hi videntur) solita τελεῖσθαι κατὰ τριετηρίδα. *tertio quoque anno.*

Munus Minerval. — *Panathenæa.*

In hisce ludis, disceptationes esse factas asserit Epicrates Comicus citatus ab Athenæo [8]

Disceptationes adolescentium.

Παναθηναίοις γὰρ ἰδὼν ἀγέλην μειρακίων
Ἐν γυμνασίοις Ἀκαδημίας. ἤκουσα
Λόγων ἀφάτων, ἀτόπων --- --- ---
Panathenæis adolescentulorum gregem conspexi
In Gymnasiis Academiæ. audivi
Absurdos, & inexplicabiles sermones.

In mentem mihi aliquando venit antiquitatis usus ad nostram ferè ætatem servatus, quando pueri disceptaturi ad *D. Pauli* se conferebant, quo in loco Gymnasia antiqua *Neapolitana* floruerunt.

Triplicis *Neapolitani* certaminis imaginem antiquus Nummus servat qui meo quidem judicio veneratione dignus est. Habes in eo Caduceum, Citharam, Rete, nisi pileum dixeris, quem suprà retulimus; & quidem ob ludorum genera Rete non esse prætermissum in nummis *, liceat conjectura prævidere. In Caduceo, litterarum certamen; in Cithara, Musices; in Reti gladiatorum munus significatur. De Caduceo, in Gymnasiis dicam. Sed ut Retis figuram dilucidiùs explicemus, illud præcipuè notandum, Gladiatorum classem in *Sequutores*, *Retiarios*, *Threces*, *Myrmillones*, *Hoplomachos*, *Samnites*, *Essedarios*, *Andabatas*, *Laquearios* fuisse divisam, præter *Bestiarios*, *Rudiarios*, *Athletas*, *Crupellarios*, *Pancratiastas*, qui & armorum, & pugnæ varietate certabant. Sequutores ab insequendo *Retiarios* dictos esse scribit *Isidorus*, quamvis ii quoque qui loco Apparitorum Tribunos comitabantur, Sequutores dicerentur, ut in nostro lapide apud *Spataphorum*: TAVRO SECVTORI CAESARIS. & *Romæ*: SECVTORI TRIBVNI. eorumque *Lampridius* in *Alexandro* meminit. De Sequutoribus verò gladiatoribus Juvenalis:

Caduceus, Cithara, Rete in ludis. — * *Vide Tab. VI. Fig. 6.* — *Gladiatorum genera.* — *Retiarii, Secutores.*

—— *cum Graccho jussus pugnare Secutor.*

& Lapis: AEDONI SECVTORI PVGN. quorum arma, inquit *Lampridius*, Cuspis, Massa plumbea, quæ adversarii jaculum impediret, & antequam Retiarius feriret Rete, is superaret. *Isidorus* addidit: *Hæc armatura sacra erat Vulcano, ignis enim semper insequitur. ideoque cum Retiario componebatur, quia ignis & aqua semper inter se inimica sunt. Secutor cum Retiario commissus. Retiariusque Rete ferebat, ut adversarium cuspide insistentem superaret.* quam sic habemus in nummo *:

Arma Secutorum. — * *Vide Tab. VI. Fig. 7.*

Ejus

[1] Lib. 44. [2] Lib. 15. Cap. 11. [3] Cap. 11. Vit. Claudii. [4] Sat. 1. [5] Proœmio ad Iconas. [6] Vit. Domit. C. 4.

[7] Lib. 4. Silv. [8] Lib. 2.

Ejus armaturæ origo a *Pittaco* ſapiente pugnante cum *Phrynone*, qui ut ait Strabo, ἁλιευτικὴν ἀναλαβὼν σκευήν. *cum piſcatoria fuſcina in eum pugnavit.* Et ejus uſus:

—— movet ecce Tridentem
Poſtquam vibrata pendentia Retia dextra
Nequicquam effudit. — — — —

Operto vultu pugnabant, cùm ſolis patriciis ex gladiatoribus nuda facie pugnare licuiſſet. *Claudii* ſævitiam Tranquillus narrans[1] Gladiatores: *etiam fortè prolapſos jugulari jubebat, maximè Retiarios, ut expirantium facies videret.* Et in *Caligula*[2]: *Retiarii tunicati quinque numero gregatim dimicantes, ſine certamine ullo, totidem ſecutoribus ſuccubuerant, cùm occidi juberentur, unus reſumpta fuſcina, omnes victores interemit.* Decorati Retiarii mentionem faciunt antiqui Lapides, qui Cœruleum peremerat Rude extinctum.

PANCRATIUM.

Inter Gymnicos ludos, *Pancratium*, nobiliſſimus extollitur, in quo tum adoleſcentuli, tum viri pugnabant, ἀνδρῶν Παγκράτιον, καὶ ἀγενείων. veluti in Iſthmiis quoque inquit Suidas, ἀγωνίζεται παῖς ἴσθμια ἢ πρεσβύτερος, καὶ ἀγένειος, καὶ ἀνήρ. *puer & ſenex, imberbis & vir.* ſic enim lego, non ἢ, ut in vulgatis. Gentile Neapolitanum ſacrum appellat Statius:

—————— ridetque benigna
Parthenope gentile ſacrum, nudoſque virorum
Certatus, & parva ſuæ ſimulacra coronæ.

& alibi:

Nec pudet occultè nudas ſpectare Palæſtras.

Ejus ludicri monumentum ad ædes *Gravinenſium* Ducis diu jacuit. Cùm ex me audivere quàm bonæ antiquitatis eſſet, aliò tranſtulerunt. Caveat ne ad ſecationem ad gradus conficiendos ſit damnatum. In ædibus *Gaſparis Ricchi* Græcus lapis hæc habet:

Τ. ΦΛΑΥΙΟΣ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΡΟΥ. ΥΙΟΣ. Κ. ΥΡΕΙΝΑ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΡΟΣ
ΑΔΑΝΕΥΣ. ΚΑΙ. ΑΝΤΙΟΧΕΥΣ. ΝΙΚΗΣΑΣ. ΤΟΝ. ΑΓΩΝΑ. ΤΩΝ
ΜΕΓΑΛΩΝ. ΚΑΠΙΤΩΛΕΙΩΝ. ΤΟΝ. ΠΡΩΤΟΣ. ΑΧΘΕΝΤΑ
ΑΝΔΡΩΝ. ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ. ΟΛΥΜΠΙΑ. Β. ΠΥΘΙΑ. Β.
ΕΝ. ΝΕΑΠΟΛΙ. ΑΝΔΡΩΝ. ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ, ΙΣΘΜΙΑ. ΑΓΕΝΕΙΩΝ
ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ. ΚΑΙ. ΤΗΣ. ΕΞΗΣ. ΠΕΝΤΑΕΤΗΡΙΔΙ. ΑΝΔΡΩΝ
ΠΑΛΙΝ. ΚΑΙ. ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ. ΚΑΙ. ΠΑΛΙΝ· ΑΝΔΡΩΝ
ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ. ΠΡΩΤΟΣ. ΑΝΘΡΟΠΩΝ. ΚΟΙΝΟΝΙΑΣ
ΕΝ. ΠΕΡΓΑΜΩ. ΑΝΔΡΩΝ. ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ· . . . . .

T. Flavius Artemidori filius; & Yrina, Artemidorus Adaneus & Antiochenſis qui vicit certamen Magnorum Capitolinorum, primo actum virorum Pancratium, Olympia bis, Pythia bis, Nemea bis. Neapoli virorum Pancratium. Commune Aſiæ adoleſcentûm Pancratium. Et ſequenti Quinquennio luctam & Pancratium. Et iterum virorum Pancratium. primus commune Pergami virorum Pancratium. Confirmat quæ de *Pergamenis* in *Auguſti* honorem dicta ſunt. Et *Pythia Neapoli* celebrata fuiſſe, teſtis lapis *Græcus* eſt in ædibus *Joannis Franciſci Riſtaldi* Juriſconſultiſſimi, in iis locis effoſſus in quibus *Neapolis* maximè vigebat, in quo hæc leguntur:

ΖΩΙΛΟΣ. ΖΩΙΛΟΥ
ΠΥΘΙΑ. ΝΙΚΙΣΑΣ. ΘΕΟΙΣ.

Zoilus Zoili filius victor in Pythiis Diis ſacravit. Et *Neapolitanos Græcos* omnibus in *Græcorum* ludis ſeſe exercuiſſe planè affirmare poſſumus, cùm maximè de athleticis loquimur agonibus.

Ad Athletas refertur *Pancratium*, qui licet pluribus certaminum generibus contenderint ut robur & celeritarem compararent, quinque tamen præcipuis certarunt, lucta, pugilatu, curſu, ſaltu, & diſco, unde luctatores, pugiles, curſores, ſaltatores, diſcoboli nuncupabantur. Quod fuſiùs digerit *Hieronymus Mercurialis* in Gymnicis. Sed *Stratonem Alexandrinum* ſcribit *Pauſanias*, de Pancratio & lucta fuiſſe coronatum. Aliquando & lucta & pugilatu Pancratiaſta dicebatur, & qui toto corpore certaret, ut idem auctor ſcribit in *Eliacis*. Qui verò cunctis quinque ludis certabat, vocabatur *Pentathlus*, & *Romano* vocabulo, *Quinquertio*. De quibus ſic Ariſtoteles[3]: Ἀγωνιστικὴ δὲ σώματος ἀρετὴ σύγκειται ἐκ μεγέθους καὶ ἰσχύος καὶ τάχους, καὶ γὰρ ὁ ταχὺς ἰσχυρός ἐστιν, ὁ γὰρ δυνάμενος τὰ σκέλη καὶ ῥίπτειν πῶς καὶ κινεῖν ταχὺ καὶ πόρρω δρομικὸς. ὁ δὲ θλίβειν, καὶ κατέχειν, παλαιστικὸς, ὁ δὲ ὦσαι τῇ πληγῇ, πυκτικὸς, ὁ δὲ ἀμφοτέροις τούτοις, παγκρατιαστικὸς, ὁ δὲ πᾶσι τούτοις, πένταθλος. *Agoniſtica autem corporis virtus ex magnitudine, & robore, & celeritate proponitur; nam & celer, fortis eſt. qui enim quodammodo crura projicere, & velociter, ac longè movere poteſt, Curſor; qui comprimere & continere, Luctator; qui percuſſione impellere, Pugil; qui autem utriſque his, Pancratiaſtes; qui verò omnibus his, Quinquertio eſt.* Etſi *Quinquertiones* apud *Livium Andronicum* Athletas ſignificare ſcribit *Feſtus*, a quo etiam Perihodon viciſſe dicebatur qui in præcipuis quinque *Græcorum* ludis viciſſet, accepto nomine a circuitu eorum ſpectaculorum. Locus, ubi pugilum & luctatorum pugnæ exercebantur, Pancratium appellabatur; & cenſuit *Ulpianus* ad legem *Aquiliam* illum, qui dum exercetur in colluctatione, vel *Pancratio*, vel pugilatu aliquem occidit, vel oppreſſit, *Aquilia* teneri.

Quinquertio. Curſor. Luctator. Pugil. Pancratiaſtes. Perihodos.

Pauſanias[4] cùm διαύλους meminiſſet (erat inter *Græcos* ludos) qui erat duplicati ſtadii curſus, & ex Oleaſtro corona victoribus dabatur, mox Quinquertii meminit, atque quo tempore fuerit inſtitutum: ἐπὶ δὲ τῆς ὀγδόης καὶ δεκάτης Ὀλυμπιάδος πεντάθλου καὶ πάλης ἀφίκοντο ἐς μνήμην. *A decima octava Olympiade quæ jam exoleverant certamina Quinquertii & luctæ reſtituta ſunt.*

Laudat præterea *Dromeum* patria *Mantinenſem*, quòd primus ſine pulvere *Pancratii* palmam tulerit, & *Theogenem* qui hujuſmodi etiam vicerit ea, quæ ſequuta eſt *Olympiade*. *Autolycum* item & *Hermolycum* laudat *Pancratiaſtas* in *Atticis*; & in *Corinthiacis Granianum Sicyonium* qui in *Olympicis* palmas tulerit de Quinquertio duas, de Stadio unam, de iterato Stadio (*Diaulo* ſcilicet) duplicem. Ut autem *Neapolitanæ* Statuæ nexum & complicationem in duobus luctantibus cognoſcàmus, quantumque laboris Athletæ in *Pancratio* pertulerint, ſculpturam nobiliſſimam ab ipſo Pauſania[5] explicatam, & in foro *Phigalenſium* poſitam videndam & conſiderandam objicio. Statua hæc *Arrachionis* erat Pancratiaſtæ, cujus pedes modico diſtabant intervallo, manus lateribus hærebant, & ad coxendices demiſſæ erant, cui etiam erat adſcriptum elogium; at vetuſtas aboleverat. En tibi ad vivum *Pancratii* pugnam: Ὁ μὲν προέλαβεν ὅστις δὴ ἀνταγωνιζόμενος καὶ τοῖς ποσὶ τὸν Ἀῤῥαχίονα εἶχεν ἐζωκὼς, καὶ τὸν τράχηλον ἐπίεζεν ἅμα αὐτοῦ ταῖς χερσίν. ὁ δὲ Ἀῤῥαχίων τε τὴν ψυχὴν ἀφίησιν ἀγχόμενος, καὶ ὁ ἄγχων τὸν Ἀῤῥαχίονα ὑπὸ τοῦ δακτύλου τῆς ὀδύνης κατὰ τὸν καιρὸν ἀπαγορεύει τὸν αὐτόν· *Ille eodem impetu & pedibus præventum Arrachionem incinxit, & manibus collum obſtrinxit. Ejus digitum Arrachion pedibus infregit; & dum ſtrangulatus jam animam ageret, præ digiti dolore, adverſarius eodem temporis momento corruit.* Nonne noſtrum lapidem oculis videtur ſubjicere? Ex digitorum robore a Pugilibus *Pancratiaſtæ* differebant, nam illi pugnis ſtrictis, hi verò digitis inflexis pugnabant. Idque Galenus explicavit[6]: εἰ δὲ ἕκαστος τῶν δακτύλων καμφθῇ, τὸ σχῆμα τῆς χειρὸς, γένοιτο μάλιστα τοῖς ἐν Παγκρατίῳ προτετακόσιν αὐτὸν ὅμοιον· *Sin autem unuſquiſque digitus flectatur, manus, figura iis maximè ſimilis evadet* qui

Dromeus. Autolycus. Hermolycus. Granianus. Arrachion. Pancratii ſimulacrum.

[1] Cap. 34. Vit. Claud. [2] Cap. 30. Vit. Caligul.

[3] Lib. 1. Rhet. C. 5. [4] Lib. 5. Eliacorum. [5] In Arcadicis. [6] Lib. 1. de motu Muſcul.

qui ipsam in Pancratio protenderint. Idcirco difficile certamen habetur, & παμμάχιον vocatum. sic Propertius:

Et patitur duro vulnera Pancratio.

Et Panætius apud Agellium [1]: *Ad ea cavenda* (inquit) *atque declinanda* (de vitandis periculis loquitur) *perinde esse oportet animo semper prompto, ut sunt Athletarum, qui Pancratiastæ vocantur. Nam sicuti illi ad certandum vocati, projectis altè brachiis consistunt, caputque & os suum manibus oppositis quasi vallo præmuniunt, membraque eorum omnia, priusquam pugna mota est, aut ad vitandos ictus cauta sunt, aut ad faciendos parata, sic* &c.

Pancratium duplex.

Plerique duplex constituere *Pancratium*, alterum ex lucta & pugilatu; alterum, Volutatorium, & luctæ species erat. Neque stantes certabant, sed prosternebantur humi, atque invicem complicabantur, & alter alterum sibi supponere nitebatur; cujusmodi nostrum simulacrum. Ad hos ludos allusit Martialis:

Non amo qui vincit, sed qui succumbere novit,
Et didicit melius τὴν ἀνακλινοπάλην.

Nisi malueris exponere ἀνακλινοπάλην, *reflexionem* qua Palæstritæ reducto pectore adversarium retrahebant, & illius ictus devitabant. Tortuosos illos Pancratiastarum motus *Græci* ἀναμίγνυσιν καὶ συμπλοκὴν dixere. D. *Ambrosius ligaturam* est interpretratus. *Nexus*, vocat *Lucanus* in lucta *Herculis* cum *Antheo*. Obscœnas tamen complicationes Virga Gymnasiarcha dissolvebat, ut in Theatro referemus. Papinius patriarum rerum gnarus *Agyllei* cum *Tydeo* luctam describit, & Pancratium perbellè proponit:

Gymnasiarcha obscœnos motus coercebat.

Circuit errantem, & tergo, necopinus inhæret,
Mox latus, & firmo celer implicat ilia nexu
Poplitibus genua indè premens evadere nodos
Nequicquam, & lateri dextram insertare parantem
Improbus horrendum visu ac miserabile pondus
Sustulit ——————————————

Catenatas palæstras, dixit Epicedio in *Glauciam Melioris:*

Sive catenatis curvatus membra Palæstris
Staret Amyclea conceptum matre putares.

Pancratiastam cunctorum ludorum, & cæteros Gymnasii ministros notat antiquus lapis *Romæ* in *Foro Trajani*, in quo legitur *Demetrius Hermopolites* Pancratii peritus; omnis luctæ victor; luctator admirabilis, indefessus; Princeps universæ palæstræ; ad vitam palæstræ præfectus; & pater a Balneis *Augusti*. Habes ibi ἀρχιερέα τοῦ σύμπαντος ξύστου, & ξυστάρχην. Quæ plurimùm lucis ad Gymnicos *Neapolitanorum* ludos poterunt afferre, & ad ea quæ infrà de Gymnasiis dicentur.

LUDI AUGUSTALES.

Augustea & Sebasta certamina.

Augustales ludos, sive *Augustea*, & *Sebasta* certamina habuisse *Neapolitanos*, & Pios in *Antonini* honorem *Puteolanos*, qui cùm esset ab *Adriano* adoptatus, *Pii* nomen consequutus est, lapis *Romæ* in ædibus Cardinalis *Farnesii* declarat. Integrum in antiquarum inscriptionum Auctario videre licet; huc tantùm retuli, quæ ad nos faciunt:

ΝΕΙΚΗΣΑΣ. ΑΓΩΝΑΣ. ΤΟΥΣ. ΥΠΟΓΕΓΡΑΜΜΕΝΟΥΣ
ΠΑΝΤΑΣ ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ. ΟΛΥΜΠΙΑ, ΤΑ. ΕΝ. ΠΕΙΣΗ. &c.
ΕΥΣΕΒΙΑ. ΕΝ. ΠΟΤΙΟΛΟΙΣ. ΔΙΣ. ΤΟ. ΔΕΥΤΕΡΟΝ
ΜΕΤΑ. ΔΕΥΤΕΡΟΝ. ΚΛΗΡΟΝ. ΣΤΗΣΑΣ. ΤΟΥΣ
ΑΝΤΑΓΩΝΙΣΤΑΣ. ΣΕΒΑΣΤΑ. ΕΝ. ΝΕΑΠΟΛΙ

Et quæ sequuntur; *Quinquennales* fortasse hos ludos arbitraris? Audi Cornelium Tacitum [2]: *Inter quæ Tribuni plebeji petivere ut proprio sumptu ederent ludos qui de nomine Augusti Fastis additi, Augustales vocarentur. Sed decreta pecunia ex ærario, utque per Circum triumphali veste uterentur. Curru vehi haud permissum.* Mox celebratio annua ad Prætorem translata. In Calendario veteri legitur, IV. ID. OCTOB. AVGVST. hoc est, *Augustalia. Fortunæ Reduci* voverat *Augustus* ex Sicula peregrinatione, voluitque [3] τύχῃ τε ἐπαναγώγῳ βωμὸν ἱδρυνθῆναι, καὶ τὴν ἡμέραν ἐν ᾗ ἀφίκοιτο, ἔν τε ταῖς ἱερομηνίαις ἀριθμεῖσθαι καὶ Αὐγουστάλια ὀνομάζεσθαι. *Fortunæ Reduci* Aram sacrari, & diem qua redierat in *Fastis* scribi, & *Augustalia* dici. Tantum abest ut cum Quinquennalibns conjungantur. A Senatu postea ludi instituti sunt octennio posteriùs *Ælio Tuberone*, & *Paulo Fabio* Coss. Fortasse id a *Suida* idibus *Octobris* Præfectos Regionum & *Augusti* observatores saltare solitos. Non tamen *Augustales* appellandi sunt ii ludi, quos die natali *Augusti* celebrabant in Circo. Tacitus [4] sic scribit: *Ludos Augustales tunc primùm cœptos turbavit discordia & certamine histrionum* (de *Tiberio* loquitur). *Indulserat ei ludicro Augustus dum Mœcenati obtemperaret effuso in amorem Batylli. Neque ipse abhorrebat a talibus studiis, & civile rebatur misceri voluptatibus vulgi. Alia Tiberio morum via.* Locus superiori contradicit. De *Tiberio* ait; *Tunc primùm cœptos ludos*; qui tamen multos annos antè in Fastos erant adscripti. *Lipsius* lectionem emendat. *Ludos Augustales, tunc primum cœpta discordia.* Doctè.

Fortuna Redux.

LUDI EPHEBORUM.

Epheborum cœtus, quos *Neapoli* fuisse *Strabo* scribit, ad corporis exercitationem refero, cùm dicat *Suetonius Augustum* in insula *Capreaum* triduum ad otium impendisse, & exercentes Ephebos assiduè spectâsse, quorum adhuc aliqua copia ex veteri instituto *Capreis* erat. Et apud *Vitruvium Ephebeum* ea Palæstræ pars dicitur, in qua sese Ephebi exercebant, vocabatur. Et idem Suetonius [5]: *Idem Pyrrichias quasdam e numero Epheborum.* Atque ea exercitatio tantæ auctoritatis erat in *Græcia*, ut a *Pelleneis* in *Achaicis* ad Remp. nemo admitteretur, nisi antea puberum exercitationes obiisset. Et *Pausanias* in *Laconicis* scribit *Lacedæmonios* inter alios duos Magistratus habuisse, *Ephoros*, & *Bidiæos*. *Ephoros* gravioribus præfuisse negotiis, & Bidiæos curasse πλαλανιστά, & alia Epheborum ludicra. ibidemqne paulò post regiunculam describit, *Platanistum* appellatam. Campus scilicet is, in qno *Ephebi* certabant, *Euripo* veluti insula mari circumfluus. Ad eum per pontem aditus patebat, & in altera pontium parte *Herculis* erat signum, in altera *Lycurgi* effigies, qui non tantùm universæ Reipublicæ leges tulerat, sed etiam Epheborum exercitationibus & pugnis. Addidit item in *Ephebeo* ante pugnam pueros sacrificare solitos. Tum Epheborum classem caninum catulum *Marti Euryalio* mactâsse, fortissimo nempe Deorum; & inter *Colophonios* & *Spartanos* illud præcipuè convenisse, ut inter Ephebos sacra fierent, in quibus ad pugnam apros duos irritarent, atque usu evenisse ut utrius classis aper victor discesserit, & de juvenum ludis in *Plataneto* palmam abstulerit. Postero die solitos esse pueros ante meridiem per pontes in Circum *Euripo* circundatum transire, & superiore nocte, quâ aditus parte alterum agmen esset ingressurum, sorte fuisse permissum. Pugnâsse verò hujusmodi, ut infestis manibus & calcibus insultarent, morsibûs etiam fœdarent corpora, atque oculos plerumque sibi invicem eruerent. Binos congredi solitos, confertim deinde junctis agminibus unam alteram aciem in aquam detrudere consuevisse. *Ephebeum*, *Dromumque* locum appellabant, in quo etiam Gymna-

Ephebeum. Pyrrhichiæ. Ephori. Bidiæi. Plataneum. Dromus.

[1] Lib. 13. C. 26. [2] Lib. 1. [3] Dio Cass. Lib. 54. [4] Lib. 1. [5] In Nerone.


TAB. VII.
Fig. 1.
ΝΕΟΠΟΛΙ
ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ
ΝΕΟΠΟΛ
ΝΕΟΠΟΛΙ
ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ
ΝΕΟΠΟΛΙΤ
ΝΕΟΠΟΛ
Fig. 2.
Fig. 3.
PONTIF MAXT R POTEIMPEPP
S C
NERO CLAVDIVS CÆSAR AVG GERMAN
Fig. 4.
DN THEOD AHATVS REX
S C
Fig. 5.
+ IESVS CRISTVS BASILEVS BASILEON
+ IESVS CRISTVS BASILEVS BASILE
+ IESVS CRISTVS BASILEVS BASILE ON.
+ BASILI OSEN ΕΕΟ BASILEVS ROMΕΟΝ
BASILIOS BASILEVS
ΘΕΟΦΙ LOS BASIL
ΘΕΟΦΙ LOS BASIL
IC HS NI KA
+ ΡΩΜΑ EN ΘΕΩ BASILEYS ΡΩΜΑΙ ΩΝ
+ ΡΩΜ EN ΕΕΩ BASILEYS ΡΩΜΑΙ ΩΝ
LEON EN ΕΕΟ BASILEVS ROMΕΟΝ

mnasia erant; De *Dromo* idem auctor: καλῦσι δὲ Λακεδαιμόνιοι Δρόμον. ἔνθα τοῖς νέοις κ̀ ἐφ' ἡμῶν ἔτι δρόμȣ μελέτη καθέστηκεν. *Est apud eosdem Dromus dictus. qui locus mea quoque ætate adolescentibus ad cursus meditationes est attributus.* Hinc Chorus, & Gymnopædia. Sic enim; χορὸς δὲ ȣ̃τος ὁ τόπος καλεῖται πᾶς, ὅτι ἐν ταῖς γυμνοπαιδίαις (ἑορτὴ δὲ εἴ τις αἱρετὴ κ̀ αἱ γυμνοπαιδίαι διὰ σπȣδῆς Λακεδαιμονίοις εἰσίν) ἐν ταύταις ȣ̃ν οἱ ἔφηβοι χορȣ̀ς ἱστᾶσι τῷ Ἀπόλλωνι. *Chorus autem tota ea Fori pars dicitur ob eam causam, quod Gymnicis puerorum ludis (Gymnopædias ipsi vocant) qui maximè solemnes sunt, puberes Apollini Choros agitant.* Nec procul a *Therapne Ephebeum* esse dicit, & in eo *Castorum* delubrum, ut hujusmodi etiam *Neapoli* ædificatum conjiciamus. A *Sparta Arcadiam* versus *Achillis Fanum* positum erat, quod recludi religio erat; at puberibus omnibus quicunque ad *Platanetum* pugnaturi descendebant, solemne erat ante pugnam *Achilli* rem divinam facere. Alia pueris de cursu & lucta proposita fuêre præmia septima & tricesima *Olympiade* apud *Eleos*, cùm nulla certamina puerorum antea instituerint, ut idem *Pausanias* scribit afferens *Phidiæ* ætate nulla puerorum ludicra fuisse instituta; & *Cratinum Achæum* omnium ea ætate fortissimum, cùm luctandi arte omnes vicisset, pueris in palæstra dejectis obtinuisse ab *Eleis* ut exercitationis Magister statueretur; & *Lysandrum Ephesium* pugilem de puerorum certamine victoriam consequutum, & *Gnathonem Dipæensem*, & *Lycinum Eleum* puerorum pugilatu victores ex *Olympia* discessisse; quibus addidit *Evanoridem Eleum*, puerilis luctæ *Olympiæ* & *Nemeæ* victoriam esse adeptum. Maximè tamen extollit *Rhodium* palæstritam, qui cùm tener admodum *Pancratium* puerile iniisset *Olympiæ*, amissa ob ætatis imbecillitatem palma, mox in *Ioniam* ad *Smyrnæos* venit. tantùm verò roboris ei accesserat, ut eodem die, & quos in *Olympia* adversarios habuerat, & in puerili ludicro, & tertio loco virorum quemque optimum *Pancratio* superarit; ubi his verbis utitur: παγκρατιάζοντι ἐν παισίν. & paulò pòst; καὶ ἐπὶ τοῖς παισὶν, ȣ̃ς ἀγενείȣς καλȣ̃σι. Equestre item commemorat puerorum curriculum, & id esse duo iterata curricula scribit, quem currendi morem *Nemiacis*, & *Isthmiacis* ludis intermissum restituit *Adrianus* Imperator. Quamobrem non ad libidinem ut malè senserunt aliqui, sed ad luctæ, pugilatûs, pancratii, aliorumque ludicrorum certamina *Ephebos* traducamus, necesse est. & explodendi ii sunt, qui *Chalcidensium* amores ex *Plutarcho* in Disputatione amatoria huc transferunt, apud quos canebatur:

Puerorum præmia.

Victores Epheborum.

Veneres pueri patresque sortiti bonos
Formæ ne consuetudinem abnuite probis.
Nam fortitudo & amor per Chalcidensium
Viget urbes ———————

Quod si virtutis exercitatio illa non fuisset, non essent ab *Aristodemo*, qui effœminato animo erat, adepta *Cumanorum* tyrannide, *Gymnasia* & *Ephebi* sublati, ut scribit *Halicarnasseus* [1].

Non tamen negabo *Ephebiam* apud *Maccabæos* reprehensam, quam more Gentilium *Hebræi* introduxerant. Aliqui ἡβητήρια & *Ephebia*, non lupanaria, sed popinas & ganeas intelligunt *Neroniano* Gymnasio adjunctas, in quibus illum cantâsse refert *Philostratus*. Alii *cellas Ephebo-rum* arbitrantur, in quibus commorantes legibus Athleticis vivebant, & unguentis vacabant ad comparandum robur. Alii cum locum esse dicunt, quem veteres τὸ παράσιτον dixere, in quo primitias sacri frumenti Gymnicorum sumptibus recondebant ludorum Curatores, excipiendis epulis iis, qui in Parasitorum *Herculis* numerum essent adsciti, de quibus loquitur *Athenæus* [2].

[1] Lib. 7. [2] Lib. 6.

Libidinosæ Ephebiæ exemplum a *Bongiis* apud *Indos*, quæ tamen Evangelicæ prædicationis cultu est antiquata. *Neapoli Ephebeum* Gymnasio quoque fuisse conjunctum; animadverti ex Strabone [3]: πλεῖστα δ' ἴχνη Ἑλληνικῆς ἀγωγῆς ἐνταῦθα σώζεται γυμνάσιά τε κ̀ ἐφηβιακὰ φρατρίαι, κ̀ ὀνόματα. *Ritus, & educationis Græcorum hoc in loco plurima servantur, Gymnasia, Epheborum cœtus*; Et quæ sequuntur.

LUDUS LAMPADODROMICUS.

Ἑλλώτια.

In *Callimacho* (*Siculum Timacum* citat *Rhodiginius* [4]) *Diotimus Atheniensium* classis Præfectus, bellum cum *Siculis* gerens, *Neapolim* ad *Parthenopes* oraculum venit, & peractis sacris, festum indixit, in quo juvenes ardentibus facibus concurrerent antiquo *Atheniensium* more, quem profecto memoria dignum effecerunt *Neapolitani* nummi, in quibus hujusmodi fax * depicta est; Et Lycophron, qui de *Neapoli* loquens, ait:

Diotimus Dux Atheniensium.

* Vide Tab. VII. Fig. 1.

Οὗ σῆμα δωμήσαντες ἔγχωροι κόρης
Λοιβαῖσι κ̀ θύσθλοισι Παρθενόπην βοῶν
Ἔτεια κυδανȣ̃σιν οἰωνὸν θεάν.

Ubi templum indigenæ extruentes puellæ
Libaminibus Parthenopen ex sacrificiis boum
Quotannis honorabant volucrem Deam.

Ut jam tum ab initio scias *Sirenis* imagine pennata *Parthenopen* a *Neapolitanis* fuisse cultam. Deinde *Diotimum* celebrat, qui sacrificium eô pactô, quô in *Ceramico* ab *Atheniensibus* institutum fuit, ediderat, & aliarum *Sirenum Parthenopen* sororem facit:

Πρώτη δὲ κ̀ ποτ' αὖθις συγγόνων θεᾷ
Κραίνων ἁπάσης μόψοπος ναυαρχίας
Πλωτῆρσι λαμπαδȣ̃χον ἐνθυνεῖ δρόμον
Χρησμοῖς πιθήσας. ὅν ποτ' αὐξήσει λεὼς
Νεαπολιτῶν, οἳ παρ' ἄκλυστον σκέπας
Ὅρμων Μισηνȣ̃ στύφλα νάσσονται κλίτη,

Primæ porrò quondam sororum Deæ
Imperator totius Atticæ classis
Vectoribus Lampadiferum instituit cursum
Oraculis obtemperans; quem augebit populus
Neapolita, qui prope tranquillum tegmen
Miseni portuum saxosa habitabit promontoria.

Græci, Ἀγῶνας λαμπαδȣ̃χȣς, id vocabant ludicrum; & Ἑλλώτια, dictum ab *Hellotide* Virgine. *Pindari* Scholiastes in illud in *Olympicis*:

--- --- --- τρία μὲν
Ἔργα ποδαρκὴς ἀμφὶ κόμαις,
Ἑλλώτια δὲ ἑπτάκις --- ---

Tria certamina celeripes dies
Posuit pulcherrimas circum comas,
Hellotia autem septies vicit.

Scribit, nomen hoc habuisse *Minervam* ab ea, quæ est in *Marathone* palude, in qua colitur. Et festum diem *Minervæ* celebratum in *Corintho*, in quo etiam certamen fiebat, λαμπαδοδρομικὸς appellatum, in quo currebant juvenes *Lampades* habentes. Id festum tunc primum celebrari cœptum, cùm *Bellorophontis* equo Dea fræna imposuit, atque eum interfecit. Vel quoniam *Dorienses* cum *Heraclidis* invadentes *Peloponnesum*, *Corinthum* subjecere, igni eam urbem tradentes. Quamobrem mulieribus in deprædatione fugientibus, quædam ipsarum unà cum *Eurythione* & *Hellotide* in *Minervæ* ingressæ templum, periculum effugere sibi persuaserunt. Quod cùm accepissent *Dorienses*, contra eas ignem miserunt. Equidem aliæ effugerunt. Sed *Eurythione* & *Hellotis* sorores existentes in campo, combustæ sunt. Peste verò incidente, non priùs morbum defecturum dixit oraculum, quàm placarent Virginum animas, & *Hellotidis Minervæ* templum conderent, & festum *Hellotia* publicarent. Cur igitur hac de causa *Minervæ* quo-

Lampadodromici occasio.

[3] Lib. 4. [4] Lib. 11. C. 27.

quoque habuisse templum *Neapolitanos* non existimabimus? Et cur virginis *Parthenopes* animam hisce ludis placari potuisse ob deserta pestis labe loca, conjicere non licebit?

Lampadum certaminis ratio.

Ludi speciem sic proponit Pausanias [1]: Ἐν Ἀκαδημίᾳ δέ ἐστι Προμηθέως βωμός. καὶ θέουσιν ἀπ' αὐτοῦ πρὸς τὴν πόλιν ἔχοντες καιομένας λαμπάδας. τὸ δὲ ἀγώνισμα, ὁμοῦ τῷ δρόμῳ φυλάξαι τὴν δᾶδα ἔτι καιομένην ἐστίν. ἀποσβεσθείσης δὲ οὐδὲν ἔτι τῆς νίκης τῷ πρώτῳ, δευτέρῳ δὲ ἀντ' αὐτοῦ μέτεστιν. εἰ δὲ μηδὲ τούτῳ καίοιτο, ὁ τρίτος ἐστὶν ὁ κρατῶν. εἰ δὲ καὶ πᾶσιν ἀποσβεσθείη, οὐδείς ἐστιν ὅτῳ καταλείπεται ἡ νίκη. *In Academia Promethei ara est, a qua homines in urbem accensas lampades proferentes decurrunt. In eo enim certamen est, ut in cursu accensæ conserventur. Cujus enim fax extincta fuerit, is victoria successori cedit; eademque ratione ille tertio. Quod si nulli ardentem perferre licitum fuerit, palma in medio relinquitur.* Quæ his verbis videtur velle elucidare; Certaminis lex erat toto cursu inextinctam servasse facem. Siquidem cùm flamma perit primò & victoriæ spes. Præstò autem secundus est; cui si itidem extinguatur, eo dejecto subit tertius*, ac ita deinceps. Nemini prorsus victoria relicta, si omnibus lampadum interextincta flamma evanuerit.

* *Vide Tab. VII. Fig. 2.*

Lampadum jactatio.

Hyginus ex *Promethei* consuetudine factum scribit, ut cursores in Palæstra lampada jactarent, quam primus cursu defatigatus secundo integro tradebat. Meminit *Auctor ad Herennium*, non illum in Palæstra, qui tædas ardentes accipit celeriorem esse in cursu continuo, quàm sit ille qui tradit. *Herodotus* [2] de *Persarum* cursoribus loquutus, subdidit alium alii mandata tradere solitum, quemadmodum apud *Græcos* fax traditur, quam *Vulcano* per vices ferre cursores perseverant. Hunc ludum Plato ad hominum vitam transtulit [3]: τεκνοῦντες καὶ ἐκτρέφοντες παῖδας, καθάπερ λαμπάδα τὸν βίον παραδιδόντες ἄλλοις ἐξ ἄλλων. *Gignentes & alentes liberos, vitam tanquam lampada aliis ex aliis tradentes.* Ideoque Persius [4]:

Lampadum cursus refertur ad vitam.

Qui prior es, cur me de cursu lampada poscis?

Quò pertinet Varronis [5]; *Sed o Merula, Axius noster dum hæc audit, physicam addiscat, quòd de fructu nihil dixi, Cursu lampada tibi trado.* Quare & Lucretius:

Et quasi cursores vitai lampada tradunt.

Neque tantùm vitæ cursum, sed etiam civium inertiam hoc adagio notarunt. Aristophanes in Ranis:

Λαμπάδα δ' οὐδεὶς οἷός τε φέρειν.

Jam nemo queat gestare facem.

Quæ de *Prometheo* & *Vulcano* diximus, confirmat *Harpocratio* [6], qui scribit *Lysiam* scribere, *Athenienses* tria ludicra Lampadum celebrâsse: Παναθηναίοις, καὶ Ἡφαιστείοις, καὶ Προμηθείοις. Apud *Pelleneos Liberi* Patris templum est, quem λαμπτῆρα dicunt a luminibus. Diem festum *Lampteriam* dicarunt illatis noctu intra ædem accensis facibus, passimque per urbem dispositis vini cadis. Aliud Facis festum illud est, quod *Argivi* ad *Hypermnestræ* honorem invenerant. Convenit illa cum *Lynceo*, ut cùm *Danai* insidias effugiens in tutum se locum recepisset, indè facem ostenderet. Quod factum est, dum esset in oppido *Lyrcea Lyncus* de quinquaginta fratribus unus necis periculo liberatus. idemque fecit *Hypermnestra*, quæ a *Larissa* facem protulit, periculum evasisse significans. Ab *Argivis* dies festus quotannis hac de causa celebratus, qui *Fax* dicebatur. Ad superiora *Neapolis* ludicra rejeci Facem illam, quæ in cippo marmoreo Figulorum est in Regione *Nili*. Nec ab iis hac tempestate *Neapolitani* abhorrent, qui *Facium* choreas, *Bacchanalibus* præsertim exercere solent. Habebant itaque *facium* Sacra cum *Cerere*, *Lampadodronicum* cum *Parthenope*, eademque in palæstra.

Tria Lampadum ludicra.

Lampteria.

Aliud Facis festum.

[1] In Atticis. [2] Lib. 4. [3] Lib. 6. de Legibus. [4] Satyr. 6. [5] Lib. 3. de re Rust. [6] In Lexico decem Rhetorum, voce λαμπάς.

LUDI GLADIATORII.

Gladiatorii muneris testem habemus illustrissimum, lapidem quem legisse memini, & citat *Neapoli Lipsius*, & Coloniam quoque *Neapolitanam* renovat:

L. EGNATIO. INVENTO. PATRI
L. EGNATII. POLLII. RVFI
HONORATI. EQVO. PVB.
AB. IMPERATORIBVS. ANTONINO. ET. VERO. AVG.
HIC. OBLITERATO. MVNERIS. SPECTACVLO
IMPERATA. EDITIONE. AB. INDVLG. MAX. PRINCIPIS
DIEM. GLADIATORVM. ET. OMNEM. APPARATVM
PECVNIA. SVA. EDIDIT. COLONI. ET. INCOLAE
OB. MVNIFICENTIAM. EIVS
L. D. D. D.

Aliud in *D. Mariæ Liberæ:*

M. BASSAEO. M. F. PAL. AXIO. PATRONO. COLONIAE
CVR. R. P. II. VIR. MVNIFI. PROC. AVG.
VIAE. OST. ET. CAMP. TRIB. MIL. LEG. XIII.
GEM. PROCOS. CALABRIAE.
OMNIBVS. HONORIBVS. CAPVAE. FVN.
PATRONO. COL. LVPIENSIVM. PATR. MVNICIPI
HYDRENTINORVM. VNIVERSVS. ORDO. MVNICIPI
OB. REMP. BENE. AC. FIDELITER. GESTAM
HIC. PRIMVS. ET. SOLVS. VICTORES. CAMPANIAE
PRETIS. ET. AESTIM. PARIA
GLADIATORIA. EDIDIT
L. D. D. D.

Carbonariæ ludi.

Reliquus *Neapoli* usus muneris fuit, qui a *Francisco Petrarcha* ad *Joannem Columnam* describitur, qui ad Carbonariam emanavit: *Quid autem* (inquit) *miri est, si quid per umbram noctis, nullo teste petulantiùs audeant, cùm luce media inspectantibus Regibus ac populo, infamis ille Gladiatorius ludus in urbe Itala celebretur barbarica feritate? Ubi more pecudum sanguis humanus funditur, & sæpe plaudentibus insanorum cuneis, sub oculis miserorum Parentum infelices filii jugulantur, juguloque gladium cunctantiùs excepisse, infamia summa est, quasi pro Republica, aut pro æternæ vitæ præmiis certetur? Illuc egò pridem ignarus omnium ductus sum ad locum urbi contiguum. quem Carbonariam vocant, non indigno vocabulo, ubi scilicet ad mortis incudem cruentos fabros denigrat tantorum scelerum officina. Aderat Regina, & Andreas Regulus* &c. Quamobrem ingemuit:

Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum.

Baldus etiam *Neapoli Carbonariam* refert, in qua civilia odia gladiis decernebantur. & miror *Paridem* de Puteo scripsisse monomachias illas emolumento *Neapoli* fuisse, quando inter milites & nobiles odia gladio extinguebantur, & plerosque formidine pœnæ cessâsse ab offensis. Judicum copiam astitisse affirmat; & *Longobardorum* fuisse institutum. Ibi hastiludia postea fuisse instituta scribit, & domum habuisse *Robertum* Regem ad videnda spectacula. *Mediolani* locum describit Sigonius [7], qui *Campi*, *& Carbonaria* dicebatur, in quo *Landulfus Mediolanensis* Archiepiscopus ab hostibus victus est; & in quo multos *Gallos* a *Romanis* devictos fuisse asserit *Gregorius Turonensis*. *Sigebertus* ad *Lotharingiam Carbonariam* sylvam esse dicit, in qua prodere *Hungaros Conradus* Rex desiderabat anno 953. Quod si humanis gladiatoria spectacula prohibentur legibus, ait enim Constantinus in Codice: *Cruenta Spectacula, in otio civili, & domestica quiete non placent, quapropter omnino Gladiatores esse prohibemus*; maximè etiam decuit μονομαχίας a *Romana* Ecclesia explodi. *Theodoretus* narrat sublatas esse ab *Honorio Telemachi* cujusdam monachi occasione, qui Gladiatores *Romæ* pugnantes pio quodam ardore deducere conatus, a populo lapidibus obrutus fuit. Neque hoc tempore precibus illis opus est a Prudentio explicatis:

Monomachia exploditur.

Quod

[7] Lib. 3. de Regn. Ital.

Quod genus & sceleris jam nesciat aurea Roma,
Te precor Ausonii dux augustissime Regni,
Et tam triste sacrum jubeas, ut cetera, tolli.

CAP. XVII.

De Theatro Neapolitano.

PARVA *Neapolitani* Theatri vestigia servantur apud *Julii Cæsaris Jannetasii* domum; sed *Senecæ*, *Suetonii*, *Taciti*, & *Papinii* testimonia ob oculos ponunt. Seneca hujusmodi describit: *Quotiens scholam intravi præter ipsum Theatrum Neapolitanum (ut scis) transeundum est Metronactis petentibus domum. Illud quidem fartum est; & hoc ingenti studio quis sit Pythaules bonus judicatur. Habet tibicen quoque Græcus & præco concursum. At in loco in quo vir bonus discitur, paucissimi sedent, & hi plerisque videntur nihil boni negotii habere, quod agant, inepti & inertes vocantur.* Habes itaque Scholam & Theatrum, fines ad *Metronactis* ædes, *Neapolitanam* desidiam, plures enim ad tibicinem concurrebant, quam ad Scholam in qua disciplinæ ediscebantur. Quid verò *Pythaules*? *Turnebus* explicat, qui *Pythaulas* legit, & eorum ornamentum musicum ait dolium, quemadmodum *Camptaularum* (quorum meminit *Vopiscus*) imitabatur utriculum; eosque tibicines esse, qui *Pythia* canebant, nam Hyginus in Fabulis; *His quoque ludis Pythaulæ qui Pythia cantaverunt.* In epistola ad *Pisones* Horatius:

——— qui Pythia cantat
Tibicen, didicit priùs, extimuitque magistrum.

Varro *Triotide*; *Priusquam in Orchestra Pythaules inflet tibias, domi suæ ramices rumpit.* Laudat *Eleatherem* Pausanias, qui *Pythiam* palmam tulerit vocis causa. Huc fortasse idem respexit in pictura quadam apud Eleos: ἐν μέσῳ δ' αὐτῶν ἀνὴρ ἑστηκὼς ἐπαυλεῖ, καθ' ὅτι ἐφ' ἡμῶν ἐπὶ τῷ ἅλματι αὐλεῖν τῶν πεντάθλων νομίζουσιν. *Inter eos tibicen eo ritu tibiis canens quo solent ætate nostra qui modos saltantibus præcinunt Quinquertionibus. Pythaulæ* verò, tibicines, & Præcones, in theatro decertabant. Et Præcones omnibus in ludis silentium imperabant, & indicebant cursum, ut in *Sophoclis Electra*, deinde in Theatrum citharœdos & tibicines inducebant. Omnesque ludos tibicines habuisse scimus, quòd *Hyperides* in oratione contra *Patroclem*, *Nemeadis* tibicinæ meminit, quæ quoniam sic appellabatur ludorum nomine, qui Magni erant, ejus nomen Athenienses præteribant, ut auctor est Athenæus[1]. Consulendus autem Vitruvius est qui doceat, quæ de *Neapolitano* theatro innuit *Seneca*, quod *fartum* erat, ubi ingenti studio judicabatur, quis bonus esset *Pythaules*; quippe maxima in hujusmodi theatris extruendis ratio habebatur, ut per harmonicen ad augendam vocem essent ædificata. In *Mathematicis* rationibus vasa proponit pro ratione magnitudinis theatri, ut sonitum inter se facere possent Diatesseron, & Diapente. Quæ omnia planè patefaciunt quàm fuerint *Neapolitani* Musices studiosi. Aliud indè prodit hujus theatri testimonium. *Suetonius*[2] enim scribit *Neronem*, ut ostenderet quid cum *Terpno* Citharœdo profecisset in theatri nostri scena cantasse; Ubi ne concusso quidem motu terræ ante cantare destitit, quàm inchoatum absolveret νόμον. Ibidem sæpius, & complures cantavit dies. Tertio utimur *Taciti* testimonio[3], qui labefactatum scribit theatrum, cùm indè populus abiisset, quod *Nero* ad suam ipsius felicitatem revocavit; atque per compositos cantus grates diis celebravit. atque tanta canendi ambitione captus est, ut cùm modulatas *Alexandrinorum*, qui *Neapolim* confluxerant, laudationes audivisset, plures *Alexandria* evocavit; se ita canentem non nisi *Græcis* placere posse: eosque se & studiis suis dignos affirmans, cùm in *Achaja* Legati rogâssent, ut super cœnam cantaret. Quamobrem ex eo theatro gloriam sibi comparaturum credidisse affirmat. Indè enim initium ferè ut transgressus in *Achajam*, insignesque & antiquitus sacras coronas adeptus, majore fama studia civium eliceret. Indè etiam contractum oppidanorum vulgus, e proximis Coloniis & Municipiis, quod ejus fama acciverat. Quare ob theatrum frequentissimam redditam esse *Neapolim* intelligimus, & sibi persuasisse *Neronem*, magnos honores *Neapoli* esse adeptum, ex antiquis sacrorum ritibus, in quibus coronas ipse acquisiverat. Militum quoque manipulos theatrum complêsse, idem *Tacitus* affirmat. Et cum *Neapolitano*, *Beneventanum* eo tempore habes Theatrum, ubi idem consedit ad munus gladiatorium visendum, quod celebre a *Vatinio* edebatur. Hinc fortasse hujusmodi Numisma* cernimus ob canendi victoriam.

Romæ quoque *Gallionis* voce incitatus Citharœdico habitu fuit in theatro; sorteque cum Citharœdis contendere voluit ut parem cum iis sortiretur conditionem, sic enim Suetonius[4]: NERO *nomen suum in albo profitentium Citharœdorum jussit ascribi: sorticulaque in urnam cum ceteris demissa intravit ordine suo*, puta ut omnium par esset conditio. At non tantum laudis, quantum dedecoris theatrum *Neapolitanum* accepit a *Nerone*, qui *Græcanica* ibi voluptate usus est. An verò civis hac de causa effectus? Quid de *Archia* observatum scribit Cicero[5] in oratione quam pro ipso dixit? *Etenim cum mediocribus multis, & aut nulla, aut humili aliqua arte præditis gratuitò civitatem in Græcia homines impertiebantur, Rheginos credo, aut Locrenses, aut Neapolitanos, aut Tarentinos, quòd scenicis artificibus largiri solebant, id huic summa ingenii prædito gloria noluisse?* Quartò testatur Statius:

Quid nunc magnificas species, cultusque locorum
Templaque & innumeris spatia interstincta columnis,
Et geminam molem nudi tectique Theatri,
Et Capitolinis Quinquennia proxima lustris?

Habes ex his testibus Theatrum. Sed ambigua dixit verba *Statius*, quid enim sibi vult: *Moles gemina nudi tectique theatri?* Explicat *Lipsius* in suo *Amphitheatro:* Nudum theatrum, arenam sive caveam, & aream intelligi, quæ aperta est. Tectum theatrum illud esse quod porticibus continetur, quo spectatores se recipiebant ingruente pluvia. Tectum alio pacto theatrum non legi, nisi aliquo id artificio factum fuisset. *Plinius*[6] enim, *Quinctum Catulum* in theatris umbram fecisse scribit, cùm *Capitolium* dedicaret, velis purpureis; de quo Valerius Maximus: *Quinctus Catulus Campanam luxuriam imitatus, primus spectantium consessum velorum umbraculis texit. Xiphilinus* scribit vela purpurea fuisse, & in iis mediis *Neronem* acu pictum, currum agitantem instar Solis, & circumpositas aureas stellas. Et *Lentulus Spinther Apollinaribus* ludis carbasina vela primus in theatra duxisse traditur. Et Suetonius de *Caligula: Ductis interdum in flagranti Sole velis, emitti quemquam vetabat.* Hinc Martialis de *Hermogene* fure:

Quamvis non modico caleant spectacula Sole,
Vela reducuntur cum venit Hermogenes.

Et Lucretius[7]:

Margin notes: Schola & Theatrum. — Pythaules. — Præcones. — Tibicen. — Musica in theatris. — * Vide Tab. VII. Fig. 5. — Gallio. — Gemina moles theatri. — Vela in theatris.

[1] Lib. 13. [2] Cap. 20. [3] Lib. 15.

[4] In Nerone. C. 21. [5] Cap. 5. [6] Lib. 19. Cap. 1. [7] Lib. 4.

K Et

Et vulgò faciunt id lutea, rufaque vela
Et ferruginea cum magnis intenta theatris
Per malos vulgata, trabesque trementia pendent
&c.

Spectatores quoque colore ferientibus radiis infectos adjungit. Nudum præterea theatrum id fuit, in quo sedebant spectatores, & subsellia geminam molem constituerunt, quando duo juncta theatra Amphitheatrum efficiebant; absque tamen scena quæ in theatro erat. Dio: θέατρόν τε κυνηγετικὸν ἰκριώσας, ὃ καὶ ἀμφιθέατρον, ἐκ τοῦ πέριξ πανταχόθεν ἕδρας ἄνευ σκηνῆς ἔχειν προσερρέθη. *Theatrum quoque ad venationes aptum ædificavit; quod quia undequaque habet sedes, scenaque caret, Amphitheatrum cognominatum est.* Sed si *Senecæ* verba animadvertemus, cui *sartum* theatrum est, quid nudam aream huc proferimus? Quid præterea moles appellanda est nuda pars theatri? qua mole Caveam aëre circumfusam, dicemus ædificatam? Dicerem sane, *Neapolitanum* theatrum hujusmodi Amphitheatrum constituisse, ut una pars cum Orchestra & Scena theatrum efficeret, idque sartum ad Musices numeros; altera nuda Amphitheatri caveam ostenderet; atque hujusmodi nudum, tectumque theatrum. Ut in theatro ludos a pace & otio non alienos exercerent, *Poëtices*, *Musices*, *Rhetorices*, Comœdiarum oblectamenta; Et in cavea venationes, ludos gladiatorios, & hujusmodi cetera celebrarent. Sed si aliquem offendat quod *Statius* Amphitheatri mentionem non fecit; omnem offensionem depellat ejus vocis ratio, confunduntur enim theatrum & amphitheatrum. Scimus etiam Geminum theatrum amphitheatrum dici in Ovi speciem, ait enim Calpurnius:

Et geminis medium se molibus alligat ovum.

Sunt qui de Amphitheatro *Neapolitano* ambigant, gladiatorum & ferarum loco in ea urbe *Cupidines*, *Veneres*que pugnasse contendentes; sed in memoriam revocent *Cumanas Bajanas*que voluptates Amphitheatrorum spectaculis non fuisse deperditas; quod gladiatoria munera in nostris lapidibus nos docent. Et hujusmodi ludos *Græcorum* fuisse proprios, & ab *Atheniensibus* ortos, testatur Cassiodorus qui [1] scribit: *Hunc ludum crudelem Athenienses primum ad civitatis suæ perduxere culturam, justitia permittente Divina.* Et *Lucianus* Bestiarios *Athenis* datos confirmat: præter *Aristidis* testimonium in *Panathenaico.*

Cap. XVIII.

De Circo Neapolitano.

CUM Theatro Circum conjungit Statius;

——— *certè lascivia cordi*
Nulla, nec aut rapidi mulcent te prælia Circi,
Aut intrat sensus clamosi turba Theatri,

de *Neapoli* loquitur. *Gyrum* etiam nominat:

——— *ubi marmore picto*
Candida purpureo distinguitur area gyro.

Et alibi de Patre loquens:

——— *non toties victorem Castora gyro,*
Nec fratrem cestu virides plausêre Therapne.

Quapropter ad Castoris ædem Circus erat. *Gyri* vocem Circo convenire, verba Suetonii in *Julio* declarant; *Circensibus spatio Circi ab utraque parte producto & in gyrum Euripo addito* &c. & Tibullus Panegyrico ad Messalam:

Seu libeat curvo melius contendere gyro.

Colores in Circis.

Quod ad colores spectat, vel illud innuit quod a Cassiodoro scriptum est: *Bissena ostia ad* XII. *signa in Circo posita, & colores invicem temporum quadrifaria divisione fusos, Prasinum, virenti Verno; Venetum, nubilæ hyemi; Roseum, Æstati flammeæ; Album, pruinoso Autumno dicatum.* Vel potius illud Sidonii Apollinaris ad Domitium [2]; *Neque per scopulos Æthiopicos, & abrupta purpurea gemino furata Conchylio sparsa mihi saxa furfurem mentiuntur.* *Plinius* [3], ramentis lapidis candidi Circum sterni solitum scribit. *Nero* Chrysocolla arenam sparsit. *Caligula*, minio & Chrysocolla, auctore *Suetonio.* *Heliogabalus* pavimentum scobe auri, & argenti ornavit, dolens quod non posset Electri, ut ait *Lampridius.*

Circo præterea nunquam *Græci* caruere. Hujusmodi ædificia *Constantini.* Alii opinantur *Severi.* *Manasses* in Politicis (mihi novus auctor) citatus a *Bulengero* in Circo;

Τοῦτον ἀκούω δείμασθαι λουτρὸν τὸ τοῦ Ζευξίππου
Τὸ μέγα καὶ περίπυστον τοῦ Βυζαντίδος θαῦμα·
Καὶ τοῦτο δὴ τὸ θέατρον τῆς ψυχαγωγίας
Τὸ πόλεις ὅλας ἱκανὸν στέγειν καὶ γεναρχίαν
Ἐν ᾧ πρὸς τέρψιν θέουσι ἁμιλλητῆρες ἵπποι.

Hunc audio extruxisse Balneas Zeuxippi
Ex magnis & celeberrimis Byzantii miraculis,
Et hoc Theatrum oblectationis
Quod integras urbes & earum familias continere potest,
In quo ad lætitiam currunt equi certatores.

Ex cursu Theatri nomine Circum intelligit. Et theatrum quoque *Circum* appellatum fuisse quis ignorat? Doceant id in Circo Amphitheatrales ludi. Qui tamen ἱππόδρομος dictus est. Et is qui *Romæ* a *Plutarcho* dicitur μέγιστος τῶν ἱπποδρόμων. *Cedrenus* in *Severo*, ait eum Imperatorem *Zeuxippi* Balneum *Byzantii* condidisse, Circum inchoâsse, sed venationem & theatrum ædificâsse.

Sed quisnam luculentior testis, quàm *Castor* & *Pollux*? aut imagines quæ in eorum templo cernuntur, quas quoniam in vehiculis thensarum non conspicimus, in tympano sculptas contemplamur. Siquidem in *Circi* pompa, non modo thensæ, Victoriolæ, & alia ornamenta inducebantur, de quibus Ovidius [4]:

Sed jam pompa venit, linguisque animisque favete,
Tempus adest plausus, aurea pompa venit.

Exuviæ ferebantur in Circis.

Et thensarum vehicula, quibus exuviæ Deorum in Circum ferebantur, ex ebore erant & argento, ut ait Festus ex *Sinnio Capitone*, & *Titinnio* in Barbato, thensasque dicit *Asconius* a divinitate dici, δρόμον Glossæ appellant; sed etiam Imagines Deorum *Neptuni*, *Martis*, *Apollinis*, *Dianæ*, *Minervæ*, *Cereris*, *Bacchi*, *Pollucis*, *Castoris*:

Deorum imagines.

Plaudite Neptuno nimium qui creditis undis,
Plaude tuo Marti miles, nos odimus arma,
Auguribus Phœbus, Phœbe venantibus adsis,
Artifices in te verte Minerva manus.
Agricolæ Cereri, teneroque assurgite Baccho,
Pollucem pugiles, Castora placet eques.

Quæ omnes imagines in *Castoris* æde cernerentur, ni diruta vetustate fuisset. Nihil a *Græcorum* more alienum. Scribit *Pausanias* in *Phocicis*, *Lacedæmonios Atheniensibus* superatis, *Castores*, *Jovem*, *Dianam*, *Apollinem*, & cum his *Neptunum* dicâsse. Colebatur *Neptunus* in Circo, veluti *Venus* in Theatro, *Mercurius* in Palæstra, *Minerva* in Gymnasiis, *Mars* in arenis inquit Arnobius [5]. *Tertullianus* tamen ait Gymnicas artes *Castorum*, & *Herculum*, & *Mercuriorum* disciplina prodiisse. Sed præcipuè Circenses ludi *Neptuno* dicabantur. *Consus* hic dicebatur, cui Deo *Romulus Consualia*. & in Circo aram posuit ob *Sabinas* raptas. Ara subterranea erat, propterea quòd *Neptunus* terram possideat; sed cùm ludicrum in Circo dabatur, in lucem exibat. Hæc notatur Inscriptio a Tertulliano:

Neptunus in Circo.

Consus. Consualia.

CON-

[1] Lib. 5. ep. 42.

[2] Lib. 2. [3] Lib. 36. [4] Lib. 3. Amor. Eleg. 2. [5] Lib. 3.

CONSUS CONSILIO, MARS DUELLO. LARES COMITIO POTENTES. Sed *Castori*, *Polluci*, *Soli*, & *Pollentiæ* (quæ Potentia) pluribusque aliis Circus facer erat, ut ait *Isidorus*.[1] Idemque ex *Varrone*, *Neptuno* Equestri, *Castori* & *Polluci*, *Jovi*, *Marti*, & maximo Deorum *Vertumno* equos Circensibus fuisse consecratos scribit. Quid dilucidiùs expectas? *Vertumnos* in angulis conspicies, caudarum voluminibus doctissimè effictos. *Cicero Vertumnum* Circo adjicit *Castorem*que. Sunt qui *Vertumnum* in illa æde, ad aquæ referant elementum. Nam in quatuor elementorum honorem ludicrum Equestre, & in Festum *Solis*, ut ait Cedrenus in Chronicis a *Bulengero* citatis, fiebat; Καὶ ἐπετέλεσε πρῶτος ἱπποδρομίαν ἐν Ῥώμῃ (de *Romulo* loquitur) εἰς ἑορτὴν φασι τοῦ ἡλίου, καὶ εἰς τιμὴν τῶν τεσσάρων στοιχείων. Et quatuor ibi cernes elementa, ignem in *Vesta*, aërem in *Jove*, terram in *Cerere*, aquam in *Vertumno*; tum etiam *Apollinem* cum tripode. Sed Deorum illam seriem in *Circensibus* numerat *Halicarnasseus*, qui & *Græcis* ejus rei gloriam tribuit; scribitque finito equestri certamine, eos, qui juxta aurigas eodem curru vehebantur, quos Poëtæ παραβάτας, vel παραιβάτας, *Athenienses* ἀποβάτας dicunt, de curru desilientes, in Stadio inter sese certâsse, & peracto equestri cursu, Athletas, Cursores, Pugiles, & Luctatores stadium ingredi solitos. Quamobrem quàm benè Circum *Neapoli* ostendit *Pancratium?* Optimè Decursio in nummis. omnemque dubitationem tollit Stadium. Statius[2]:

Cum Stadio jam pigra quies canusque sederet
Pulvis, ad Ambracias conversa gymnade frondes
Trans gentile fretum ——————

Magis Circo *Castor* & *Pollux* egebant, quàm Theatro; nam si ludi Equestres in curriculo agitabantur, Pugiles quoque erant in Circo, ut ait Livius[3]: *Tunc primùm Circo, qui nunc Maximus dicitur locus designatus est, loca divisa Patribus Equitibusque ubi spectacula sibi quisque facerent, Fori appellati, spectavere foros duodenos ab terra spectacula alta sustinentibus pedes. Ludicrum fuit Equi, pugilesque ex Etruria maximè acciti solemnes. Deinde annui mansere ludi, Magnique variè appellati.* En tibi Circensis ædificii humilitatem, quæ ad tantam amplitudinem aucta est, ut etiam colorum luxum propagarit. Ipsa etiam ludorum ratio postulat, quippe ludi publici Cavea & Circo dividuntur, ut inquit *Cicero*[4]; & Pollux ὀνομας[5]. τῶν ἀγώνων, οἱ μὲν Γυμνασικοὶ, οἱ δὲ καλούμενοι Σκηνικοί. χωρία δὲ τῶν μὲν Στάδιον, τῶν δὲ θέατρον. *Agonum, alii Gymnici, alii Scenici. Loca ludis, Stadium, & Theatrum.*

At præcipuum Circi argumentum Tripos; qui in eodem tympano cernitur. Et *Constantinus* in Circo non modò Tripodes *Delphicos* statuit, sed & Tripodem illum nobilem, qui *Mardonio* victo a *Græcis Apollini* consecratus est. Zosimus de Διοσκούρων templo loquutus, subdidit, ἔστησε δὲ κατὰ τὸ τοῦ ἱπποδρόμου μέρος καὶ τὸν τρίποδα τοῦ ἐν Δέλφοις Ἀπόλλωνος ἄγαλμα. Et *Eusebius* serpentem additum Tripodi, qui in spiras volveretur, ab eodem *Constantino* scribit. Habemus in marmorea basi pulcherrimè effictum, in ædibus *Matalunensibus*. Dedicatos in palæstris tripodes scribit *Pausanias*, & ἀπύρους dictos, quasi ignis expertes, ab *Homero*. *Nazianzenus* locum Circi ἱππικὴν βασιλείαν, dicit. Ibi Equorum cursus. Exactè Circi figuram pinxit *Pyrrhus Ligorius Neapolitanus*, quam *Tertulliano* typographi addiderunt.

Pollentia.

Vertumnus.

Quatuor elementa.

Cavea, & Circus.

Tripos.

[1] Lib. 18. [2] Lib. 2. Sylv. v. 7. seq. [3] Lib. 1. [4] Lib. 2. de Leg. [5] Lib. 3.

CAP. XIX.

Gymnasia Neapolitana.

IN omnibus *Græcis* oppidis Gymnasia fuisse in quibus agones Gymnici darentur, scribit ex *Anacharsidis* dicto *Dio Chrysostomus* ad *Alexandrinos*, qui ait in iis locis, cùm ad Gymnasia venissent exutis vestibus pharmaco ungi solitos, mox cursu mutuò se dejecisse. alios manus extendentes pugnasse adversus hominum neminem, dum alii cædebantur. Abraso deinde pharmaco, amantes incedisse facto erubescentes. Præcipuæ civitates, in quibus Gymnica florebant, *Nicopolis*, *Neapolis*, *Antinoum*, *Mantinæa*, *Carthago*. *Neapolitana* Gymnica magno Imperatoribus fuerunt oblectamento. Suetonius in *Nerone*[6]; *Neapoli de motu Galliarum cognovit die ipso, quo matrem occiderat.* Et paulò infrà: *Statimque in Gymnasium progressus certantes athletas effusissimo studio spectavit.* In *Græco* lapide ad D. *Annuntiatæ* posito Gymnasium nostrum elucet:

ΤΙΤΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ
ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ
..... ΙΚΗΣ. ΕΞΟΥΣΙΑΣ. ΤΟ. Ι.
.. ΟΣΥΠΑΤΟΣ. ΤΟ. Η. ΤΕΙΜΗΤΗΣ
ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣΑΣ. ΤΟ. Γ. ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΣ
... ΥΜΠΕΣΟΝΤΑ. ΑΠΟΚΑΤΕΣΤΗΣΕΝ.
.... NI. F. VESPASIANVS. AVG. COS. VIII.
CENSOR. PP.
TERRAEMOTIBVS. CONLAPSA. RESTITVIT.

Titus Cæsar Vespasianus Augustus, trib. potestatis Cos. VII. .... certaminum præses III. Gymnasii præfectus, Censor conlapsum restituit. Ex *Græcis Latinisque* characteribus, *Romanam* dijudica Coloniam. Duplicem in eo Gymnasio exercitationem cognoscimus, litterariam unam, Gymnicam alteram. Habes duas illas in lapide voces: Ἀγωνοθετήσας, & Γυμνασιαρχήσας. Ad litterariam alludit Plinius in Epistolis; *Gymnasiis indulgent Græculi.* Et Cicero de sua *Academia* ad *Atticum*[7]; *Minerva est singulare ejus Gymnasii.* Idemque: *Tu velim, si qua γυμνασιώδη reperire poteris, quæ loci sunt ejus quem tu non ignoras, ne prætermittas.* Et *Eleos* Curiam in Gymnasio habuisse scribit *Pausanias*, & eò prodiisse, qui subitæ, vel meditatæ orationis cujusvis generis copiam profitebantur. Scholam appellat *Seneca* Gymnasium *Neapolitanum*, in quo Rhetores, Poëtæ, & docti viri explicandis auctoribus vacabant. Quin ad causas orandas utramque linguam *Neapoli* perdiscebant. Testatur *Agellius*[8] cum *Antonio Juliano* Rhetore per feriarum tempus æstivarum decedere ex urbis æstu volentes, *Neapolim* concessisse, ubi adolescens erat tunc quispiam ex ditioribus, cum utriusque linguæ magistris meditans (en tibi *Græcam Latinamque Neapoli* linguam) & exercens ad causas *Romæ* orandas eloquentiæ *Latinæ* facultatem. atque eum rogâsse *Julianum* ut se audiret declamantem. Introiisse adolescentem atque præfatum arrogantiùs & elatiùs quàm ætatem decebat; deinde jussisse exponi controversias; Controversiam parum consistentem, quod genus *Græci* ἄπορον, propositam. Hæc ea fuit; De reo septem Judices cognoscant; eaque sententia sit rata, quàm plures ex eo numero dixerint. Cùm septem Judices cognovissent, duo censuerunt reum exilio mulctandum: duo alii pecunia, tres reliqui capite puniendos. Petitur ad supplicium ex sententia trium judicum, & contradicitur. Hac a *Neapolitano* adolescente a *Juliano* audita quæstione, verborum volumina; & vocum turbæ fusæ sunt, exultantibus iis, qui eum audire

Duplex Neapoli Gymnasium.

Iulianus Rhetor cum Neapolitano adolescente certat.

[6] Vita Neronis Cap. 40. [7] Lib. 1. [8] Lib. 9. C. 15.

re consueverant. Rubuisse idcirco & miserè sudâsse subdidit *Julianum*, sed deblateratis versuum multis millibus finem fecisse; & interrogatum *Julianum* quidnam existimaret? festivissimè respondisse; Adolescens hic sine controversia disertus est. atque hujusmodi eum laudâsse, quod disertus esse sine controversia, quòd scilicet propositæ controversiæ non benè respondisset. Quamobrem Martialis doctam *Neapolim* dicit [1]:

——— & quas docta Neapolis
Creavit ———————

Et Papinius undique *Neapolim* se recepisse studiosos scribit ut patrem *Græcos* Poëtas interpretantem audirent [2]:

Quid mirum patria si te petiere relicta
Quos Lucanus ager, rigidi quos jugera Dauni,
Quos Veneri plorata domus, neglectaque tellus
Atridæ, vel quos e vertice Surrentino
Mittit Tyrrheni speculatrix villa profundi?
Quos propiore sinu lituo remoque notatus
Collis, & Ausonii pridem laris hospita Cyme?
Quosque Dicarchæi portus, Bajanaque mittunt
Littora ———————

Numerantur ea de causa docti viri qui ibi commorati sunt, *Virgilius*, *Livius*, *Horatius*, *Claudianus*, *Lucilius*, *Laurentius Valla*, *Porcellius Romanus*, *Agellius*, *Julianus*.

Æschines Philosophus. Nobilitârunt *Neapolitana* Gymnasia doctissimi viri, ÆSCHINES Philosophus quinctus inter eos qui eo nomine appellati sunt, cùm fuerint: *Æschines* primus, *Socratis* discipulus; secundus, *qui artem Oratoriam conscripsit*; tertius, *Orator*; quartus, *Mitylenæus*, quem *flagellum Oratorum* vocabant. Quinctus verò, *Æschines hic noster Neapolitanus*, Academicus, *Melandi Rhodii* discipulus. **Marinus Philosophus.** MARINUS Philosophus, de quo sic loquitur Suidas: Μαρῖνος Νεαπολίτης φιλόσοφος καὶ Ῥήτωρ· μαθητὴς Πρόκλου τοῦ φιλοσόφου καὶ διάδοχος. ἔγραψε βίον Πρόκλου τοῦ αὐτοῦ διδασκάλου, καὶ καταλογάδην, καὶ ἐπικῶς· καὶ ἄλλα τινὰ φιλοσόφων ζητήματα. *Marinus Neapolitanus Philosophus, & Rhetor. Procli discipulus & successor. Scripsit Procli vitam soluta oratione, & versibus, & alias quasdam physicas quæstiones.* Sub *Adriano* floruisse scribit *Volaterranus*. **Statius.** P. PAPINIUS STATIUS. qui *Tolosanus* ab aliis, ab aliis verò *Sellis Epiri* oppido ortus, a multis *Neapolitanus* dicitur. Qui *Tolosanum* arbitrati sunt (inter quos *Dantes Aligherius*) facilè decepti sunt alterius *Statii* Rhetoris patria, cujus meminit *Eusebius*. Contentio reliqua est inter *Sellas* & *Neapolim*. Æmula sanè, & præclara virtutis contentio quæ patefacit quanto honore antiquitas doctos viros fuerit prosequuta. Id quidem & *Homero* contigisse scimus, quem si alia, quàm ubi natus est patria, adipisci potuisset, majorem quàm ex Imperatorio natali gloriam consequuta fuisset. *Epirus* tamen a *Neapolitano* Regno *Statii* Poëtæ natalibus antecelli patiatur. Et quamvis de patre quod ad *Sellas* attinet, aliquid asserere videatur in Epicedio [3]:

Nec simplex patriæ decus & natalis origo
Pendet, & ambiguo geminæ certamine terræ
Te degente suum Latiis adsita colonis
Graja refert Selle ———————

In multis tamen locis apertius loquitur, & se Patremque *Neapolitanos* profitetur:

At te nascentem gremio mea prima recepit
Parthenope, dulcisque solo tu gloria nostro
Reptasti ———————

Et in *Surrentino Pollii:*

Huc me post patrii lætum Quinquennia lustri.

Et:

Trans gentile fretum ———————

Et in Epistola ad *Pollium: Summa est Ecloga, qua mecum secedere Neapolim Claudiam meam exhortor.*

[1] Lib. 3. [2] Lib. 5. Sylv. in Epicedio. [3] Sylv. Lib. 5.

Et paulò pòst. *Huic præcipuè libello favebis, & scias hanc destinationem quietis meæ tibi maximè intendere, meque non tam in patriam, quàm ad te secedere.* Et eô nomine delectatos fuisse *Neapolitanos* ostendit cippus marmoreus apud *Sanctinos:* ΣΩΣΙΠΑΤΡΑ ΣΤΑΤΙΟΥ ΧΑΙΡΕ. Floruit sub *Domitiano*, a quo præacuto stilo confossum scribunt. Patrem quoque in *Gymnasio Neapolitano* idem laudat illustrem, dum opusculo quod Epicedion dixit, ejus funus celebrat. Ab eo Poëticen didicisse affirmat:

Te sine Corycia quicquid modo Phœbus in umbra
Quicquid ab Ismariis monstrabat collibus Evan
Dedidici ———————

Deinde *Parthenopen* alloquitur, & victorias in ludis *Quinquennalibus* commemorat:

Ille tuis toties perstrinxit tempora sertis
Cùm stata laudato caneret Quinquennia versu.

Eundem præterea non modò in Senatu valuisse, & a Secretis fuisse, sed publicè etiam *Neapoli* litteras professum innuit:

Hinc tibi vota patrum credi, generosaque pubes
Te monitore regi ———————

Romanos, qui studiorum causa *Neapolim* se conferebant, quæ ad religionem, docuisse:

Mox & Romuleam stirpem, proceresque futuros
Instruis, inque patrum vestigia ducere pergis.

Auguria enim *Chalcidica*, *Salios*, *Flamines*, *Lupercos* commemorat; ibidêmque Pontificis dignitate docuisse apparet, cui magisterium erat *Vestalium.* ostendit etiam *Homeri*, *Ascræi*, *Theocriti*, *Pindari*, *Alemani*, *Stesichori*, *Sapphûs*, *Lycophronis* lectione fuisse delectatum, quos auctores in *Neapolitano Gymnasio* interpetrabatur; Quapropter undique *Neapolim* Studiosi confluebant, ut diximus, doctos illos viros audituri.

Scholæ meminerunt antiqui lapides:

SCHOLAM. CUM. STATUIS. ET. IMAGINIBUS ORNAMENTISQUE. OMNIB. SUA. IMPENSA. FECIT.

Imagines quæ in Gymnasiis collocabantur, hujusmodi refert Sidonius Apollinaris; *In Areopagis ex Gymnasiis curva cervice Zeuxippus, Aratus panda, Zenon fronte contracta, Epicurus cute distenta, Diogenes barba comante, Socrates coma candente, Aristoteles brachio exerto, Xenophanes crure collecto, Heraclitus fletu oculis clausis, Democritus risu labris apertis, Chrysippus digitis propter numerorum indicia constrictis, Euclides propter mensurarum spatia laxatis, Cleanthes propter utrumque corrosis*; Rem omnem litterariam, quæ in *Gymnasiis* exercebatur, hoc pacto exornabant.

Gymnasia Athletarum. Quod verò ad alteram *Gymnasii* rationem attinet, stadia, vel amplis spatiis porticus circumdatæ in *Palæstra* Athletarum loca erant, in quorum interioribus cubiculis ungebantur & lavabantur, & in exedris propè sitis Philosophi disputabant, cùm enim nondum copiam librorum haberent, disputando se exercebant, ut ait *Suidas*. *Pausanias* in *Gymnasio* curricula, & athletarum palæstras esse scribit. **Gymnasiarcha.** Præficiebatur iis Gymnasiarcha, qui ob res in *Gymnasio* benè gestas, oleagina, & aurea corona coronabatur, addita ad ejus nominis gloriam pictura, ut ex antiquo lapide didicimus in Muséo Cardinalis *Carpensis*, in quo, ne verba *Græca* referam, hæc leguntur: *Batonem Philonis filium, quoniam per annos duo Præses creatus est ex animi sui & Aliptarum sententia justè ac dignè GYMNASIUM administravit, eaque de causa Collegium universum per hosce duos annos ipsum oleagina corona summa cum celebritate coronavit, nec non his de rebus memoriæ causa pro singulari ejus honorificentia, omnique in ipsos studiorum genere intra Gymnasium Inscriptionem concessit, porrò nova in* XXVI. *&* XXVII. *&* XXVIII. *annum dignitate insignitus, Gymnasii* Præ-

Præfecturam subire non dubitavit, congruum item loci, & Aliptarum decorem conservans, Mercurio & Herculi Gymnicos ludos qui pro Imperatoris salute celebrari consueverunt pari cum laude pro virili sua exornans, *suaque pecunia convenientia Athletis certamina proponens, ceteris & propensiùs & magnificentiùs imperavit. Quibus de rebus cuncti cùm animi ejus alacritatem, & quòd etiam is erga locum studium præ se ferebat inspectarent, non modò ipsum coronis aureis coronarunt, sed picta etiam imagine Bathonem* Philonis *filium Gymnasii* Præfectura *functum tertiùm quartúmque, & quinctùm, deinceps quando per temporis spatium templorum curæ ornatè, eleganter, & decorè præfuit, honestarunt. Quin etiam ipsum in præsentia ob id laudum, & nova rursus aurea corona decorandum atque in oculatissimo Gymnasii loco reponendum; sed & ipsum præterea quòd eo munere omnibus rem gratissimam facturus esset, in annum quoque* XXIX. *Gymnasii* Præfectum *reficiendum Aliptæ censuerunt.*

Habes Gymnasiarchæ munus, honores, elogia, Præfecturam. A *Julio Firmico*[1], Præfectus Gymnicis agonibus nuncupatur. A *Tertulliano*[2], Xystarcha. Ab Ammiano Marcellino, Doctor, & palæstritarum athletarumque Magister, tum præcipuè Agonotheta. Habes etiam Gymnasii ornamenta, *Mercurium* & *Herculem*. Addimus *Theseum*, tres enim hos præsides exercitationum *Græcas*, & barbaras nationes habuisse in palæstris scribit *Pausanias* in *Messenicis*.

Agonotheta. Gymnasii ornamenta. Gymnasiarchæ ornatus.

Ornabatur Gymnasiarcha corona, toga purpurea, & virga; veluti præsedisse *Titum* certamini in Stadio, cursu virginum, purpurea amictum toga *Græcanica*, gestantem capite coronam auream, notat *Suetonius*. Et Dio de *Claudio Neapoli* commorante loquens, ἐπὶ ἐν γε τῇ Νεαπόλει ἑλληνικῶς &c. διῃτᾶτο δὲ καὶ ἐν μὲν τῇ μουσικῆς θεωρίᾳ ἱμάτιον καὶ κρηπῖδας. ἐν δὲ τῷ γυμνικῷ ἀγῶνι πορφυρίδα καὶ στέφανον χρυσοῦν ἐλάμβανε. *Neapoli Græcè* &c. *Ac in musicis ipse ludis togam & soleas, Gymnicis purpuram, & auream coronam tulit.* Virgam vel Caduceum, quem in *Neapolitanis* nummis cernimus, hujusmodi tribuit idem Dio de *Commodo* scribens: ἐσθῆτα δὲ ὁλοπόρφυρον χρυσόπαστον χλαμύδα τε ὁμοίαν τὸν ἑλληνικὸν τρόπον λαμβάνων, καὶ στέφανον ἔκ τε λίθων Ἰνδικῶν, καὶ ἐκ χρυσοῦ πεποιημένον, κηρυκεῖόν τε φέρων ὁποῖον ὁ Ἑρμῆς· & quæ sequuntur. Vides veste *Græcanica* indutum, aurea coronatum corona, & ex Indicis margaritis composita; virgam item gestantem qualis *Mercurio* tribuitur. *Hyginus* cùm de *Mercurii* virga loquitur, ait athletas ea usos, ubi Athlothetas legendum existimo. Et Sidonius[3] picturam quandam Agonis describens; *Absunt lubrici tortuosique pugilatu palæstritæ, quorum etiam viventium luctus si involvantur obscœnius, casta confestim Gymnasiarchorum virga dissolvit.* Hinc *Axiochus*: Καὶ γυμνασιαρχία, καὶ ῥάβδοι, καὶ κακῶν ἀμετρία. Quapropter ad moderandas juvenum exercitationes, & veluti imperii signo, motus immodestos ea reprimebat. Martialis[4]:

Virga & Caduceus Gymnasiarcharum. Gymnasiarcha turpes motus reprimebat.

> *Et putri lutulenta de palæstra*
> *Uncti verbere vapulat Magistri.*

Propterea quòd, *Quicquid immundiciarum est, hoc exercetur in Theatris; quicquid luxuriarum, in Palæstris*, ait Salvianus[5]: Et hi Magistri quos Ἐπιστάτας *Græci* dicunt, jus Virgæ habebant. Epictetus.[6] ἔσθ' ὅτε μαστιγωθῆναι πάντα ἐπισκεψάμενος, ἐὰν εἶναι θέλῃς, ἄρχε ἐπὶ τὸ ἀθλεῖν. Idemque ibidem ait, *si quis Athleta esse voluerit, illud observaturum quod a Magistro fuerit præstitutum; idcirco sese Magistro tanquam medico tradat. Helladonicas* apud *Eleos* scribit *Pausanias*, infligere Athletis solitas castigationes & verbera, veluti ab eisdem coronas fuisse tributas. Grammateia, vel Tabularia Gymnasiis adjuncta fuisse reperies in *Athenæo*, veluti publici commentarii, in quos Gymnasiarchæ, vel Curatoris, vel Sacerdotis nomen redigi solebat. *Arrianus*[7] de Sermone *Epicteti*, narrat quendam *Neapolitani* Agonis Sacerdotium affectantem, nomen suum in Acta redactum iri a Scribis publicis desiderasse; cumque *Epictetus* dixisset, satis futurum si vivus omnibus notus esset, respondisse: Mansurum suum nomen, si coronam gestâsset jure Agonothetico. Nam & apud *Romanos* Sacerdotes quoque ac Pontifices ludos curasse, iisque præfuisse, ex *Herodiano* apparet. *Plutarchus* meminit in *Antonio*, Gymnasiarcham apud *Athenienses* processisse palliatum, & cùm Gymnasiarchum vel Pædotribam ageret, denudatos juvenes esse verberatos.

Helladonicæ. Grammateia & Tabularia. Sacerdotium agonis Neapolitani. Pontifices & Sacerdotes ludos curabant. Pædotribæ.

[1] Lib. 4. C. 15. [2] Lib. ad Martyr. [3] Lib. 2. Ep. 2. [4] Lib. 7. Ep. 66. [5] Lib. 6. [6] Cap. 26.

[7] Lib. 1. C. 15.

CAP. XX.

Thermæ Neapolitanæ, Balneum.

THERMAS *Neapolitanas* celebrat Strabo cùm ait. Ἔχει δὲ καὶ ἡ Νεάπολις θερμῶν ὑδάτων ἐκβολὰς καὶ κατασκευὰς λουτρῶν οὐ χείρους τῶν ἐν Βαΐαις. *Habet enim Neapolis calidarum aquarum scaturigines, & Balneorum apparatus Bajanis non inferiores.* Scaturigines passim in *Pausilypano* littore, tubi, fistulæ, ædificia, ceteraque hujusmodi adhuc reliqua ostendunt. *Bartholomæus Maranta* in *Luculliano* varii generis fontes emanare scribit, qui cum puteis in illo colle præaltis communicare ex aquarum potu dignoscuntur. Mineram ibi cineream ponit non absque sulphure, & aliqua ferri mixtura. Et tamen ex destillatione fæx illa, quæ evanescente aqua remansit (ut ipse loquitur) non semper eundem saporem præ se tulit; sed quandoque insipida, sæpius salsa, nonnunquam etiam subamara visa est. Per montis scissuras, duas erupisse aquas scribit, quæ perenni fluxu in mare labebantur; alteram, colore nitidissimo, sapore acerrimo, acidulo, pingui, odore tetro; alteram, eosdem habuisse sapores, non tamen usque adeo intensos, quæ acrimonia vincebatur, pinguedine vincebat, colorem ferè lacteum ostendens. Alias quoque in eodem colle mineras, sulphureas præsertim, ex igne enasci declarat, quando *Cumis* per *Bajas* & *Puteolos* ad *Vesuvium* multæ extant incendiorum igniumque eructationes, quas κρατῆρας *Græci* dicunt, ut etiam ad *Ænariam* ignem vagari per profundissimos meatus cognoscamus. Perierunt aquæ calidæ toto illo tractu, cùm mare ædificia superaverit, & obrutæ hac de causa thermæ jaceant.

Aquæ calidæ Neapolitanæ. Aquæ Lucullianæ. Neapolitanarum aquarum minera.

Præter privata Balnea, BALNEI ad Theatrum & Gymnasium apparatus *Neapolitani* ostendunt. Nusquam apud *Græcos* Theatra, atque Gymnasia absque Balneo. A *Græcis* ad *Italos* mos defluxit, ut Palæstræ thermas haberent adjunctas, cùm antea ut ait *Vitruvius*, Campus *Martius Romæ*, & *Agonalis Circi* præsertim ad eas exercitationes fuerint constituti, tota urbe deinceps Balneis extructis. *Græci* verò luxuriæ dediti semper & calidis lavari, & unguentis delibuti esse voluerunt. *Græci* lapidis apud *Staivanos* fragmentum hujusmodi Balneum patefacit:

Balneum publicum Neapoli.

.... ΥΠΑΤΟΣ. ΔΗΜΑΡΧΗΣΑΣ. ΑΓΩΝΑΣ. ΠΙΟΥΣ
ΝΟΜΟΥ .... ΡΩΜΑΙΚΩΝ. ΔΙΚΑΙΩΝ .... ΚΑ ....
ΑΠΟΚΑΤΑΣΤΗΣΑΣ. ΤΟ. ΒΑΛΑΝΕΙΟΝ. ΑΝΕΘ ....
ΕΠΕΣΚΕΥΑΣΕΝ...... ΟΚΤ ....

Nomen ædificatoris summa injuria obliteravit.

Aliqui *Puteolos* huc lapidem rejiciunt. Papinius ejus loci magnificentiam describit:

Una quidem cunctis procul eminet, una Diætis
Quæ tibi Parthenopen directo limite ponti
Ingerit ——————————

Diætæ.

Erant Diætæ latiores Basilicæ, inter Thermarum partes, præcipuæ, duplici columnarum ordine tripartitæ prope Atria, Porticus, & Ephebea. Et dum loci amplitudinem describere voluit, addidit tot marmorum varietates. Eosque marmoris & picturæ luxus ad Thermarum excellentiam fuisse inventos, affirmat Martialis in Balneo *Tuccæ:*

Balnei Neapolitani amplitudo.

Idem beatas lautus extruit thermas
De marmore omni, quod Carystos invenit,
Quod Phrygia, Sinas, Afra quod Nomas mittit,
Et quod virenti fonte lavat Eurotas.

Et *Lucianus* βαλανείῳ, λακωνικὸν λίθον appellat, saxum *Lacedæmonium* & *Porphyreticum*, quo *Heliogabalum* stravisse plateas in Palatio scribit *Lampridius.* Balnei *Neapolitani* illustris memoria in Suetonio qui ait de *Nerone*[1]; *Sumpto etiam ad reficiendam vocem brevi tempore, impatiens secreti, a Balneis in Theatrum transiit: mediaque in Orchestra frequente populo epulatus, si paullum subbibisset, aliquid se sufferti tinnitum Græco sermone promisit.* Balneorum quæ variis in Neapolitanæ urbis locis erant disposita, aliquorum adhuc nostra ætate memoria extat.

CAP. XXI.

De Antiquis Neapolitanorum Bellis.

ROMANI.

ANTIQUA ipse *Neapolitanorum* bella intelligo, quæ usque ad Reges ab iis cum variis gentibus gesta sunt. Et quamvis non omnia ex antiquitate describere liceat, ea tamen quæ aliquo pacto a veteribus scriptoribus sunt commemorata, huc breviter congessimus.

Primum bellum cum *Romanis* gestum *Olympiade* 113. *Glareano*, vel ab V.C. anno 427. *Sigonio* 426. aliis, 429. Mundi verò 3644. *Palæpolitani* vel suis viribus, vel *Samnitium* societate freti, vel quòd pestis *Romanam* urbem adorta nuntiabatur, sumptis armis contra *Romanos* multa hostilia adversus eorum agros fecere, multaque in suam potestatem redigere conati sunt, ut imperium in eos quodammodo exercere viderentur. Decrevit Senatus Feciales mittere (quatuor hi erant viri penes quos faciundi potestas erat) qui res *Romanæ* Reipublicæ ablatas repeterent. Qui cùm *Palæpolim* venissent in concione ad *Græcorum* Senatum ea retulerunt quæ ad Reip. auctoritatem pertinere arbitrabantur, & quæ auctoritate Patrum sibi agenda proposuerant. Ferox responsum *Palæpolitani* dederunt (gentem idcirco lingua magis quàm factis strenuam appellavit Livius[2]) quo permoti *Romani*, bellum iis indixerunt. Tumultus hac de causa toto *Samnio* excitati sunt; sociis ob mutua beneficia se devinctos esse *Samnites* affirmantes, omnem opem iis esse ferendam deliberarunt, nihil se quicquam insolentiùs acturos prædicantes, si adversus *Romanos* pro *Palæpolitanis* qui secum omnem fortunam tulerant, arma sumerent. Ad eam rem gerendam vicinos *Privernates*, *Fundanos*, *Formianos* solicitare opportunum existimârunt. Quibus omnibus negotium in re bellica sibi facessi cùm *Romani* animadvertissent, antequam bellum inferrent, Legatos ad *Samnites* miserunt, qui dicerent ne aliorum causa *Romanorum* in se converterent indignationem; nihil esse, quòd pro *Græcis* pugnarent; quòd vicinos

Palæpolitani. Feciales. Palæpolitanis bellum indicitur. Privernates. Fundani. Formiani. Romanorum Legati ad Samnites.

[1] Cap. 20. [2] Lib. 8. Dec. 1.

A solicitarent; in suo ipsi essent officio; res suas agerent; cum *Palæpolitanis*, non cum *Samnitibus* sua jura *Romanos* velle decernere. Ferociùs quoque a *Samnitibus* responsum est. Non pro *Græcis* se pugnaturos, nec vicinos populos a se fuisse solicitatos, a quibus suis tantùm viribus bellum sustineri posse non verebantur; sed contumeliam *Romanorum* esse propulsaturos, atque injuriam quam ab ipsis accepissent, viribus omnibus vindicaturos. Quid enim dirutas ex *Volscis Fregellas* populus *Romanus* restituit, Coloniamque in *Samnitium* agrum deduxit, atque patitur ut *Fregellæ* noster ager nuncupetur? Hanc B nobis injuriam *Romanus* intulit, hanc *Samnis* *communi Marte* vindicabit, bellumque decernet *Samnis* ne an *Romanus Italiam* imperio regat. *Samnitium* dictis ad Senatum perlatis, arma *Romani* decernunt. Belli provincia *L. Cornelio Lentulo*, & *Q. Publio* (*Publilio* alia habent exemplaria) *Philoni* est demandata. *Cornelio* ut *Samnitibus* se opponeret; *Publio* ut *Græcos* debellaret. *Publius* inter *Palæpolim* & *Neapolim* loco opportuno capto (ut loquitur *Livius*) auxilii mutui societatem, quæ inter se usi antea fuerunt, hostibus diremit. Præsidio erant *Palæpolitanæ* urbi *Samnitium* atque *Nolanorum* ad sex millia. C A quibus cùm fœdiora paterentur, quàm quæ ab hostibus pati posse sibi persuaderent, liberi enim, conjuges, atque fortunæ indigna ferre in dies cogebantur, *Tarentinorum* auxilii spe destituti, inter tot mala quibus angebantur, levissimum visum est deditio ad Romanos. *Charilaus* & *Nymphius* qui principem locum *Palæpoli* obtinebant, communicato inter se consilio, optimum fecisse rati si quisque pro viribus patriæ saluti consuleret, ne ipsi quoque *Romanorum* ferociam experirentur, qui provocati omnia crudelitatis exempla in hostes edere consueverant, illud potissimùm sibi faciundum statuerunt, ut alter *Romanorum* adiret Imperatorem, D & de deditione ageret; alter ab urbe non discederet, ut inita consilia exequi valeret. *Charilaus* ad *Philonem* transfugit, atque urbis deditionem fecit, quod bonum, faustum, felixque esset *Palæpolitanis*, populoque *Romano*; ea tamen re maximè commovebatur, quòd opinio fortasse hominum decerneret ab eo non deditam, sed proditam esse patriam; quamobrem id ipse in *Romanorum* fide positum volebat, hujusmodi deditione non proditos, sed servatos suos cives existimans; ideoque publicè a *Romanis* id petebat, quod privatim pacisci tutum non E erat. addidit quoque desiderare se ut populus *Romanus* intelligeret quanto studio, & qua animi propensione *Palæpolitani* in suam amicitiam rediissent; ne eosdem arguerent quanta temeritate de officio discessissent. Nullam proditionis notam *Charilao* inurendam *Philo* respondit; sed multis esse laudibus dignum eum virum, eum civem, qui suos in officio esse desiderabat, qui populi *Romani* dignitatem, ab armis discedendo, tuebatur. Constitutis rebus, quæ ad perficiendum negotium erant opportunæ, tria millia *Romanorum* militum *Charilaus* accepit, Tribuno militum *L. Quintio* præposito, qui eam F *Palæpolis* partem occuparet, quam *Samnites* tenebant. Eodem tempore *Nymphius* qui in urbe esse voluit, a *Charilao* de omnibus certior factus, *Samnitium* Prætori persuasit, ut dum *Romanus* exercitus totus occupandis *Palæpoli* & *Samnio* incumberet, sineret se classe circumvehi ad *Romanum* agrum, pollicitus vicina loca, & omnem maris oram depopulaturum; idque ut hostes non præcaverent, noctu esse proficiscendum, & extemplo naves esse deducendas. Fidem præstitit

Samnitium responsum. Consules bello Neapolitano præficiuntur. Palæpolitani deditionem faciunt. Charilaus & Nymphius Neapolitani. Charilaus veretur ne proditor dicatur. Nymphii stratagema.

stitit ejus verbis Prætor, jussitque præsidio urbi relicto, ut *Samnites* ad littus proficiscerentur. Ubi dum *Nymphius* data opera multitudini imperando, impedimento erat, *Charilaus* a sociis dato signo intra mœnia recipitur. Quod cùm animadvertissent *Nolani*, per aversam urbis partem via *Nolam* ferente effugiunt; *Samnites*que turpiter exclusi ab omnibus ludibrio habiti, relicto apud hostes supellectili, spoliati egentesque domum redierunt. Aliqui scripsere a *Samnitibus* proditionem esse factam. Hujusmodi *Palæpolitanâ* urbe *Romani* potiti sunt. *Publio* triumphus decretus est, quamvis enim manus non conseruerint, satis credebatur hostes obsidione domitos in fidem venisse. Duo singularia illi contigisse scribit *Livius*; Prorogationem Imperii non antè in ullo factam; & acto honore triumphum. *Palæpolitani* in ea calamitate, *Neapolim* se receperunt, unoque nomine *Neapolitani* appellati sunt. *Tarentini* qui *Palæpolitanos* destituerunt, cùm rescissent in *Romanorum* potestatem fuisse redactos, seipsos fuisse destitutos quærebant, ideoque in summam *Romanorum* invidiam sunt adducti, qui sociorum miseriam aliquo pacto levare potuissent.

Nolani effugiunt.

Samnites excluduntur.

Palæpolitani & Neapolitani uno nomine appellati sunt.

Hæc ferè, aliis etiam additis, in quadam legatione explicavit *Dionysius Halicarnasseus*, cujus *Græcis* verbis omissis *Latina* referam, in quibus notatu profectò digna sunt, quæ inter *Romanos*, *Campanos*, *Cumanos*que intercesserunt. Desunt aliqua:

Legati ad Campanos mittuntur.

Verum etiam quia Campanos amicos suos multis & magnis affecisset detrimentis Senatus Romanus, cùm Campani sæpius indicarent, & conquererentur de Neapolitanis, misit qui eos rogarent ne quid Romani Imperii subditis inferrent injuriæ, sed quod jus postularet darent reciperentque. Et si qua inter eos existerent dissidia, verbis non armis litem componerent, ac porrò pacem colerent cum omnibus Tyrrheni maris accolis, & neque ipsi aliquid Græcis indignum admitterent, neque alios talia perpetrantes adjuvarent. In primis autem si fieri posset, de meritis potentiorum animis efficerent ut urbs a Samnitibus desciscceret, ac populi Romani amicitiam amplecteretur. Acciderat autem ut eodem tempore a Tarentinis quoque Legati ad Neapolitanos missi essent Viri illustres, & Neapolitanorum acciti hospites, nec non alii a Nolanis populo finitimo, & Græcæ gentis studiosissimo, ut contrarium a Neapolitanis peterent, ne quos cum Romanis aut eorum subditis contractus inirent, ne a Samnitium amicitia discederent. Unde si Romani belli occasionem captarent, ne metuerent, nec vires eorum veluti invictas pertimescerent, sed constantes manerent, atque ut Græcos deceret bellum sustinerent, freti tum suis ipsorum copiis, tum Samnitium auxiliis. Ac si forte navali quoque manu opus foret, nec domestica sufficeret, affuturas ipsis a Tarentinis numerosas fortesque suppetias. Ibi coacto Senatu, multisque coram eo habitis orationibus, partim a Legatis, partim ab eorum advocatis, variarunt Senatorum sententiæ, & elegantissimi quique in Romanorum partes inclinare visi sunt. Cùm igitur eo die nullum Senatusconsultum factum esset, sed Legationum cognitio in alium consessum esset dilata, potentissimi Samnitium proceres frequentes Neapolim convenere, ac Reipublicæ primoribus in partes suas pellectis, Senatui persuasere ut Populo potestatem faceret eligendi quod ex usu futurum videretur. Mox in concionem progressi, primum sua in Neapolitanos merita commemorarunt, deinde prolixè populum Romanum accusarunt ut infidum & fraudulentum. Demum sub finem orationis admirandas Neapolitanis promissiones fecerunt si bello implicarentur, missuros se quantiscunque copiis opus foret ad mœniorum custodiam, classiarios quoque milites, ac totum remigium præbituros, nec suis tantùm sumptibus ea missuros auxilia, sed ipsis quoque insuper suppeditaturos omnes belli impensas. Tum profligato Romanorum exercitu Cumas recuperaturos quas Campani duabus ætatibus antè Cumanis expulsis occupaverant, sedibusque suis instituturos Cumanorum exulum reliquias, quas Neapolitani e patria exactos receperant, omniumque bonorum suorum participes fecerant, atque agri Cumani quem Campani unà cum oppido ceperant, partem Neapolitanis addituros. His auditis, qui inter Neapolitanos sapientes habebantur, & calamitates urbi e bello nascituras longè prospicere poterant, pacem colendam censebant. At qui rebus novis studebant, & quæstum e bellicis turbis faciebant, belli partes fovebant tanta animorum contentione, ut a mutuis increpationibus ad manuum consertiones, & lapidum jactus dissidium procederet. Ad extremum obtinuit pars deterior, vicitque meliorem, ita ut Romanorum Legati re infecta discesserint. Quibus de causis Senatus contra Neapolitanos expeditionem decrevit.

Nolani Græcorum studiosi.

Samnitium proceres Neapolim conveniunt. Respublica Neap. Populus Neapolitanus.

Cumæ, Campani.

Apud eundem *Halicarnasseum* alia legitur Legatio *Romanorum* ad *Samnites*, qua eos arguunt, quòd fœdus violaverint, monentque ut auxilia *Neapolitanis* missa revocanda jubeant, ne eorum auxilio animos sibi *Græci* sumere viderentur. Subdit etiam:

Deinde anno præterito Neapolitanos bellum adversus nos suscipere verentes omni studio ac promptitudine instigastis, vel potius coegistis, sumptusque eam ad rem suppeditatis, urbemque nostram ipsi tenetis. Et nunc copias undequaque contrahitis alio quidem prætextu &c. Romano autem Legato Samnitium Senatus hujusmodi respondit; *Ad Neapolim verò quod attinet, in qua nostrorum quidam sunt, tantum abest ut aliquam vobis faciamus injuriam, dum periclitantibus ad tutandam Reip. salutem aliquid auxilii mittimus, ut ipsi nobis magnam a vobis injuriam fieri arbitremur. Nam urbem hanc cum qua nobis amicitia & societas est non recens contracta, neque ex eo tempore quo vobiscum fœdus icimus, sed duabus ætatibus antè* (ἀλλὰ δευτέρᾳ γενεᾷ πρότερον, habet Græca lectio) *ob multa & magna erga nos beneficia, vos nulla injuria lacessiti, in servitutem redegistis. Ac ne hoc ipso quidem facto tota Samnitium Respublica vos læsit; sed ut audimus, quidam privati hospitii atque amicitiæ jure, quo Neapolitanis devincti sunt, suopte impulsu opem eis ferunt, quidam etiam forsan ob fortunarum tenuitatem, stipendii gratia.*

Samnitium & Neapolitanorum antiqua societas.

Antiquam conspicimus *Samnitium* cum *Neapolitanis* societatem & amicitiam; eosque priùs cum *Samnitibus*, quàm cum *Romanis* fuisse fœderatos. Constat etiam *Neapolitanos* per vim in servitutem ea ætate fuisse redactos; semperque *Samnites Neapolim* incoluisse.

Neapolis in Romanorum potestatem.

P OE N I.

Neapolitanum bellum cum *Hannibale* post *Cannensem* pugnam anno V. C. 538. gestum est. Tunc sanè barbarorum sævitiam *Neapolitana* mœnia superârunt. Devictis tot *Romanorum* millibus *Pœnus* ex *Apulia* in *Samnium* castra movit, in *Hirpinos* a *Statio* quodam accersitus, pollicente se *Cossam* oppidum ei traditurum; *Compsam Plinius* appellat in regione *Italiæ*, urbem ad *Apennini* radices sitam, in tumulo rotundo, quem *Aufidus* amnis a Septentrionibus alluit, & *Cossa* dicitur, nomen antiquum retinens. Ibi *Trebius* erat *Cossanorum* factione nobilis, quæ familia plurimum *Romanorum* gratia poterat. Is cùm *Hannibalem* jam adventare dictitasset, *Cossani* urbe excesserunt, quæ sine certamine hostibus tradita

Cossa oppidum.

Cossanorum familia.

dita eſt, & prædæ & impedimentorum tutela a *Pœnis* habita. *Mago* Afer ad compeſcendam rebellium audaciam ibi relictus eſt. Hannibal oppugnaturus Neapolim [1], ut maritimam urbem haberet quò curſus navibus tutus eſſet ex *Africa*, in *Campaniam* contendit. Ubi fines *Neapolitanorum* intravit, *Numidas* partim in inſidiis (reliquæ enim cavæ erant viæ ſinuſque occulti) quaſcunque arte poterat diſpoſuit, alios præ ſe actam prædam ex agris oſtentantes obequitare portis juſſit. Sperabat hujuſmodi *Neapolitanos* abjecto animo deditionem facturos. *Pœnos* equites cùm nec multos, & incompoſitos cives animadvertiſſent, ut eos nec conſternari, nec perterreri hoſtes intelligerent, cum equitum turma audacter impetum fecerunt; quæ a cedentibus conſulto tracta in inſidias, tam fœdè circumventa eſt, ut nemo evaſiſſet, niſi mare propinquum, & haud procul littore naves piſcatoriæ peritis nandi dediſſet effugium. Nobiles aliquot *Neapolitani* eo prælio cæſi ſunt, inter quos *Hegeas* Præfectus equitum intemperantiùs fugientes ſequutus cecidit. Ab urbe oppugnanda *Hannibalem* abſterruere conſpecta mœnia haudquaquam prompta oppugnanti; in acclivi enim poſita non facilem aditum præbebant; licet alii eorum altitudinem objiciant. Re igitur infecta, maritimæ urbis omnino potiundæ cupidus, *Cumas* occupare tentavit, eoque copias duxit ex monte *Tifatis* in quo conſederat *Campanorum* precibus fatigatus, qui naturali quodam odio *Cumanos* proſequebantur. Nihil tamen profecit. Capta *Capua*, iterum *Neapolitanorum* animos allexit ad deditionem. Iterum operam perdidit. *Nola* diſcedens ob *Marcelli* adventum ad mare proximè *Neapolim* denuò conſedit. Sed cùm comperiſſet eam urbem a *M. Julio Sillano* Præfecto *Romano* teneri a *Neapolitanis* accerſito, *Nuceriam* petiit. Cùm deinde *Capuam* rediiſſet, & *Cumanum* agrum vaſtâſſet, perpetrato ſacro ad *Avernum*, ad populandum agrum *Neapolitanum* magis ira, quàm ſpe potiundæ urbis progreſſus eſt; *Pœnorum* itaque crudelitatem *Neapolis* experta, eam laudem adepta eſt, ut nunquam barbaro ceſſerit. Eandem ferè cladem *Neapolitanæ* urbi illatam crederem, cum *Hamilcar*, quem *Barcam* dixerunt, *Carthaginienſium* claſſi Præfectus, occupata *Sicilia*, totam quoque Italiæ oram uſque ad *Cumas* vaſtavit, ut ſcribit Polybius [2].

Hannibal ad Neapolitanam expugnationem proficiſcitur.

Hegeas Neapolitanus.

Mœnia Neapolitana perterrent Hannibalem.

Hannibal Cumas occupat.

Nola diſcedit.

Capuam recipit.

Ad Avernum ſacrificat.

Hamilcar Italiæ oram vaſtat.

PYRRHUS.

Pyrrhus Campaniam diripit.

Anno ab V. C. 464. *Pyrrhus* conjunctis ſibi *Samnitibus*, *Lucanis*, *Brutiiſque Campaniam* populatus eſt. Qua de re ſic Eutropius; μετὰ ταῦτα συνάπτουσιν ἑαυτοὺς τῷ Πύρρῳ Σαμνῖται, καὶ Λυκανοὶ, καὶ Βρέττιοι, καὶ τὸν δρόμον ἁπάντων ἐπὶ τὴν Ῥώμην, πᾶν τε τὸ προστυχὸν ἢ πυρὸς ἦν ἔργον ἢ σιδήρου. καὶ τὴν μὲν Καμπανίαν ἐξεπολιόρκησαν. *Poſtea Pyrrhus junctis ſibi Samnitibus, Lucanis, Brutiiſque Romam perrexit, omniaque ferro atque igne vaſtavit. Campaniam depopulatus eſt.* An verò negandum *Neapolitanos* ejus calamitatis fuiſſe expertes, cùm præcipuè a *Tarentinis* in *Italiam* fuerit evocatus, quibuſcum in gerendis bellis *Neapolitani* eandem ſequuti ſunt fortunam? *Oroſium* anno erràſſe ſcribit *Cuſpinianus*, qui quadrageſimum ſeptuageſimum ſecundum dicit. Bellum autem *Tarentinum* indè ortum habuit, quòd cùm claſſis *Romana* frumentatum in *Apuliam* exiiſſet, a *Tarentinis* capta eſt, occiſo Præfecto. Aliqui arbitrantur aliquam *Campaniæ* partem eſſe populatam *Præneſte* uſque, nam cùm Conſul *Valerius Levinus* eum inſequeretur, in *Campaniam* quoque ſe recepit; in ejus ſcilicet regionis partem quæ

[1] Liv. Dec. 3. Lib. 3. [2] Lib. 1.

A ab ipſo cladem non acceperat, & *Neapolitanos* tanquam *Græcos* veluti amicos recepiſſe.

GOTTHI, VISIGOTTHI, ALARICUS.

Quamvis *Conſtantinus* ille *Magnus Byzantium* tranſtulerit Imperium anno ſalutis 333. ejus tamen dignitati per ſexaginta annos nihil detractum eſt. Mortuô autem *Theodoſiô*, diſtribuitiſque *Arcadio* Orientis, & *Honorio* Occidentis provinciis, tanta Imperii inclinatio facta eſt, ut dum *Honorii* adminiſtratores omnium rerum potiri poſſe ſibi perſuaſiſſent, barbaros introducere conati ſunt. B Hinc *Gotthorum* irruptio in *Italiam* anno 406. facta eſt. Hæc gens ex *Europæa* Scythia oriunda cum *Valgotthis*, *Scantigotthis*, *Fumaitis*, *Ferviris*, *Hallinis*, *Pergionibus*, *Liothidis*, *Ravariciis*, *Vinovilethis*, *Suctidis*, *Cogenis*, *Oſtrogotthis*, *Berigo* Rege in littus Oceani quondam egreſſa, ſuperatis *Ulmerugis*, finitimos quoque *Vandalos*, quos pares virtute compererat, ſibi conciliavit. Philomero Duce poſtea, interjectas paludes trajecit ex *Scandinavia* Inſula; conſedit juxta *Mæotidem*, & ad mare Ponticum. Indè *Zamolxene* Duce in *Daciam*, *Thraciam*, & *Mœſias* tranſmigravit. C Alias ſub aliis Ducibus regiones ſubjecit. Tandem *Alarico* Duce *Rhadagaſii* ſucceſſore in *Italiam* numeroſo exercitu advenit, in *Galliam* profectura. Sed cum *Alaricus Romanam* urbem triduô depopulatus eſſet, nec ſexui nec ætati parcens, niſi iis qui in loca ſacra ſe recepiſſent, Regnum *Neapolitanum* aggreſſus, omnes *Campaniæ* civitates maxima calamitate affecit, pejora moliturus, niſi in *Siciliam* cogitans *Conſentiæ* obiiſſet.

335.

Imperii diviſio.

Gotthi in Italiam. 406.

Alaricus Romam depopulatur, & Neapolim.

VANDALI, GENSERICUS.

*456**

D Eadem *Neapolitana* mœnia, quæ *Hannibalem*, Regem quoque *Vandalorum Genſericum* perterruere. Hæc gens, vel quòd e Septentrionali regione in alias effuſa terras emerſerit; vel quod *Boëmi* & *Poloni* a *Vanda Poloniæ* Regina fuerint appellati, cum *Alanis*, *Suevis*, *Francis* conjuncta circa annum ſalutis 400. *Rhenum* trajecit, & direpta *Gallia*, *Pyrenæis* montibus ſuperatis, *Hiſpaniam* occupavit, *Aſturiam*, *Toletanum* agrum vaſtavit, *Ulyſſiponam* cepit, atque indè accepta pecunia profecta eſt. Locus quem ad *Bæticam* occuparunt, *Vandaluſia* dictus. A *Conſtantio Conſtantini* filio in *Hiſpaniam* admiſſa, ut ejus E fretus auxilio licentiùs potuiſſet deſævire. Atque ea quidem geſta ſunt ſub *Genſerico*, vel *Gunthario* Rege, cui ſucceſſit *Genſericus*, quorum *Vandali* anno 431. indè a *Gotthis* expulſi in *Africam* trajecerunt quam ferro, flamma, rapinis crudeliſſimè devaſtarunt; Catholicam Fidem *Arriana* impietate ſubverterunt, & tenuere ſubactam annis 96. aliis, 74. Ibi dum degeret *Genſericus*, & dum *Maximus* Patricius, qui *Valentiniano* fuerat ſubrogatus, violenter *Eudoxiam*, quæ *Valentiniani* fuerat uxor, ad matrimonium rapuiſſet, ab eadem animo percita ad *Romam* & *Italiam* ſubjiciendam eſt evocatus. F Lætus hoc nuncio barbarus, *Afrorum*, *Maurorum*, *Vandalorum*que ad CCC. millia coegit. Et cùm naves conſcendiſſent, in *Italiam* navigarunt. *Romana* tunc civitas improviſi atque potentiſſimi exercitus adventu perterrita, relicta urbe (Senatus præcipuè & equeſtris ordinis viri) in ſylvas monteſque proximos ſeſe abdiderunt. *Maximus* de fuga ſibi conſulens, ab *Urſo Romano* milite eſt occiſus. *Leo* tantùm Sanctus Pontifex Fidei clypeo armatus, *Genſerico* antequam Urbem ingre-

Vandali, unde.

Vandali Hiſpaniam occupant.

Genſericus, & Maximus.

Eudoxia.

Genſericus in Italiam venit.

Leo Pontifex Genſerico occurrit.

* Sigeberto 457.

grederetur, occurrit; quem cùm oràsset ut ab Urbis miseræ incendio abstineret, nullo pacto potuit impetrare, nec a flamma furoris Ducem *Ariana* hæresi incensum coërcere. Quatuordecim dierum spatio in sacra atque prophana vesanus ignis exarsit. Mox *Eudoxia* & filia quam ex *Valentiniano* susceperat in *Africam* missis, *Gensericus* obsessa *Capua* & ad solum eversa, *Campaniæ felicis* agro infelicissimam cladem intulit; in qua memorabile *D. Paulini Nolani* Episcopi factum, qui in unius captivi redemptionem semetipsum dederit in *Africam* deferendum. qui tantam apud barbaros gratiam consequutus est, ut omnibus *Nolanæ* urbis captivis libertatem acquisiverit. Ad *Neapolim* ventum. Erat tunc civitas & mœnium propugnaculis, & civium robore florens. Et licet nihil prætermiserint barbari ad eam obsidendam, nunquam tamen aut hostium multitudine, aut gentis ferocia exterrita est. Nihil sibi dulciùs cives proposuere quàm famem & sitim perferre; laboribus sudoribusque ad pericula obdurari; civitatem quæ *Romanos* Duces trucemque *Hannibalem* depulerat, defendere; corpora ipsa veluti confertos muros telis objicere, quando & præclara mœnia corruissent. Quod cùm optimè animadvertisset *Gensericus*, de victoria desperans, soluta obsidione in *Africam* rediit. Memoria immortali recolat *Eudoxiam Neapolis*, cujus causa in ferocissimos *Vandalos* summa virtute sibi gloriam comparavit.

OSTROGOTTHI, THEODORICUS.

493 Augustulus.

Antequam *Augustulus* in Occidente imperaret, *Romani* quorum Principum jam dignitas defecerat, *Sciros*, *Alanos*, *Gotthos* & hujusmodi barbaros in societatem adsciverunt, non intelligentes quantùm detrimenti ab iis essent acceptu-ri, ut *Augustulus* ipse occupato per *Odoacrum Crestis Augustuli* Patris armigerum *Romano* Imperio, adjuvantibus *Gotthis* quibus pollicitus fuerat se omnia pro eorum arbitrio exequuturum si ad *Romanum* Principatum ipsum extulissent, privatam vitam ducere coactus fuerit, tertia *Italici* agri parte barbaris tributa. Interim *Zeno* Orientis Imperator, qui permiserat *Gotthis*, ut Thraciam incolerent, cùm animadverteret barbaros adversus *Romanos* facilè arma capturos, dato eis Duce *Theodorico* Patricio viro & Consulari, quem sibi filium adoptaverat, ut Italiam peterent hortatus est, captoque *Odoacro* Tyranno, *Hesperiæ* Principatu potiretur. *Theodoricus* Imperatoris monitu cum *Gotthorum* copiis in Italiam venit, *Ostrogotthi* dicebantur hujusmodi *Gotthi*, qui Orientem versus habitabant; & hujusmodi esse dictos eos quoque *Gotthos*, qui *Venetiam* captam possederunt, & cum *Romanis* confœderatos, scribit *Joannes Cuspinianus*. Cum *Odoacro* multis prœliis contendit; qui tamen victus *Ravennæ* & in aliis munitissimis locis se continuit. *Ravennam* triennio obsidet. Sed diuturni temporis mora *Ostrogotthi* pertæsi, & *Romani* rerum necessariarum inopia adducti, per *Ravennatem* Antistitem pacis conditiones proposuere, pactumque est, ut *Theodoricus* & *Odoacer* æqua sorte & pari in ea urbe potirentur imperio. Sed fracta fide *Theodoricus* ad cœnam vocatum *Odoacrum* jugulavit, & hostium sibi animis conciliatis, *Gotthis* & *Italis* solus imperavit. Sed ne in invidiam adduceretur, Imperatoris insignibus rejectis, Rex maluit appellari, quo nomine suos barbari Duces appellabant. Justitiæ se amatorem præbuit, legum observatorem, magnanimitati & sapientiæ studentem, *Itali* agri contra hostes acerrimum defensorem, quamobrem licet Tyranni nomine appellaretur, veri tamen Imperatoris specimen rebus gerendis edebat. Sed tantus vir, cùm in omnibus se præclarissimum ostenderit, una in re defecisse maximè notatur, quippe qui prudenter quælibet negotia gesserat, imprudenter delatoribus contra *Symmachum*, & ejus generum *Boëthium* Philosophos excellentes, ad Senatorium ordinem evectos, ob adeptam nobilitatem multis invisos, iis præcipuè, qui vitiis obruti nequeunt ex sordibus emergere, tantam fidem adhibuit, ut veluti novarum rerum curiosos occiderit. Quid indigniùs Principe quàm quorumlibet verbis contra aliorum dignitatem faciles aures præbere? Sub eo Duce calaminates quas tota *Italia* passa est, *Neapolim* esse passam non veremur, nec bella inter *Ostrogotthos* & *Neapolitanos* intercessisse dubitamus. Scimus eos etsi non voluntate, vi tamen ab Imperatoribus *Græcis* quibus parebant defecisse, & novimus, quas *Comitivas* in eam civitatem *Gotthus* Rex miserat, quas litteras ad Magistratus alias ob causas dederat; quid decreverat de Judicibus inter *Romanos*, & *Gotthos Neapoli* habitantes. Nec illud mihi persuadere possum, ut *Gottho* milite *Neapolis* absque prœliis fuerit repleta, & *Neapolitanos* bellica virtute nobiles, ejus Imperii jugum sine sanguine subiisse. *Theodorici* Statuam *Neapoli* positam legimus, cujus caput in terram decidens, mortis ejus fuit præsagium.

Odoacer.

Zeno.

Theodoricus.

Theodoricus fidem frangit.

Theodoricus Rex appellatur.

Neapolitani ab Ostrogotthis vexantur.

ATALARICUS, AMALASUNTA, THEODAATUS.

Mortuo *Theodorico*, *Atalaricus* ejus ex filia *Amalasunta* (vel potiùs *Amalasuenta*) nepos octo tantùm natus annos ad Imperium est evectus. Administrabat summa cum prudentia Mater, quæ virilem cunctis in rebus animum ostendebat, ad æquitatem adeo proclivis, ut nulla unquam *Romanos* pœna affecerit, *Gotthos Romanorum* inimicos ab eorum semper injuria abstinere jusserit. Senioribus *Gotthis* puerum instituendum tradidit, in quem cùm aliquando leviter ipsa animadvertisset, & puerum *Gotthi* gementem excepissent, occasionem nacti ut virus evomerent, mulieris enim justum non perferebant Imperium, & barbarorum more vivere desiderabant, *Amalasuntam* conviciis & probris petentes illud exprobrabant, velle eam litterarum molestiis puerum perdere; non decere Regem litteras scire quæ animos effœminatos reddunt, molles & enervatas corporis vires ad bellorum labores efficiunt; convenire puero a Præceptoris metu esse liberum, qui aliis formidinem armis esset incussurus; convenire ut Patrem imitaretur, qui a litterarum studiis maximè alienus, tot gentium, tot urbium domitor gloriam adeptus fuerit immortalem. Turbabatur anxia mulier barbarorum simultatibus, tum maximè quòd illecebris puerum pellexerant, quamobrem timebat insidias. Idcirco simulans se facturam quod peterent, voluptati Sibi fore pueri libertatem prædicabat. Interim quòd Seniores illi quibus *Atalaricus* traditus est, cum militibus convenientes (nam puer ad pubertatem venerat) ebrietatem, fœminarum concubitus, ludos, omnia libidinis genera permiserunt, eos longissimè separarim ablegavit. Interficiendos postea jussit, dum ipsa cum *Justiniano* Imperatore familiaritate inita petiit, ut *Byzantium* adire liceret, simulatæ profectionis nave missa ad *Epidamnum*, ubi eam expectandam Imperator jusserat. Simulaverat profectionem *Amalasunta* quòd

Amalasunta Imperium administrabat.

Atalaricum senioribus instituendum tradit.

Turbatur Gotthorum tumultibus.

Profectionem Constantinopolim simulat.

L tres

tres illos Seniores qui in eam conspiraverant licet in exilio essent, non posse simul diversis in locis occidi suspicabatur. At de eorum cæde certior facta, *Ravenna* discedere noluit. Mirabatur *Justinianus* navem *Epidamnum* appulisse, & *Amalasuntam* adhuc in *Italia* esse. Dum hæc gererentur, *Theodaatus Theodorici* ex sorore *Amalafreda* nepos, litterarum gnarus, bellicæ rei ignarus, avaritia permotus quoniam grandem pecuniam a *Justiniano* acceperat, & ambitione ductus ab eodem accepta Consulari dignitate, *Tusciam* Imperatori tradere deliberavit. *Atalaricus* verò cùm libidinibus se totum dedisset, in morbum incidit. *Amalasunta* ne mortuo filio in maximum Imperii & vitæ discrimen veniret, eidem *Justiniano Italorum* & *Gotthorum* Imperium tradere cogitabat. Dum dubias has res animo agitaret, *Alexander* & *Demetrius* Legati ab Imperatore missi *Byzantio* ad ipsam venére percunctaturi, cur ex *Italia* profecta non fuisset? Videbatur hæc justa Legationis causa; aliud tamen pectore offensus Imperator servabat; ideoque Legatis edixit, ut apud Reginam quererentur, acerbissimum sibi videri, *Gotthos* tot injurias suis inferre, invita *Amalasunta* decem ex Imperatorio exercitu transfugas accepisse, & non tantùm in *Campaniam*, quæ sub Imperatoria ditione esset, se recepisse, sed etiam *Neapolitanæ* urbi custodem quendam *Vliarem* præposuisse. Quidnam rei hoc esset? cur provincias, civitatesque quæ *Gotthorum* non essent, tam libere perturbaret? Et quamvis Regina responderit Legatis, transfugas esse *Neapolim* receptos quæ Imperatoris amica erat, illud tamen hujusmodi intelligo, ut *Gotthi* occupata *Campania*, *Neapolim* non ita promptè ejus belli initio occupare potuissent. Valuit profectò plurimum Legatio, propterea quòd *Justinianum* Regina per litteras monuerit, se illud unum præcipuè exoptare, ut *Italia* in ejus manus potestatemque deveniret. Interim habito cum *Theodaato* colloquio proposuit, quoniam solus ex *Theodorici* genere reliquus esset, cùm jam in dies *Atalaricus* ad mortem properaret, si a præteritis vitiis abhorreret, & aliena surripere recusaret, se illum ad Regiam dignitatem evecturum, dummodo gravissimo se juramento obstringeret, ut ipse Regium modò nomen acciperet, ipsa verò totius rei summam obtineret. Subdolo nihilominus animo *Theodaatus*, quæ voluit *Amalasunta* pollicitus est, atque ita Rex constitutus. Non servata fide, evocatis Senioribûs quorum occisi fuerant affines, occisis aliquot Reginæ propinquis, eam in carcerem detrusit. *Theodaatus* in *Neapolitanos*, ut in alios impetum fecisse, tunc credendum est, eosque se viriliter a *Gotthis* defendisse, cujus rei testimonium affero, quòd eorum uxores & liberi obsides *Ravennam* missi sunt, relicto *Neapoli* firmo *Gotthorum* præsidio qui ad octingentos erant; cur enim obsides expostulâssent, nisi eorum robur expertus esset? Legatus tunc mittebatur a *Justiniano* in *Italiam* *Petrus* quidam, qui cum *Theodaato* ageret de *Tusciæ* rebus, & cum *Amalasunta* de *Italia* tradenda, necdum certa resciverat de *Atalarici* morte, de *Theodaati* imperio, de Reginæ calamitate. Sed cùm a *Petro* de omnibus certior factus esset, ægrè ferens *Theodaati* perfidiam ad *Amalasuntam* scripsit, ut ex ea Insula quam carceris loco habebat aufugere curaret, id quod difficile factu erat, cùm multi milites præsidio Insulæ essent. Scripsit præterea *Petro*, ut nihil dissimularet, omnia Imperatori cognita esse diceret, *Theodaato* & *Gotthis* omnibus scelera, quæ comittebant, injurias quas acciperent exprobraret. Quæ dum *Petrus* exequi decreverat, *Amalasunta* a *Gotthis*, permittente *Theodaato*, occiditur. Occasionem hanc nactus *Justinianus* bellum in *Theodaatum* inferre deliberat. Duobus Ducibus rem bellicam committit, *Mundo* *Illyriorum* Præfecto, ut in *Dalmatia Gotthis* subdita *Salonas* urbem occuparet; & *Belisario*, ut in *Siciliam* contenderet, in *Carthaginem* tamen se profecturum dictitaret. Ad *Francos* scribit non jure, sed vi sibi ab impiis hominibus Italiæ ditionem esse ereptam, arma idcirco contra eos sumere velle; ipsum bello juvarent; qui propositis præmiis, opem atque auxilium omni conatu laturos promiserunt. *Mundus* in *Dalmatia Gotthorum* victoriam consequutus est. *Belisarius*, in *Sicilia* capta *Catania*, celeriter *Syracusas* invasit, qua in ejus potestatem redacta, nullo negotio aliis urbibus potitus est. Reliqua *Panhormus* erat, quæ munitissima optimo *Gotthorum* præsidio, difficilem obsidionem habebat. A viribus ad ingenium *Belisarius* confugit. Classem in portum clàm subducit, ex ea parte civitatis murus defensoribus vacuus erat; cumque animadvertisset navium malos urbis propugnacula superare, lembos sagittariis implet, a quibus ad lembi fastigium suspensis hostes vulnerati, improviso malo perterriti, deditionem *Belisario* fecerunt. *Petrus* eo tempore cum *Theodaato*, qui Imperatoris vires timebat, in colloquium venit. Hæc inter eos acta sunt. Ut *Siciliam* *Theodaatus* omnem traderet, & Imperatori auream coronam trecentarum librarum in singulos annos, & tria millia *Gotthorum* mitteret. Ne *Theodaato* liceret quemquam nolente Imperatore occidere. Patriciatus dignitatem solus conferret Imperator. Si quando in Theatris, triviisque aut alibi, ut moris erat, acclamatione vel plausu opus fuisset, Imperatoris primò nomen, deinde *Theodaati* celebraretur. Si Statua quavis ex materia fuisset erigenda, Imperatori & *Theodaato* simul erigeretur. Hanc pacis conditionem Nummus ostendit argenteus, in cujus una facie inscriptum, D. N. IUSTINIANUS. P. F. AUG. in altera, D. N. THEODAATUS REX; cujus Nummi antea sic * cudebantur: A bellorum autem curis longissimè alienus *Theodaatus*, cùm intelligeret maximos sibi tumultus imminere, hinc enim *Mundus*, hinc *Belisarius* pro Imperatoria dignitate multa præclara gerebant, & quòd etiam intelligeret *Italiæ* Tyrannum se esse effectum, scriptis ad *Justinianum* litteris, ejus tandem cedere Regno velle pronunciavit. quod cum summæ voluptati Imperatori fuisset, evocato e *Sicilia Belisario* amico, per quem de *Parthis* magna ex parte Republica recuperare triumphaverat, &, in *Sicilia* occiso *Sunderat* Duce, *Italiam* commendavit.

Theodaatus Imperatori Tusciam promittit.

Amalasunta Italiæ Regnum eidem pollicetur.

Neapolitani obsides Ravennam missi.

Mundus, & Belisarius.

Mundus in Dalmatiam.

Belisarius in Siciliam.

Belisarius Panhormum capit.

Conditiones inter Theodaatum, & Iustinianum.

* Vide Tab. VII. Fig. 4.

BELISARIUS.

BELISARIUS ex *Sicilia* solvens, traductis in continentem copiis, per *Brutios* & *Lucanos* dum classis cum subsequebatur, in *Campaniam* ejusque caput *Neapolim* venit loci natura validam, & *Gotthico* præsidio munitam. Ea profectio ad *Neapolitanam* expeditionem spectabat, sciebat enim *Belisarius*, quæ *Justinianus* mente conceperat, quantum doloris optimo Imperatori *Gotthorum* temeritas intulerat, quàm perfidè secum *Amalasunta*, & *Theodaatus* omnia gessissent. Pati non poterat ut *Neapolis* Orientalium Imperatorum oculus, libertatis lumine careret. Nihil antiquius *Belisario* faciundum jussisse arbitror, quàm *Neapolim*, totamque *Campaniam* expulsis hostibus, in antiquam Imperatorii

peratorii nominis dignitatem restituere. Cùm igitur *Neapolim* ipse classisque pervenissent, castris positis edixit, ut naves ad sagittæ jactum e portu subducerentur. Ipse in suburbium impetu facto absque ullo negotio cepit. Mox urbanis ipsum adeundi copiam fecit; ea quæ vellent liberè dicerent, atque simul quid agendum sit communicarent, hoc tamen sibi persuaderent, se ex *Sicilia* eò profectum, ut *Neapolim* in Imperatoris potestatem redigeret; non esse verbis opus, illico Imperatori obedire deliberarent. *Neapolitani* miserunt *Stephanum Catoldum*, qui apud ipsos plurimùm poterat, & qui diceret; Velle se profectò urbis deditionem facere Imperatori, a quo nunquam animo fuerant abalienato; duabus tamen difficultatibus in ea re peragenda impediri. Primùm quòd *Theodaatus Ravennæ* uxores liberosque obsides detineret, quamobrem ab eorum nece non temperaturum sibi persuadebant, si aliquo pacto fidem violassent. Deinde quòd *Gotthorum* præsidium extimescerent, a quibus fore ut omnes cives trucidarentur, quis vereri potuisset, si portas civitatis novo Duci *Gotthici* nominis hosti acerrimo aperuissent? Mirari etiam *Neapolitanos* parvam civitatem incolentes, magno exercitu a magno Duce oppugnari, cui *Roma* potiùs primo loco esset recuperanda, ut faciliùs *Neapolim* possideret. *Belisarius* ab eo non consilium, sed deditionem expetere, respondit. si *Neapolitani* æquas conditiones proferrent, se eos in fidem recepturum, atque conservaturum. sin pluris facerent barbarorum, quàm *Romani* Imperatoris obedientiam, maxima in eos crudelitatis exempla esse editurum. Quamobrem nollent indignitates atque contumelias perferre, neque efficerent ut a *Neapolitanis* aliæ *Italiæ* urbes discant irati Principis evadere indignationem. se pro ipsorum & totius *Italiæ* libertate venisse, Imperatorem nihil aliud desiderare quàm impiorum hominum securem ab omnium cervicibus depellere. contra quos si quis servitute abductus bellum gesserit, naviterque pugnarit, duplicem se felicitatem consequutum existimet; si enim victor evaserit, summo solatio esset illatas injurias vindicare; si verò victus fuerit, illud maximæ sibi voluptati fore experiretur, quòd ultrò deteriori fortunæ non occurrerit. Quòd si *Neapolitani*, qui libertatem absque belli discrimine consequi poterunt, ad arma cupiunt devenire, meminerint hoc pacto firmiorem, duriorem que servitutem paraturos. Hæc *Neapolitanis Staphane* dicito. *Gotthis* verò illud referto; Aut sub Imperatore nobiscum militent, & quæ necessaria erunt, quo pacto voluerint, erogabuntur; aut impunes domum abeant. Si secus, cùm veniam poscent, non impetrabunt.

Stephanus Catoldus ad Belisarium.

Belisarii responsum.

Stephanus responsum refert.

Quæ cum *Stephanus* suis retulisset, varii animorum motus sunt excitati; qui enim ab Imperatore erant *Stephani* faciebant opinioni, qui dixerat bellum non sine maximo periculo ea se tempestate facturos, quid enim fractæ vires contra potentem exercitum, uti a magno Imperatore magnus Dux præfectus erat? Accepisse a *Belisario* quanta benignitate essent accipiendi si Imperatoris exercitum introducerent, quanta clade & miseria afficiendi sin postea victi succumbere coacti fuissent. Cogitarent si resistere conati fuerint, quid pugnando adepti essent, si cecidissent; quantum detrimenti ex victoria immineret, cùm perpetuum calamitosum bellum essent in se suosque revocaturi, propterea quòd *Neapoli* potiri quavis ratione, quovis studio Imperator sibi in animum induxerat. Eadem confirmavit *Antiochus* quidam natione *Syrus Neapolis* inquilinus, qui maritimo incumbens operi prudentiæ laudem apud omnes sibi comparaverat. Quorum verbis & hortationibus plebs permota, Romano Imperatori portas urbis esse aperiendas clamare cœpit. At *Pastor* & *Asclepiodotus Neapolitani* Rhetores, qui *Gotthis* familiarissimè utebantur, concitatæ multitudinis intemperantiam animadvertentes, ut a *Gotthis* cladem illam averterent, rem tamdiu differre conabantur, quoad eorum animi ad urbem defendendam inflammarentur. Differre visi sunt si persuasissent ut antequam aliquid decernerent, *Stephanus* cum scriptis conditionibus ad *Belisarium* mitteretur, qui si jurejurando rata omnia habuisset, tunc deditionem facere potuissent. Narrant plerique *Stephanum* ea scripta cum *Rivario Neapolitano* Episcopo tulisse, qui Pontificiis vestibus indutus juramento Belisarium adigeret, ut omnia utrinque sanctissimè observarentur. Videbantur tamen ea petere *Neapolitani*, quæ nunquam Dux esset admissurus. Quapropter, quod omnia prudenter agere consueverat, cognita *Neapolitanorum* calliditate, omnia se jurejurando pollicitus est præstiturum, & *Stephanum* remisit, qui denuo quæ dixerat, quæ promiserat, confirmaret. A quo cùm ejus Ducis animi propensionem in omnes cognovissent, & quòd scirent, quàm feliciter cum *Siculis* actum esset, iterum omnium vocibus exercitum intra mœnia esse accipiendum conclamatur.

Antiochus Syrus.

Pastor & Asclepiodotus.

Rivarius Episcopus Neapolitanus.

Belisarius jurat.

Tunc *Pastor* adhibito sibi socio *Asclepiodoto*, convocata *Neapolitanorum* & *Gotthorum* concione sic loquutus est: *In rebus adversis* (optimi viri civesque) *in quibus de omnium salute ac libertate agitur, liberam sententiam dicendam semper existimavi.* Belisarius Neapolitanam *urbem, vos ipsos, liberosque vestros in servitutem redigere cupiens, ea proponit quæ Dux victoriæ cupidus proponere debet. Omnia pollicentur Duces qui suis Imperatoribus ambitiosiùs rem gratam facere, non aliorum calamitati subvenire sibi persuaserunt. Quæcunque a* Belisario *expetitis, rata atque facta in vestris manibus collocabit; sed quid præterea rerum eventus ferat, alio quoque eum ordine exequuturum in dubium ne revocetis. Optat* Neapolim; *celeberrimum optat oppidum. Oræ maritimæ hæc urbs videtur imperitare, ideoque satis firmum præsidium Imperatoriæ classi reperisse, ea occupata, non ignorat. Expulsis ex hac urbe* Gotthis, *ex aliis quoque* Italiæ *urbibus aut expellentur, aut ipsi suæ sibi saluti consulent; in* Theodaatum *quovis pacto Imperator animadvertere studet. Multa iniqua Imperator atque Dux cogitant, atque ut consequantur quod exoptant, non modò pollicentur, sed sancto etiam juramento obstringuntur; quæ si secus fecerint, quas, obsecro, pœnas luent? quò nobis provocare licebit? quid in servitute constituti contra Imperatorem efficere posse vobis persuadetis? Animadvertite viri* Neapolitani; *si enim* Gotthi Græcos *devicerint, procul dubio hostium loco nos erunt habituri, qui nulla necessitate coacti odio tantùm in* Gotthos *permoti, proditionem facere videbimini. Si verò ad* Belisarium *victoria inclinaverit, quis veretur nos perfidiæ ab eo esse arguendos, atque ab ipso Imperatore perpetuò proditores esse existimandos? & licet victoriæ initio, quo exultat animus, aliquam gratiam referret, quis tamen vestrum est, qui non existimet, nunquam eum suspicione cariturum, nunquam* Neapolitanis *fidem habiturum? An verò illud non intelligitis, cùm Imperator a vobis, cùm se occasio offeret, posse prodi omnino sibi persuaserit, novarum rerum incommodo, militum molestiori custodia, legum novitate, duriore tandem servitute vos esse opprimendos? Quod si* Gotthis *fidem servaverimus,* Gotthi *ipsi post susceptos labores, liberatam*

Pastoris concio ad Neapolitanos.

tam civitatem, ejectos hostes, partam victoriam, multis nos beneficiis in eorum amicitia perseverantes afficient; ipsique hostes (tanta est fidei observantiæ sanctitas) veniam, servatæ fidei monumentum, libenti ac generoso animo condonabunt; pertinax enim in quemquam studium, quamvis alicui nocere visum fuerit, nemo mortalium reprehendendum judicabit. Nunc autem quid obsidionem timetis? in vestra estis urbe, rebus victui necessariis optimè munita, murorum tutela validissima, defensorum voluntate intrepida. Quid bono non estis animo? antiquæ vestræ virtutis vos nolim oblivisci, quæ fortissimos Duces perterrere consuevit; iisdem nos mœnibus, eadem loci difficultate continemur; eodem servandæ patriæ studio ad arma rapiamur. Hac una tantùm re finem dicendi faciam; Si Belisarius *per vim urbe se potiturum speraret, nunquam ad propositas venisset conditiones.* Quibus dictis, *Judæos* in medium producit, qui defendendæ urbi nunquam se defuturos, salutem fortunasque profusuros tanta alacritate pollicebantur, ut in eorum auxilio spes omnis reliqua esse posse videretur. Tanti hæc verba ponderis fuerunt, ut *Neapolitanorum* mentem immutaverint, & qui *Belisarium* introducere exoptabant, omnino excludere deliberarint.

Iudæi.

Belisarius obsidionem parat.

Belisarius de his certior factus, seque elusum ratus, cetera prætermittere, obsidionem parare decrevit. Tentavit sæpe muros, a quibus tamen tum in continenti, tum ad mare difficili loco positis, cum magna suorum militum jactura rejiciebatur. Artes excogitavit; nec parum fecisse arbitratus est, si Aquæductu interciso, cives aqua privaret. Erat autem Aquæductus ille non *Labullæ* quem *Alfonsus* Rex *Aragoneus* posterioribus temporibus perduxit, sed qui ad murum usque perductus superne integebatur (ut ait *Procopius* qui adfuit) mediamque urbem longiore spatio decocto ex latere celsiores fornices habens, pervadebat. Nunquam per altos latericios fornices *Labulla* defluxit. At quoniam perennium aquarum scaturigines in puteis *Neapolitani* habebant, nihili technas *Belisarii* fecere, cum interim non tantum sibi confiderent, ut ab aliis auxilium petere noluissent. Ad *Theodaatum Romam* misere Legatos, a quo celeriter auxilio esse juvandos sperabant. At ignavus homo *Hebræum* quendam præstigiatorem ad se accersi jussit, ut ex eo sciret, quinam hujus belli eventus esset futurus. Ille verò (ridiculum profectò) ex quibusdam porcis, quibus *Gotthorum*, *Romanorum*, & Ducum nomina imposuerat, superstitione sumpta, cùm porcos *Gotthicos* mortuos reperisset, belli exitum contra *Gotthos* prædixit.

Aquæductum interrumpit.

Labulla

Neapolitani opem a Theodaato petunt.

Theodaati ignavia.

Dum hæc gerebantur, & existimaret *Belisarius Theodaatum* quam maximis itineribus subsidio *Neapolitanis* venturum, spe deditionis abjecta, ne frustra tempus terere videretur, obsidionem soluturum, & celerrimè abiturum exercitui nunciavit. Sed nova discessum occasio retardavit. Etenim *Isaurus* miles quidam Aquæductus molem videndi cupidus, utque edisceret quo pacto indè in urbem aqua derivaretur, in eum ascendit cùm aqua jam defluere desiisset. Ubi ad mœnia venit in maximam petram incidit, in qua superne foramen ad aquam immittendam fuerat excavatum. Animadvertit *Isaurus* facilè potuisse milites intromitti, si laxiùs foramen efficeretur, ut militi clypeo & gladio armato aditum præberet. Rem aperit *Pacari*, qui apud *Belisarium* plurimùm poterat. *Pacares Belisario* denuntiat. *Belisarius* jubet, ut clàm eò accedant, foramen nullo edito sonitu acuminato ferro abradendo potiùs, quàm percutiendo aperirent. Eo confecto opere, quòd videbatur se nullo negotio urbe posse potiri, *Stephanum* ad se iterum evocat. hortatur, ut nullam deditioni facerent moram; machinas ad expugnanda mœnia esse parata; militum animos ob diuturnos labores furore esse accensos; moneat *Neapolitanos* ut veluti in speculo aliarum urbium calamitates conspiciant; nolint matrumfamiliarum luctum, puerorum clamorem, senum ejulatum experiri; metuant ignem quem sacra & prophana lambentem conspicient; cruoris rivos ab eorum compitis avertant, ne patiantur vetustissimam civitatem corruere, & *Christianos* incolas in miseram hanc extremam fortunam incidere; hæc omnia perfidiam sequi non esse in dubium revocaturos, ne cunctetur ipse pro omnium bono & salute suis persuadere, ut tandem aliquando a pertinacia desistant. *Stephanus* ad urbem regressus, convocatis *Neapolitanis*, *Belisarii* monita & minas multis cum lacrymis exponit. Tum plebs ignara, nihil *Romano* Imperatori se debere clamitavit; *liberos esse* Neapolitanos, *servitutis juga nunquam subituros; accedat* Belisarius; *cervicem nostris mœnibus quatiat*; Neapolitanorum *egregie virtutis & fidei periculum faciat.*

Isauri militis inventum.

Ad Pacarem defert.

Aquæductus foramen amplificatur.

Belisarius iterum Neapolitanos monet.

Neapolitani obdurantur.

Cùm hæc rescisset *Belisarius* quadringentis lectis militibus præcepit, ut Aquæductum ingrederentur, præfecto iis *Magno*, & socio addito *Enne Isaurorum* Duce. thoraces, clypeos, enses sumere jubet; ædificii partem ostendit quam antea ruperat, unde in Aquæductum facilis patebat ascensus; ne lumina præferant, edicit; utque tubæ sonitu, quæ jam gesta fuerint, significarent. Ipse interim quam plurimas paravit scalas, quas muris admoveret cum primùm milites in urbem esse introductos intelligeret. Metuebant primò milites, & *Magnum* sequi renuebant; quibus probro affectis *Belisarius* ducentos alios commilitones addidit, & *Photius* filius foveam quoque quà eundum erat, esset ingressus, nisi Pater prohibuisset. Sumptis eo pacto animis per foramen ingressi audacter incedebant, dum *Belisarius* ad turrim Aquæductus accedens, ne hostes qui ibi erant præsidio aliquo pacto facinus animadverterent, jubet *Bessam* unum ex Ducibus *Gotthicis* verbis cum barbaris rixari, deinde inter se alloqui, & proposita pecunia persuaderent ut relicta custodia, sub *Belisario* optimo Principe stipendia mererent. Milites qui cœco itinere permeabant, Aquæductus enim, ut diximus, tecto fornice mediam urbem alluebat, in locum tandem pervenerunt ubi Aquæductus testudo retecta erat, cœlum & domum in superiori parte conspicati, confestim manibus pedibusque enitendo, in cujusdam aniculæ domicilium miles quidam, cui nomen *Trajano*, venit, & silentium truculento vultu mulieri pavidæ indicens, restim validam ad oleæ truncum alligatam demisit ad milites, per quam omnes incolumes evaserunt. Quarta vigilia ad urbis muros progressi, custodes cum *Arnesto*, & *Polyphæo* Ducibus obtruncarunt, signoque dato, *Belisarius* illico scalas admovit, atque in muros prosiliit. Ubi verò illuxit, qui intraverant, *Judæos*, qui oram maritimam custodiebant, a tergo adorti, repentè exterritos in fugam conjecerunt, portisque apertis *Romanum* exercitum introduxere. Qui ad portas *Orientales* dispositi fuerant, cùm scalas non haberent, fores a custodibus destitutas incenderunt, & in urbem sunt ingressi. Capta est urbs, luctus & pavor improvisus omnia complevit, passim cædes & direptiones factæ sunt. nulla ætatis aut conditionis habita ratio est, quod


Magnus, & Ennes.

Photius Belisarii filius.

Milites ingrediuntur Aquæductum.

Hostes Neapolim ingrediuntur.

Neapolitanorum cædes.


TAB. VIII.
Fig. 1.
Fig. 2.
PRINCES BENEBENTI
Fig. 3.
Fig. 4.
+ CONS
TANTINOC
ЄZOH
BASILIS NO
MЄON.
NEA
ΠΟΛ
I
Fig. 5.

quod *Paulus Diaconus*[1], atque *Jornandes*[2] confirmant, ignes domibus suppositi, pueri & matresfamilias in durissimam servitutem subtracti, a *Messagetis* præcipuè qui tamdiu abstinuere, quoad *Belisarius* circumeundo suos a cæde continuit, quos habita concione placavit; fortunas tantùm diripiendas jussit, uxores liberosque Parentibus atque viris restituendos. *Gotthos* benigniùs, quàm par erat, fuisse tractatos scribunt. *Pastor* repentina morte correptus est. *Asclepiodotus* fœdissimè a populo discerptus. *Pastoris* caput palo suffixum. Hunc exitum *Neapolitana* obsidio post diem vicesimum habuit; & urbem, quæ summorum Ducum vires mœnium amplitudine, propria fregit virtute, vilissimi militis astus superavit. *Antoninam* uxorem post ea tempora *Belisarius Neapoli* retinuit, ut ab *Italico* tumultu remotior esset. Quæ cum *Procopio* deinde classis curam habuit, ut ipsemet scribit *Procopius*[3]. A *Silverio* Pontifice increpitum fuisse *Belisarium Romam* profectum, scribit *Paulus Diaconus*, quòd tanta crudelitate in *Neapolitanos* desæviret. Qui ad se rediens rursum *Neapolim* profectus est, & quòd vacuam urbem civibus reddidisset, ex proximis villis *Cumanos*, *Puteolanos* eosque qui in *Plaja*, *Sola*, *Piscinola*, *Locotrocula*, *Summa*, *Stabiis*, & *Cimiterio* habitabant, coëgit ut *Neapolim* incolerent, & frequentem redderent. Addidit *Campanos*, *Atellanos*, *Surrentinos Joannes Villanus*. *Theodaatus* tunc contra *Belisarium Vitigem* misit, qui ab exercitu Rex est denunciatus, & qui de se optimè meritum *Theodaatum* perfidè trucidavit, ut Regnum in *Italia* confirmaret. *Belisarius Romam* cogitans, trecentos ex suis cohortibus delectos viros quibus *Herodianum* præfecit, *Neapoli* præsidio reliquit, missis quoque ad *Cumas* custodibus, quæ duo oppida in *Campania* munita habere satis esse existimabat. A *Neapolitanis Romani* exemplum sumpserunt, propterea quòd Imperatoris copias libentissimè excipere decreverunt, & dum *Gotthi* per *Flaminiam* portam excedentes *Ravennam* se contulere, *Belisarius* per *Asinariam* ingrediens, *Romam* a *Gotthis* captam post sexagesimum annum, *Justiniani* verò undecimum, recuperavit.

Antonina uxor Belisarii.

Neapolim exteri advocantur.

SIPONTINI, BENEVENTANI.

492. Anno qui præcesserat, in Doctorum Homiliis, atque in antiquissimis Martyrologiis, *Neapolitanorum* bellum cum *Sipontinis* celebratur. Est autem in *Apuliæ* finibus inter sinum *Adriaticum* & *Garganum* montem *Sipontus* civitas constituta. Cùm a *Gargano* illo prædivite viro locus in monte, dum taurum quæreret qui ab armento aufugerat, repertus esset, in quo Beati *Michaëlis* Archangeli facta est sub *Gelasio* Pontifice memorabilis illa apparitio *Laurentio* Episcopo *Sipontino*, *Neapolitani* paganis ritibus obnoxii (sic in ea relatione loquitur *Laurentius Surius*) *Sipontinos* & *Beneventanos* bello lacessere conati sunt. At *Sipontini* Antistitis monitis edocti triduanum ab iis petiit jejunium, ut S. *Michaëlis* auxilium imploraret, dum suis *Samothracibus Neapolitani* sacrificia libarent. Victoriam noctu per visionem pollicetur Sanctus *Michaël*. Quapropter alacriter *Sipontini* hostibus occurrere non dubitarunt. Primo belli apparatu *Garganus* mons immenso tremore concussus est, crebris coruscavit fulgoribus, densa caligine obductus. Perterriti rei novitate *Neapolitani*, terga verterunt, & ad ipsa *Neapolitana* mœnia ab insequentibus sunt cæsi.

Neapolitanorum causam agit Illustrissimus *Baronius*, cujus laboribus ea de causa plurimùm se debere existiment. Videbantur infidelitate notari, qui cum primùm Fide initiati fuerunt a beatissimo Apostolorum Principe *Petro* ex *Antiochia* in *Italiam* adveniente, fideles (rejecto paganismo) in omnibus se præstiterunt. Docet id Episcoporum series ab *Aspremo* ab ipso *Petro* Episcopo constituto; Martyrum docent annales. Tum Divus *Paulinus Nolanus* Episcopus qui usque ad annum 431. vixit, & qui in tertio natali S. *Felicis* refert, *Neapolitanos* singulis annis ejusdem *Felicis* sepulcrum invisere solitos. Accedit *Procopius*, qui anno superiore *Belisarii* obsidionem describens, inter alia, quæ *Stephano Neapolitanorum* Legato commemorat a *Belisario* dicta, illud unum est: Non debere *Christianos* ejus urbis incolas in illam calamitatem incidere. Quod ejus ætatis Nummi * sub tot *Græcis* Imperatoribus confirmant, quando & *Constantini* & *Basilii* & *Leonis Romani*que & aliorum Imperio nihil nisi Salvatoris, cujus imago in ædibus a *Constantino* ædificatis præcipuè colebatur, & aliorum sanctorum religionem redolent, hujusmodi enim Nummi sæpissime in agro *Neapolitano* & in *Græcorum* antiquis Templis extra Urbem reperiuntur, qui non paganismum, sed fidem religionisque præcipuum cultum apud *Neapolitanos* ostendunt, qui a beatissimo Apostolorum *Petro* initiati, ad id Religionis culmen pervenerunt, ut Fidei cultu, Templorum ædificio, *Christianorum* operum amplitudine, inter alias Orbis urbes extollatur.

* Vide Tab. VII. Fig. 5.

Illustrissimus, inquam, Vir ille non de *Sipontinis* & *Neapolitanis* illud esse dicendum scribit, sed de *Odoacro* & *Theodorico*, cùm *Italia* bellô vexaretur, nec aliud ibidem privatum gereretur bellum. Cùm enim *Sipontini* deditionem fecissent *Theodorici* ducibus, a *Theodorico* malè accepti fuêre. Et occisô *Theodoricô Odoacer* vectigalia negotiatoribus *Sipontinis* condonanda jussit, ut apud *Cassiodorum*[4]; Cardinalis[5] hæc verba sunt: *Sub hoc eodem anno 2. Gelasii Papæ facta ponitur inventio cryptæ Gargani montis in Apulia, quæ ex apparitione S. Michaëlis Archangeli reddita celeberrima, pio est cultui mancipata. Rei gestæ extat Historia, in eo tamen emendanda, dum ibi dicitur bellum tunc viguisse inter* Neapolitanos *&* Sipontinos, *restituendumque est, inter* Odoacrem *&* Theodoricum, *ejusmodi enim bello & non alio privato tunc vexabatur in Italia.* Sed quoniam in hos Religionis Nummos incidimus, animadvertendus Nummus ille * est, in quo *Januarii* & *Athanasii* quos sanctissimos habuit *Neapolis* Episcopos, pietas elucet, atque hos, & superiores in Sanctorum honorem potiùs cusos, quàm ut per manus ad mercimonia traderentur.

* Vide Tab. VIII. Fig. 1.

TOTILAS.

545. * Ex multis *Italiæ* locis *Gotthis* ejectis, *Belisarius* a *Justiniano Constantinopolim* est accersitus, ad *Persarum* furorem coercendum. Interim *Totilas* (qui & *Balduilla* dicebatur) *Ildibaldi* nepos, cùm in rebus gerendis maximam solertiam esset consequutus, magni apud *Gotthos* nominis vir, *Gotthorum* Rex creatus, postquam *Beneventum* mœnibus exuit, ne munitissimam urbem hostes incolerent, *Neapolim* obsedit, civesque humaniter absque ferocia qua in suos utebatur, ad suam amicitiam recipiendos decrevit. *Conon Justiniani* Dux, cum paucis militibus *Isauris* & *Romanis* præsidio urbi erat. Cùm vero constantes *Neapolitanos* cerneret, & a deditione alienos, arctiori eos obsidione opprimere, & classe commeatum

[1] Lib. 1. [2] Lib. 16. [3] Lib. 2. de bello Gotthico [4] Epistola ad Faustum Lib. 2. [5] Annal. 1. 6. * aliis 542.

tum prohibere cœpit. *Justinianus* pro Imperii dignitate tuenda, *Maximum* Præfectum Prætorio cum classe & exercitu ex *Thracibus Armenis*que in *Italiam* misit. Sed rei bellicæ imperitus, & ad pacis otia natus, adeo negotium differre, ut rem *Neapolitanam*, quin & *Italicam* esse perituram *Justinianus* arbitraretur. Quapropter *Demetrium* qui sub *Belisario* in *Italia* stipendia fecerat, altera classe comparata in *Siciliam* misit subsidia *Italiæ* laturum. Is *Neapolitanæ* urbis obsidione audita, quoniam ea classe, eoque exercitu quem duxerat, hostium copiis resistere non posse sibi persuadebat, aliis navibus classem auxit, navalemque apparatum ita formidabilem reddidit ut conspectu tantum hostibus timorem incutere valeret, atque hujusmodi ut si tunc in eos impetum fecisset, procul dubio victoriam fuisset consequutus. Deterriti *Gotthi* de salute jam desperarunt. *Demetrius*, quòd noverat non navibus, sed militibus esse decertandum, *Romam* ad delectum habendum trajecit. Noluit *Romanus* miles naves conscendere, duplici enim prœlio a *Gotthis* devicti, eorum robur atque ferociam pertimescebant. Spe destitutum *Demetrium Neapolim* redeuntem, paucis cum militibus, iis scilicet quos ex *Græcia* duxerat, manus conserturum, *Totilas* classe quam semper in portu paratam habebat, inopinantem adortus, terga vertere coegit, atque velocitèr insequutus navibus militibusque potitus est, præter paucos qui in lembos prosilientes aufugerant, inter quos *Demetrius* fuit, quem ad pugnam impulerat alter *Demetrius* genere *Cephallen*, *Neapolis* Procurator, celeri lembo advectus.

Ex *Epiro Maximus* cum classe in *Siciliam* appulit, ibique segnes cunctando, opem ferre nesciebat. Tandem nec minis *Justiniani* permotus, navigationi se committere ausus est, sed *Demetrio*, *Herodiano*, & *Phassæ* classis præfecturam detulit. Hyeme hi navigare cœperunt, & tempestatis æstu in littora rejecti ubi *Totilas* castra posuerat, quasi ultro in manus hostium devenere. *Demetrius* captus est, & *Herodianus* occisus. Scribunt alii *Herodianum* & *Phassam* evasisse. *Demetrio Cephalleni*, ob intemperantem in *Totilam* verborum procacitatem, lingua & manus præcisæ fuerunt. *Demetrium* reste collo implicita ad muros urbis ducendum jussit, ne vana spe auxilii *Neapolitani* detinerentur. Quem cùm obsessi lacerum, squalidumque conspicerent, diutius famem sustinere non valentes, de auxilio desperantes, quòd *Totilas* eos blandis verbis alloqueretur, quòd decedendi civibus conditiones proponeret, quòd misericordiam polliceretur, sese flentes deditionem facere velle polliciti sunt. Ut fidem Imperatori servarent, triginta dierum spatium ad deditionem faciendam postularunt. Sed cùm ad constitutam diem nullum subsidium mitteretur, urbem se tradituros dixerunt. *Totilas* verò tres menses se daturum dixit, dummodo pactis starent. quòd si fallerent, protinus se muris oppugnationem admoturum. Tandem obtinuit; ingressusque *Neapolim*, a vindicta & injuria temperavit, omnia humanitatis, & comitatis argumenta ostentans. *Cononi* & militibus, qui decedere voluerunt, navigia præbuit. Nihil cuiquam ademptum; omnes pari miseria laborantes, eadem misericordia sunt accepti. Illudque profectò maximè notatu dignum est, quòd omnium salutis curam habuit, ut inediæ studendum jusserit, ne ob famem, quam antea pertulerant, avidiùs ingurgitando in morbos inciderent. Eandem servaverat clementiam cum *Romanis* duabus vicibus, quibus urbem ceperat; prima enim dedentibus *Isauris*, exercitum ad portam continuit, vel ut civibus fugiendi potestas daretur, vel ut qui vellent se ad Basilicas reciperent. Et licet postridie victor elatus e *Lateranensi* ad S. *Petri* Basilicam, quos habuit obvios trucidaverit; rogatu tamen *Pelagii* statim a sævitia se continuit. Altera, dedentibus urbem *Romanis*, nec desæviit, nec confugientes ad sacras ædes impedivit, quin cives per *Campaniam* palantes & profugos revocavit. Qua comitate adducti *Neapolitani*, paucis post obsidionem diebus, portas illi patefacere non dubitarunt. Nec multò post *Theodoberti* quoque *Francorum* Regis crudelitatem sustinuisse *Neapolim* arbitror, cùm *per Belisarium Italiam infestavit, ab Italia & Sicilia tributa reportans*, ut ait Sigebertus in Chronicis.

(Marginalia: Totilas Neapolim capit. — Injuriâ abstinet. — Cononem dimittit. — Totilæ clementia. — Theodobertus.)

LONGOBARDI, ALBOINUS.

Cùm *Belisarius Constantinopolim* esset revocatus, rebus *Italicis* præfectus est *Narses* Eunuchus, genere *Persa*, vir summa prudentia & invicto animo, qui in *Italia Gotthicum* nomen quod per septuaginta duos annos viguerat, summa virtute obliteravit, & post quem (ut inquit *Nauclerus*[1]) nec Consules *Roma* habuit, nec Senatum legitimè coactum, sed Duce *Græculo* homine, quem Exarchus *Ravennâ* mittebat, res *Romana* (dic etiam, *Neapolitana*) per multa tempora administrata est; dum in *Italica* administratione quietam vitam degeret, ob æmulorum invidiam, a *Sophia Justini* uxore, qui *Justiniani* Imperio successerat, *Constantinopolim* fuit accersitus, muliebribus enim exercitationibus quibus alii Eunuchi occupabantur, idoneum ab ipsa cognosci dictitabat. Et ad Gynæceum profectò molles & effœminatos milites relegabant. Hinc *Julianus* desertores amictos veste muliebri per castra duxit distrahendos apud *Eusebium* in *Constantini* vita; & apud *Zosimum Hesychius*, sub *Diocletiano* colobio muliebri indutus in Gynæceum datus est. Ideoque *Vegetius Eunuchos* a militari functione excipit. Et cùm in *Albaniæ* campis *Romani Persas* vicissent, *Hormisda Persarum* Rex ad *Baram* exercitus Ducem muliebrem misit vestem apud *Paulum Diaconum*[2], qui hac de causa perduellis Regi factus est, ut *Biridoes* diadema e capite *Hormisdæ* abstulerit, & in carcerem conjecerint, oculis privaverint, uxorem liberosque serra dissecuerint misero Rege inspectante. Qua re commotus vehementer *Narses*, *Justinum* & *Sophiam* ulcisci, eosque *Italiæ* possessione privare desiderans, idque per *Longobardos* opportunè faciundum ratus, nuntios litterasque ad *Alboinum* Regem *Andoini* filium misit, ut relicta *Pannonia*, ad *Italiæ* divitias atque delicias accederet. Anno 568. Indictione prima, Calend. *Aprilis* eos e *Pannonia* egressos, & secunda Indictione cœpisse prædari in *Italia*, & tertia dominari, scribit *Paulus Diaconus*; & mense *Decembri* Indictione sexta, urbem *Romanam*, & Exarchatum *Ravennæ* depopulatos. Suam *Narses* suorumque clientium operam in ea re perficienda pollicitus est. Terram aëris amœnitate, fructuum ubertate, agrorum fertilitate præstantem, proposuit. Fruges aliquot muneris loco misit, quibus imperitam illam gentem, & novarum rerum cupidam alliceret; certam denique victoriam in eorum manibus collocavit. Quod cùm intelligeret *Ioannes* III. Summus Pontifex *Italiæ* atque Ecclesiæ maximum detrimentum esse allaturum, *Neapolim* contendit; conatusque *Narsetis* iratum animum sedare, qui inter injuriæ fluctus maximè æstuabat, illud maximè objecit, Ne liberatæ *Italiæ* gloriam barbaro-

(Marginalia: 568 Narses Eunuchus. — Gynæceum. — Milites amicti veste muliebri.)

[1] Lib. 2. [2] Lib. 16.

barorum societate amitteret; ne libertatis titulum, vindictæ macula deturparet. Ergóne (ajebat) *Narses* per quem vivit *Italia*, cui fortunas, uxores, liberos, domesticos parietes populi debent, *Italiæ* necem, populis calamitatem, Deo ipso contumeliam es allaturus? Ergóne præclari Ducis animum quem nullæ unquam hostium copiæ perterruere, fœminæ insipientis verba commovebunt? Indignationis furor nominis tui immortalitatem obruet, recuperatam perdet *Italiam*, Ecclesiam furiosæ gentis inundatione labefactabit? Obsecro, obtestorque *Narses*, ne miseriarum debellator, miserias denuo revoces; ne vulnus, quod per te sanatum est, recrudescat; ne barbarorum ejector, barbaros iterum ad omnium perniciem introducas. Obsecro, ut injuriam quam te accepisse arbitraris, populis omnibus, Ecclesiæ universæ, supplicanti & afflictæ *Italiæ* condones. His Pontificis monitis pacatior *Narses* effectus, cum eodem se *Romam* contulit, ubi dolore consumptus interiit, corpus tamen in loculo plumbeo conditum *Constantinopolim* est translatum. *Longinus* ei successor a *Justiniano* datus est. Interim *Alboinus* victoriæ spe erectus, in hac felicissima *Italiæ* regione dominandi cupidus, relictis *Hunnis*, *Pannonia* post Paschatis gloriosissimam diem se itineri commisit. Ad ducenta millia capitum in eo exercitu *Germanicæ* historiæ scriptores numerant, non exceptis uxoribus liberisque *Italiam* aggressus, tandem in *Campaniam* se recepit, ubi multis occupatis oppidis, *Neapolim* & *Puteolos* occupare non potuit; tanta enim virtute cives seipsos & patria mœnia tueri conati sunt, ut pluribus prœliis initis, frustra se id agere barbari intellexerint. *Longobardos* ait *Æneas Sylvius* in Epitome, a longitudine barbæ dictos esse, & ab Insula *Scandinavia* duxisse originem, ex qua profecti, *Ajonem* & *Tatonem* Duces habuere, quibus defunctis Rex creatus est *Agelmundus*; quo a *Bulgaris* interfecto, *Lamissio* est subrogatus. Eorum ingressum in *Italiam* describit anno 156. post inclinationem Imperii sedente *Benedicto*, qui *Joanni* successerat xiii. anno *Justini* imperii. *Papiam* sibi sedem constituerunt; inde tota regio *Longobardia* nuncupata.

LONGOBARDI BENEVENTANI.

660 Constans Imperator.

Anno 660. in *Italiam Constans* Imperator venit, vel propter hæresim, quæ *Constantinopoli* vigebat, quapropter *Romam* Imperium traducere cupiebat, vel quòd pellendi *Longobardos* eum cupiditas incesserat. Is quidem post captam & solo æquatam *Luceriam*, exercitum ad *Beneventum* duxit, obseditque urbem. Cùm verò comperisset *Grimoaldum* magnis copiis auxilia *Romoaldo* filio laturum, qui *Beneventi* erat, soluta obsidione *Neapolim* contendit. Erat in ea civitate strenuus miles, *Saburus* nomine, optimus civis, quem viginti millibus militum præfecit, quibuscum *Campaniæ* fines a *Longobardis* tueretur, ipse *Romam* rediit. *Saburus* egregiam in ea re Imperatori navavit operam, magnaque ex parte hostium vesaniam compescuit. Sed cùm *Grimoaldus* cum suis copiis commendata Regia *Lupo Forojuliensium* Duci, ad *Formias* prope *Cajetam* venisset, & impetum in *Græcos* facere vellet, oravit eum *Romoaldus*, ut sibi pugnandi provinciam concederet, sperabat enim se facilè victoriam consequuturum. *Saburus Neapolitanæ* virtutis non immemor, ut ostenderet non immeritò rem sibi *Campanam* ab Imperatore esse commissam, instructa acie, adversus hostem prodiit. Collatis signis, *incerto Marte* pugnabatur.

Grimoaldus. Romoaldus. Saburus Neapolitanus. Lupus Forojuliensium Dux.

At *Amelongus* quidam, qui Regis hastam ferre consueverat, tanto impetu in *Saburum* irruit, ut ex equo sublatum in cœlum ejecerit. Tantum ea res timoris *Græcis* attulit, ut de victoria desperantes, partim cæsi, partim in fugam conversi, *Longobardis* victoriam obtulerint, qui fugientium multitudinem insequuti, tandem *Beneventum* redierunt. Ejus temporis Nummos hosce * *Neapoli* invenimus.

Amelongus.

* Vide Tab. VIII. Fig. 2.

810

Anno 810. *Grimoaldo* IV. *Beneventanorum* Duce mortuo, in novo Duce creando, inter eos dissidia orta sunt. Pars *Radelchidem*, pars *Rofritum* optabat. Tandem *Radelchidis* monitu *Sico* inquilinus creatus est. Illico ne posteris inglorium nomen relinqueret, belli occasionem cum *Neapolitanis* nactus, quod *Theodorum* Ducem ejus familiarem ejecissent, & *Stephanum* Ducem creâssent, ut in eorum Actis diximus, *Neapolim* obsedit, multaque sanè crudelia *Neapolitani* pertulerant, quamobrem conditionibus inter se pacisci deliberarunt.

853

Siconi Sicardus filius successit. Qui *Neapolitanis* tributum quod Patri pendebant, solvere abnuentibus bellum mox intulit. Trium mensium obsidio facta est. tum ferrum & flammam civitati minitans, tandem quòd pecuniam se soluturos promiserant, omnia condonavit. Obsidionem solvisse, quæ *Rofritus* retulerat, suprà diximus.

SARRACENI.

788

Anno 788. Bellum *Sarracenicum* cum *Neapolitanis* commemoratur sub Duce *Theophilo*, cum *Sarraceni* ex *Africæ Hispaniæque* littoribus, quò sub *Solimano Ægypti* Sultano anno 721. *Theodosio Anastasii* successore, & *Gregorio* II. Pontifice appulerant, *Neapolim* maxima classe advecti venerunt, atque indè summa virtute expulsi sunt, ut in ejus Ducis Actis innuimus.

827

Anno 827. *Sarraceni* sub Sultano *Subaco Italiam* tum præcipuè *Romam*, & *Montem Cassinum* vastarunt. 20. autem post annos, iterum in *Italiam* moverunt, *Anconitanum* portum occuparunt, & quicquid in mari jacet *Adriatico*, ferrô & igni consumpserunt. Qui in *Sicilia* firmissimas sibi sedes constituerant, ortis inter *Sichenolfum Salerni* Principem, & *Radelchidem* XIX. *Beneventanorum* Ducem simultatibus, quippe propagandæ ditionis occasionem nacti videbantur, parata classe in *Calabriam* trajecerunt, & non tantùm omnem oram maritimam, quæ *Rhegio Cajetam* usque protenditur, occuparunt, sed etiam in continentem progressi omnium rerum, tum *Neapolitanæ* civitatis per XXX. annos potiti sunt. Ejus in hisce calamitatibus miseriam quis eloqui poterit? quis barbaræ gentis crudelitatem explicare sine lacrymis valebit, cum sanguine semper expleri consueverit? Aliquot *Sarracenicos* Nummos *Neapoli* reperimus hujusmodi *.

* Vide Tab. VIII. Fig. 3.

Habet *Macedonius* alios cum *Arabibus* ex altera facie characteribus, sed eos adventitios existimo, cum *Neapolis* præter superiores, hos etiam habuerit, in quibus Urbis nomen * scriptum legimus.

* Vide Tab. VIII. Fig. 4.

867

Dum *Salernitani* Principes *Dauferius*, *Guaiferiusque* contendunt, dumque *Guaiferius Neapoli Audelajam Landonis Capuanorum* Comitis filiam uxorem acceperat, cùm antea falsa existimatione alteram necasset, *Sarraceni* effrænata licentia nusquam a maleficio abstinuerunt. *Seodanes* (*Scodam* appellat *Leo Ostiensis*) eorum Rex veluti sævissima tempestas *Campaniam* squalentem reddidit, & *Neapolim* obsidens, licet defensoribus munitam invenisset, omnem immanitatem

tem ostentavit. Pecora, rura, villæ, ædificia igne, homines ferro absumpti. Tunc sanè *Longobardi* fracti viribus, amissa auctoritate qua suæ *Italiam* servituti addixerant, cum *Radelchide Beneventano*, & *Guaiferio Salernitano* Ducibus fœdus inire optimum duxerunt, & *Ludovicum* Imperatorem revocare. A *Basilio Macedone* quoque auxilium petiere, qui occiso *Michaële Porphyrogenneto* ad Imperium *Constantinopolitanum* fuerat evectus hoc eodem anno. Inter se conjurant, nihil nisi communi consilio acturos, eundemque omnes fortunæ exitum esse laturos, ut a ferocissimorum hostium immanitate liberarentur. *Ludovico* res non feliciter cessit, etsi *Lotharius* quoque frater opem tulit, profligato ad *Nucceriam* exercitu, quamobrem superbè vicinis locis insultavit. Et tamen paulò post *Ludovicus* victoriam consequutus, omnes *Campaniæ* tumultus aliquot prœliis composuit.

876 Anno 876. *Neapolitani*, *Salernitani*, *Amalfitani*, & *Cajetani*, inito fœdere cum *Sarracenis Romana* littora populabantur. Quapropter a *Carolo* Imperatore *Ludovici* fratre auxilium petere coactus est *Joannes* VIII. Ad opem Pontifici ferendam missi *Lambertus* Dux & *Guido* Frater, quibuscum Pontifex *Neapolim*, indè *Salernum* petiit. *Guaiferius Salernitanorum* Princeps, violato fœdere, *Sarracenos* adortus, multos trucidavit. Quæ a *Sergio* gesta fuerint, suprà leges.

923 Bellum *Sarracenicum* cum *Neapolitanis* memorabile illud est, quod suprà in Ducibus sub *Leone* IV. & *Lothario* contigit. Quod tamen anno 923. contigisse scribit *Sigebertus*, addiditque *Petrum* & *Paulum* Apostolos in illa pugna visos fuisse *Christianis* auxiliantes. Quod bellum aliqui tribuunt anno 900. cum *Sarraceni* montem *Garganum*, & *Apuliam* servituti subjecerunt.

956 Aliud quoque commemorat *Joannes Villanus*, sedente *Joanne* XII. qui *Othonem* primum coronavit, licet alii eam coronationem *Leoni* VIII. tribuant. Etenim *Neapolitani* cùm a *Sarracenis* adeo affligerentur, ut etiam navium proris muris æquatis (id aliqua murorum parte dejecta fieri potuit) per scalas in urbem descendere conarentur, sese in maxima calamitatè constitutos intelligebant. Tunc ad D. *Januarii* & *Arpini* patrocinium atque tutelam confugientes, publicis privatisque supplicationibus preces effundentes, ut veluti a *Vesuvii* conflagratione, sic ab ea perfida hostium flamma liberaret, eorundem Sanctorum pietate servati sunt, ipsa mœnia duobus illis maximis Ducibus & Patronis defendentibus.

981 *Otho* ille primus, qui ex suppliciis, quæ sumebat, *Sanguinarius* appellatus est, in *Vaticano* in convivio, quod paraverat multis trucidatis, Urbe cum exercitu egressus, *Neapolim* & *Beneventum* petiit, ibique firma *Neapolitanorum*, *Salernitanorum*, *Capuanorum* manu sumpta, grave cum *Græcis* & *Sarracenis* in *Apulia* bellum gessit. Annum 981. numerat *Sigonius*. Præcesserat insignis illa victoria anno 915. quæ a *Neapolitanis*, *Capuanis*, & *Amalfitanis*, *Sarraceni* e *Campania* ejecti sunt, & quæ *Gregorium* Ducem *Neapolitanum*, & *Atenolfum Capuanum* Principem maximè illustrarunt. Quid si *Hungaros Slavos*que commemorabimus, quorum maxima in *Italiam* multitudo anno 948. erumpens, & *Campaniam* aggrediens, agrum *Beneventanum*, *Capuanum*, *Nolanum*que vastaverat? An verò flammam quæ ad *Nolam Capuam*que accensa est, furoris impetu *Neapolim* quoque pervenisse negabimus?

NORTMANNI, FRANCI.

Nortmannos (quos si dictos asserunt, quippe *Nort* Septentrionem, *Man* hominem significat, quasi homines Septentrionales dixeris) *Francos* appellat *Georgius Cedrenus*, nec ab re, cùm *Galliæ Celticæ* populi fuerint. Nam ex *Nordwegia*, vel *Nortmannia* discedentes, diuturno bello a *Danis* victi, novas sedes quærere statuentes, anno 700. profligatis *Saxonibus*, *Scotis*, *Frisiis*, *Aquitanis* in *Galliam* præcipuè Duce *Creto* ferocissimo viro, crudeliter irruerunt. Diutius eorum irrepsit crudelitas. Cumque omnia vastarent sub *Ludovico* II. *Lotharii* filio, in *Frisia* eorum decem millia interfecta fuerunt. Anno deinde 880. novem millia cæsa sunt ad *Ligerim* fluvium. Post multa facinora, *Gofridus* earum gentium Princeps a *Carolo Simplici* cum sacro Baptismate *Frisiam* dono accepit. Sed nec a crudelitate abstinentes, multas *Germaniæ* civitates combusserunt. *Galli* cùm eos invictos, nec ex iis posse regionibus pelli existimarent, propositis conditionibus, & inter alias, si CHRISTUM venerari voluissent, eos in suis sedibus accipere pollicebantur. Eorum Dux *Rollo* baptizatus est, & alio nomine, *Robertus* appellatus. *Neustriam* incolendam habuerunt, quam provinciam *Nortmandiam* dixerunt. Ex Ducatu post aliquot sæcula, Comitatus effectus est, & *Franciæ* Regibus magna ex parte subjectus, post multa bella inter *Anglorum*, & *Gallorum* Reges gesta. Quæ ex *Cedreno* discere potuimus hæc sunt.

Georgius Maniaces (*Maniax* ab aliquibus & *Molochus* dicitur) a *Michaele Paphlagone* Imperatore in *Siciliam* missus, ut ejus insulæ Principi *Aphilaphari*, vel *Apolopharo*, *Muchumeto*, qui cum Fratre *Apochape* & *Sarracenis* pugnabat, auxilium ferret, quingentos *Francos* e *Gallia Transalpina* evocatos, quibus *Arduinus* præerat, socios adscivit, quorum ope de *Sarracenis* victoriam reportavit. Sed a *Stephano* Imperatoris sororio accusatus, quòd *Siciliæ* sibi regnum arripere tentasset, *Constantinopolim* accersitus, duro carcere detentus est. Successor ei datus *Michaël* Protospatharius *Doacenus*, ineptus homo, qui cùm *Francos* in fide, negatis stipendiis, retinere nescivisset, Ducemque *Arduinum* hortantem ne suos milites mercede laborum fraudaret, flagris cecidisset, eos desciscentes contra suas copias arma capere coegit. Pugnârunt ad *Cannas* ad *Aufidum* fluvium, ubi illustris illa canitur cum *Pœnis Romanorum* pugna, victusque *Doacenus*, *Cannas* turpiter aufugit. Sumptis viribus, in *Francos*, quibus se adjunxerant eorum auxilia, qui *Alpium* radices incolunt, impetum facere iterum conatus, iterum victus abiit. Quamobrem alius ab Imperatore successor missus est *Bojoannes* ex *Basilii* Imperatoris genere strenuus miles, a quo tota *Italia Romam* usque Imperatoris potestati subacta est. Tandem is quoque ad *Monopolim* pugnans, vivus in hostium potestatem venit; atque tunc *Franci Italiam* ut bello partam sibi vendicaverunt. Quatuor solum urbes in *Romanorum* fide permanserunt, *Brundusium*, *Hydrus*, *Tarentum*, & *Baris*. Mortuo *Michaële* Imperatore, & *Michaële Calaphato*, quem sibi filium adoptaverat, a *Zoë* uxore *Maniaces* e carcere eductus, rursus in *Italiam* missus est, ut *Francos* ex ea parte quæ ad *Capuam*, *Beneventum*, *Neapolim* pertinet maxima crudelitate vexata, expelleret. Quæ tunc a *Neapolitanis* gesta fuerint, quas gens barbara in eam regionem injurias intulerit, quæ intercesserint bella, quisque existimare facilè poterit.

Leo Ostiensis Nortmannorum sic nectit historiam,

riam, ut eos ad XL. primùm *Salernum* peregrinorum habitu perveniſſe ſcribat, qui cùm a *Sarracenis* miſerrimè acceptam eam civitatem animadverterent, dolore perciti, atque pia indignatione accenſi, petitis armis a *Guaimario*, *Afros* vicerunt ac profligârunt. Sed quo pacto parvus eorum numerus eos debellare potuerit, hoc ipſe loco decernere nequeo. Deinde oblata munera a Principe accipere renuentes in *Nortmandiam* ſunt reverſi. At *Guaimarius* genus hominum ferox, & ad arma natos præſidio habere deſiderans, *Narſetis* exemplo iis muneribus, quæ *Itala* terra profert, per Legatos allicere ſtuduit, ut ejus gentis animos aucuparetur, quò faciliùs indè proficiſci deliberarent. Diſſidebant inter ſe *Giſelbertus*, & *Guillelmus* eorum locorum Principes. At *Giſelbertus Roberti* Comitis minas extimeſcens, adſcitis *Rainulfo*, *Aſclittino*, *Oſmundo*, & *Rodulfo* fratribus, atque pleriſque familiaribus, cum Legatis *Salernitanis* aufugit, & *Capuam* venit. Ibi *Pandolfus* Princeps, & *Melus Barenſis* commorabantur. Hic *Græcis* inimicus (*Baſilius* erat tunc Orientis Imperator, ejusque Duces *Baſilius Sunio*, & *Contus Leo Cephalonius*) *Nortmannorum* Dux effectus eſt, & ad *Cannas* cum *Græcis* quartò dimicans, tribus enim aliis prœliis contenderat, ex CCL. *Nortmannis*, ſolus ipſe Dux ſuperfuit, multis *Græcis* trucidatis. Cùm verò ſe omnium auxilio deſtitutum cerneret, reliquos *Nortmannos*, *Guaimario* & *Pandolfo* Principibus commendans, ipſe ad *Henricum* Imperatorem profectus eſt, de expellendis *Græcis* cum ipſo acturus. *Henricus* anno 1022. cum numeroſo exercitu in *Italiam* contendit, *Meli* nepotes multis beneficiis affecit, tum præcipuè Comitatus titulo inſignivit, atque ad eos tuendos, præter *Giſelbertum*, *Stigandum*, *Balbum*, atque *Ugonem*, decem & octo alios *Nortmannos* reliquit. Mortuo *Henrico*, *Conradus* filius ad Imperii faſtigium eſt evectus. Tunc *Pandolfus Capuanus* Princeps, qui in *Germania* carceribus detinebatur, *Guaimarii* opera liberatus, in *Italiam* veniens, *Nortmannorum Marſorum* Comitum (*Rainulfi* ſcilicet & *Arnolini*) & Imperatoris Ducis *Bojani*, vel *Bojano*, qui & *Catapanus* dicebatur, ope excitatus, *Capuam* obſedit. Et dum eam expugnare contendit, *Pandolfus Theani* Princeps, in quem *Capuæ* Principatum *Henricus* transtulerat, *Bojani* opera *Neapolim* ſe incolumem recepit. Sequenti anno ab eodem *Capuano* Principe *Neapolis* capta eſt, *Sergio* Duce indè expulſo. Qui poſt tres annos recuperata *Neapoli*, *Rainulfum* ſibi affinitate conjunxit, *Averſæ* Comitem creavit, & tunc primùm cum ſociis *Nortmannis* *Averſa* habitari cœpta eſt.

Illud tamen veriùs quòd inter eos *Nortmannos*, qui ad gloriam ſibi comparandam in *Italiam* e *Francia* advenerant, *Gulielmus Fortebracius* erat, qui occupata a *Sarracenis Sicilia*, Pontificis monitu, cum *Molocco Græco* Duce, in barbaros irruit, & inſulam eorum dominatu liberavit. Cùm verò *Moloccus* pactis non ſtare videretur, de prædæ enim diviſione inter ſe convenerant, *Gulielmus* in continentem rediit, *Apuliam* totam perluſtravit, mox *Melphiæ* ſe continuit. *Moloccus* inſequutus, manus cum eo conſeruit, vicitque *Gulielmus* & *Apuliæ* Comitis titulum accepit. Huic *Drogo* frater ſucceſſit, a quo magnam cladem ab alio *Græco* Duce, qui *Melus* dicebatur, accepit. Non multos poſt annos denuo *Nortmanni*, qui de *Apuliæ* ſtatu ſemper cum *Græcis* contendebant, apud *Aufidum* collatis ſignis, *Apulia* potiti ſunt. *Drogoni Hunfredus*, huic *Gottifredus fratres* ſucceſſerunt. *Gottifredus* filium hæredem reliquit. Sed *Robertus Guiſcardus Gottifredi* frater, nepotem ejecit. Ad maxima facinora hic natus in colloquium cum *Nicolao* II. Pontifice in *Samnio* venit, a quo *Calabriæ* & *Apuliæ* Ducatus titulô meruit decorari: *Calabriam Apuliam*que ejectis *Græcis* occupavit, per *Rogerium* fratrem *Siciliam* recuperavit, *Michaëli* Imperatori opem tulit, *Græcos* claſſe vicit, *Dyrrachium* cepit, *Henricum* III. Imperatorem, qui *Gregorium* VII. in *Mole Adriani* obſederat, *Urbe* expulit anno 1084. Pontificemque liberatum, *Salernum* ſecum duxit. *Dyrrachium* reverſus *Græcos*, *Venetoſ*que vicit, aliaque illuſtria ac præclara geſſit, quæ fuſiùs in ejus vita oſtendimus. Duos habuit filios *Boëmundum*, & *Rogerium*, inter quos de dominatu diſſidia orta ſunt, nam *Rogerium* præſentem populi acceperant, cum *Boëmundus Dyrrachii* a Patre relictus eſſet. *Boëmundus* in *Syriam* profectus eſt. *Rogerius Apuliæ* & *Calabriæ* Ducatum viginti quinque annos obtinuit. Moriens *Gulielmum* reliquit; qui *Conſtantinopolim* navigans, ut uxorem Imperatoris ſororem duceret, quicquid in *Italia* poſſidebat, amiſit. Tùnc *Rogerius Siciliæ* Comes, ex eo *Rogerio* ortus, qui jubente *Guiſcardo Siciliam* a *Sarracenis* recuperaverat, nactus occaſionem in *Calabriam* contendit, eaque & *Apulia* potitus eſt, Regemque *Italiæ* ſe appellandum juſſit. Sic ad *Nortmannos Neapolis* pervenit, & *Græcum* in ea Imperium deſiit.

CAP. XXII.

Antiqua Lapidum Monumenta, quæ Neapoli extant.

Ex naufragio tabulas colligere videor dum *Græcos*, *Latinos*que lapides, titulos ſcabroſos, cippos, æra refero præter ea, quæ ſuis locis *Neapoli* adnotavi. Emolumenti plurimum affert antiquitas; atque is, qui conſepultas lapidum memorias, aut ipſas vetuſtatis cicatrices inveſtigatur, maximam ſanè lucem affert immortalitati, ſtudetque ut Rerumpublicarum corpora ignis, bellorum, temporis injuria lacerata, quodammodo reviviſcant; eumque qui tantillum fragmenti ſervaverit, *Deucalionem* appellabo, qui ſciat, velit, homines hujuſmodi in ſaxa recondere, homines, inquam, ex lapidibus formare. Quid nos non docet Antiquitas? Aut quidnam ſe quiſpiam ſcire dicet, qui ab antiquarum rerum cognitione abhorreat? Quæ medullitus inſunt in hiſtoriis, una tantùm dictio eaque eraſa patefaciet; & quæ hiulcam & ſalebroſam conficient orationem, genuinis litteris, reconditiſque vocabulis appoſitæ, *Romanæ* linguæ candorem ex ruinarum ſepulcris elicient; quæque jam mortua & deſtituta nimio ſqualore jacere videntur, maxima cum doctorum hominum voluptate animabunt. Quid quod ſæpiſſime veluti ex abſcondito theſauro ex antiquis monumentis Juriſconſultorum Collegia abdita quædam vel obſoleta ad Legum cognitionem depromunt? Omnium rerum, omnium diſciplinarum Judicem homines habent Antiquitatem? En tibi monumenta, quæ antiquam *Neapolim* redolent, quibuſque nihil illuſtrius in civitatibus ſervandum cenſeo. Ad urbis gloriam maximè conferent, tum in primis Studioſorum ſatis voluntati facient. At verò dum quæ antiquarum rerum collectoribus (quorum labori nullo præmio ſatisfacere poſſem) incognita fuere, huc etiam conferenda duxi, quamvis aliunde multa *Neapolim* tranſlata fuerint, operæ pretium feciſſe

arbitrabor, licet nihil fecerim aliud. Ad animum ſaltem accedam Imperatorium; Theodoſius [1] enim *Suræ* Comiti hæc ſcribit; *Sine uſu jacere non debet quod poteſt ad decorem creſcere civitatis, quia non eſt ſapientiæ profutura contemnere.* Et paulò poſt; *Et ornent aliquid ſaxa jacentia poſt ruinas.* Et tamen de marmoribus loquebatur, quibus muros ornandos juſſerat; quantum decoris inſcripta marmora civitatibus afferent? Quid malum de noſtrorum negligentia dicam, qui antiquitatis decus quo lapidibus ſtatuiſque *Neapolis* ornaretur, aut a ſacrilegis manibus auferri, aut miſerrimè interire patiuntur?

I. LAPIDES AVGVSTORVM.

In ædibus *Matalunenſ.*

IMPERATOR. CAESAR. DIVI. VESPASIAN
DOMITIANO. AVG. GER. PONT. MA. TRIB.
POT. XVII. IMP. XXII. COS. XVI. CENSORI
PERPET. P. REG. VICI. VESTORIANI
ET. CALPVRNIANI.

Apud *Marcum Ant. de Cavaleriis:*

GERMANICO. CAESARI. TI. AVG. F.
DIVI. AVG. N. DIVI. IVLII. PRON. PONTIFICI
FLAMINI. AVGVSTALI. AVGVR. COS. II. IMP. II.

In ædibus *Capanorum:*

C. CAESARE. AVGVSTO. F. L. PAVLO. COS
LARES. AVGVSTOS
Q. NVMISIVS. Q. L LEGIO
L. SAFINIVS. LL. HILARVS
SODALIS. C. MODI. OCTAVI. M. SER
MAGISTER. DE. SVO. F. C.

II. DEORVM.

Apud *Spataphorum:*

ΕΡΩΤΙ. ΕΥΨΥΧΙ.

Ibidem:

ΘΕΟΙΣ. ΔΑΙΜΟΣΙΝ
ΚΑΣΤΟΡΟΣ. ΒΛΑΣΤΟΙ. ΚΩΡΥΚΕΩΤ.

In ædibus *Octav. Cæſaris*, Conſiliarii:

EX. IVSSV. I. O. M.
HELIOPOLITANI. AVRELIO. THEODORO. SACERDOTI
FILIO. CVRATORI. TEMPVLI. CEREMELIENSIVM
ADAMPLIANTES. DONIS
TORQVEM. ET. VELVM. SAC. . .
LYCOPHORIDI. DE. SVO. POS.
CVRANTE. ACILIO. SECVNDO. TRO. . .

Cumis huc tranſlatum lapidem indè conjicio, quòd Strabo [2] ſcriptum reliquit *Ariſtonicum* ex navali pugna apud *Cumas* ab *Epheſiis* victum, profectum eſſe in mediterranea, & convocata multitudine pauperum, & ſervorum evocatorum eos *Heliopolitas* appellâſſe. Id hominum genus *Cumis* facilè fuit. Quid ſi *Neapolim Cumis* advenerint? *Lycophoridis* numen planè ignoro. Sed *Lupum* pro Deo haberi apud *Ægyptios*, notat Plutarchus [3] ideoque *Ægyptiorum Lycopolitas* non veſci.

Heliopolitæ Cumis.

Lupus pro Deo habebatur.

Apud *Spataphorum.*

PRO. SALVTE. ET. VICTORIA. AVGVSTORVM
DEO. MAGNO. GENIO
COLONIÆ. PVTEOLANORVM. ET. PATRIÆ. SVÆ
Q. AVRELIVS. HERMADION. SEVIR. AVGVSTALIS
ET. CVRATOR. EORVM. EXTRVXIT
ET. DONVM. DAT. L. D. D. D.

Auguſtales, quando.

Auguſtalis ante *Cæſarem* nullus. Sic enim dictus quòd ab Auguſtis erant conſtitutus. Et quamvis in municipiis duntaxat & Coloniis extra Urbem ex Decurionum numero ſelectos veluti IIII. viros, Sexviros contendant, urbanos tamen etiam reperio; L. APITIO. BRVTIDIO SOTERICHO. VI. VIR. VRB. Quale verò eorum miniſterium fuerit, difficile eſt invenire. Illud certum, in Municipiis epulas dediſſe, & habuiſſe Collegia. Dicuntur etiam Auguſtales, Quirinales, Flamines, Juniores, Seniores. Habuerunt aliquando Decurionatum, aliquando Auguratum. Triumviratum quoque, & Quatuorviratum. ut *Mediolani*, TREBIA. C. F. PHILVMENA. SIBI. ET. L. TIVCIO. MERVLAE VI VIR. III VIR. IIII VIR. Curatores etiam Ærarii inveni, L. GEMINVS. L. F. MESSIVS. VI VIR. CVRATOR. AERARII. Sed Sexviri Auguſtales erant, quos Auguſti conſtituebant. Σεβαστός, fortaſſe apud *Curopolatem.*

Auguſtalium munus.

Auguſtalium plura genera.

In ædibus *Capanorum:*

Q. VOLVSIO. SATVRN. P. CORNELIO. SCIPIONE
COSS. AVGVSTALES
QVI. NERONI. CLAVDIO. CAES. AVG.
ET. AGRIPPINAE. AVG. I. O. M. ET. GENIO. COLONIAE
LVDOS. FECERVNT. XIII. ET. XII. K. MART.
C. TANTILIVS. CC. L. HYLA. CN. POLLIVS
CN. L. VICTOR. C. IVLIVS. C. L. GLAPHYR.
CVRATOR . . . . .

III. CLASSIS ET MILITIAE.

Apud *Spataphorum:*

L. SEMPRONIVS. PROCVLVS. VETERANVS
EX. CLASSE. MISENIS . . . . MIL.
AN. XXVI. SIBI. ET. CONIVGI. SVAE. ET. LIBERTIS
LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM.

Veterani, qui dicebantur.

Veteranus (inquit *Suidas*) a *Romanis* dicitur militiâ dimiſſus. In viginti autem annos merebant. Idcirco in *Codice Juſtiniani*, Veterani definiuntur, *qui poſt viceſima ſtipendia honeſtam vel cauſariam miſſionem ſunt conſequuti.* Cauſaria tamen miſſio poſt expleta ſtipendia non datur. Solvebantur poſt emerita ſtipendia omni munere militiæ, ſed non pugnæ in hoſtem. Nec jam ſub ſignis aut Aquilis erant ut alii milites, ſed ſub uno vexillo habebantur ſeorſum, & dicebantur Veterani, & exauctorati. Sed quoniam fraudes committere ſolebant expectando ſolutiones ſub Vexillis, *Tiberius* Miſſiones Veteranorum rariſſimas fecit, ex ſenio mortem, ex morte compendium captans. *Lipſius.* In antiquis lapidibus Veteranos, & Veteres legimus.

Miſſiones Veteranorum.

Veterani exauctorati.

Ibidem:

M. BASSVS. MARCELLVS. VETERANVS
AVG. N. L. MILITABIT. ANNOS. XXVIII. FECIT. SIBI
ET. SVIS. LIBERTIS. LIBERTABVSQ. SVIS.

Ibidem:

L. SELFVCVS. NATIONE. SVLFVCIENSIS
MIL. CLASS. PR. MISENATIVM
MILIT. AN. XXX. SCENICVS. PRINCIPALIS
VEX. AN. L. ANTONIA. THEODOTE. SOROR. FECIT.

Ibidem:

D. M.
C. IVLIO. QVARTO
VET. EXPR. N. GALLO. CÆCILIVS. FELIX. S.
ICONIA. HERACLIA. S. ET. S.

Navium nomina.

Gallus, Navis nomen. *Græci* quoque obſervârunt, & PARALVM publicam *Athenienſium* navem invenies apud *Xenophontem* [4]. TALAMEGVM apud *Ægyptios.* & apud *Thucydidem* Δελφινοφόρον, in qua Delphinus ex ære. Sic in ſequenti lapide: SPEM. & in inferiori, FIDEM.

Ibidem:

[1] Lib. 1. Ep. 7. [2] Lib. 14. [3] Lib. de Iſide & Oſir.

[4] Lib. 2. de Hiſt. Græc.

Ibidem:

D. M.
C. VALERIO. PLOTIANO. III. EVPHRATE. PR.
M. ANTONIVS. PAVINVS. N. III . . . SPE . . .

Ibidem:

L. ATILIO. L. F. CRESCENTI. ET. AVG.
MISSO. HONESTA. MISSIONE. EX. COH. VI. PAET.
L. ATILIVS. TROPHIMVS. ET. L. ATILIVS. EVTYCHVS
LIB. ET. HEREDES. PATRONO. OPTIMO. ET. BENE.
DE. SE. M. FECERVNT. ET. SIBI. ET. SVIS. LIB. LIBQ.
POSTERISQ. EORVM. H. M. EX. TEST . . . . . NON.
SEQVETVR. NEC. HERES. MONVMENTVM.

Confectis stipendiis in pedite xx. annorum, in equite x. mittebatur miles liber deinceps, & immunis. His confectis, mittebantur. Eaque Honesta missio erat. Sed quatuor missiones, *Honesta*, quæ emeritis stipendiis. *Causaria*, quæ ob vitium, vel morbum. *Gratiosa*, quam *Livius* ita nominat per gratiam ab Imperatoribus impetratam. Et *Ignominiosa*, qua ob crimen & delictum aliquis militia fuerit solutus, ait *Lipsius*. Emerita stipendia tamen sic complectitur antiquus lapis *Venetiis*, quem libentiùs adscribo, quod ad *Misenensem* classem pertinet. Habeat id gloriæ *Miseni* promontorium, & civitas post cineres:

Honesta missio. Causaria. Gratiosa. Ignominiosa.

IMP. CAES. DIVI. TRAIANI. PARTHICI F. DIVI. NERVAE
NEPOS. TRAIANVS. HADRIANVS. AVG. PONT. MAX.
TRIB. POT. XII. COS. III. P. P. IIS. QVI. MILITAVERVNT
IN. CLASSE. PRAET. MISENENSI. QVAE. EST. SVB. IVLIO
FRONTONE. SEX. ET. VIGINTI. STIPENDIIS. EMERITIS
DIMISSIS. HONESTA. MISSIONE. QVORVM. NOMINA
SVBSCRIPTA. SVNT. IPSIS. LIBERIS. POSTERISQ. EORVM
CIVITATEM. DEDIT. ET. CONVBIVM CVM. VXORIBVS
QVAS TVM. HABVISSENT. CVM. EST. CIVITAS. IIS. DATA
AVT. SI. QVI. COELIBES. ESSENT. CVM. IIS. QVAS
POSTEA. DVXISSENT. &c.

Idem *Domitianus* peditibus & equitibus, qui militaverant in Cohorte III. *Alpinorum* & aliorum, qui vel quina, & vicena stipendia meruerant civitatem donat. & qui sena & vicena in classe *Ravennati* sub *Sex. Lucilio Basso*. Sed nota etiam emerita diversa fuisse a præmiis; hæc enim in pecunia, illa in agris. *Menander*, & *Paulus* Jurisconsulti diversa faciunt. Quod verò ad Cohortem Præt. attinet, *Varro* [1] cohortem dici ait a coërcendo, quòd in Cohortibus, vel Cortibus, septis scilicet in villis (id enim χόρτος, apud Græcos,) quòd circa eum locum pecus coërceretur: *Et ut in villa ex pluribus tectis conjungitur, & quidam fit unum, sic hæc ex manipulis copulatur cohors.* Legionariam & plenam cohortem quadringentis & viginti hominibus constitisse ajunt, in quibus tres manipuli, & in iis, Hastati, Principes, Triarii. Plenior Legio, pleniores habuit Cohortes, Quingenarias, & Sexcenarias leges. Inter Cohortes, Prætoriæ erant, extra ordinem decumatæ. Earum originem *Scipioni Festus* tribuit; *Prætoria Cohors, quòd a Prætore non discederet. Scipio enim Africanus primus fortissimum quemque delegit, qui ab eo in bello non discederent, & cetero militiæ munere vacarent, & sexquiplex stipendium acciperent.* Cohortem amicorum appellavit Scipio Numantinus; σπεῖρα φίλων ἴλην, *Appianus*. *Augustus Romæ* novem Prætorias cohortes habuit. Hæc *Macedonibus*, Cohors Regia. *Janizeri*, Turcis.

Cohors Prætoria.

Legionaria Cohors.

Cohors amicorum, eadem quæ & Prætoria.

Ibidem:

D. M.
AELIVS. EPICTETVS. VETERANVS
NAT. GRAECVS. VIX. AN. L. NICOBVLVS. FILIVS
PATRI. SVO. BENEM. F.
AVRELIO. RODONI. PROCVRANTE.

[1] Lib. 4. de Ling. Lat.

Apud *Marcellum Girardum*:

AVR. ABITVS. MIL. COH. X. PR. Q. VERANI
VIX. AN. XL. MIL. AN. XIIII.
NAT. BESSVS. NATVS. REG. SERDICA. VICO. MAGAN.
AVR. VICTOR. AFFINIS
ET. AVR. MAXIMVS. ET AVR. ZOSIMVS
ET. AVRELIVS. ZANTICA
ET. AVR. GALANVS. HEREDES
B. M. F. C. R.

Ibidem:

AVRELIVS. FVLIANVS. MIL. COH. PR
Q. QVINTILLIA. . . AVR. TEVTAMERVS
COH. II. PR. AELIA. MARCIA. CON. B. M. F.

Ad D. *Archangeli* ex *Apiano*:

D. M.
AELIO. FORTVNATO. MIL. II. STAT. PRÆTOR
ANTONIANORVM. SILVANIVS. MARTINVS
COMMANIPVLVS. ET. HERES. BENEM. F.

Ibidem:

D. M.
Q. CISSONIO. Q. F. HOR. APRILI. VETERANO
COH. II. PR. ARCHITECTO. AVGVSTOR.
PATRICIA. TROPHIME
VIRO BENEMERENTI.

Ad D. *Pauli*:

B. CISPIVS. C. F. SCAPT. SEVERVS. FLORENTIA
MIL. COH. III. PR. VIX. AN. XLIIII. MILIT. AN. XII.

Ad S. *Crucis*:

M. METTIO. M. FIL. PAL. PIO. EQVO. PVBLICO
PRÆF. COH. V. THRACVM.

In ædibus *Andreæ Nicosæ*:

C. SENIO. SEVERO. MANIPVLARIO. EX. III. FIDE
NATIONE. BESSVS. VIX. AN. XXXXVI. MIL. AN. XXV.
L. AEMILIVS. DOLENS. HERES. B. M. F.

Ἀρχηγὸς ὄχλου, dicitur Manipularius in Glossis. Sed λόχου, legendum existimat *Lipsius*. Manipuli Ductorem significat. Manipulum eundem facit *Vegetius* cum Contubernio; sed Contubernio signum nunquam fuit, Manipulo fuit; Varro [2]: *Manipulo exercitus minimas manus quæ unum sequuntur signum.* Ovidius [3].

Manipularius.

Contubernium.

Pertica suspensos portabat longa maniplos
Unde Maniplaris nomina miles habet.

Sertum vel Coronam ex manipulo herbæ appellat *Donatus*. *Cincius* [4] Manipulos triginta notat in Legione in *Agellio*. Ducentos milites agnovit in Manipulo *Isidorus*. *Vegetius* centum. Alii sexaginta. Commanipulus ex eodem manipulo est.

Commanipulus.

IV. LOCORVM PVBLICORVM ET SEPVLCRORVM.

Apud *Spataphorum*.

DIS. MANIBVS
P. ALFENI. ANTEROTIS. LOCVS. EXC
SEPVLCRI. ET. ITINERIS. I. NERONI. P. XI.
IN. AGR. P. XXXIII. ET POENA. EXCEPTA
HS XX. ET. P. ALFENO. RVSTICO. ET. ALFENÆ
P. L. LITE. LIBERTIS. LIBQ. POSTERISQ. EIVS.

Actuarios limites hic intellige qui apud *Hyginum* extra terminos Decumanos, & Cardinis latitudinem habent pedum XII. Per hos iter populo, sicut per viam publicam debetur. Ita enim cautum est lege *Sempronia*, *Cornelia* & *Julia*. Quidam ex his, latiores sunt XII. pedibus, ut ii qui sunt per viam militarem acti. In lege habes hæc Agraria, & in Coloniarum divisione. Agenus sic

Actuarii limites.

[2] Lib. 4. [3] Fast. 3. [4] Lib. 6. C. 4.

sic meminit: *De fine lex Mamilia quinque aut sex pedum latitudinem præscribit. Quoniam hanc latitudinem, vel iter ad culturas accedens occupat, vel cirumactus aratri, quod usucapi non potest. Iter enim non quà ad culturas pervenitur, capitur usu, sed id quod in usu biennio fuit.* Quidam limites latiores sunt pedibus XII. ut ii, qui sunt per viam militarem acti.

Ibidem:

M. AVIANVS. M. F.
CONIVNCTVS. II. VIR. ITER. TEXIT
ET. TECTVM. S. P.

In ædibus *Bernardini Rotæ:*

OPPIÆ. T. F. BASILLA. MATER. INFELICISSIMA. FECIT
BASSO. FILIO. OPTIMO. ET. PIISSIMO
ET. SIBI. ET. AMANDO. AVG. L. CONIVGI
ET. LIBERTIS. LIBERTABVSQ. BASSI. FILII. MEI
ET. MEIS. ET. AMANDI. ET. NATIS. NATÆVE. EORVM
LOCO. EMPTO. TERRÆ IVGERIB. TRIBVS
ET. ÆDIFICIIS. OMNIB. CIRCVNDATA. MACERIA.

Ibidem:

IVLIVS. FRONTO. AED. DVXIT
VIAM. A. FORO. FECIT . . . . . .
FECIT. CLEIVOM. . . . .

Apud *M. Antonium de Cavaleriis:*

ET. PATER. ET. FILI . . . M. SALIENDAMQVE . . .
TERTVLLA. RESTITVIT.

Apud *Joannem Baptistam Portam:*

ALBIAE. C. L. FAVSTAE. MERENII. T. CORNELIVS
T. L. NICEPHOR. C. ALBIVS. C. L. ANOPTES
T. CORNELIVS. T. ET. C. ALBI. Ɔ. L. FAVSTVS. FECERVNT
INFR. P. XXV. IN. AGR. P. XXV.

Ibidem:

A. VITELLIVS. Q. AL. CHRESTVS . . . TROILAE
ANTHEMIO. MATRI. SVAE. ET. VITELLIAE. PRIMAE
LIBERT. SV. INFR. P. XII. IN. AGR. P. XII.

Apud *Sanctafidem:*

ΔΙΟΣΚΟΡΙΔΑΣ. ΕΠΑΙΝΕΤΟΥ
ΑΧΑΙΟΣ. ΧΑΙΡΕ.

Qui hæredes erant Sepulcrorum, perticam, & decempedam agrorum possidebant.

Apud *Spataphorum:*

IN. HIS. AEDIFICIS. ET. LOCIS. PVRIS. ADIACENTIBVS SIVE. IS. LOCVS. AGER. EST. AELI. RVFINI. MILITIS CVIVS. SE. POSSESSOREM. ESSE. EX. CAVSA. EMPTIONIS P. AELI. ABASCANTI. PATRIS. SVI. ALFENIO. SENECIONI SVB. PRAEF. CLASSIS. PR. MIS. PROBAVIT. ET. MERVIT SENTENTIAM. QVAM. IVSSV. EIVSDEM. SENECIONIS SVB PRAEF. HVIC. TITVLO. PROSCRIPSIT. SENECIO. C. C. C. DIXIT.

Calumniæ cavendæ causa.

Necessariam fuisse inspectionem ædificiorum & loci de quibus apud me actum est, re ipsa manifestatur. Cùm igitur ædificia solo puro posita deprehenderim, neque ullo sepulcro superposita vel conjuncta, apparet venditionem eorum jure factam, ideoque ad Ælium Rufinum militem ex causa emptionis pertinere videntur. Loci verò sive agri quem adjacentem ædificiis Ælius Abascantus pater Rufini ab hæredibus Patulci Diocletis æquè mercatus est, cùm habeat plurima & dispersis locis sepulcra jus per venditionem transferri ad emptorem non potuisset, cùm pater Rufini, & postea Rufinus quamquam non jure facta emptione semper in possessione fuerint, nullo jure eum locum vendicare sibi Patulcii possunt. Planè cùm in re præsenti inspexerim literatum ag. & erasum Patulcii dicunt remanere in stipul. capita quædam exprimentia hæc verba; Actius Doc. Patul. Dioc. F. cum fratribus, qui nunc hic adsunt, vendunt P. Ælio Abascanto locum purum, in quo nulla sepulcra jacta superposita, neque conjuncta apparent. Lib. Nep. pronep. Q. & reliqua. Ob contemptum tamen Religionis Rufinus P. Ael. Abas. F. agro privetur, fietque pub. sepeliendor. militum classʃ. Pr. Mil. in usum. Hæredes verò Patul. Dioc. mulctentur sorte una cum anatocismo binæ centesimæ usuræ, propter neglectam religionem sepulcror. clam dirutor. pauperesque milites classʃ. Pro Misʃ. donati sint dum ægrescunt & moriuntur, ne ære conlato curentur, sepelienturque. Quam sententiam sanctam esse omnes sciunto. Idque totum testatur Marmor.

Maximæ gratiæ agendæ illi sunt, qui nobilissimum hoc vetustatis monumentum ex *Miseno*, *Neapolim* transtulit. Agro *Neapolitano*, qui tribuit, & *Patulcidem* vel *Patrusculum* montem in *Pausilypano* dictum fuisse a *Patulciorum* ædificio existimat, aliam inveniat causam necesse est, licet ibidem multa conspiciantur in rupibus sepulcra. Ager hic proponitur Misenas, cùm Prætoriæ ejus locus Classis militum sepulcris sit destinatus. Ad loca pura facit quod Cicero [1] ait; *Itaque in eo qui in navi necatus deinde in mare projectus esset, decrevit P. Mucius familiam puram, quòd os supra terram non extaret, portam hæredi esse.* Idem *Platonis* affert verba: Vitat ex agro culto, eóve qui coli possit, ullam partem sumi sepulcro; sed quæ natura agri tantummodo efficere possit, ut mortuorum corpora sine detrimento vivorum recipiat, ea potissimum ut compleatur? quæ autem terra fruges ferre, & ut mater cibos suppeditare possit, eam ne quis nobis minuat neve vivus neve mortuus. Affert deinde leges, quarum altera privatorum ædificiis, altera ipsis sepulcris cavet. Sepulcri violati infamiam explicat Vlpianus; [2] Qui etiam ea connectit: *Si sepulcrum quis diruit, cessat Aquilia: quod vi tantum aut clam agendum erit.* Extat etiam edictum Prætoris: *Cujus dolo malo sepulcrum violatum esse dicetur, in eum in factum judicium dabo*, &c. Anatocismus, anniversaria usuræ revolutio est, quam usuram usurarum vocant. Cicero Attico: *Centesimas me observaturum haberem cum Anatocismo anniversario.* Græcam vocem deinde interpretatur: *Confeceram ut solverem centesimis sexennii pactis cum renovatione singulorum annorum.* Agro sepulcris destinato *Neapolitanos* sepelivisse mortuos indicat Papinius, de Patre:

Patulcius. Sepulcrorum loca. Sepulcrum violatum. Anatocismus. Neapolitanorum in sepulcris usus.

—— nunc lumine sicco
Ordior acclivis tumulo, quo molle quiescis
Jugera nostra tenens ——

& arbores funestas adhibere rogis solitos:

——funestamque hederis irrepere taxum
Extimui, trepidamque (nefas) arescere laurum.

Varios sepeliendi modos in Urnis marmoreis habemus. hunc præcipuè * lapidem in cujusdam ædis pariete in Via nova ad D. *Claræ*.

* Vide Tab. VIII Fig. 5

V. MAGISTRATVVM.

Apud *Spataphorum:*

P. ÆLIO. P. F. PHILOLOGO. AVG. DECVRIONI. CAPVÆ
ORNATO. SENTENTIA. II. VIRAL.
ÆLIA. APHRODISIA. MATER. ET. SIBI. FECIT.

Ibidem:

C. CAVDIO. C. L. TRIVM . . . . . .
CAVDIA. C. L. PHILVMNIA. PATRI. SVO
BENEMERENTI. VERACI. ET. INNOCENTI
HANC. STATVAM. EREXIT. HAVE. SALVE.

Apud *Joannem Baptistam Portam:*

D. M.
M. MANLIO. EPAPHRODITO. AVGVSTALI
IDEM. QVINQ.

Apud

[1] Lib. 2. de Legibus. [2] Dig. Lib. 47.

Apud *Felicem Januarium Consiliarium:*

D. M.
M. ANTONIVS. IANVARIVS. HONORATVS
AVGVSTALIS. MISENIS. VIX. AN. L.
TESTAMENTO. PONI. IVSSIT. M. ANTONIVS
ALEXANDER. PATRONO. INDVLG. CONSVMANDVM
CVM LIB. LIBERTABVSQ.
Q. E. H. M. SS. HH. EX. N. S.

Qui enim hæredes monumentum sequuntur, hæredes ex nostris sunt. Iuno Pronuba.

Puteolis lapidem reperi in quo hujus conjux *Junoni* Pronubæ ædem ædificandam jubet. SIL. PETRONILLA. M. ANT. IANVARII COIVX. GRAVISS. EX. TT. SS. HH. VT. IVNONI. PRONVBÆ SVÆ. VIRG. EREPTÆ. PRIM. ÆDES. MAR. CONSTRVATVR. IMP.

Apud *Curtium Tipaldum:*

C. SEPTIMIVS. C. F. LIBO. ÆD. SCR.
ÆD. CVR. SIBI. ET
LIBERIÆ. FAVSTÆ. VX. SEPTIMIÆ
AMARANTIN. L.

In D. *Mariæ Coronatæ:*

L. CÆSONIO. L. F. QVIRINA. ORCINIO. RVFINO
MANLIO. BASSO. CLARISSIMO. VIRO. SALIO. PALATINO
PONTIFICI. MAIORI. PRÆTORI. QVÆSTORI
CÆSONIVS. HEDYLVS. PROC. PATRIS.

In ædibus. . . . *Bonaventuræ:*

AVRELIO. SYMPHORO
AVG. LIB. OFFICIALI. VETERI. A. MEMORIA
ET. A. DIPLOMATIBVS. EXORNATO. ORNAMENTIS
DECVRIONALIB. ORDO. SPLENDIDISSIMVS. CIVI.
OB. MEMORIAM. ET. INSTANTIAM
ERGA. PATRIAM. CIVESQ.

Magister memoriæ.

Inter Præfecturas, Magister erat memoriæ. Vopiscus; [1] *Junius Calphurnius qui ad memoriam dictabat.* Meminit & Trebellius Pollio [2]; & Herodianus [3] *Libertorum charissimus Pestus a memoria, dum ad Ilium moratur, vita defunctus.* Ammianus [4]; *Eupraxius Cæsariensis magister ea tempestate memoriæ, primus omnium exclamavit.* Idemque *Magisterio memoriæ peracto.* Hic Magistratus adnotationes dictabat, & emittebat. Regni Secretarium dicerem. Magistrum libellorum, Cognitionum Sacrarum, Epistolarum, memoriæ, in lapide *Romano* conjunctos legimus. Lapis *Puteolanus* est,

Apud *Pignones:*

M. PACCIVS. M. F. POM. BASSVS. AVGVR.
ÆDIL. II. VIR. VOLCEIS. SIBI. ET. SVIS
PACCIÆ. M. F. BASSÆ.
MANLIÆ. CN. F. RVFÆ
PACCIÆ. L. F. MAXIMÆ
PACCIÆ. M. L. GRATÆ.

Ad D. *Annæ:*

SEX. FIRMIO. SEX. F.
ÆMILIO. SABINO. ÆD. FORM. III.
PLOTIA. DORIS
MARITO. OPTIMO. ET. SIBI.

Formæ aquarum.

Formæ, Canales structiles sunt, & arcuati, sic enim loquitur *Vitruvius.* Sidonius Apollinaris ad Heronium [5]; *Cujus mihi non solum Formas, verum etiam Naumachias videbar epotaturus.* Ea vox passim in antiquis Inscriptionibus, Libratoriis, & Aquariis amica. Frontinus [6] Anonymus auctor de Aquæductibus; *Nunc nomina aquarum quæ usibus æternæ Urbis Formarum constructionibus advectæ sunt, indicemus.* Symmacho [7] & Cassiodoro [8] familiarissima. Pragmatica *Justiniani* a *Juliano* Patricio interpretata [9] *Reparationi Formarum.* Idem [10] ὀλκῶν, *Formarum*, vertit. Magistratus qui Formas curabat, Curator Formarum dicitur a Cassiodoro [11] Comes Formarum, a Notitia Imperii.

Curator Formarum. Comes Formarum.

[1] In Caro. [2] In Historia Claudii Cæsaris. [3] Lib. 4. [4] Lib. 27. [5] Lib. 8. Cap. 7. [6] Lib. 1. & 2. [7] Epist. 33. Lib. 10. [8] Ep. 21. 31. & ultim. Lib. 3. [9] Cap. 24. [10] Novella 17. [11] Lib. 7. Ep. 6.

Cujus formula apud *Cassiodorum* erat sub dispositione viri illustris Præfecti Urbis. *Neapoli*, *Formale.* Hisce aquis præcipuè civitas nobilitatur. Propterea quòd in Formis utrumque præcipuum est, ut subterraneus cuniculus tota urbe circumfusus sit admirabilis, & aquarum salubritas singularis.

Formale Neapolitanum.

Ex *Apiano:*

P. ÆLIO. P. F. AGRIPPINO
CORNICVLARIO. PROVINCIÆ. BELGICÆ
FRATRI. CARISSIMO. ET ÆLIÆ. AMABILI
MATRI. PIISSIMAE. VICTORINVS. AVG. LIB. F.

Cornicularius.

Cornicularium Legionariæ militiæ nomen, ut Commentariensis, sententiis damnatorum exequendis præfuisse scribit Maternus [12] & Julius Firmicus [13]. At verò antiquiorem eum Magistratum reperio, eumque apud se habebant Tribuni plebis, quorum acta, plebiscita, jussaque scribebat & servabat. Idcirco posterior ætas Secretarium eum existimavit. *Valentinianus* post Principes, Cornicularios collocat. In Cassiodoro, *anno tantùm usque ad festum Domini Nativitatis manebat Cornicularius in officio, tum pro strena septem solidis acceptis exibat.* Ut in acie dicitur Cornu (inquit *Turnebus*) ita in cohortibus Tribuni militum, Corniculum, & fortasse in ordinibus Centurionum, a quo Cornicularius qui Corniculo Tribuni militum præerat. Valerius Maximus; [14] *Libidinosi Centurionis supplicium. M. Lectorii Mergi Trib. militaris æquè similis fœdus exitus sequitur; Cui Cominius Tribunus plebis diem ad populum dixit, quòd Cornicularium suum stupri causa appellâsset.*

Corniculum.

VI. SERVORVM.

Aqud *Spataphorum.*

D. M.
Q. OCCI. NARCISSI
Q. OCCIVS. EPIGONVS
LIB. F.

D. M.
VICTORIAE. QVAE. VIXIT
AN. V. ET. MENSES. II. D. XX.
SERYEA. MARCELLINA. NVTRIX
BENEM. F.

Ibidem:

CHRYSEROS. CAESARIS. SER.

Ibidem:

TAVRO. SECVTORI. CAESARIS
B. ANNIS. XXIIII. CALLISTE. CONIVX. BEN.

Ibidem:

VERNA. PVER. O. MI. VERNA. QVIS. AH. QVIS AB. AVRA. TE. IN. TENEBRAS. RAPVIT. PERDITVS. HEV MORERER. NI. TECVM. ASSIDVE. LOQVERER. NI SAEPE. IOCANDO. FALLERER. HINC. DVM. TE. CONTINVO ASPICIO. SEMPER. ERO. TECVM. ET. SI. ME. SOPOR OCCVPET. VMBRA. TE. VMBRAM. PEEAM. ERGO VNQVAM. NE. METVE. ABS. TE. ABEAM.

Marmorea tabella quæ in medio aliquot habet foramina. *Verna* is est qui domi ex ancilla nascitur, licet in servitute sint, omnis enim ancillæ fœtus domini est. Differt itaque a *servo* qui aut jure belli, aut ære in nostram venit potestatem. Vernaculum dicimus omne, quod intra parietes domesticos alitur. Gallina hinc vernacula, & lingua vernacula. In aliis lapidibus, VERNA CAESARIS; &, VERNA PEDISEQVVS. Injuriæ aliquando nomen datum. Sic enim *Amphitruo Mercurium Pseudo-Sosiam nominat:*

Verna, quis dicitur. Gallina, & lingua vernacula.

 Cum

[12] Lib. 2. [13] Lib. 10. Cap. 5. [14] Lib. 6. Cap. 1.

Cum circuitu tuo isthæc hodie Verna verba funditas. Vernam Paternum ab epistolis legimus, & Vernarum Dispensatorem *Capitoli.*

Ibidem:

RESTITVTA. ABASCANTA
ANCILLA.

Ibidem :

Q. BRITTIO. AMI RIMNI. CHARITIOSI
BRITTIVS. CLEMENS. ALVMNO. VIX. AN IX.

Apud *Horatium Palombam :*

HORATIAE. FVNICILIAE. M. HORATIVS. PROBIMVS
ET. HORATIA. TRYPHOSA. PATRONAE. BENEM. FECIT.

Apud *Spataphorum:*

IVSTVS. CAESARIS. FECIT. SIBI. ET
LVCILIÆ. PRISCAE. CONIVGI. KARISS.
QVAE. VIX. AN. XX. MEN. VII. DIES. XV.
POSTERISQ. SVIS. F. P. VIN. A. IX. ITER
COMMVN. MONVMENTVM . . . . . .

Apud *Joannem Hieronymum Januarium*:

AGRIA. ANTHIS.
FECIT. AGRIAE. LVCILLAE
ALVMNAE. SVAE.

Apud *Conchanorum* Principem :

D. M.
A. VESONIO. PARAMYTHIO
VESONIA. PRIMA. CONIVX. ET
EVTYCHES. ET. ZOTICVS
LIB. PATRONO. B. M.

Fœminarum Prænomina.

Prænomina habuisse fœminas præter Cajam, affirmat Sigonius; *Luciam*, enim, *Publiam*, *Numeriam*, habent lapides. Et Festus, *Cæciliam*, & *Tarratiam*. Præterea, *Primam*, *Secundam*, *Tertiam*, *Quartam*, & hujusmodi. Quare *Tertiam Juniam* legimus in Suetonio, quam *Tertullam* vocat Cicero [1] *Paulus Æmilius* filiam nomine *Tertiam* habuit. hinc *Paulus* apud Ciceronem, *O mea Tertia.* In lapidibus, T. LIVIVS. LIVIAE. T. F. QVARTAE. Et, QVINCTAE NONIAE. RVFAE. Et, NONIAE. Q. F. QVINCTVLAE. Consueverunt tamen Prænomina & præponi, & postponi, PRIMA VALERIA; SALVIA PRIMA; QVARTA HOSTILIA; LIVIA QVARTA. Qui verò Prænomine tantûm & nomina fœminas insignitas fuisse scribunt, animadvertant in antiquis lapidibus, *Furiam Sabionem Tranquillinam Gordiani conjugem:* & *Cn. Sejam Herenniam*, *Sallustiam Barbiam Orbianam Valentini* Imperatoris uxorem; & *Fabiam Aconiam Paulinam.*

Apud *M. Antonium de Cavaleriis:*

ΣΟΥΚΚΕΣΣΩ ΕΤΗΣΕΝΗΤΙΩ.

Apud *Argentarios*:

D. M.
FABIAE. RHOINES
FABIA. DASVMII. LIBERTAE. OPTIMAE.

Apud *Capacium:*

C. IVLIVS. HYPOPTVS
C. IVLIVS. NARCISSVS
NIGRI. LIB. DE. SVA. P.
FECERVNT. SIBI. ET. SVIS.

Ad *Plagiam* dum foderent puteum in quadam lateritia concameratione lapis quatuor clavis parieti adfixus repertus est, & in parva theca, vitreus lapis quem ædificatores nolentes fregerunt. Massa quædam vitrea est, Aquæ marinæ similis alba crustula veluti argentea subducta. Apud eundem *Servilii* Medici lapis in *Palæpoli* relatus est.

[1] Lib. 13. Epist. ad Attic.

VII. OFFICIORUM.

Apud *Spataphorum*:

D. M.
M. PERPENNVS. ZMARAGDVS
MARTIALI. MAGISTRO. SVO
. . . STIT. RI. B. M.

Ibidem:

CN. MAETIVS. FELIX
LANISTA. AVGVSTI.

Hujusmodi servos plurimos domus *Augusta* habebat. In antiquis lapidibus, Sutor Augusti, Designator Cæsaris Aug. Servus ab hortorum cultura, Viridarius, Topiarius ex hortis, Villicus in hortis, Prægustator Cæsaris, Præpositus a crystallinis, Pistor *Ti. Germanici*, Tonsor *Aug. Aug. L.* A cura amicorum, AVG. L. Invitator Tricliniarcha a veste, a cubiculo, a potione, a veste Regia & Græcula, Præpositus argenti, & ab argento, a supellectili, a studiis, a manu, a Bibliotheca *Latina*, a Bibliotheca *Græca*, ab Epistolis *Græcis*, a rationibus, Tabularius a muneribus, Tabularius Villæ Tiburtis, Tabularius rationis Fisci, Tabularius marmorum, Cerealis, a marmoribus, Exactor prædiorum, Dispensator, Exactor operum Dominicorum, Xanta scriniorum libraria, Nomenclator *Aug.* Præpositus Velariorum, Nomenclator a censibus, ex corpore Lecticariorum Cæsaris, Ministrator, Servus Lecticarius a commentariis vehiculorum, Servus Castellarius aquæ Claudiæ, Prægustator *D. Augusti.* Maccia *Flora* Tonstrix, Cocus, Servus supra Cocos, Avium Fartor Cæs. de quo Lampridius [a]; *Nam aviaria instituerat pavonum, fasianorum, gallinaceorum, anatum, perdicum etiam hisque vehementer oblectabatur, maximè palumborum; & ne eorum pastus gravaret, servos habuit vectigales qui eos ex ovis, ac pullicenis, & pipionibus alerent. Servus ab marmoribus Aug.* præter alia officia libertis data.

VIII. VIRORUM ET CONIVGVM.

Apud *Spataphorum :*

LVCRETIAE. TERENTIAE
CONIVGI. SANCTISSIMAE
ET. M. VALERIO. EVTYCHIANO
FILIO. DVLCISS.
QVI. VIX. AN. III. M. VI. D. XVII.
B. M. F. TYCHIVS.

Ibidem:

C. MARIVS. VOLSON. F. SERG.
MAXIMVS. TR. DE. LIB. Q. AQVILA. SIBI
ET. SILIAE. EVTYCHIAE. VXORI. ET. LIBERTIS
LIBERTABVSQ. POSTERISQ. CVM. OMNIB.
T. F. I. EX. HS. CCƆƆƆ. ADIECIT. EO. SILIA
EVTYCHIA. CONIVX. HS. ƆƆƆ. XXX. CCC.

Ibidem :

D. M.
M. COCCEIO. ZOSIMO. IVNIA. PHILOMENE
CONIVGI. BEN. VIX. AN. XXVI. M. III.

Ibidem :

CORNELIAE. SECVNDAE. VIXIT. ANN. XXXIII.
ADRASTVS. CONIVGI. SVAE
BENEMERENTI. FECIT. ET. SIBI.

Puteo-

[a] In Alexandro.

Puteolis repertus:

D. M.
CREONITAE. PROCILLAE. CONIVGI. SANCTISSIMAE
MVNDVS. MARCELLINVS. D. D. FECIT.

Apud *Spataphorum*:

C. MARCIVS. C. F. PAPIA. SIBI, ET. SVIS. LIBERTIS
LIBENTERQ. HOC. MONVMENTVM. SIVE. SEPVLCRVM
EST. HEREDES. NON. SEQVETVR. VIX. AN.......

Ibidem:

M. CAECILIVS. PRIMIGENIVS
CVM. COSSINIA. A. F. DAPHNE
VXORE. SVA. QVAM. ABDVXIT. DIE. VIII.
RELICTIS PARENTIB. MISEMRIMIS.

Ibidem:

L. PACIO IVSTO
PACIA. SPES. PATRONO
ET. CON. B. M. AERE. CONLATO
PIETATIS. CAVSA.

Ibidem:

D. M.
CLAVDIA. ENICEA
L. COSSINIO. PRÆFECTO. CONIVGI. B. M.

Ibidem:

ANICIÆ. SP. F. AMPLIATÆ. LIBERTIS. LIBERTAB. Q.
MEIS. POSTERISQ. EORVM.

Ibidem:

Q. VOCONIVS. VERVS. VIX. AN. LV.
STAPHILE. VXOR. ET. HYGIA. SOROR. B. M. F.

Ibidem:

MEMORIÆ. NICINIÆ. EPICTESI
C. AVLIVS. THALLVS. CONIVGI. SANCTISSIMÆ.

Ibidem:

D. M. S.
AVRELIO. IVLIANO. HOMINI. BENEMERENTISSIMO
AVRILIA. HIPPONS.

Apud *Joannem Hieronymum Januarium*:

NINNIÆ. MAGNÆ. VIX. AN. XIX. M. II. D. XIIII.
M. NINNIVS. EHV. ET. PRISIVS. CONIVGI. BEN.

Ibidem:

VLPIÆ. IANVARIÆ. LABERIO. TATIANO
CONIVGI. SVÆ. B. M. VIX. AN. XXXVIII. M. V.

Ibidem:

D. M.
Q. CRITONI. IANVARIO. VIX. AN. XLV.
ANIANA DEVTERA
CVM. QVO. VIXIT. ANN. XXXVII. CONIVGI. B. M.
QVÆ. PIETATE. PLENA. HOC. LIBBNS. FECIT.

Ibidem:

MARIÆ. ROMANÆ. L. MARIVS. EVPHRATES
CONIVGI. SANCTISSIMÆ. B. M. F. C.

Apud *Girardum*:

D. M.
M. VALERIO. HERMET.
LACIA. HELPIS. CONIVGI. OPTIMO. F.

Ibidem:

D. M.
COLATINVS. TAR.
DVLCISSIMÆ. MEÆ. CONIVGI. ET
INCOMPARABILI. LVCRETIÆ
PVDORIS. ET. MVLIERVM. GLORIÆ
QVÆ. VIX. AN. XXII. M. V. D. XVI.

Ibidem:

LICINIÆ. VENVSTÆ
HERENNIVS. SALVIVS. CON.

Apud *Julium Palermum* Consiliarium:

P. ÆMILIVS. ABASCANTVS
FECET. SIBI. ET. ÆMILIÆ
SVÆ. CONIVGI. BENEMERENTI.

In *Coronatæ* templo:

L. VALER. XINNE. FECIT. VALERIA. CIMBILIATA
CONIVGI. SVO. BENEMERENTI.

In *Toleti* Regione:

D. M.
VINICIAE. A. F. RVFINAE. VXORIS. RARISSIMAE
P. IVLIVS. P. . . CVLLINVS.

Ad *Capuanæ* Sedile:

CN. POMPEIVS. EVPHROSINVS
ET. IVNIA. GEMELLA. VXOR
EX. BONIS. SVIS. HOC. SIBI. SVMPSERVNT.

Apud *Capacium*:

VENVSTÆ. CONIVGI. BENEMERENTI
QVÆ. VIX. A. XVI. M. X. D. XIIII.

Apud *Sanctinos*:

ΣΩΞΙΠΑΤΡΑ. ΣΤΑΤΙΟΥ ΧΑΙΡΕ.

Post cathedralem Ecclesiam:

D. M.
PONTINÆ. L. F. CAPITOLINÆ
M. AMYLIVS. M. F. EXORATVS. VXORI
PIENTISSIMÆ. BENEM.
VIX. AN. XIX. M. XI. D. XIIX.

Apud *Spataphorum*:

L. AVRELIVS. ZOSIMVS
FECIT. CLODIÆ. CHARIDI. CONIVGI. DVLCISS.
QVÆ SI. AD. VITÆ. METAM. PERVENISSET
NON. HOMINIB. NEQVE. DIIS. INVIDISSET.

Ibidem:

D. M.
C. AELIO
QVI SI. TANTILLVM. QVERELARVM. IN. CONNVBIO
LIQVISSET. LACRIMARVM. TOT. IN. MORTE. NON. FVDISSET
CRISPA. CON.

Ibidem:

IVLIAE. IVLIANAE
QVAE. VIX. AN. XX. M. XI. D. VII.
POSSIDET. NON. MERITA. LOCVS. HIC. CITO. CORPVS. INIQVVM
QVAE. TALEM. VITAM. MERVIT. VT. CVRVA. SENECTVS
NOLVERVNT. SVPERI. CITO. REDDIDIT. VITA. NEFANDIS
QVOD. FVIT. AD. SVPEROS. INIMICA. NEMINI. VIXIT.
IVLIVS. VICTORINVS. ET. AELIA. THEODATO
ET. C. VICIRRIVS. SOTER. CONIVX. B. M. F.

Ad ædem *Florentinorum*:

D. M.
IVLIAE. EPIGONE. RARISSIMAE. FEMINAE
TI. IVLIVS. EVPOR. CONIVGI. BENEMER.
CVM. QVA. VIX. A. XXX.

Apud *Horatium Palombam*:

D. M.
ANNIAE. CHROMIVS . . . . .
CONIVGI. CONSERVATRICI. BEN. FECIT.

Apud *Joannem Baptistam Portam*:

D. M.
IVLIAE. PACI.
P. AELIVS. HERME. CONIVGI. BENEM.

Ibidem:

MATVTINAE, LACENAE. FEMINAE. SANCTISSIMAE
TV. QVI. LEGIS. HAVE. ET. VALE.

Apud *Spataphorum*:

D. O. M.
INIICE. SI. PIETAS. VSQVAM. EST. SVSPIRIA. ET. IMPLE
MECVM. HOSPES. LACRIMIS. MARMORIS. HOC. VACVVM.
NAM. FORMAE. EXEMPLVM. PERIIT. CVM. OBIIT. MEA. LYDA
QVAM. PERIERE. HOMINES. VEL. PERIERE. DII.

Tabella hæc marmorea in medio parum habet concavi, & in eo quinque foramina, ut inde suspiria injicerentur. Lepidissimum Epigramma.

Ibidem:

Ibidem:

GAPHYRA. GLAPHYRI. LVSCI. F. ADFECTA. ADEO CINERIBVS. C. LVTII. FAVSTI. MARITI. HEV. RARISS. VT. AD. ALIVM. TRANSIRE. NVNQVAM. VOLVERIM. ET. SI. FORTVNA. PRAEPOTENS. CONSTANTIAE. SEMPER. INIMICA. SVRDO. DISCRIMINE PVDICITIAE. PLACIDAM. RVINAM. MINABATVR ET. VIRIDIS. ÆTAS. FIDEM. CONIVGII. VIOLARE IMPELLEBAT. INTER. VTRASQVE. TAMEN. FLVCTVANS. MVLIER. MENS. VII. D. XI. NON. TAM CORPVS. COELEBS. QVAM. ANIMVM. PVDICVM SERVAVI. ET. NE. A. TANTORVM. DOMESTICA HOSTIVM. PVGNA. CONTINVO. AVGESCENTE. VINCERER. PROCORVM. PETVLANTEM. TVRBAM. FVGIENS. VIVAM. ME. CONDIDI. MONVMENTO. AT POSTERI. SI. INVIDETIS. IMITAMINI. SI. QVIS VERO. PROBAVERIT. PROBETVR. SIN. IMPROBAVERIT. IMPROBVM. SE. ESSE. SCIVERIT. VALE. MORS. VIX. AN. XVII. SALVE. VITA. PERPETVA.

Latinæ linguæ elegantiam Epigramma effundit. Stylum tamen antiquitatem non redolere ob nimiam elegantiam, arbitrati sunt. Ejusdem tamen argumenti antiqua habemus Epigrammata:

P. CORNELIA. ANNIA. NE. IN. DESOLATA. ORBITATE. SVPERVIVEREM. MISERA. VIVAM. ME. VLTRO. IN. HANC. ARCAM. CVM. VIRO. DEF. INCOMPARABILI. AMORE. DIL. PAMNAI. DEDO CVM. QVC. VIXI. AN. XX. SINE. VLLA. ↄ LIB. LIBERTABVSQ. NON. QVOTAN. SVPER. ARCAM PLOTONI. ET. OXORI. PROSERPINÆ. M. OMNIBVSQ. SACRVFICENT. ROSISQ. EXORNENT. DE. RELIQVO. IBI. EPVLENTVR. DO. D. P. M. DA. EX. HS. X. ATQVE. F. FACIVNDVM. DELEGA. VALE. VITA.

Prope *Noriciam*, quam *Goriciam* vocant, idem factum legitur a *Tibulla* C. *Sempronii* filia, quæ *Inferno Plutoni*, Tricopori Uxori, Tricipiti *Cerbero* vovens, vivam se monumento condit, ne obrutis domus lapsu sex filiis, desolata orbitate superesset misera.

IX. PARENTVM.

Ibidem:

CRISPE. FILI. LEPIDISSIME. HEV. HEV. ORCVS CVM. TE VORAVIT. DELICIVM. MIHI. OMNE ABSTVLIT. BACVLVM. EXVCTIS. MEDVLLIS. EDENTVLÆ. SENECTVTIS. SECVIT. SPEM. NEPOTVM ABSTRAXIT. SECVM MAXIMAM. IN. TANTA. DEMVM ORBITATE. DESOLATVS. SVPERSVM. VT. NI. QVI SECVS. SENTIVNT. MANES. VETVISSENT. VIVVM ME. TECVM. CONTVMVLASSEM. VIX. AN. XII.

CRISPVS. PATER. INFELICISS. F. SIBI. ET. SVIS LIBERTIS. LIBERTABVSQ. POSTERISQ. IPSOR.

Ibidem:

D. M.

C. IVCVNDO. C. F. EXQ. QVI. VIX. AN. VII. ET. SEPTIES SPECTANTIB. PVB. IMPP. GAL. OTH. SIL. VIT. ET. P. R. SALTAVIT. CANTAVIT. ET. PLACVIT. PRO. IOCIS QVIB. CVNCTOS. OBLECTABAT. SI. QVOD. OBLECTAMENTI. APVD. VOS. EST. MANES. INSONTEM REFICITE. ANIMVLAM.

FAVSTVS. NVNQVAM. FAVSTVS. DAT. INFELICISS. F.

Ibidem:

HEV. VOTA. HEV. PRECES
ORCVS. TANDEM. ERIPVIT
EPHEBO. FILIO. DVLCISSIMO
HERMIA. MAT. INFELICISS. F.

Ibidem:

D. M.
ZOSIMO. REBERENTI. PIENTISSIMO
ARCANIVS. F.

Ibidem:

D. M.
C. VALERIO. C. F. EVMORPHIANO
VITAE. SVAE. ANNVM. AGENTI. XXI. M. I. D. IV.
VALERIVS. ET. SEMPRONIA
PARENTES MISERI. FILIO. SANCTISS.
. ET. REVERENTISSIMO. FECERVNT.

Ibidem:

M. AMVLIO. EPINICO.
L. ACISIVS. SOSVS. PATER
ET. AEMILIA. MAXIMILLA. MATER
VIX. AN. XXXI. M. V. D. XX.
FILIO. PIENTISSIMO.

In ædibus *Jo. Hieronymi Januarii*:

D. M.
L. HERENNIO. L. FIL. FLORO
VIX. A. I. M. XI. D. XVII.
HERENNIVS. FLORVS. M. C. L. PRISCA. PARENS.

Ibidem:

NEPOTILLA. ET. NEPOTILIANVS. FIL. EIVS.
IN. HOC. LOCO. CONDITI. SVNT.

In ædibus *Girardi*.

DVLVINIAE. VELLEIAE
FILIOLAE. DVLCISS.
PAREENTES. MOESTISSIMI.

DECIPIMVR. VOTIS. ET. TEMPORE. FALLIMVR. ET. MORS DERIDET. CVRAS. ANXIA. VITA. NIHIL.

Apud *Tipaldum*:

D. M.
L. NEAPOLITANO. LIBERALI
QVI. VIX. AN. XL. M. VIII.
TANNONIA. VENERIA. MATER
FILIO. KARISSIMO. B. M. FECIT.

Apud eundem:

Q. RVTILIO. FILOXENO
VIX. A. XIIII. M. V. D. XVIIII.
RVTILIA. ISIAS. MATER. PIENTISSIMA.

Apud *Capacium*:

L. TRIARI. LL. HERMOGE. . . .
CLODIA. ↄ. L. MVSA
CHRESTE. MATER
DIONYSIVS. HERM. . . .

Apud *Spataphorum*:

D. M. S.
GAVIÆ. DOMATÆ. FILIÆ. DVLCISSIMÆ
QVÆ. VIX. AN. II. M. V. D. XI.
GAVIVS. QVINTILIANVS. ET
ELBIA. DOMATA. PARENTES.

Ibidem:

Ibidem:

D. M.

M. POSTVMI. IVLIANI
FILI. DVLCISS. QVI. VIXIT. AN. XIIII. M. XX.
FECERVNT. M. POSTVMIVS. IVLIANVS. ET
HISPELLATIA. PROCVLA. PARENTES. INFELICISS.

Ibidem:

ΔΑΙΛΟΚΩ. ΠΑΙΔΙΩ
ΓΛΥΚΥΤΑΤΩ.

X. ILLVSTRIVM VIRORVM.

In æde *Pontani*.

ΕΝΘΑΔΕ.ΤΗΝ.ΙΕΡΑΝ.ΚΕΦΑΛΗΝ.ΚΑΤΑ.ΓΑΙΑ.ΚΑΛΥΠΤΕ,
ΑΝΔΡΩΝ.ΗΡΩΩΝ.ΚΟΣΜΗΤΟΡΑ.ΘΕΙΟΝ.ΑΛΚΕΙΒΙΑΔΗΝ.

ΑΟΥΡΗΛ. ΑΤΑΛΑΝΤΗΙ
ΙΔΙΩ. ΠΑΤΡΩΝΙ
ΚΑΛΟΣ. ΒΕΒΙΩΚΟΤΙ
ΕΠΟΙΗΣΕΝ.

XI. LVDORVM.

In D. *Joannis Majoris*:

A. VERATIO. A. F. PAL. SEVERIANO. EQVITI. ROM.
CVR. REIP. TEGIANENSIVM. ADLECTO. IN. ORD.
DECVRION. CIVI. AMANTISSIMO. QVI. CVM. PRI-
VILEGIO. SACERDOTIS. CÆNINENSIS. MVNITVS
POTVISSET. AB. HONORIB. ET. MVNERIB. FACILE
EXCVSARI. PRAEPOSITO. AMORE. PATRIAE. ET
HONOREM. AEDILITATIS. LAVDABILITER. ADMI-
NISTRAVIT. ET. DIEM. FELICISSIM. III. ID. IAN.
NATALIS. DEI. PATRI. N. VENATIONE. PASS. DENIS
BESTIIS. ET. IIII. FERIS. DENTAT. ET. IIII. PARIBVS
FERRO. DIMICANTIBVS. CETEROQ. HONESTISSIMO
APPARATV. LARGITER. EXHIBVIT. AD. HONOREM
QVOQVE. DVVMVIRATVS. AD. CVMVLANDA. MV-
NERA. PATRIAE. SVAE. LIBENTER. ACCESSIT. HVIC
CVM. ET. POPVLVS. IN. SPECTACVLIS. ASSIDVE
BIGAS. STATVI. POSTVLASSET. ET. SPLENDIDISSIMVS
ORDO. DECREVISSET. PRO. INSITA. MODESTIA. SVA
VNIVS. BIGAE. HONORE. CONTENT. ALTERIVS
SVMPTVS. REIP. REMISIT. L. D. D. D. C. I.

Locus datus Decreto Decurionum Collegii.

Si affirmare possem hunc Lapidem littera pulcherrima & florente *Neapolitanum* esse, nec aliunde advectum, nihil esset illustrius ad Theatri, Circique Venationes, & munera gladiatoria comprobanda. Omnis enim Spectaculorum gloria hic elucet. *Veratium* habemus Ædilem; & ab Ædilibus præcipuè Venationes in Circo edebantur, licet a Dictatoribus etiam, Consulibus, Prætoribus, Quæstoribus, ipsisque Imperatoribus editas legamus. En tibi Venationes cum Gladiatoribus conjunctæ. Suetonius [1] enim: *Frequenter etiam in Vaticano Circenses commisit, nonnunquam interjecta per quinos missus venatione; cùm enim populus varietate gauderet, per interludia, aut funambulum, aut Ursum, aut par Gladiatorum postulabat.* QVATVOR (hic) FERRO DIMICANTIBVS; cum Venatione, Gladiatores; quamvis *Claudius* Gladiatores sine Venatione dederit; *Augustus* aliquando Venationem tantum in Circo; aliquando, Naumachiam, Gladiatores, & Venationes. Habes MVNERA, quæ aut in funere virorum aut fœminarum nobilium exhibebantur; parturientis filiæ causa, meminit *Senecæ*; ob salutem Principis; ob victoriam & triumphum; ob natales *Augusti* celebravit *Iulus Antonii* filius. HIC OB NATALEM DEI. PATRI N. Hæc mihi religio penitus ignota. BESTIAS, FERASQVE dum legis; scito varias e cavea Feras efferri solitas; Ursos e *Caledonia* & *Pannonia* evocatos, Leones & Tigres ex *Africa*, Crocotes & Rhinocerotes ex *India*, Crocodilos ex *Ægypto*, e *Dalmatia*, *Hispania*, *Gargano*, *Apennino*, *Sicilia* item plurimas, ad quas captandas Venatores fuere publici; & emi Leones, moris fuit. Ad DENTATAS intelligendas hæc habeto ex *Æliano*, animalium alia dentibus serrata; ut Lupus, Canis, Leo, Panthera; alia utrinque dentata, ut Homo, Equus, Asinus; alia continuis dentibus, ut Bos, Ovis, Capra; alia quæ exertos dentes ostendunt, Aper, Elephantus, licet cornua potius in hoc appellanda ducat. Quid verò in Circi curriculo promptiùs, quàm Bigæ?

Venationes & Gladiatores. — Munera Gladiatoria. — Natalis. — Animalia, quæ in Circis. — Dentatæ feræ.

TEGIANENSIVM Resp. planè mihi incognita. CAENINENSIVM sacerdotio fuisse munitum, ideoque a muneribus facile potuisse excusari, respicit ad illud Ulpiani [2]; *A civilibus officiis excusantur, qui Sacerdotium nacti sint.* Nec ab re addimus illud Modestini; *Honorem sustinenti, munus imponi non potest.* CÆNINA urbs, *Antemnæ*, & *Crustumerium*, primæ urbes *Romulo* bellum intulêre. *Cæninensium* verò Rege propria manu occiso, *Romulus* victricia arma *Jovi Feretrio* dicavit, cui templum haud magnum in *Capitolio* condiderat. *Cæninam* autem & *Antemnas*, a *Græcis* ædificatas fuisse scribit *Halicarnasseus*, iisque præcipuè qui ex *Arcadia* venerant. Splendidissimum ordinem, etsi de *Puteolano* intelligendum existimo, ob superiorum lapidum memoriam; de *Neapolitano* tamen quoque posse intelligi, quis negaret?

Cænina urbs.

XII. TROPÆORVM.

ΤΗ. ΕΛΛΑΔΙ. ΤΟ. ΤΡΟΠΑΙΟΝ. ΕΣΤΑΘΗ. ΚΑΤΑ. ΝΙΚΗΘΕΝΤΩΝ
ΤΩΝ. ΚΑΡΥΑΤΩΝ.

Marmoreum Tropæum affabrè sculptum, in quo *Carias* Provincia sedet.

XIII. ALII LAPIDES.

Ad rem *Neapolitanam* faciunt lapides ex antiquis domus *Marcelli Muscettolæ Neapolitani* Equitis fundamentis eruti, qui ex tanta antiquitatis jactura servati, nobilissimum illum *Græcorum* Reipublicæ statum maxima cum Studiosorum consolatione repræsentant. In altero Gymnasiarchiam, Quatuorviratum, Demarchiam, Quinquennalitatem, *Veneris*que sacerdotium habemus:

ΟΙΠΟΛΙΤΑΙΣ ΛΕΥΚΟΝ ΤΟΝ ΣΕΛΕΥΚΟΥ ΔΙΣ.. ΓΥΜΝΑΣΙΑΡ-
ΚΟΝ ΑΡΞΑΝΤΑ ΤΕΣΣΑΡΩΝ ΑΝΔΡΩΝ ΛΑΥΚΕΛΑΡΧΗΣΑΝΤΑ
ΑΡΧΟΝΤΑ ΤΟΝ ΔΙΑΠΕΝΤΕ ΕΤΩΝ ΤΙΜΗΤΙΚΟΝ...
ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ΕΥΝΟΙΑΣ. ΘΕΟΙΣ.

In altero, Demarchiam, Secretarii munus, & Quinquennalitatem, cum vetere *Eœnionèorum* Phratria:

Η ΦΡΗΤΙΑ ΗΟΝΙΟΝΑΕΩΝ ΛΕΥΚΙΟΝ ΕΡΕΝΝΙΟΝ ΠΥΘΩΝΩΣ ΓΙΟΝ
ΑΡΙΣΤΟΝ ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΕΝ ΚΑΙ ΕΥΕΡΓΕΣΙΑΣ ΔΗΜΑΡΧΗΣΑΝΤΑ
ΛΑΥΚΕΛΑΡΧΗΣΑΝΤΑ ΓΡΑΜΜΑΤΙΣΑΝΤΑ ΑΡΞΑΝΤΑ ΤΟΝ
ΠΕΝΤΑΕΤΗΡΙΚΟΝ. ΘΕΟΙΣ.

[1] In Claudio. Cap. 21.

[2] 23. Lib. ad Edictum.

FINIS.

INDEX RERUM,
PASSIMQUE NOMINUM.

A.

B.

C.

Car-

D.

E.

F.

S.

T.

V.

X.

F I N I S.

ANTIQ.
ITALIÆ

TOM. IX.
P. . .